Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTRINAE

JESUITARUM

3

Coll. Script.
Hist. Germ. S. J.
Abt. HB.
4/3
27-3
1580

Archiv Prov. Germ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

COLL. SCRIPT.
HIST. GERM. S. J.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTRINÆ

IESVITICAE PRAECIPVA CAPITA.

Tomus tertius,

SCRIPTA NONNVLLA continens, aduersus hypocrisin & errores nouæ istius sodalitatis, quæ sacrosanctum IESV nomen sibi arroganter & falsò tribuit.

Tractatus hoc tertio Tomo inclusos sequens pagella exhibet.

15865

Bibliotheca Facult. Philosophica Prov. Cast. Orient. S. I.

COLL. SCRIPT. HIST. GERM. S. J.

RVPELLÆ,
APVD THEOPHILVM REGIVM.
M. D. LXXXV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Apologetica Epistola, seu præfatio D. Laurentii Humfredi, ad Oxonienſis Academiæ Cancellarium. Pag. 1.
2. Eiuſdem, de praxi Romanorum Pontificum, & de Legatione Ieſuitarum in Angliam Admonitio. 55.
3. Puritano-papiſmi, ſeu Doctrinæ Ieſuiticæ aliquot rationibus ab Edmundo Campiano comprehenſæ, & à Ioanne Duræo defenſæ Confutatio: & ex iiſdem fundamentis reformatæ noſtræ Religionis Aſſertio: authore eodem Laurentio Humfredo, S. Theologiæ in Academia Oxonienſi profeſſore Regio. 161.
4. Diſputatio Ioannis Foxii, Angli, contra Ieſuitas & eorum argumenta, quibus inhærentem Iuſtitiam ex Ariſtotele confirmant. 987.
5. Variæ doctorum Theologorum Theſes, aduerſus quædam Ieſuitica dogmata. 1003.
6. Characterum Ieſuiticorum, id eſt NOTARVM, quæ facies & artes Ieſuiticas ad viuum depictas repræſentant, Centuria ſecunda 1030. & tertia. 1052.

TYPOGRAPHVS
CHRISTIANO LECTORI
Salutem.

NONNVLLIS fortaſſe mirum videbitur, aut mihi quiſpiam vitio vertet, quòd tot librorum, ante paucos annos, à me & aliis aduerſus nuper natam Ieſuitarum ſectam, Pontificiæque Eccleſiæ impura dogmata editorum, ferè oblitus, tertium hoc collectaneorum volumen, nihil aliud præterquàm quod ſæpiſſimè dictũ eſt prius, tibi offero. Verùm, illis reſponſum velim; me à præcepto Chriſti de vitandis pſeudoprophetis monitum & impulſum, pro meæ vocationis ratione, doctorum piorúmque quorundam hortatu, iampridem apud me fuiſſe conſtitutum quicquid ad euertendas perditionis arces conducit, edere in publicum. Hic fuit cogitationum mearum ſcopus, hæc mea mens: ſanctéque teſtari licet publici potius quàm priuati mei commodi me rationem habuiſſe. Porrò, non ſemel optaui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, finem aliquoties & extremã manum imponi tot disputationibus & responsis de rebus fidei aduersus pseudonymos istos, qui sancto nomine Iesu ad inscriptionem suæ sodalitatis, toti orbi Christiano mirum in modum exitiosæ, tam audacter abutuntur: tum vt bonas horas (siquidem audeo sensum meum aperire) Christianæ Ecclesiæ pastores & doctores melius impenderẽt: tum vt noui Monachi qui disserendi artem, & Aristotelis potius quàm Pauli mentem se tenere magno cum supercilio profitentur, tot argumẽtorum telis ex sacra Philosophia deprõptis millies expugnati victas & supplices manus Christo porrigerẽt. Illud enim nobiscũ multi arbitrabantur fieri non posse quin toties refutati veritatis hostes, in animis suis vim aliquam sinceræ doctrinæ eos coarguentis experiãtur & agnoscant. Quũ vero, singulis mẽsibus nouis libellis puram doctrinã adoriantur, nemo pius ægrè feret, opinor, quòd eruditas responsiones ad discutiendas illas Sophismatum Iesuiticorum nebulas in lucem producimus. Certè non diffiteor varia scripta præstantissimorum virorum (quos Dominus nostro hoc seculo pro immensa sua erga humanum genus bonitate per multas Europæ regiones excitauit)

uit) sexaginta abhinc annis contra Pontificiorum errores euulgata, totam molem argutiarum Iesuiticarum potenter subuertere: at quoniam in hoc toti sunt superbi isti Pontificiæ tyrannidis satellites, vt impenetrabile aliquod armorum genus reperiant, quo veritatis tela sustinere facilè possint, nonnullique existimant inusitatis clamoribus illos silentium Theologiæ professoribus indicere, nec non satis exercitatos homines ad ἀφωνίαν compellere posse, refutationes nouorum mendaciorum necesse est & voluimus piorum omniũ oculis subiicere. Inter cæteros autem Spiritus Iesuitici aduersus Christianam Religionem insultus & artes, Ecclesias Anglicanas, virulentis scriptis, tanquam iaculis eminus & cominus vibratis obruere, & per Campiani, Duræi, aliorúmque Iesuitarum tanquam leuis armaturæ militum manus sanctæ veritatis pectus transfigere conatus est. Veruntamen Dei Optimi Maximi beneficio malum consilium consultoribus pessimum euasit, seditiosis nonnullis iusta magistratus sententia tandem oppressis. Libelli famosi, tum in Ecclesias, tum in sereniſſimam Angliæ reginam, sparsi à doctis viris quos Christus excitauit diligenter & solidè refutati sunt,

adeò vt omnibus non difficile sit clarè perspicere quid sit in controuersiis de Religione sequendum aut fugiendum. Secundus tomus vnum & alterum D. VVhitakeri librum Campiani, Duraíque feroces animos reprimentem exhibuit: tamen quum ad nos peruenissent scripta quædam D. Humfredi (qui in hanc harenam pertractus istos Iesuiticæ turbæ gladiatores fortiter & feliciter, gladio spiritus ope ferýt & iugulauit) doctissimos eius libros, non in arce Minervæ, sed in templo Dei collocare & recondere, id est Christianis omnibus offerre visum est. Difficulter & rarò ad nos perueniunt Anglicanæ editionis exemplaria: ideò ne Germaniæ & aliarum Cismarinarum regionũ litterati homines, D. Humfredi scriptis priuarẽtur, huic tertio Tomo ea adiunximus, vnà cum aliis libellis, vt non prorsus stupidis ingeniis constet Papatus turpitudinem nouis Iesuitarum coloribus nõ ita posse obtegi, quin fœda fœtidáque semper appareat: & quod olim D. Bernardus ad Eugenium Pontificem scripsit, tanquam à Prophetico spiritu dictatum videtur in Papisticam Hierarchiam, cuius præcipuæ columnæ Iesuitici magistri hodie videri volunt. Non doctores sunt (inquit ille) sed seductores,

ductores, non pastores, sed impostores: non prælati, sed Pilati. Censentur, suo equidem gregaliúmque suorum iudicio, in citandis Scripturis sacris & Veterum testimoniis admodum perspicaces: at si quis paulò attentiùs & apertiùs (quod aiunt) oculis intueatur, infinitas verborum sentẽtiarúmque fallacias & præstigias deprehendet. Non immeritò igitur, N. Theologiæ studiosus, ex Patrum seu Apostolicorum quorundam virorum scriptis secundam & tertiam Characterum Iesuiticorum centuriam, coronidis vice subiecit. De omnibus omnium temporum hæreticis ista dici possunt: multò magis autem de Iesuitica schola quæ inter omnium impudẽtissimas sectas supremum gradum iamiam obtinet. Huius scholæ magistros respicio, quorum manus & aures indesinenter pruriunt, quibus aliorum monachorum examina sunt viles animæ, & ferè inter bruta deputantur, quos nec piget nec pudet infinitis cauillorũ, mendaciorum & conuitiorum lapidibus Christianæ doctrinæ dogmata impetere, prout eorũ emissa scripta vociferantur. Itaque, Christiane Lector, æqui boníque cõsules, si institutum meum prosequens, alios Tomos, Christo fauente, prioribus addam. Vnum illud peto

à piis & doctis qui inchoatum opus promouere possunt, vt pro mensura donorum quæ à Spiritu S. acceperũt, nos alacri animo iuuare dignẽtur. Noluimus autẽ huic aut præcedẽtibus Tomis nõnullos alios in Iesuitarũ sophismata seorsim ab aliis editos libros, inserere, cuiusmodi sunt A. Sadeelis ad Turrianum doctissimæ responsiones, & alij qui passim reperiuntur, ne duplici sumptu vos onerarem. At si Deus nostris cæptis annuerit, vt tandem ex tot doctorum virorum vigiliis absolutum doctrinæ Iesuiticæ examen, accurata methodo descriptum tibi offerre valeam, mihi non parum gratulabor, quòd non exigui voti compos factus, tuis studiis & toti Ecclesiæ Christianæ meo labore inseruierim, vale. Ex Typographeia nostra, 18. Calendas Septembris 1585.

EX LI-

EX LIBRO D. AVGVSTINI

de vnitate Ecclesiæ, contra Petilianum, excerpta quædam, quæ hîc addidimus, in cordati & Christiani Lectoris gratiam.

INTER nos & Donatistas quęstio est, vbi sit Ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos. Quid facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. Nouit enim Dominus, qui sunt eius. *Cap. 2.*

Nõ audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus: hęc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus. Ibi quæramus Ecclesiã, ibi discutiamus causam nostram. *Item.* Auferantur illa de medio quę aduersus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, sed aliũde recitamus. *Itẽ.* Nolo humanis documẽtis, sed diuinis oraculis Sãctam Ecclesiã demonstrari. *Item.* Si autẽ Christi Ecclesia, Canonicarũ Scripturarũ diuinissimis & certissimis testimonijs in omni-

bus gẽtibus designata est, quicquid attulerint & vndecunque recitauerint, qui dicũt, Ecce hîc Christus, ecce illic: audiamus potius, si oues eius sumus, vocẽ pastoris nostri dicẽtis, Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis gentibus, vbi ista est, non inueniuntur: hæc autem quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt inuenitur. Ergo in scripturis Canonicis eam requiramus. *Cap. 3.*

Totus Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Ecclesia sponsus & spõsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite à Scripturis Sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicunque de ipso capite Scripturis Sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiũt. Verbi gratia. Qui non credũt Christum in carne venisse de virgine Maria ex semine Dauid, quod apertissimè Scriptura Dei loquitur, aut non in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, etiamsi per omnes terras inueniantur per quas est Ecclesia, nõ vtique sunt in Ecclesia, quia ipsum caput non tenẽt, quod est Christus Iesus. Nec in

in aliqua diuinarũ Scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimonijs contradicunt. Item, quicunque credunt quidẽ quòd Christus Iesus, ita vt dictum est, in carne venerit, & in eadẽ carne in qua natus & passus est resurrexerit, &c. sed tamen ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio nõ sit cum toto quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestũ est eos non esse in Catholica Ecclesia. In Scripturis Sanctis igitur quærenda est Ecclesia. *Cap. 4.*

Hoc etiam prædico atque propono, vt quæque aperta & manifesta deligamus: quę si in Sanctis Scripturis non inuenirẽtur, nullo modo esset vnde aperirẽtur clausa & illustrarentur obscura. *Cap. 5.*

Sequẽtibus cap. 6. 7. 8. 9. 10. probat ex libris Canonicis veteris & Noui Testamenti Ecclesiã per omnes gentes toto orbe terrarum diffusam, non in Africa inclusam esse, vt pars Donati somniabat: & addit, habeo manifestissimã vocem pastoris mei commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam (*nõ Romanam, non Antiochenam, nõ Constantinopolitanam, nõ Gallicanam aut Europæanam, sed Catholicam, i. toto terrarum orbe diffusam*) mihi imputabo, si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per

verba hominũ ſeduci atque aberrare voluero, cùm me præſertim admonuerit, dicens, Quæ ſunt oues meæ, vocem meã audiunt & ſequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta, ac audita. Qui eum nõ ſequitur, quomodo ſe ouẽ eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, O quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet eorum? Quia nec Catholicis Epiſcopis conſentiẽdum eſt, ſicubi fortè fallũtur, vt cõtra Canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiãt. Sed ſi cuſtodito vnitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis quod Apoſtolus ait, Etſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.

Cap. 10.

Si autẽ aliud declamas vel recitas, nos poſt vocẽ paſtoris noſtri per ora Prophetarũ, per os propriũ, per ora Euangeliſtarũ nobis apertiſſimè declaratã, voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus. *Cap. 11.*

Refutatis deinde varijs Donatiſtarũ (in Africa Catholicã Eccleſiam includere volentium) obiectionibus, ſubijcit. Proinde remoueantur omnes moratorię tergiuerſationes, quicquid de peccatis hominũ falſum obiicitur, nec tamẽ ad frumenta quę inter paleã latent, ſed ad ipſam paleã quę in fine ſeparabitur pertinet, nõ obiiciatur. Hęc enim & nos multò copioſius &

ſius & probabilius obiicere poſſumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis cauſam noſtrã conſtituamus. Sed vt eis oſtẽdamus, non ideo nos nolle talibus fidere, quia nõ inuenimus talia quæ dicamus, ſed ne tẽpus rebus neceſſariis vtile, in rebus non neceſſariis conteramus. Quod propterea illi faciunt, quia robuſta & firma veritate ſubnixa documẽta, quibus cauſam ſuam tueantur inuenire non poſſunt, & volũt videri aliquid dicere, dum tacere erubeſcunt, & inania loqui non erubeſcunt. Remotis ergo omnibus talibus, Eccleſiã ſuã demonſtrẽt (ſi poſſunt) non in ſermonibus & rumoribus Aphrorũ, non in cõciliis Epiſcoporũ ſuorũ, non in literis quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigiis fallacibus quia etiam contra iſta verbo Domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in præſcripto Legis, in Prophetarũ prædictis, in Pſalmorũ cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarũ prædicationibus & laboribus, hoc eſt in omnibus Canonicis ſanctorum librorum authoritatibus. Nec ita vt ea colligant & commemorant, quæ obſcurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit interpretetur ſecundum ſenſum ſuum: talia enim rectè intelligi exponíque nõ poſſunt, niſi prius ea quæ apertiſsimè

dicta sunt, firma fide teneãtur. *Paulò pòst.* Omissis ergo istis morarum tendiculis, ostendat Ecclesiam vel in sola Africa perditis tot gentibus retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam: & sic ostẽdat vt non dicat, Verum est, quia ego hoc dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Episcopi, vel clerici, vel laici nostri, aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Põtius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum erãt & exaudiuntur, aut quia illa & illa (*miracula*) ibi contingunt, aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilãs vidit, vel tale visum dormiẽs somniauit. Remoueantur ista vel figmẽta mendaciũ hominũ, vel portẽta fallaciũ spirituum: aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus, &c. *Item*, Ad salutem ac vitã æternã nemo peruenit nisi qui habet caput Christum. Habere autẽ caput Christũ nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in variis hominũ rumoribus & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere. Nemo mihi hęc op

ponat

ponat qui mihi respondere paratus est, quia nec ego dico ideo mihi esse credẽdum communionẽ Donati non esse Ecclesiam Christi, quia quidã qui apud eos Episcopi fuerunt diuina instrumenta ignibus tradidisse gestis Ecclesiasticis & municipalibus & iudicialibus conuincuntur: aut quia in iudicio Episcoporum, quod ab Imperatore petiuerãt, causam suam non obtinuerũt: aut quia prouocantes ad ipsum Imperatorẽ, etiã ab ipso contrariam sibi sententiam meruerũt: aut quia tales sunt apud eos Circumcellionum principes: aut quia sunt apud eos qui se per abrupta pręcipi tent, vel concremando ignibus inferãt quos ipsi sibimet accenderunt, aut trucidationem suam etiã inuitis hominibus terrendo extorqueant, & tot spontaneas & furiosas mortes, vt colantur ab hominibus, appetãt: aut quod ad eorũ sepulchra ebriosi greges vagorum & vagarum permixta nequitia die noctéque se vino sepeliant, flagitiisque corrumpant. Sit ista omnis turba palea eorum, nec frumentis pręiudicet, si ipsi Ecclesiã tenent. Sed vtrum ipsi Ecclesiã teneant, nõ nisi diuinarum scripturarum canonicis libris ostendãt: quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere quòd in Ecclesia Christi sumus: quia ipsam quam tenemus commendauit Mileuitanus

Optatus, vel Mediolanẽsis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostrę cõmunionis Episcopi, aut quia collegatũ nostrorum Conciliis ipsa prędicata est, aut quia per totum orbem, in locis sanctis, quæ frequentat nostra cõmunio, tãta mirabilia vel exauditionũ vel sanitatum fiunt, aut quia ille somnium vidit, & ille Spiritu assumptus audiuit, siue ne iniret in partẽ Donati, siue vt recederet à parte Donati. Quęcũque talia in (*Ecclesia*) Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiũt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hęc in ea fiunt. Ipse Dominus Iesus cùm resurrexisset à mortuis, & discipulorum oculis videndum manibúsque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallacię se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis, & Prophetarum, & Psalmorum confirmandos esse iudicauit, &c. Hęc sunt causæ nostræ documenta, hęc fundamenta, hęc firmamenta. *Cap. 16. Hactenus D. Augustini verba.*

AD ILLVSTREM VIRVM D. ROBERTVM *Dudlæum, comitem Leicestrensem, R. Maiestati à consiliis, Academiæ Oxoniensis Cancellarium,*

LAVRENTII HVMFREDI de tota huius instituti ratione, Apologetica Præfatio.

QVomni tempore calami cõmes est Calumnia, Honoratissime Comes, tum in hoc submoroso & maligno seculo vel maximè, vbi qui aliquid in publicum edũt, multorum oculorum atque iudiciorum examen subeant, & in varias quorumcunque hominum reprehensiones incurrant necessum est. Quid enim esse potest vel cogitatione maturum, vel oratione politum, vel industria elaboratum, vel artificio elimatum: quod non curiosis exile, inornatum, scabrum, indolatum, aliqua demum causa sibilo non applausu dignum esse videatur? Equidem in re nunc ego versor multis difficultatibus obstructa, & Zoilorum sannis non parum obnoxia. Itaque ab amplitudine tua enixe peto, vt quò ad te via pla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niore & expeditiore descendat oratio, patiaris me prius obices aliquot & scrupulos amouere, qui obiici à nonnullis solent, & festinantem alioqui impedire fortassis & implicare possunt. Et vt ratione & via procedat oratio, præfari peropus esse video, primum de Regni & status publici administratione vestra: secundo, de Academia nostra: tertiò, de me, atque instituti mei ratione: quæ singula patere obtrectationibus, & in cauillandi materiam rapi intelligo.

Ordo.

1. De status publici administratione Apologia

Hic ergo primus est & præcipuus Actus in quo mihi elaborandum est, vt antequam ad doctrinam Iesuitarum & ad Edmundi Campiani decem rationes veniam, cum ingenis politicis aut verius cũ hominibus inciuilibus confligam. Illæ enim quia Theologicæ sunt, in qua arena versatus sum diutius, retundi & refelli possunt facilius. Nunc autem cùm maleuoli obtrectatores quidam de Campiani & aliorum reorum innocentia, morte, martyrio nimis magnificè, de Iudicum fide, Senatus æqui

Libelli famosi.

tate, Testium candore, legum moderatione non satis candidè, vtrobique peruersè iudicent, idque infamibus libellis, petulantissimis dicteriis, virulentissimis scriptis, propalàm testatum & apertum faciant: antiquum morem Satanæ & vaferrimũ strategema eiúsque fecialium atque Legatorum Parasiticam & vicariam operam, & olim & hodie probè ac sedulò nauatam, in omnium auribus & oculis desigẽdam censui: quò pòst à persona ad rem, ab HAC PRAXI & his conscelleratis Pseudo apostolorũ Actibus ad pestiferæ religionis explicationem, Deo iuuante, suo tẽpore & loco rectius cõmodiúsque delabar. Ab eo igitur exordiri volui maxi-

maximè quòd est temporibus istis aptissimum, euentu rerum postremum, Anglis nostris maximè necessarium, simplicioribus hanc mysticam Praxim minus intelligentibus periculosum, & propterea autoritati tuæ Senatoriæ ad considerandum accõmodum & grauissimum. Nam dum negant Illustrissimæ Reginæ in suo Dominio principatum: dũ Omnes.

Alenus.

alius affirmat Iuramentũ receptũ non esse præstandum: dũ alius è Tribunali pronunciat eam Regio Bulla.

solio deijciendam: dũ alius subditos non solùm ab obedientia debita auocat, & ad Papatum signo sublato vocat, sed ab Ecclesiæ nostræ liminibus arcet: dum alius scita & leges omnes publicas tanquam iniquas, captiosas, capitales & cruẽtas perAutor dis cursus.

uellit: dum aly Dei verbo & Scripturæ dignitati Camp. Pondus & Censor

obtrectant: dum præpotentis Dei Religionem violant, Sacram Maiestatem Principis lædunt: legũ authoritatem labefactant: ipsum Regni nervum & robur eneruant: quis est tam stultè patiens qui hæc ferre possit: aut tam leuiter de rerum communium statu anxius, qui hanc publici Regiminis defensionem exulceratissimis hisce temporibus non esse putet pernecessariam?

Prosilijt præter alios, quos dixi, libellus alicuius hominis sed nullius nominis, ἀδώνυμος quidam sed dentatus & mordax, in quo pueriliter deflet Catholicorum in Anglia persecutiones: eos vinculis stringi, tormentis subijci, in crucem subleuari, & non modò corporis sed animarũ quoque illiberalem seruitutem sustinere. Quamuis autem vanitatem istarum cauillationum omnium in hoc tractatu infra vberius demonstrauerim: tamen istius Scriptoris aliquot

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Epist. ad Gerardum de Persecutione Anglic. Arist. in Pluto.

absurdissimos articulos hîc tuæ Dominationi subiiciam & breuissimè dissoluam: vt facilè emergat verissimum esse illud Aristophanicum, Aduersus morsum Sycophantæ nullum esse remedium: atque adeò hanc esse nouæ scholæ Iesuiticæ licentiam, è Vetere aliqua Comœdia hausiam & imbibitam vt iam nihil ab hoc calumniandi morbo tutum, nihil à linguæ petulantia satis obmunitum esse possit.

1 *Primus hic articulus de Catholicorum extrema calamitate & morte totus consutus est ex fallacijs & mendacijs, & calumniæ plenissimus. Quis enim vel vnum simpliciter Papistam ob solam religionem à sereniſſima Regina vlla hactenus lege, vllo iudicio, vllo tempore acerbissimæ mortis traditum nominare aut proferre posset? Quis dicet, aut si dixerit, quis probabit Elisabetham vnam sanguinis guttulam propter solam Pontificiorum fidem in hoc tanto vigmti quatuor annorum spatio effudisse? Nec verum est Papistas esse Catholicos: quicquid Bristous in suis Motiuis ex solo nomine Catholicissimi ex meis scriptis captiosè & curiosè venetur & colligat: quippe non vniuersali aut Catholicæ Christi Ecclesiæ adhæresciunt, sed particulari Romanæ Synagogæ se addicunt. Sed enim fingamus fuisse quod nunquam fuit, fateamur aliquem capitali pœna sic affectum, non debet tamen illa mors dici martyrium, sed dignum pseudoprophetis supplicium. Isti isti Iesuitæ sunt plebis corruptores, caudæ, nouis suis insusurrationibus autores confusionum in Republica & Ecclesia, qui populo non suo sed alieno, non vinum Euangelicum sed Romanam cicutam & aconitum propinant. Cum autem Magistratus sit vtri usque tabulæ & totius*

Nemo Papistice credens solum à Reg. Elisa. capite plexus.

In libro de vita Iuelli.

totius Legis custos, Dei in terris quædam imago eiúsque vicarius, cui duplex gladius est commissus, vltionis propter malos, defensionis propter bonos: cur non in legum diuinarum transgressores inquireret? cur non animaduertet?

QVARE illa secunda mirabilis determinatio est: Erigat aliquis in Anglia vetus Idolum Missæ: audiat aut cantet Missam, Romanæ Religionis nullam detestationem faciat, Regiæ Maiestatis in suo Regno primatum abneget abnuat: obsequium omne eidem subtrahat, AGNOS DEI, Medalias, reliquias, nugatorias alias reculas à Pontifice Romano benedictas recipiat retineat, Romanæ Ecclesiæ Anglos reconciliet, istorum scelerum consuasor, caput, Princeps sit: hac nouella sanctione Pontificiorum nec pœna corporis aliqua, nec multa pecuniæ vlla, nec supplicio grauiore aut leuiore quocunque coerceri, sed tanquam Catholicus in pretio esse, magni æstimari, muneribus honorari debet. Quæ tamen quò spectant, nisi vt quæ optimis legibus temperata & deuincta sunt, laxa & luxata diffluant omnia? De confectione autem & consecratione Agnorum Dei, legatur ceremoniarum liber primus, in quo efficiens causa & creator describitur, summus Pontifex: materia, cera, balsamum, aqua sacra: forma, imago Christi, crux, magicæ preces: finis, vt per eius tactum & visum fideles inuitentur ad laudes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, infesta tonitrua temperentur, fugiant atque tremiscant maligni spiritus ante sanctæ Crucis vexillum quod in illis exsculptum est, cui flectitur omne genu &c. Has imagunculas & Deos ce-*

2

Lex in pseudocatholicos in Epist. de Persec. Angl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reos mittunt in Indiam, in alia regna, & nunc in Angliam, quomodo olim ad Imperatorem Græcorum misit Vrbanus Quintus Rom. Pont. cum his versiculis, vbi ostendit qualis Grammaticus, & quantum poeta sit, & quanta sit non poetica tãtùm sed Papistica licentia:

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis vnda,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, omne malignum,
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.
Prægnans seruatur, simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis.
Portatus mundè de fluctibus eripit vndæ.

Hæc sunt leuia & minuta in curia Romana, imò pretiosa & vendibilia in foro Papali, sed hæc quia iudicio Scripturæ blasphema sunt, ideo à nostro Magistratu meritò punita sunt.

3. De capitali lege.

QVIN illa alia persecutionis Anglicanæ species grauissima obtenditur: multa quæ Religionis sunt & ad fidem pertinent, ad læsæ Maiestatis crimen attrahi, & Catholicos tanquam proditores accipi & capitalem pœnam subire. Quæ hæc tandem noua disciplina? Qui dixerit, affirmauerit Romanum Põtificem esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ: qui ab eo Grana & alia cõsecrata, & Bullas inuexerit, qui ad illum appellauerit, qui ad eius Ecclesiæ vnionem & communionem Anglos solicitauerit, ad Romani Pontificis Cathedram traxerit, qui concionando, suadendo, confitendo, absoluendo Papatum hìc instaurauerit, qui Religionẽ in Anglia receptam dissuaserit, qui Reginam hæreticam, schismaticam esse scripserit, significauerit,

in hunc nulla lex capitalis statuetur, hic nullo crimine læsæ Maiestatis tenebitur? Quæ hæc Romanæ scholæ doctrina? quãta impunitas? vt in Deum, in patriam, in Principem piam matrem impij, à legitimo magistratu plecti non debeant? Expostulat iste nouus historiographus vobiscum, Ornatissime Heros, & cum Magnatibus, nobiscum & cum ministris, nos istas leges asperas elicere & vrgere, quodammodo conniuente aut etiam renitente Principe: quasi refragante Regina vlla lex vires apud nos aut vigorem habeat, quasi edicta non publicentur Præconis voce Reginæ nomine, quasi etiam illud edictum mense Martio quo Iesuitæ proditores declarantur non sit eadem autoritate promulgatum. An verò ista nũc primum edicta, aut rogata sunt? vllanè leges cõtra Papatus extortionem, intrusionem, insolentiam, eminentiã in hoc Regno à priscis Regibus latæ, & datæ sunt? Regni huius proceres voluerunt suum Regem Edouardũ Primum coram Papa sisti iudicio. Quid Hẽricus Primus obstitit; & tum senserunt Regni huius dignitates Iuramẽtis & Iuribus Papæ velut tẽdiculis auerti & alienari: ideóque tum cautum est vt Episcopi suam fidelitatem Regi non Pontifici repromittant: quod & Thomas Beckettus Cantuar. Archiepiscop. fecit, licet postea stolidè & perfidè facti sui pœnitudine ductus desciuerit, contra quem, non solum noster Ioannes & nomine & re Oxfordius, (cuius Hector Boethius ad Iacobum Quintum Scotorum Regem meminit) disertè scripsit, Regis causam defensitans, sed etiam inter magistros Parisienses quæstio erat, Damnatúsne sit an seruatus, aliisque

Leges antiquæ cõ. Papatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum inter Martyres referentibus Rogerus quidam Normannus dixit, eum morte dignum quòd in Regem suum Dei ministrum fuisset contumax. Quid Edouardus tertius? de quo Thomas VValsingamus hæc commemorat, eum Clementi Sexto succensuisse, quòd Episcopatus & census Ecclesiasticos in Anglia vacantes in suos Cardinales conferret, nouósque eis titulos moliretur imponere, & proinde interdixisse sub pœna carceris atque capitis, ne quis deinceps tales PROVISIONES afferret. An ergo hoc capitis supplicium nouũ? an rarum? an modò ab ELISABETHA R. inuentũ? Ibidem addit, per totum Regnum omnes decimas temporalium & spiritualium Regi solutas fuisse. Ibidem extat Epistola Regis ad eundem Papam pro libertate Ecclesiæ Anglicanæ, plena fructu, vt autor loquitur, cui tunc Papa & Cardinales rationabiliter respondere nesciuerunt: Ab exordio nascentis Ecclesiæ in hoc Regno progenitores suos & proceres propter diuini cultus augmentum construxisse Ecclesias, ipsas amplis possessionibus dotauisse, priuilegiis muniuisse, in ipsis ministros idoneos locasse, quorum opera & sollicitudine vinea Domini Sabaoth in cultu & fructu mirificè fœcundata est: nunc quod dolendum est, ipsius vineæ propagines in labruscas degenerare, eam apros syluestres exterminare, singulares feras depascere dum per impositiones & prouisiones sedis Apostolicæ solito grauius inualescentes, ipsius peculium contra piam voluntatem & ordinationem donatorum & sacerdotia pinguia alienigenis hominibus plerunque suspectis, non residentibus, vultum pecoris sui non agnoscẽtibus, linguam nõ intelligentibus, animarum

In vita Ed. 3.

Ed. 3. Epi. cont. Papam.

marum curam negligentibus, mercenariis, solummodo temporalia lucra quærentibus, tribuuntur: vnde ius patronatus enerυatur, Curia, in qua duntaxat illæ causæ tractari debent, eluditur, iura Coronæ depereunt, Regni thesaurus ad extraneos & maleuolos exportatur, hoc forsan nomine vt Regnum totum eiúsque vires in aduersis debilitentur. Itaque in Parliamento sancitum est, vt hisce dispendijs intolerabilibus celeriter occurratur. Neque verò in aliis causis Rex Edouardus ex ore Pontificis Romani pendebat, sed misit Procuratores Romam, Henricum de Lancastria Comitem Derbiensem, Hugonem Spenserum, Rudolphum Stafordium, cum Oxoniensi Episcopo & aliis, cum plena potestate & mandato speciali, vt de iure suo in Regnum Franciæ, coram Pontifice, non vt IVDICE, sed vt priuata persona & amico communi, non in forma nec in figura iudicij tractarent. Quid Richardus Secundus? Eius lex à Polydoro Virgilio refertur, in Concilio VVestmonasterienſi eiusmodi, vt nulli mortalium liceret agere apud Romanum Pontificem: vt quispiam in Anglia eius authoritate, impius Religionisque hostis publicè declararetur, hoc est, excommunicaretur, quemadmodum vulgo dicitur, néue exequi tale mandatum, si quod ab illo haberet: pœna verò iis constituta est, qui legem violassent, vt amissis omnibus bonis vitã perpetuò in carcere agerent: eaq; pecunia ad vsum belli imperata est. Quid Henricus sextus? Publicum instrumentum confectum est ab ipso, assensu & consilio Principis Humfredi Ducis Glocestriæ Protectoris Regni & Ecclesiæ Anglicanæ, cõtra Mar-

Richardus Secũdus, Libro 20 Angl. hist.

H. Sextus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinũ Papam in quo Richardus Candraius Procurator Christianissimi Regis Henrici dicit & allegat, Progenitores regni tã speciali priuilegio quàm consuetudine laudabili ab omni vetustate ab omni hominũ memoria satis dotatos legitimeq; munitos, ita vt nullus Apostolicæ Sedis legatus sine Regis vocatu aut rogatu in Angliam veniret.

Vide exemplar apud Io. Foxum.

Proteſtatur igitur palàm contra Henricum Cardinalem legatum nomine Procuratorio ſui Principis & omnium ſubditorum nolle ſe Legatum contra leges, iura, conſuetudines, libertates & priuilegia quouis modo admittere, nolle eius ingreſſum approbare, ſed ab omnibus actis ſeu agendis diſſentire. Hæc aliaq; multa à noſtris ſtatuta ſunt, & hæc legati noſtri à latere Gregorij ſine publico teſtimonio emiſſi ignorarunt? aut ſcientes & prudentes ſe in apertum diſcrimen præcipitare voluerunt? Quod autem de ſupplicio extremo narrat, Catholicorum multos protractos, ſtrangulatos, exenteratos, & tanquam perduelles in multis locis diſperſos vt ſpectaculum hoc ſuſpenſorum membrorum ſit exemplum aliorum, inuidioſè & calumnioſè ab illo adductum eſt: quandoquidem non illud ſupplicij genus à Proteſtantibus aut à noſtra Principe, ſed ab aliis in Papiſmi nocte degentibus ante multos annos excogitatum, & antiquis legibus Regni conſtitutum eſt. Et quidem meritò contra proditores. Quid eſt autem aliud hic noſter Papiſmus nouus & mixtus quàm proditionum ſchola, quàm rabidè & furenter & imperioſè dominans poteſtas? quàm dira quædam lues & peſtis Regna conficiens & depopulans? Quonam quæſo omnes ſuos conatus comparant, quò

Quj Papiſtæ proditores.

neruos induſtriæ & peritiæ ſuæ iſti intruſores intendunt, quàm vt Reſpublica in contrarias partes diſcordiis & contentionibus diſtracta concidat? Bullarum autem importatores nunquam excuſaſſet, ſi quid ſint perſpectum ſatis exploratúmque habuiſſet. Etenim Bulla eſt gemina, vna contra Deum, altera contra Principes, ambæ, impiæ & teterrimæ: Contra Deum, quæ Dei vices vſurpat, dum Iubileos inſtituit & peccatorum veniam largitur. Exemplum huius Bullæ ſit Clementis Sexti, qui Iubilæum ad annum Quinquageſimum Romæ celebrauit, quo quotidie eo anno quinque millia peregrinorum intrantium & exeuntium confluxerunt, cuius forma hæc recitatur non ſine magna in Chriſti crucem blaſphemia.

Bullæ cõ. Deum & Principes.

Bulla Clementis.

QVICVNQVE peregrinandi cauſa ad ſanctam ciuitatem accedere propoſuerit, illa die qua de hoſpitio ſuo viam arripere voluerit, eligere poſſit confeſſorem ſeu confeſſores, & in via & in locis aliis quibuſcunq;: quibus quidem confeſſoribus authoritate noſtra concedimus plenam poteſtatem abſoluendi omnes caſus Papales, ac ſi perſona noſtra ibi eſſet. Item concedimus, quòd ſi verè confeſſus in via moriatur, quòd ab omnibus peccatis ſuis ſit immunis penitus & abſolutus. Et nihilominus prorſus mãdamus Angelis Paradyſi quatenus animam à Purgatorio penitus abſolutam, in Paradyſi gloriam introducant &c. Atque in alia, Nolumus quòd pœna inferni ſibi aliquatenus infligatur: concedens inſuper cruce ſignatis, ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è Purgatorio poſſe eripere. Exemplar al-

Ex præmonſtratenſi Io. Bal. H. Bulling. Cor. Agrip.

Universidad de Deusto
Biblioteca

terius Bullæ extat apud Auentinum in Annalibus contra Fridericum Secundum Cæsarem Augustum: quem ille secundum Carolum Magnum haud dubiè potentissimum Reipublicæ Christianæ vtilissimum, & sapientissimum omnium, testimonio Nicolai Cusani Flaminis Romani fuisse cõfirmat. Hinc formidolosus & suspectus est Gregorio nono & Romano sacerdotum Senatui, ac propterea Albertum Beham Bathauiensis templi Decurionem, factiosum, in quatuor annos huiusce cæpti institorem declarat, eundem contrectatis sacrosanctæ historiæ diuinis oracutis, sacramentum mandatis bona fide pro virili perfunctum dicere iubet, tribus Diplomatibus instruit, vt ipsius Auentini verba recitem, Primùm dat ad vniuersos Christianos, bestiam Fridericum appellat, parricidij, mendacij, crudelitatis, periurij, sacrilegij, impietatis, perfidiæ accusat, nihil prætermittit, quod ab hoste proficisci, & irato animo dici potest, vt Augusto inuidiam concitet, eundem malè sentire de Christo Domino, Deoq; nostro, de mysteriis religionis nostræ asseuerat. In altero edicto Fridericum cum fautoribus atque consultoribus quibusuis è ciuitate Christiana proscriptum, vicis, oppidis, castellis, vbi versetur, sacrificiis publicis interdictum, omnes iurisiurandi religione solutos esse Alberto aperit. Pontificibus deinde maximis, minoribus, sacrificulis vniuersis, Monachis præcepit, vt hoc Senatusconsultum, hanc sententiam ritu solenni, ceremonia celebri, publicè in templis pro cõcione adhibitis cera & ære, absq; cunctatione populo renuncient. Quod si hi parêre recusarint, mandat Alberto, vt eosdem fulmine Ecclesiastico, affiet

1. Bulla Gregor. 9. con. Frid.

2. Bulla.

affiet de cælóque tangat. Tertia proscriptionis tabula itidem Alberto data, in qua Gregorius Fridericum hæreticũ nunc pat, sicque more nihil conuicij prætermittit: Archiepiscopis, Episcopis, &c. vniuersis pariter Christianis, qui sibi Deum propitium esse velint, imperat, ne verbo, facto, dicto, ne animo quidem Friderico fautores sint: quasi verò perinde animis atque linguis imperare posset. Exemplar vtriusque affertur à VV alsingamo nostro Richardi secundi tempore, tum quãdo schisma inter Vrbanum Sextum & alium Antipapam Clementem gliscebat: nam Bulla illa Episcopo Noruicensi data est, vt cruce signaret, quicunque vellent cum eo ad destruendum Antipapam proficisci in Franciam, vtq; contra omnes alios ei adhærentes bellum illud sanctificaret. Hinc virtute Bullæ alij depositi, alij gradu militiæ & cingulo militari priuati, alij arctis carceribus traditi, credentes illum esse Papam, receptatores, defensores, fautores excommunicationis sententia innodati. Si persona singularis, excommunicatus esset, si communitas vel vniuersitas, interdicti Sententiam incurrerent, ciuitates & terræ eorum, omnium aliorum locorum commercio carerent, nec alius quisquam præter Pontificem Romanum aut in mortis articulo poterat absoluere aut relaxare. Hinc etiam Episcopo concessum est vt contra Antipapam eiúsque amicos & Consiliarios vi manúque posset capitalia exequi. Hæc est summa primæ partis huius Bullæ de Papæ inimicorum pœnis temporalibus. Altera pars spiritualis est forma absolutionis & remissionis peccatorum omnium, sigillo CRVCIATAE, quo in hac par-

3. Bulla.

Bulla Vrbani ad Noruic. Episc. mixta.

Arcti Carceres.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"te vsus est & his verbis, Authoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, te A.B. ab omnibus peccatis tuis ore confessis, & corde contritis, & de quibus confiteri velles, si tuæ occurerent memoriæ absoluimus, & plenariam tuorum peccatorum remissionem indulgemus, & retributionem iustorum ac salutis æternæ pollicemur augmentum, & tot priuilegia quæ in terræ sanctæ subsidium proficiscentibus conceduntur tibi concedimus, ac Ecclesiæ vniuersalis Synodi, & Ecclesiæ sanctæ Catholicæ orationum & beneficiorum suffragia tibi impartimur. Quæ istorum audacia in persequendis Principibus, & in Christi officio vsurpando ante hæc Papatus exorientis tempora, ne fando quidem audita, vt eam homines insignitè impudentes non è cælo, sed è faucibus inferni detulisse & corrogasse videantur. Talis contra Principem nostram Serenissimam & Sanctissimam ELIZABETHAM est Pij Quinti Bulla, de qua infrà dicetur, quæ non solùm ipsius Maiestatem in discrimen manifestum coniicit, sed & vobis Honoratissimis, & nobis minimis, & statui publico fuccessit periculum. Sed quid ego te istis Bullis ac tot verbis præter morem Epistolæ eneco? Ex iis tamen elucet clarissimè, quanta sit istorum hominum non modò in Deum impietas, sed in Principes perfidia: & reipsa comprobari quod à quodam Euerardo Hansio Presbytero dictum esse aiunt & scribunt, Proditionem contra Reginam Angliæ non esse peccatum, quod ille ex communi & peruagata suorum opinione accepit, Principi Protestanti qui fidem non seruat, qui prodit, qui perdit, eum

Bulla Pii con. R. Eliz.

eum non delinquere. Praxis huius Papisticæ speculationis nuper se exeruit Antuerpiæ, quando puer contra seniorem, quando obscurus contra nobilissimũ, quando temerarius contra consiliarium, quando audaculus Papali falerno & nõ Græco sed Romanẽsi vino plenus, & supplex hypocrita blandè se insinuans quasi humilis orator contra Illustriss. Principem Auraicum insurgit, verbis salutans, & gestu supplicãs, sed bombarda feriens: Diuina tamen prouidentia nõ impunè ferens: quo facinore in hac senili mũdi ætate, in illo iuuenili corpore, sol, credo, nihil vnquam vidit prodigiosius, nihil tetrius. Hic est ille bonus Princeps, de quo olim Schoorum Præses in concilio talẽ Papæ Maximam eructauit, Filius hæretici non debet in adeunda hæreditate patri succedere. Ille autẽ huius sceleris administer, Hispanus Ioan. Iauregius, vt perduellionis sic hæreseos nota inustus videtur, dum ante factum se in manus Gabrielis Mediatoris sui, in manus Christi eiusque PRETIOSI FILII, & D. Mariæ omniúmque Cœlitum committit, in Papismo quanta nox? Sed tamen isti sunt qui proditores dici nolunt: qui tibi, Ornatissime Comes, & aliis Regiæ Maiestatis Consiliariis & orbi vniuerso persuadere conantur, hũc hũc Catholicissimum non esse Principum sceptro infestum, nec politiis aduersum, nec vestræ securitati inimicum: sed Protestantibus se longè fideliores esse, rationibus scilicet Anglicè scriptis volunt, si Deo placet, conuincere.

Facinus atrox & audax in P. Auraicum.

In Præfat. Epist. de Pe secut. Angl.

QVOD autem de arcta custodia nouus Autor conqueritur, scilicet amicos interdum accessu, aditu, congressione prohiberi, id leue est &

Universidad de Deusto
Biblioteca

responsione indignum. Si vixit Mariano tempore, visitatum fuisse nouit: si vetera legit, vel ex superiore Bulla idem Papam in sua causa facilitasse intelligit: si vidit Chrysostomum, hæc verba non potest ignorare, Quando qui Regem offendit, in carcerem coniicitur, multáque custodia detinetur, huic & famulis accessus obstruitur, quod verisimile est Paulo quoque obtigisse, cùm Romæ esset, vbi nemo securè poterat salutare Paulum, vel eum accedere sine periculo.

Ad Philip. cap. 2. H. 9.

5 Lex de Iureiurando.

MAGISTRALIS *conclusio quinta est, non abiurandam Papæ authoritatem, iis qui in Comitiis publicis regni suffragium habent: non pupillis ætatis perfectæ, non Magistratibus in Republica, non Ministris in Ecclesia: non studiosis in Academia: nec vlli istorum iurandum Principi eiúsque legitimis successoribus iustè imperantibus. Et tamen ipsi Papæ se Iuramento manciparunt & se totos deuouerunt, & antehac plerique ipsorum Regiæ Maiestati fidem & obedientiam suam obstrinxerunt: imò quidam nuperrimè vouit & iurauit Patribus Societatis Iesu, non solùm præsentibus, sed futuris in hanc sententiam.* VOVI EQVIDEM, *cùm Deo placuerit me liberare, &c. intra vnum deinde annum,* PATRIBVS SOCIETATIS ME TOTVM RESIGNATVRVM *libēter & summo cum gaudio,* IN PERPETVVM *voluntatem meam omnē in Dei seruitium, &* EORVM OBSEQVIVM PENITVS PENITVSQVE TRADITVRVM. *Et in fine Epistolæ, Si vtile videatur in oculis vestris, ad maiorem Dei honorem, Ecclesiæ vtilitatem, & animæ meæ æternam salutem,*

In Epist. ad reuerend. Patres Societat. Iesu.

salutem, vt promouear ad hanc sanctissimam nominis Societatem in præsenti obedientiā promitto coram Deo in foro conscientiæ meæ OMNIBVS ET SINGVLIS PREPOSITIS CONSTITVTIS ET CONSTITVENDIS: *omnibus item Regulis legibúsue in hac Societate receptis, &c. Quæ autem illæ regulæ & leges sint, quàm ex Diametro cum legibus & verbo Dei pugnantes sint, Iuramenti formulæ ab illis obtrusæ infrà à me adhibitæ perspicuum facient. Hæc est ergo conclusio: Quicquid pro Papismo iuratur, vouetur, licitum est, ratum & laudabile: quicquid officij Iuramento præstatur aut promittitur Principi, in hoc Papæ foro illicitum erit, irritum & damnandum.* ITA *semper homines philauti & Suffeni sibi fauent, se amant, & (vt dicitur) Missam specialem pro se, ac statu sui honore celebrant.*

Axioma Papisticū.

Missa pro scipso.

6 Lex de Pædagogis.

ITERVM *hic Calumniator acerbitate huius legis offenditur: eam persecutionis suæ Anglicæ generibus adnumerat:* SI *quis Pædagogum domo retinuerit, ad instruendos pueros, qui Ecclesias Protestantium non frequentet, aut ab Episcopo Caluiniano approbatus nō fuerit, perdet ob eam causam triginta tres aureos singulis mensibus quousque illum eiecerit. Annon æqua lex vt pœnam pecuniariam soluat, qui filium Molocho aut Baalitæ aut Iesuitæ tradit, vt perdat nummos, qui perdit filios? Annon hanc Ludimagistri culpam præstabit is, qui culpæ affinis est & adiutor? Annon talem Pædagogum retinere Papisticum, est Papismo fauere, & Papæ Regnum in hoc Regno stabilire? Multò sanius iudicauit Apostolus non factores solùm sed fautores esse puniendos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom. 1. QVI talia agunt, inquit, digni morte sunt, non solùm qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus. Augustinus quoque, Ita planè sentiatur quis

L. 2 cont. Parm cau. 23 q. 4. malis, si mali aliquid cum eis committit, aut committentibus fauet. Equidem censeo è re esse Christianæ Reipublicæ, & esse ex officio Principum, id cumprimis conari & curare, vt in tenera ætate, tanquam in nouello agello optima seminentur plantaria, vt flos ille primus, dum in herba est, veros deinceps fructus religionis producere: qua nisi mens puerilis summo studio primo quoque tempore imbuatur, aut syluesceret aut sterilesceret. Daniel non in fece Chaldaica educatus est, sed in Iudaica sua pietate sic profecit, vt Puer, Senator esset: nec Iosephus AEgyptiacè doctus, sed Puer, sobrius Somniator fuit: nec Ioas ab aliis in hac ætate corruptus, sed à Sacerdote Ioiada bene edoctus, Puer, piè regnauit, pòst illo mortuo factus degener: Ioannes Baptista in vtero sanctificatus, religionem statim didicit, & de eo pater rectè vaticinatus est,

Lucæ. 1. TV PVER Propheta Altissimi vocaberis. Si verò isti nouæ scholæ Seminatores noua semina Papistica & Zizania inserant: si in bona terra pectoris sementem loly auenarúmque Pueri suscipiant, vt alicubi loquitur Hieronymus: si Iesuitæ prophetarum filiis mortem in olla misceant, aut pro tacte gypsum porrigant, cuius similitudine paruulus facilè decipitur, & propterea labitur procliuius, & errat periculosius: si tales à nostris patribus clàm admittantur in ædes, occultentur, foueantur, nunquid apud nos negligetur? & eiusmodi contemptores legum erunt impuniti? & talis legum nostrarum executio, vocatur nouo vocabulo ANGLICANA

GLICANA PERSECVTIO? Augustus dixit, Malle se Herodis esse porcum quàm filium. Et dicant Angli Patres, malle se aliquem Diogenem aut AEsopum quàm Iesuitam aut Papistam filiis suis præficere. Non est nec esse debet, nec erat apud Persas & Lacedæmonios liberum patribus liberos suos quibusuis arbitratu suo tradere: Regum & Magistratuum & Episcoporum ea cura summa est, sicuti Ioannes Euangelista suum Adolescentem tanquam depositum apud Pium Episcopum reliquit, & Christo & Ecclesia testibus, commendauit, teste Eusebio. Quòd autem Episcopos nostros Caluinianos hìc & alibi Superintendentes appellat, Scomma est Papisticum. Dignus tali vase talis liquor, dignum tali ore tale oraculum. Eccl. Hist. li. 3. ca. 22.

QVERELA alia, libros Missales, calices, patinas, vestes, cruces, alia Theatrica Missæ ornamenta, papismi & Idololatriæ instrumenta de nocte sæpe perquiri, versari, euolui omnia? Quid ni? An enim nos phana vastamus, aut Ecclesias spoliamus, aut domos alienas eximanimus, quia lege agimus, & magistratus iussa facimus, & legi diuinæ satisfacimus? Anathemata sunt ista, illicita sunt legibus prohibita & prophana, non amplius apud nos sacra aut augusta sunt, quia vitulo Romano exornãdo dicata, tolli, in alios vsus cõuerti, aboleri, cõburi possunt, & Purseuates illi, seu lictores, vt vocat, quos Satyricus iste famelica dicit animalia, se digno, illis honestissimis Apparitoribus & Regiis nuncijs indignissimo nomine, dum hoc Magistratus imperio defunguntur, optimè faciũt. Nũquid etiam in hoc Regno Pontificio nouum aut in- Perscrutatio librorum nocturna. Purseuantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

auditum? an ista de nocte perscrutatio inusitata? Vt omittam alia crudelitatis Papisticæ exempla, & de hominibus flamma consumptis nihil dicam: nostra memoria Præfecti Collegiorum Oxoniæ non modò Lutheri aut Zuinglij aut Tindalli aut Frithi aut recentiorum opera, sed etiam sacros Dei codices, imò familiaria Erasmi Colloquia, & Petri Mosellani figuras, aliósque libros prophanos humanarum literarum solummodo magistros, clauibus à possessoribus extortis, ipsis interim in aulas publicas conuocatis & contrusis, in Musæis, capsulis, arculis scrutantur, rimantur, reserant secretissima, quot quot ab istis Inquisitoribus lustrari, inueniri vndecunque poterant, asportant & in foro Quadriuiali Vulcano committunt. Atque hæc dicta sint de illa ad Gerardum Epistola summatim & vniuersè.

Carfox.

ALIA est particularis conquestio, & primũ de Campiano. Atque hic succurrit răcidula illa Bristoi inuectio, qui me nescio quem Papam facit, quòd Iuelli vitam, doctrinam, & mortem scripto mădauerim, quasi eum Episcopum (omnibus tamen ipsorum Pontificibus doctiorem) tanquam Papa aliquis in diuorum numero, in Canone Sanctorum reposuerim, quasi dum veram historiam hominis mortui refero, eum in Diuorum Calendarium referam. Non est meum aliquem in albo sanctorum reponere, sed tamen meum est sanctitatem Iuelli ex gratia donatam ad Dei gloriam commemorare, & verè in oratione ponere. Deus est qui sanctos facit, & sanctum nomen eius, qui indubiè hunc & alios ab illis in hæreticorum catalogum ascriptos inter sanctos numerauit. Sed Campianum isti quo-

Campianus. Iuellus.

quomodo canonizãi? hominem cõstituũt doctissimũ & innocentissimum: & eũ nunc sanctissimus Papa, vt fertur, in Martyrologio suo Romæ collocauit & consecrauit, & breui, credo, in Romana Litania nouum audiemus canticum, Sancte Campiane ora pro nobis. Hunc Persecutionis Anglicanæ scriptor aut sine causa & crimine exquisitis quæstionibus adactũ, vt quæ certò scivet, aperiè retegeret: iustissimè: quoniã exploratũ erat Cãpianum istius Motoriæ Fabulæ Coryphæum, intimum à consilijs Papæ & aliorum fuisse. Sed grauiter tortus est? imò leuiter tactus est, & statim dimissus est, quia se omnia secreta confessurum pollicitus est. Mox bene ambulauit, comedit, manus & pedes & lingua officium fecerunt, quod facere profectò non potuisset, si illam grauem pressuram & torturã perpessus fuisset. Nam quòd post eà alteram manũ linteo obuolutam gestans, in publicum prodierit, dedita opera factum esse creditur, quia vnguẽto quod Præfectus Arcis pio studio ex mera misericordia præter morẽ aliorũ adhibere solet, vti noluit. Similis est de quodã iuuene Coopero frigida & falsa querimonia, in qua duo aut tria egregia cõcurrũt mẽdacia: vnum, fuisse inedia cõsumptum. Habẽt enim ad necessitatem satis, ad voluptatẽ fortassis plus satis in Turri Lõdinensi & alibi, isti Papæ captiui, quod Romæ Christi captiui nũquã haberent: deinde Præfectum castri immeritò suggillat: quasi ille vir optimus homini ex squalore carceris in perturbationem capitis incidenti lectum auferri iusserit, vt ad sanitatẽ scilicet recuperãdã humi discumberet. Nulla erat talis inusitata & crudelis clarissimi equitis medicina: sed talis est, vt esse sẽper cõsueuit, vsitata papi-

Coopc-rus.

Ovvinus Hoptonus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

starũ maleuolẽtia & maledicẽtia. Iuuenẽ Harpsfeldi quondam discipulum magistro papistæ similem, religionis nostræ pertæsum, noui istius Iesuitismi helluonem æquo auidiorem, (sic enim mihi ab oculatis & fide dignis testibus relatum est) contra iura Regni legésque publicas ad seminaria ista transfretantem à magistratu interceptum, in Arcem coniectum, hominem phreneticum lectulum qui dabatur, aliáq; remedia, quæ submini strabantur, reijcientem, tanquam aliquem miserum apud Comicum Ἑαυτὸν Τιμωρούμενον, ægrotum, mortuum, sepultum fuisse. An ista Dei visitatio, & vehemẽs hominis melancholici rabies Custodi carceris cibum, cœlum liberum, omniáque necessaria concedenti & suppeditanti probro erit aut crimini? Tertium est, cùm ei ad sepulturam caligas detraherent, carnem frigore putrefactam caligis adhæsisse & ossibus auulsam in fusta decidisse. O miraculum! O mendacium! An enim in hoc iuuene, in hac liberali captiuorum tractatione, in hoc breuissimo tempore, hanc tantam mutationem fieri potuisse credendum est?

Thomas Cooperus Epis. Lincol.

Dimmocus, inquit, vir illustris à Superintendente Lincolniensi ad carcerem comportari iussus ibidem diem suum obiit. Iterum noua alia finguntur, alia cuduntur mendacia. Vocatus enim nõ ab Episcopo tantùm sed ab alijs rerum Ecclesiasticarum Iudicibus nõ venit: non in carcerem compingitur, sed in domo amici sui honestè, medicè, lautè tractatur, ab Episcopo sæpe ad mensam inuitatur, vxori alijsq; patẽt fores. homo diu paralysi afflictus tãdem naturæ concedit: quem Episcopus viuẽtem in viã reducere volebat, mortuum deflebat, quem etiam

etiam (nisi fallor) puerum & docebat & amabat. Quid est autem quod Episcopũ doctrina, grauitate, pietate cõspicuũ Ironicè Superintendentem nominat? seriò ita loquutus est Augustinus: Episcopus nomen operis non honoris. Interpretatur enim Episcopus Superintendẽs saluti proximorum. Valetudinarium diu fuisse D. Dimmocum Academia Oxoniensis testari potest, in qua medicorum consilio vsus, perhumaniter exceptus & diu vixit & liberè & bene, excepto quod (dolẽter dico) non minus corrupto iudicio quàm corpore fuisse nunc res ipsa testetur. Sed non est cur ego agam Præsulis causam, cùm ipse pro se in suggestu Paulino verissimè & plenissimè respõderit: & Generosus ipse, si viueret, credo, quæ ille pro concione affirmauit, non negaret.

Ioan. Elmer. Epis. Lond.

Non dissimile est figmentum contra Superintendentem Londinensem, sic enim homines faceti cachinnari solent, qui verè & reuerenter loqui nesciunt. Iamdudum ad ista conuitia se obfirmauit prudentissimus & fortissimus Antistes multis nominibus suspiciendus. Non enim ab illo Tomsonia Virgo in Bridvvellam protrusa est, sed etiam à reliquis Christianæ religionis administratoribus Regijs qui Ecclesiastici νομοφύλακες sunt, nec propter conscientiam, sed propter insignem procacitatem & petulãtiam, eóque magis vt ibi labore & manu victum quæritaret. Bridvvel.

Est enim illa domus disciplinæ, schola virtutis, ædificata pulcherrimè, vbi sæpe multi ista probiores & honestiores inclusi sunt, vt leuicula illa castigatione vitia sua emendent. Audiant istiusmodi Paulum reprehendentẽ hãc scurrilitatem: Sunt iuniores quæ otiosæ discũt circumire domos, nec otiosæ sõlùm sed etiã φλύαροι nugaces

Universidad de Deusto
Biblioteca

& curiosæ, garriētes quæ nō oportet. De alijs particularibus exemplis simile est iudicium. Cur enim audet Manhodum Iudicem acutissimum & peritissimū crudelitatis arcessere, & Mainum sacrificū, missificū, Bulligerum defendere? aut Flitvvodum Iudicē iracundū nominare, quem omnes & sanctum & iustum legis dispēsatorem nouimus? Et quò tandem illa in Academia Oxoniensi exēpla? Inckxius papista petulantissimus, de statu, religione futiliter & impudenter obblaterans, multos libros hæresi papistica scatentes diuendens, Iudicū integerrimorum sententia auriculas amittit? Meritò: & tamen hic fugitiuus in hac Romana Curia velut Cōfessor & Sanctus aut etiā Martyris Aureola redimitus coletur. At quæ demū hæc religio, hominem captum è Magistratus manu elabi, è castris imperatoris iniussu exire? Deinde Oxoniæ minister quidam nuper accusat hominē præsentem papisticæ fidei quòd eum intelligeret varius æquo conciones frequentare: monetur à Magistratu vt id deinceps frequentius & feruētius ageret: dimittitur, liber est, & sapienti vtilis est amica monitio, qua ille, credo, factus est correctior, certè esse non debuit irritatior. Cur ergo producitur hoc tanquam persecutionis genus quod à ministro bene, à magistratu iustè & erga hominē beneuolè, & omnino vtiliter factum est? Iam verò quòd Eboracēsis Prouinciæ Præses in eandem crudelitatis suspicionem ab isto vocatur, in eo hominem se esse profligatissimæ audaciæ, nullius frontis, nullius mentis, planissimè conuincit. An enim ille, cuius nomen in margine ascribit, COMES HVNTINGTONIVS, morum Comitate, generis splen-

Manhodus Iudex

Flitvvodus.

Inckxius.

Comes Huntingtonius.

splēdore, Religionis ardore, vir egregiè spectabilis, salutis omnium sitiens, quos propter pietatem conuertere studet, per autoritatem interdum castigare solet, eorum ille extremum cupit exitium? Et hoc lethale & præceps in Papistas odium appellare nō erubescit? Odium Dauidicum, amor bonus est: Odi Ecclesiam, inquit, malignorum. O disse vitia, amare homines, Zelus est Euangelicus. Sic vndique peruolitat istius hominis concitata oratio: Deuoniam, Oxoniam, carceres Londinenses, arcem, Bridvvellam peragrauit: nūc demum in ergastulum Eboracense decurrit, de inhumanitate eius queritur, vt quot milliaria, tot penè mendacia confeciſſe videatur. Præclarissimè scriptum est, hanc esse historiæ legem primā, vt ne quid falsi audeat, ne quid veri dicere non audeat. In quo ab isto quoties peccatum sit, satis nunc liquere arbitror, & tu ipse, Amplissime Cancellarie, de te mentitum esse hunc, quisquis est, in hac mea rerum Iesuiticarum historiola recognosces. Sit ita q3 & illic & hîc Epistolæ illi, quā clarissimus vir Regiæ Maiestatis Secretarius dignissimus, istius Iesuiticæ prauitatis indagator diligentissimus, mihi nuper tradidit, respō sum: in qua ille gubernationem vestrā prudentissimā & moderatissimā immeritò taxare, ego in hoc tractatu asserere iure volui: non oblitus illorum Regnum Marianum præ hoc Elizabethico Nerotianum fuisse. Cur enim sic nugantur? cur nunc homines populares populo palpum obtrudūt? An excidit illis quid olim fecerint cùm fasciculis agerēt, cùm seculari brachio & Satanæ traderent? quid olim acclamarint? Credisne in Ecclesiam Romanam? credisne ad salutem necessarium esse, Roma-

D. F. vvalsingamus.

Martij 25

Universidad de Deusto
Biblioteca

no Pontifici subesse, crediſne in Sacramento reale Chriſti corpus manducari? Noſtra autem S. Regina ELIZABETHA *facilè reperiri princeps non queat, vel in conſtituendis legibus prudentior, vel in exigendis pœnis cautior, vel in remittendis noxis clementior: vt Symbolum Alphonſi, iam Symbolum Elizabethæ eſſe poſſit* PRO GREGE, PRO LEGE: *quæ ſic plebi ſuæ vellet eſſe parcitum vt tamen legem Dei & ſuam inuiolatam ſeruari cupiat. Atque hæc hactenus de hac Ieſuitarum iniqua criminatione, quæ tamen oratio mea non tam accuſatio eſt illorum, quàm noſtri ſtatus iuſta & propè neceſſaria defenſio.*

Vniuerſitatum noſtrarũ Defenſio.

2 SECVNDO *Academiæ noſtræ à nonnullis traducuntur, quòd ex his duabus ſororibus nati ſint iſti Apoſtatici & ſpurij filij: & fortaſſis Dominatio tua mirari poteſt quòd Edmundus Campianus & plerique hoc tempore Ieſuitæ & profugi qui à religione deſciuerunt & vnà cum habitu & nomine conſcientiam mutarunt & ſententiam, huius noſtræ Almæ Vniuerſitatis alumni, à nobis diſceſſerint, & ex nobis profluxerint. Non eſt mirum, Clariſſime Heros, quod nõ eſt nouũ: cùm neq; locus hominem ſanctificet, nec pietas hæreditaria ſit, nec Bethleemitæ omnes, vbi Chriſtus natus, nec omnes Hieroſolymitani, vbi Chriſtus & Apoſtoli gymnaſiarchæ extiterunt, ſancti aut Chriſti fautores & ſectatores fuerint. Quid mirum, ſi ex domo Adæ parricida Cain, ex Arca Nohæ impius Chamus, ex familia Abrahæ ſcurra Iſmaël, ex ædibus reuerendi patris Eli Ophni & Phinees filij Belial, è Dauidis Aulæ perduellis Abſolõ, ex ſchola Ieſu perfidus Iudas, ex Diaconorum cœtu Nicolaus hæreti-*

hæreticus prodierit? Quid nouum, ſi à Socrate, Ariſtippo, Cicerone nati ſint liberi non ita liberales nec digni ſuis parentibus? Quandoquidem ex noſtro corpore pituita & pediculi generãtur, quæ abijcimus: & vt perbellè Chryſoſtomus, In omni re, ex ipſa re naſcitur quod exterminet rẽ: vtpote ex ligno vermis, ex veſtimẽto tinea, ex oleribus vermiculus, vnde & lignum conſumi, veſtis comedi, olera corrumpi conſueuerunt. Sit confeſſum ſanè & conceſſum, aliquot Ieſuitarum Oxoniẽſes fuiſſe, quod in aliis Academiis vſu veniſſe conſtat: & ex ſcholis Grammaticis & triuialibus, non paucos generoſos etiam ſine parentum cõſenſu ad Ieſuitarum ſeminaria tranſmigraſſe, vel ſua voluntate vel aliorum ſuaſu, ipſimet Pontificij in libris ſuis iactitãt. Attamen illæ ſcholæ quæcunque ſunt, non ſunt Chriſti ſchola & Apoſtolorum collegio beatiores, nec ſumus nos Academici ita extra omnem aleam, extra omnẽ telorum iactum poſiti, vt patribus illis priſcis meliores nos exiſtimemus: ſed vt neque Seruator propter malum diſcipulũ, nec Eccleſia Apoſtolica propter malum Diaconũ, ſic nec Academia propter vnum aut alterũ Apoſtatam, vllo bono iure poteſt reprehendi. Hieronymus ait, Nõ eſſe culpã Chriſtiani nominis ſi ſimulator Religionis in vitio eſt: Sed planè negamus iſtos à matre ſua hoc venenum exuxiſſe: aliter illa peperit: aliter inſtituit: alios hinc emiſit: Roma nouos recepit, Roma infecit, Roma infectos remiſit in Angliam. Nam & Campianus noſter, apud nos erat noſter & Chriſtianus: pòſt alienus & Ieſuita: apud nos ſubditus, pòſt deſertor: apud nos ſemel atque iterum Regiæ Maieſtati Iuramento obſtri-

In Matt. c. 23.

Oxonienſis Academia.

G. Allenus.

Ad Ruſti cum Monachum.

Ed. Campiani & aliorum transfugarum Ieſuitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctus, pòst periurus: apud nos frater, pòst fraterculus. Isidorus bene, *Quosdam in primo conuersionis calore virtutem amplecti: pòst in spinis hærere: postremò aliis auocamẽtis implicatos, quasi plantatas tenellas arbores radice non fixa concuti pariter & arescere. Multæ sunt ancipites & fallaces hominum cogitationes: Multi homines si tamen homines, tempori se dedunt & scenæ seruiunt, ab hominibus suis gloriolam ambitiosè aucupantur, anidè persequuntur, abiectè emendicant. Multi, non homines sed arundines, quæ cauæ sunt, inanes, fragiles, instabiles, quouis vento agitatæ. Multi qui cœlo mutato animum mutant & se peius habent. Certè arbores annosæ si è natiuo solo reuulsæ alio loco conserantur, steriles & infecundæ euadunt. Quos in Euangelio peperit bonos Galatas Paulus, eosdem in Iudaismo fascinarunt Pseudoapostoli. Multi seniores Prophetæ delitescunt, & in suis seminariis sibi cauent, alios iuniores in errorem impellunt & in discrimen adducunt. Ab his transmarinis exulibus primis si alij Oxonienses priuatis literis, magnis pollicitationibus, vocibus plusquam Syreneis illecti non fuissent, nec Duacum credo, nec Remos, nec Romam vidissent: sed nobiscum fortassis ad hãc vsque diem permansissent:*

A boue maiori discit arare minor.

Dolet profectò Academia se parentem posthabitã fuisse, & nouercam sibi prælatam: dolet aluisse ingratos filios, qui nunc ipsam suam matrem omnibus maledictis proscindunt, & in eam cõtumeliosissimè expuunt. Quid enim non audent perfrictæ frontis homines, qui scribere non verentur suum

Vide Allenum Bristæum & alios.

nescio quod seminarium Rhemense aut Romanum, & ingeniorum acumine & linguarum varietate, & otij abundantia, & negotiorum multitudine, & lectionum crebritate, & exercitiorum assiduitate, & magistrorum excellentia, & discipulorum diligentia omnibus vtriusque Academiæ Collegiis anteferendum? O suaue & aureolum somnium!

Seminariorum cum Academiis collatio iniqua & Thrasonica.

Quisquis amat ranam, ranã putat esse Dianam.

Comparatio sanè vt odiosa, sic vanissima: & stupenda in matrem ingratitudo, etiam apud Persas Ethnicos Iudices grandi supplicio vindicanda. Ita vipera mater non nisi à suo fœtu necatur? Ita à canibus suis Actæon miser dilaceratur? ita Vniuersitas propriis pennis vulneratur? sic olim colubrum in sinu fouit suo malo Rusticus Æsopicus: sic ouicula quædam iussu pastoris, vberibus suis se aluisse lupi catulum, non sine causa est conquesta in Græco Epigrammate,

Xenophon lib. 1. Pæd. Ingratitudo.

Lacto lupũ vberibus propriis nõ sponte, sed horsum
Me demens adigit pastor vt id faciam.
In me rursus erit fera postquam creuerit ex me,
Natura haud vnquam vertitur officiis.

Sic gallina serpentinis ouis incubans, ne suo exitio ea foueret, ab hirundine prudenter est admonita.

Qvo autem hæc obiectio hostilis infringi, & sanctissima Academiæ existimatio asseri, & omnis suspicio ex aliorum animis eximi possit: necessariò mihi oratio paulò longior habenda est. Si enim mentes nostræ longè retrò præteriti temporis spatia respexerint: videbimus Oxoniensem Academiam non modò liberalissimis ingeniis, & doctissimis hominibus affluentem: quod vt à proposito remo-

De priscis & piis Oxoniens. Academiæ patribus breuis narratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum ne attingam quidem: verumetiam fuisse olim hãc veritatis discipulam, pietatis magistram, clarissimorum Ecclesiæ patrum nutricem fœcundissimam, quæ non solùm Academicis suis lac præbuit: sed & vbique Regni totius subditos solido cibo aluit, & exteris quoque nationibus primam quasi mammam his postremis temporibus dedit, & salutarem diuini verbi pastum subministrauit: à quibus veris & antiquis Maioribus suis degeneres isti filioli bene credendi formam & exemplar potius quàm ab istis nuper allectis patribus, prauarum opinionum, agrestem colycinthidem & vitiosum succum accipere debuissent.

Intelliget enim prudentia tua in hac vna tua Vniuersitate mirabilem Dei in Ecclesia sua tuenda prouidentiam: & hanc Protestãtium doctrinam, cui hodie tantopere detrahitur & obtrectatur, non esse à nobis, sicuti euulgant, Oxoniæ heri vel nudiustertius disseminatam: sed à patribus nostris, (si ita loqui fas sit, cùm Deum vnum patrem in cœlo & in terra propriè nominamus) à viris magnanimis prisci seculi, eximiæ eruditionis, spectatæ pietatis longè latéque consitam: & ab illis vel singulis vel vniuersis, vel diuisim vel coniunctim, omnes religionis partes inspectas fuisse, quas nos diuino beneficio hodierno die recipimus & profitemur. Breuis etiam hæc historiola Pontificum immanem carnificinam liquidò commonstrabit. Quanquam illud iterum atque iterum affirmamus & repetimus, (nunquam enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur) hanc nostram doctrinam neque ab istis Anglis, neque à Boëmis, nec à Germanis, neque ab homine quocunque, nec ab Angelo vllo, sed à Deo

Oxonia antiquissima nutrix receptæ Religionis, & oppugnatrix Monachatus.

à Deo ciúsque verbo nos didicisse & docere.

Vetus Oxonia & fraterculis istis & eorum religioni sæpius se opposuit: & Oxonienses nostri vnà cum Pragensibus in Epistolis suis ad Parisienses referunt illam Hilarij cum Liberio Episcopo Romano de Arrianismo concertationẽ, & improbant: quem tamen Papam nostri minores patres defendunt, & ab hæresi omni vendicare satagunt. Vetus Oxonia sub Ioanne longè ante VVicleuum viros & literatura & religione celebratissimos produxit & educauit: nominatim Gualterum Mapum, nõ solùm studiosum sed & Archidiaconum Oxonienſem: qui cum Papæ & Cardinalium pompam, luxum, superbiam Romæ vidisset: reuersus Apocalypsin nouam Goliæ Pontificis composuit: eum propter insignes iniurias Ioanni Regi nostro illatas & propter alia infinita flagitia, ipsum Plutonem, asinũ, Prælatos bruta pecora & stercora nominauit. In Ioannem Regem quanta dicacitate Innocẽtij Tertij Legatus Pandolphus debacchatus sit, P. Virgilius in historia Anglica non dissimulauit. Cuius etiã Mapi illud Apophthegma esse putatur, Iudæis & albis Monachis nulla fides seruãda, cũ nec ipsi aliis seruẽt. Ab hoc & ab aliis nostris multi versus & rithmi cõtra Papã cõpositi esse feruntur.

Sub Ioanne.

G. Mapus.

Giraldus in Speculo Ecclesiæ.

Roma capit singulos & res singulorum,
Romanorum curia non est nisi forum,
Ibi sunt venalia iura Senatorum,
Et soluunt contraria, copia nummorum.
Et contra Religiosulos istos,
O monachi, vestri stomachi, sũt Amphora Bacchi,
Vos estis, Deus est testis, teterrima pestis.
Et contra Franciscanos hoc seculo natos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa,
Hæc tria Nudipedes ducũt ad Tartara Fratres.

Alexand. Theolo. gus.

Quo tempore etiam Alexander Theologus pro Rege Ioanne de Autoritate Regia contra Temporalem Pontificum dominatum, & de Regno Christi non mundano: & de Angliæ immunitatibus ex Gregorij Magni dictis ad Augustinum Monachum optimè disceptauit. Vetus Oxonia habuit sub Edouardo Tertio Richardum Fizravvsum Armachanum nostræ Academiæ Cancellarium antecessorem tuum, & deinde Hiberniæ primatem, qui Auinione conclusiones quasdam apud Innocentium P. & Cardinales proposuit, publicauit, verbo & scripto perstrinxit Monachos & Fratres mendicantes, à quibus hæreseos nomine & crimine ad Papalia subsellia vocatus & citatus fuerat. Bibliander homo multæ lectionis & multarum linguarum de eo honorificè prædicauit, tanquam immortali laude digno, quod in Academia Oxoniensi Christianæ fidei & Ecclesiæ se vindicem & assertorem exhibuisset. De Edouardo Tertio suprà dictum est, apud quem Armachanus in summo honore & precio fuit: sicuti etiam de Ioanne Baconthorpio referunt, eum sensisse fastigium sacerdotale Monarchiæ Regali debere cedere. Erat Baconthorpius Anglorum & exterorum hominum libris ac literis celeberrimus, Antichristi fallacias perspiciebat, & aperiebat, Pontificem Romanum in gradibus consanguinitatis (quod tum sicut hodie Papa licentiosè & perniciosè non sine magna sanguinis confusione & Regnorum perturbatione vsurpat) dispensare non posse, constanter pronunciabat. Edouardus hic & Richardus

Sub. Ed. Ter. Armachanus.

Li. 1. Vindicat. Christianissimi.

Ioan. Baconthorpius.

Th. VVal den. T. 1. contra VVicleuistas.

Richardus secundus vt Papæ eiúsque pompæ inimici, sic Academiæ nostræ benefici patroni fuerũt, quam magnis ac multis priuilegiis cõmunitam hodie reliquerunt: sub Edouardo Reginæ Collegium Philippæ eius coniugis maximis impensis extructum putatur: sub Richardo nouum Collegium à VVintonienſi Episcopo Guilielmo VVicamo Oxoniæ conditum est. Pro Armacano digladiatus est strenuè Richardus Killingtonus Theologus Oxonienſis contra hanc otiosam, monasticam mendicitatem, præclarè declamans. Eluxit sub idem tẽpus in nostra Academia Ioannes VVICLEVVS *illustre totius Ecclesiæ sydus sacræ paginæ professor, Mertonenſis Collegij alumnus: cui licet carceres & excommunicationem maiorem denunciarẽt, licet Romanus Pontifex ad Richardum Regẽ scriberet, vt hominem doctissimum, pium, insontẽ (non argumentis) sed vinculis premeret atque constringeret, licet tandem relegarent, licet multi eius fautores atque adeò Robertus Riggæus Cancellarius & Procuratores à Thoma Arundelo Archiepiscopo Cantuarienſi semel atque iterum accersiti & durius tractati vix dimitterentur: tamen per tot varios casus, per tot discrimina Principis & Nobilium, Domino sic prouidente & protegente, vmbraculo tectus, & patrocinio septus fuit, vt causam Christi egerit viriliter, in scholis publicè Antichristium detexerit grauiter, Eucharistici sacramenti doctrinam veram propugnauerit acriter, Euangelium illustrauit potenter, Biblia in linguam popularem verterit fideliter, & tandem post aliquot annorum exilium in sua Ecclesia Lutterworthenſi sepultus obdormierit in Domino suauiter, quan-*

Ed. & Richa. d. 2. Priuilegia Oxoniæ concesserunt.

Col. nouũ & Regineum.

R. Killingtonus.

Sub. Ed. & Richardo I. VVicleuus.

Cancel. & procuratores.

Biblia à VV. in vulgarem ser monem translata.

tumuis frementibus & nimium incalescentibus Carmelitis atque alys Pontificij ordinis sacrificis. Et quanquam Oxonienses de eius eruditione admirabili, sanctitate incomparabili præclarum darent testimonium: ea tamen fuit illius ætatis cæcitas & insania, vt Martinus Quintus Pontifex Romanus & alij ipsius tyrannidis administri, ne ossa quidem eius molliter cubare siuerint, sed post annos quadraginta vnum eum in Anglia exhumarint: cadauer solenniter exusserint, libros plusquam ducentos, elegantissimè scriptos, in Pragensi Vniuersitate cremauerint, & Christi Euangelium per eum prædicatum in concilio Constantiensi condemnarint. Ex huius tamen Phœnicis cineribus Dominus alios Doctores & verbi præconcs excitauit: Petrum Pateshallum Londini & alibi VVicleui dogmata pro concione contra Augustinianos tradentem: Ioannem Astonum, qui quum Transubstantiationis portentum, & illam in Sacramento Accidentis sine Subiecto chimæram negasset, in carcerem coniectus est, ibi, ue, vt aiunt, mortuus: Ioannem Puruæum quem VValdenus Romanista VVicleui glossatorem & Lollardorũ Librariũ vocat, qui in Apocalypsim scribens Romanam Ecclesiam meretricem Babylonicam, & Papam Antichristum confirmat: de arctissima piorum hominum custodia, & grauissimis Ecclesiæ persecutionibus & libris multis ipsorum malitia abolitis conqueritur: Nicolaum Herfordium doctrinæ VVicleuianæ assectatorem, ac propterea multis cruciamentis subiectum: Gulielmum Thorpum, eiusdem VVicleui annis plusquam triginta diligentissimum auditorem: Philippum Repingtonum,

Æn. Syluius.

VVicleui fautores & discipuli multi.

Balæus Cent. 7.

gtonum, cõtra traditiones hominum, mendicitatem Fraterculorum, auriculares confessiones, & alia eiusmodi Romani Pontificis commenta & prælegentem & concionantem: Laurentium Redmannum, & Petrum Paynum, qui miris hîc modis vexatus, multis incommodis hîc affectus, Oxonia Bohemiam se contulit, vbi doctrinam Euangelicam sparsit, eandem ad Concilium Basiliense cum alijs Legatus missus per quinquaginta dies propugnauit. Noster erat Aluredus seu Alfridus, sub quo Collegium Vniuersitatis exædificatum est, qui vt ipse literis deditus erat, ita Oxoniam vndique eruditissimos homines euocauit, vnde non solum ea, verumetiam Lutetia optimis doctrinarum riuulis quodammodo irrigata est. Ab hoc Psalterium Dauidis in patrium sermonem conuersum esse dicitur, quò possit ab omnibus intelligi: tantum abest vt voluerit hic Princeps suum populum Sacræ Scripturæ ignoratione laborare, aut eius lectionem a suis subditis tanquam hæreticam explodi. Hoc pietatis amore inflammatus est Humfredus illustris vir Dux Glocestrius Angliæ administrator, sub Henrico sexto florentissimus, quando Henricus Chichleius Cantuar. Archiep. hîc duo struxit Collegia, Omnium Animarum & D. Bernardi, quando etiam G. VVanfletus alterum D. Mariæ Magdalenæ dicauit: vt quemadmodum beata fœmina pedes Christi suaui refecerat vnguẽto, ita bona ingenia ibidẽ perenni doctrinæ nectare pascerentur: id quod ab eis tum sedulò factum esse testatur Polydorus Virgilius. Humfredus Dux, Oxonienses fuit, non modò propter bonarum literarum studium, cui se adolescens in Baliolensi Col-

Æn. Syl. in def. Euro. & in 49. c. hist. Boe.

Rex. Alphridus.

Coll. vniuersitatis.

Psalteriũ in Vernácula lingua.

Humfredus D. Gloc.

Hen 6.

Col. Omnium Animarum.

D. Ber. Col.

Col. Mar. Magd.

Hist Angl. l 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legio addixit, verumetiam quia Theologiæ amplissimam & speciosissimam schalam magnificè constructam, & Bibliothecam Vniuersitatis omni genere præstantissimorum librorum instructam reliquit. Quomodo autem Monachorum & superstitiosorum hominum fraudes, & fallacias deprehenderit, cognosci potest ex historia illius Cæci qui propter suam religionis causa ad sanctum Albanū peregrinationem, visum sibi restitutum & cæcitatem nativam subitò ablatam affirmauit, & statim à prudentissimo Principe examinatus de quouis colore (quod cæcis negari testatur vetus prouerbium) optimè iudicare potuit. Ad extremum ad honores, vt dixi, euectus, & inris peritissimus, cùm facinorosos seuerè plecteret, & piis hominibus impensè faueret, & omnia non tam potentia sua quàm iustitia, non tam voluntate quàm æquitate metiretur, odium implacabile Episcoporum aliorúmque sibi conflauit, adeò vt in Burgensi Concilio noctu captus, in carcerem trusus, de improuiso sine pulsillo siue alio modo præfocatus & trucidatus fuerit.

I. Capgrauius.

Ita ne domus quidem priuata, nec carcer commune omnium præsidium piis Principibus in Papismo, tutum Asylum, nec lectus ad quietem datus, immunis à mortis periculo esse potest. Apud hunc gratiosus fuit Ioannes Capgrauius Oxonia Doctor sui temporis tyrannidem animaduertens, non pastores eos nominauit, sed Mercenarios, omnes lupis exponentes, non animas sed lac & lanam quærentes, patriæ prædones, malos operarios: vt quibus veritas oneri, ius contemptui, crudelitas delectationi fuisset. Huic Principi eiúsque religiosæ cõtugi Aleo-

Aleonoræ Cobhamæ charius fuit Rogerus Onlæus Oxoniensis, qui VVicleuianæ & Christianæ religionis cãdidatus & amicus contra Papismum nobilissimæ huius Heroinæ opera aliquid tentãs, velut perduellis Londini cum aliis strangulatus dicitur. R. Onlæus.

Oxoniensis fuit Reginaldus Pecocus in Collegio Regali liberalibus disciplinis imbutus, huius duris opera Episcopus Chicestrensis: cuius hæreses à Cantuariensi Archiepiscopo Thoma Burcherio & aliis damnatæ hæ sunt, videlicet, 1. Officium Præsulis præcipuum esse, Dei verbum prædicare: 2. Humanam rationem Scripturis non esse præferẽdam: 3. Modernum vsum Sacramentorum peiorẽ esse vsu legis naturæ: 4. Episcopos suas admissiones à Pontifice Romano coementes peccare: 5. Neminem teneri Romanæ Ecclesiæ determinationi credere aut obedire: 6. Necessarium ad salutem non esse, ponere Christi corpus materialiter in Sacramento: vt ex Thomæ Gascoigny Dictionario Theologico, & ex Lelando Balæus & Foxus colligunt. Bal. Cent. 8. R. Pecocus. Col. Orial.

Articuli quàm hæreticæ

Oxoniensis fuit Galfridus Chaucerus, propter dicendi gratiam & libertatem quasi alter Dantes aut Petrarcha: quos ille etiam in linguam nostram transtulit, in quibus Romana Ecclesia tanquã sedes Antichristi describitur & ad viuum exprimitur. Hic multis in locis Fraterculos istos, monachos, missificos, Pontificiorum ceremonias, peregrinationes facundè notauit, verum & spiritualem Christi in Sacramento esum agnouit, turpitudinem coactæ virginitatis perstrinxit, libertatem coniugij in Domino commendauit: vt in fabulis Monachi, Fratris, Aratoris & in reliquis legimus. G. Chaucerus.

Taceo Petrum Clercum VVicleni sectatorem, quem se- P. Clercus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runt in nostra schola cũ Thoma VValdeno Papistarum facilè Coryphæo contra imaginũ venerationem, mortuorum inuocationem, aliaq; multa disertè & perspicuè disseruisse: & hinc in Boemiã profugisse. Qua ex re diuina prouidentia sic effectum est, vt partim librorum VVicleuianorum importatione, partim istorum piorum exulum assidua prædicatione, & pòst Ioan. Hussi & Hieronymi Pragensis cõuersione, Boemia Papæ fastum & errores intelligere, & Euãgelij veritatem recipere & amplexari cœperit, & ita demum à nobis orta doctrina ad Boemos traducta, ad Germanos postea deducta, ad nos iterum postliminio & ad vicinos remearit. Quid de nostris Oxoniensibus Scholasticis dicam? qui si meliori seculo vixissent, vt Academica cohabitatione, sic Christiana animorum & sensuum conspiratione nostri tori fuissent? Quid dicã de Rogero Bacono antiquissimo multorum voluminum Scriptore, qui propter quædam dogmata & propter nouitates quasdam suspectus, à Nicolao Quarto Romano Pontifice damnatus & carceribus traditus est? Quid de Ioanne Scoto nostro? qui tametsi verè propter styli obscuritatem & spinosum scriptionis genus tenebrio non abs re habeatur, tamen piè sensit nobiscum, Transubstantiationem ex Scripturis sanctis & rationibus firmis non posse demonstrari. Nec dissimile verò est hunc illum Scotum fuisse de cuius horrenda morte Petrus Crinitus scribit, cùm in Britannia aliquot discipulos erudiret, & illis doctrina hæc non placeret: eos hominem adortos esse, graphijs acutissimis pupugisse & occidisse. Noster etiam fuit G. Occamus, ille multorum monumẽtis clarus, & à Gersone Parisiensis

Bohemi à nostris ad religionẽ conuersi.

Scholastici Oxon.

Bacon.

I. Scotus.

G. Occamus.

risiensis vniuersitatis Cancellario illustri testimonio honoratus, certè in Papã Ioãnẽ vicesimũ tertium acerbè inuectus est: pro Ludouico Quarto Imperatore cõtra Pontificem disputauit, Papæ in ciuili dominio potestatẽ vellicauit: Potentissime Cæsar, inquit, defende me gladio, & ego te defendam verbo. Nec minus noster fuit Nicolaus Gorramus, cuius Sententias, distinctiones, argutias quasdam spinas esse scholasticas confitemur: tamen quoniam in multos Veteris & Noui Testamenti libros non inconcinnè commentatus est, eum ego non malis nostræ scholæ doctoribus accenseri posse arbitror. Nam qui præter consuetudinem receptã cisternis prætermissis ipsos limpidissimos fontes adit, & ex illis sibi & suis abundè hausit, illum probabile est voluisse aliquid, si per temporis sæuitiam potuisset. De Scripturarum autoritate & perfectione vt debuit religiosè & augustè loquitur: ex Hieronymo, Nescire eum literas, qui sacras ignorat: ex Paulo, In Christo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei: & ex eo hanc posse elici rationẽ, In eo est permanẽdum quod potest instruere ad salutẽ: sed Sacra documenta sunt huiusmodi: ergo in illis permanendũ: Omnem Scripturam diuinitus inspiratã sufficere, omnem siue inchoatam, vt lex & libri historici, siue promouẽtem, vt libri Salomonis & Prophetæ: siue consummantem, vt Nouum Testamentum, & eas perfectum hominẽ efficere ad omne opus bonum, quãtum ad Deum, quãtis ad seipsum, quãtum ad proximũ, vel quantum ad opus inchoationis, profectus, perfectionis: ex quibus illa inanissima captiuncula noui Censoris, contra Germanam loci Paulini interpretationẽ solidè refutatur. Nicolaus

Nic. de Gorham.

S. Sanctæ perfectio.

Colos. 2. 2. Tim. 3.

Censura.

Omnis scriptura an Tota. In Matt. 16.

N. Lyran.

1. Cor. 14.

R. Actonus.

Sub. H. 7. 1. Colet.

Lyranus Anglus perhibetur & Oxoniensis, qui non solum Oxoniæ & Lutetiæ contra stolidos Iudæos falsa noui Messiæ expectatione lactatos disputauit, sed cõtra Episcopos Petri successores à fide deuios & Apostatas scripsit: & Liturgiam lingua nota non sermone peregrino Apostolorum tempore celebratam fuisse agnouit, licet ex Iudæis natus fuerit & ad Syrtes errorum & absurdas interpretationes quasdam temporum insciitia & Põtificum tyrannis quandoq; hominem incogitantem adegerint. Sub idem ferè temporis R. Actonus claruit Oxoniæ doctoris gradu insignitus: cuius & in rectè iudicando acumen, & in regno Christi eiusq; Euãgelio prædicando feruor celebratur. Omitto alios innumerabiles superioris seculi. Hẽrico septimo regnante floruit Ioannes Coletus Academiæ Oxoniensis alumnus, pòst Ecclesiæ Paulinæ Decanus, deinde scholæ Paulinæ institutor, Paulino more docens, viuẽs, ita Paulum familiarem habuit, vt eum Commentarijs illustrarit. Docuit non adorandas imagines, docuit Christum gratis iustificantem, docuit Episcopos non pascentes gregem esse lupos, docuit ipse in coniugatus se nusquam reperisse minus corruptos mores quàm inter coniugatos. Naturæ suæ impulsu ab istorum tyrannide prorsus abhorruit, qui pro re nihili imò pro vera fide Christi innocentes & pios tanquam hæreticos comburunt. Irrisit quendam sciolum sed crudelem, teste Erasmo, qui illud Apostoli, Hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem DE VITA, *exponebat ac si de* VITA *tollere oporteret. Et his aliisq; de causis ipsi à Standisio crimẽ hæreseos obiectum est. Venio ad Henrici Octaui ætatem, quãdo G. Tin-*

Sub. Hẽr. 8. Tindal.

Tauerner.

Clercus.

Frithus.

D. Cox.

Magdalenenses.

Ecclesia nostra ferax Doctorũ contr. Ed. Cãpiani sententiã.

G. Tindallus interpres Bibliorum fidelissimus, & multiorum librorum autor doctissimus, & martyr constantissimus: quando Tauernerus homo tum veræ religionis sitientissimus, tum artis suæ Musicæ peritissimus: quando Clercus eruditissimus, salsamentorum & putridorum piscium in carcere Gymnasii Frisiuidensis fœtorem & pedorem non ferens, extinctus: quando Ioan. Frithus cum Thoma Moro viro & doctrina & ingenio præstanti sæpe congressus est & demum concrematus: cuius tamen mortem indignam Mori eiusdem morte iustissimus Dominus vltus est: quando Ric. Coxus, Ecclesiæ Christi Decanus primus, Cancellarius noster & pòst Eliensis Episcopus: quando Hedonus, Garrettus, Hovvkerus, Harleus, Episcopus Hereford̃ensis tuæ pueritiæ, Nobilissime Comes, olim peritus & pius informator, & alij nõ pauci Magdalenenses, hanc ipsam nostrã fidẽ professi, alij comprehensi, alij pedicis, alij manicis cõstricti, alij duro examine torti, alij combusti, alij multis modis excruciati piè quondam Oxoniæ degerunt. Vt de reliquis tempore Mariano vel Collegio suo electis, vel peremptis, vel hinc inde miserè oberrantibus sileam. Nam de istorum nonnullorum & aliorum doctrina, confessione, pœna satis superq; docebit Ioannis Foxi diligentissimi & politissimi Historici magno labore, multis impensis, fide optima, congestum Martyrologium. Ita nunquam sterilis fuit Ecclesia Oxoniensis, sed habuit hactenus & habet nunc, Deo gratia, complures qui poterunt cum istis doctorculis in nomine non suo, nec in clypeo suo, nec in hasta sua sed nomine Domini congredi: & habebit etiam sempiternis tempori-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus: nec in cœlo stellæ, nec in Oceano fluctus, neè in Ecclesia pij, nec in Academia docti homines deficient, sed erunt qui omnibus Iesuitis possent & velint respondere. Imò cœlum & terra transibunt, verbum Domini in æternum permanebit. Hi nostri Patres & Maiores, hi præceptores fuerunt, qui vita, scriptis, sanguine nostram doctrinam consignarunt. Nã maiores sunt isti quantumuis mortui quàm quibus ignis aut alia tormenta nocere possunt. Salamandra in igne viuit, sic isti Martyres per ignem & aquam transierunt & per ignem iam triumphant: castanea in igne aliquandiu detenta est, sed tandem exilit. Ignis flammas omnes Martyrum sanguis restinguet. Ignis qui erumpens Idolatras Chaldæos iuxta fornacem incendit, tres pueros in fornace ne quidem læsit. Et quamuis velut hæreticos lingua istorum maledica vbique locorum traducat: non potest tamen nunc stolis albis amictos eos maculare aut denigrare. Non equidem diffiteor multos aduersatos semper fuisse, & bonis malos obganniuisse: tamen quis tam amusus est qui non mallet vnam luscinam dulcissimè cantillantem, quàm in agro multas cicadas molestè stridentes, aut in stagno multas ranas coaxantes audire?

Quod Avtem Campianus eiusque socij nonnorum rectas vias sequi, sed per aliena bina & præcipitia digredi maluerunt, non est vitio dandum matri, quæ & exemplis tot patrum, & præceptis saluberrimis multorum abundat, cuius autoritati morem potius gerere quàm derogare oportebat: nec in Deum Agricolam qui plantauit vineam, in cornu olei collocauit, fodit, torculari ornauit,

nauit, sepimento vallauit, è cœlo nubibus rigauit, culpa est conferenda: sed ipsis tribuendum, ipsorum ingratitudo meritò accusanda est, qui cultori non vuas quas expectauit, sed labruscas quas horret, protulerunt. Scitè Augustinus, Cultura ipsius (Dei) est in nos, quòd non cessat verbo suo extirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. Hæc Deus in nos: quid isti contra Deum? Ingrati agricolæ extiterunt: operarios huc à Domino emissos alios contumeliis affecerunt, alios neci dederunt, ipsi fructum reddere noluerunt. An propterea gratus Deus in ius vocandus, quia illi ingrati sunt? An Oxonia insimulanda, quòd tales ad tempus habuerit? Deus ipse apud Iesaiam dicit se quoque Filios enutriuisse & extulisse, & se ab ipsis spretum fuisse. An si Petrus in atrio Pontificis sedens Christum negauit, idcirco Christus culpandus est? Cauebunt spero in posterum reliqui Academici, superstites, posteri, Patres, filij: cauebunt ne istos imitentur qui ex nobis exierunt: sed eos potius audient, qui veræ pietatis, religionis ductores & doctores, & in cœlum prænij, & ad Christum anteambulones fuerunt. Cauebunt per Dei gratiam, & à tabernaculis Choritarum separabuntur: nec dicent illis qui verbum hoc non afferunt, Ave, sed cum Paulo, Anathema. Cohabitatio cum istiusmodi est quasi contagio: Sciunt iam nostri, clarissimas lampades ex corrupto oleo nigredinem & fuliginem contrahere: sciunt vnam chordam de pelle lupina totam corrumpere melodiam: sciunt Basilisci aspectum &

De verbis D. S. Io. S. 54.

Adhortatio ad Oxonienses ab exemplo Maiorum Protestantiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Basiliſco Plinius.

vmbram fugiendam: qui vbicunque deliteſcit nihil ſinit vireſcere, omnia veneno ſuo inficit, frutices necat, herbas non contactas modò ſed afflatas exurit. Sciunt nunc Deum Zelotypum eſſe, & populum ſuum populum ſibi peculiarem, ſelectum, ſanctum eſſe velle: ac propterea omne cum alienis

Deut. 7. *commercium vetare,* QVONIAM AVOCABVNT *„filios tuos à me, vt diis alienis ſeruiant,* ET COM *„*MOVEBITVR FVROR DOMINI *contra vos vt citò deleat. Norunt itaque norunt tales, qui Ieſu ſocij proprio ſuorum animorum inductu, ſine Spiritus ſancti afflatu eſſe volunt, à Ieſu alienos ſe & à Deo extorres poſſe euadere.*

Tertia pars de inſtituti ratione.

INSTITVTI *mei ratio quæ ſit, ſuprà aperui. De me fortaſſis cenſebunt lectores quidem ſicut de alijs qui his doctiſſimis temporibus & in hoc ætatis noſtræ faſtidio aliquid in lucem emittunt: quorũ delicatas aures explere, & expectationi aut oblectationi aut curioſitati ſatisfacere, nec facile eſt nec volupe neque neceſſe. Videbimur enim alibi dixiſſe nimium, alibi parum, hîc frigidè illic feruidè, hîc blandidè illic ſalsè, alicubi etiam falsò & ſycophanticè, nunquam ſatis, vbiq; languidè: ſic vt vel ad rei veritatem, vel ad rationis ſoliditatem, vel ad dictionis elegantiam, Argi iſti quouis Polyphemo domi cæciores aliquid ſemper deſiderent. Sunt alij qui iamdudum ad Campiani Rationes Decem meam Reſponſionem expoſcunt & requirunt: & homines otio abundantes meam in ſcribendo tarditatem incuſabunt. Fateor quidem eſſe hoc factum & expectatione illorum, & voto meo, & opinione aliorum ſerius: tamen huius, ſi quæ ſit, cunctationis cauſæ multæ ſunt. Serò &*

& ægrè Campiani libellum nactus ſum, ſerò ad me ſub finem Auguſti literæ quibus hoc onus impoſitum fuit, perlatæ ſunt, & quidem tum, quando ruri à libris, à muſis, ab amicis Academicis aberam, vbi vacationis noſtræ tempore neceſſaria mihi fuit remanſio, & propter officium quo in Eccleſia fungebar, & propter infirmitatem & morbum quo per aliquot ſeptimanas colluctabar. Deinde an reſpondere deberem diu multúmque dubitaui: quòd naturæ inſtinctu & animi quadam propenſione ad alia ſtudia amœniora percolenda feror, & omnino his latibus atque rixis non libenter inuoluor, nec in has efferueſcentes & contentioſas ſcholas ingreſſus fuiſſem, niſi vocatus ab his quibus obtemperare debui, & iterum atque iterum expergefactus ab aliis quibus diſplicere nolui. Extimulauit tamen me Hardingi, Copi, Briſtoi, Campiani, aliorúmque aduerſariorum importunitas: qui nominatim me in hanc quaſi arenam prouocauerunt, quos ego nunquam facto vel verbo læſeram: ſed eorum ſingulis mentem meliorem optaueram. Quanquam & illis iamdudum os obturatum fuiſſe rebar, cum Hardingo pro me & Thoma Sampſono chariſſimo fratre ipſe Iuellus, Copo pro me ipſe in vita Iuelli, Briſtoo D. Fulcus, Capiano G. VV hitakerus abundè reſpondiſſet. Deterrebant etiam me aliæ res duæ, aduerſariorum curioſitas & moroſitas. Curioſitas, vt ſuperius attigi, nõ tam amicè legere quàm præpropere iudicare ſolet. Plura multo homines iudicant odio aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, Cic. de Orat. *aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritatis aut præſcripto, aut iuris nor-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus, vt Orator scripsit verissimè. Vulgari prouerbio iactatum est, eum multos habere magistros qui ædificat in publico: & plures esse solent in Theatro spectatores imò censores quàm actores. Itaque non improbatur quod olim dicebat quidam Arsenius, Nihil melius video quàm tacere. Loquitur fortassis monasticè, qui homines nimium elingues & & in prædicando negligentiores esse solent, sed tamen hîc nec inconcinnè nec imprudèter. Morositas & peruersitas est illorũ, quos doceri & corrigi vellemus, qui tamẽ fiunt nihilo meliores. Quid de his Salomon? Est qui dura ceruice corripientem se contemnit: huic repentinus interitus ingruet. Verùntamen quia homines sunt quibus inest humanitatis & pietatis species, quia caro nostra lapis non est, & Dei spiritus benignus & diues est, quia populares nostri sunt, quibus patriæ salus imò fumus & aspectus gratus esse solet & debet, quia reipublicæ incolumitate suas res & fortunas omnes contineri & constitui intelligunt, ideò tandẽ in animum induxi meum hanc suscipere prouinciam: testórque Deum spirituum omnium cognitorem me animo perpurgato & vacuo omni affectu ad scribendum venire, velle placere omnibus dummodo prosim, velle prodesse & nolle offendere dummodo placeam Christo capiti & Anglicanæ & etiã vniuersalis Ecclesiæ. Hac cogitatione præmunitus & Oxoniã reuersus quod mihi ab aliis publicis & priuatis negotiis, quod à Theologicarum & scholasticarũ exercitationum onere & munere dabatur otij: id totũ horis succisiuis ad hanc scriptionis nostræ contra Campiani Rationes confectionem contuli. Dúmque hîc meus

Curiositas.

Arsenii dictum.

Morositas.

Prou. 29.

Causæ huius scriptionis.

meus labor desudat, ecce nouis literis ad congressum cũ Campiano & aliis Iesuitis euocor: id rursum agens, eò animum studiúmque appellens, & iam Londinum cogitans, ex insperato ea molestia liberor, & subitò de nouo istorum hominum sceleres, conspiratione, examine, iudicio, morte, rumores & nuncij afferuntur. Quid verbis opus est? non erat iam mihi cum damnato sicut cum indemnato, nec cum mortuo sicut cum viuo agendum, cúmque ille primus labor mihi ferè periret, omnésque priores cogitationes præscinderentur, illum meum extra viam cursum muto, & aliò velificationem verto, ad hoc Pontificiæ Legationis examen peruehor. Hinc dum omnia aliter instituo & instruo, dum hanc Practicam sarcinam ex omnibus vndecunque libris comporto & colligo, aliísque conor euoluere & exponere: hi posteriores menses sic elapsi sunt, vt iam omnes non mihi sed tempori, non voluntati sed necessitati, nõ cessationi sed huic innouationi possint tribuere. Tantum enim mihi obfuit consiliorum mutatio ad exitum, quãtum profuit tẽporis longior vsura ad studium: id diuturnitas non tam adiuuit quàm conturbauit, non tam promouit quàm retardauit negotium. Id verè dicere possum mortui Campiani Manes quàm viuentis Rationes plus mihi exhibuisse molestiæ: non tantùm quia doctrinæ suæ virus abiens post se reliquit, vt Bonasus animal fugiens reddit fimum cuius contactu velut aliquo igne adurunt insequentes: sed multo magis quia eius amiculi illum consepultũ refodiunt, illius patrocinium suscipiunt, Epitaphium, Anglicè, Gallicè, Latinè decantant. Dictum olim, τεθνηκότας μὴ δακνύειν,

Campiani mortuus mortuus mordet.

mortuos non mordere, & tamen Campianus in ore suorum mordet mortuus: quod monstrum esse testatur & communis experientia & vetus prouerbium. Sicut enim Hydræ Lernææ vno capite reciso, noua renascuntur: sicut vnda superuenit undæ: sicut ex satis dentibus serpentum olim nouos surrexisse fabulantur: sic ex vno labore alius atque alius seritur, & pro vno Campiano alij atque alij pullularunt qui nobis facessunt negotium. Itaque quoniam non solùm cum ipso vno, sed cum Pij Quinti Bulla, cum Copo, cum Bristoo, cum Aleno, cum Houletto, cum Peregrinatore, cum Discursatore, cum Nouissimo & Martio illo Persecutionis Anglicanæ authore, cum laruis & vmbris (non enim se nominari volunt) in luctam mihi & certamen veniendum erat: Dominationem Tuam oro, & alios beneuolos Lectores rogo, vt tarditatem si quæ sit non voluntate sed cum necessitate coniunctã excusent, aut potius festinationem præproperam condonent. Nam cum res ipsæ gestæ recentes sunt, actionum illarum scriptio & refutatio nec diu meditata, nec magnopere elucubrata esse potuit. Verè Iuris consultus, Minus soluit qui serò soluit: tamen non minus verè Imperator, Sat citò si sat bene: at illud SAT BENE *optare est omnium, sed non est peræquè nostrum persoluere.*

Augustus

HANC προθεραπείαν, *hanc medicam aduersus vomicas & carcinomata erumpentia præcautionem & Antidotum, has, Ornatissime Cancellarie, operis primitias tibi Academiæ nostræ Rectori dignissimo, & Mœcenati meo singulari dedicare volui. Habet enim Vniuersitas tota bonitatis erga se tuæ expressa vestigia: cuius nec in ea defendenda &*

Dedicationis causæ duæ.

da & ornanda autoritas, nec in vtilitate vniuersorum & singulorum procuranda sedulitas, nec in literatorum hominum commodis promouendis studium, nec in priuilegijs conseruandis alacritas vnquam defuit. Hæc magna: illa maiora, te Rectore studium nostrum Theologicum valde excitatum & amplificatum esse: Catechismum priuatim in Collegijs, publicè legis decreto in Academia, pueris instituendis in vera religione accommodatissimè mandari: disputationes nostras solito plures, concliones frequentiores haberi: numerum Doctorum & ministrorum adauctum esse, & quodammodo Spiritus Eliæ in multis Elizeis, in multis Christi præconibus multiplicari, quos ego è Germania Oxoniam reuersus aut nullos inueni aut paucissimos. Hæc commemoro, adductus meo in Matrem Academiam officio, & impulsus nostrorum immoderata & effrenata nos omnes Academicos aliósque prouocandi audacia: vt etiam Tua Dominatio videat in hac vna tua Academia, Domino fœcundante, Euangelicæ veritatis professorum fœlicem prouentum: cum Regum superiorum memoria, tum nostræ Serenissimæ Reginæ auspicatissimis temporibus. Si Deus vnam hanc Vniuersitatem Oxoniensem sic beauit: quid de Cantabrigiæ fœlicitate, quid de totius Ecclesiæ Anglicanæ propagatione, quid de Catholicæ Christi matris per totum orbem Christianũ dispersæ multiplicatione & fœcunditate cogitandum? Pudeat pudeat Campionistas sui erroris, qui effœtam & sterilem Ecclesiam nostram fuisse, imò nunc tandem Lutheri ætate proseminatam esse, & nunquam antea in sole in propatulo collocatam obijciunt. Hinc bona spe in Christo suffulci. j.

Tot Academicorum ad Certamẽ Euocatio impudẽs.

Ad Academiarũ Cancellarios æqua postulatio, & ad Pontificios renouata prouocatio.

tus, & aduersariorum quotidianis prouocationibus incitatus, & aliquot infirmorum fratrum tacitis votis commotus, peto à T. D. & ab Honoratissimo Cecilio D. Burgleio Regni huius Thesaurario, à vobis nostrarum Academiarum Cancellariis & Rectoribus contendo, vt liceat mihi, pace vestra, Academicorum nomine, noua as scholas proclamare, & hoc Bellum à Campiano timide & tenebricosè in Angulis oblatum apertè Campiani magistris, omnibus Iesuiticarum partium signiferis & asseclis, Triariis & Velitibus, foris exulantibus, & domi in voluntaria custodia manẽtibus aut latentibus iterum denuntiare. Itaque Dei præsidio, causæ bonitate, Academicorum incremento fretus hoc nouum bellum redintegro, vt omnes isti qui velut corui ex Arca Ecclesiæ nostræ euolauerunt, tamquam simplices columbæ, Angli candidi nullo felle malevolentiæ suffusi in scholas conuolent: omnes affectus carnis & inueterati hominis exuant, circulatores, excursores, circumforanei esse desinant, non se votivos & voluntarios Papæ seruos profiteantur, liberi & sui iuris non mancipia sint, vicatim, oppidatim, domatim, non perreptent, omnes suas artes Practicas & cæcas, omnes machinationes, fabricas nouas relinquant, codicillis infamibus innocentes non amplius consaucient, ad sicas ad saga ipsi nõ veniant nec alios vocent, arcus suos non intendant, sagittas suas contra rectos corde in obscuro non iaciant, vexilla militaria & proditoria non erigant, iterum nobiscum pro culmine sui Pontificis, pro columine sua Ecclesiæ, pro Petri & Pauli capitibus, imò pro Apostolica doctrina nouo certamine non gladiatorie sed

sed Theologicè periclitentur: non in ius aut in Aulam VV estmonasterienſem sed in scholas amicè & sedatè ambulent, in spatia Academica vnde egressi sunt, regrediantur: ibi se dent soleries, ibi quid possint periculum faciant, vt vel Christus noster, vel ipsorum Antichristus trophæum reportet. Quã petitionem ex animo bono profectam, te æqui & boni consulturum, qua es prudentia & pietate, confido, & vtrique Academiæ non ingratam fore mihi persuadeo.

Tuus autem in me amor & fauor perpetuus, (quem & ego vsu & fructu percipio, & alij visu & auditu sentiunt,) hoc quicquid est officij, quod scio esse perexiguum, à me extorquere debuit, vt saltem pro beneficijs gratias, pro præmijs preces, pro meritis munusculum saltem hoc papyraceum offeram. Etsi verò nec magnitudinem tantæ causæ, quanta debeo facultate sustinere, nec multitudinem libellorum Anglicè & Latinè indies prouolãtium, qua volui facilitate comparare, nec comparatos qua oportuit diligentia, euoluere in hac temporis cõtractione, & in illa tanta mearum aliarum occupationum incursatione & interpellatione licuit: voluntate tamen & fide qua potui suscepisse me & perfecisse omnia profiteor: & quum non multorum dierum opus fuisse, res ipsæ quæ nuper sunt gestæ & libelli surreptitij, quibus respondeo, noui facilè loquantur, T. D. omnia candidè interpretaturam, & placidè accepturam non diffido.

Exhortatio.

SVPEREST vt honorem tuum aliòsque admoneam, vt quemadmodum cœpistis, ita deinceps ad huius causæ magnitudinem oculos attentissimè deflectatis, qua ab ineunte Elizabethæ regno haud

Universidad de Deusto Biblioteca
Biblioteca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orientalis

scio an vlla extiterit Senatoria grauitate vestra & consideratione dignior. Tempus est, inquit ille, tempus est Domine, Legem tuam dissipauerunt. Vides ipsa tempora, ipsas tempestates & turbines, quibus vndique hactenus circumstari videbamur, inhortari & excitare vos Nauarchas, qui gubernaculo assidetis, ad summam vigilantiam. Occultè se ingessit noua secta Pontificiorum ex omni hæreticorum colluuione composita & concreta, toto Satanæ Spiritu inflata, omni eius Panoplia instructissima, duabus ingentibus machinis conquassans Rempubliceam, molitionibus practicis & solertia Theorica. Illis agunt politicè & furiosè: Bullis, patriæ bustis, armis territarunt, & hoc fine, vt terræ nostræ faciem prorsus innouarent, & sanguinem quem hactenus anhelarunt, absorberent, & in eum se ingurgitarent. Hunc Papismum Practicum, Pragmaticum, Serpentinum in hoc opusculo ex rerum gestarum euentibus, ex ipsorum scriptis, dictis, & factis, ex publicis iudicij Actibus & commentarijs patefeci. Nam illa speculatio & doctrina, quæ est illorum altera insinuatio, qua in hominum oppignoratas sibi conscientias penetrant, aliàs retegetur: aliàs illorum hypocriseos vela & inuolucra, flexus & latebras Dominus in lucem protrahet. Etenim quamuis hactenus omnia illorum consilia, opaca & operta fuerint, tamen Dominus prouidentissimus nostro summo bono aperuit: Storæos, Feltonos, Sanderos, Pontifices, Iesuitas in Theatrum spectandos produxit: hoc nimirum consilio vt ei de hac publica liberatione grati, magis ac magis in omnes occasiones intenti, aduigilemus. Quò Satan callidior, quò hostis sæuior, quò multitudo numerosior est, quò maiores minæ increpuerint, eò magis contraueniendum, vt blanditiæ præcaueantur, & astuti i suboleat, & conatus omnes frangantur. Tum enim Satan conticescit, tum hostes omnes qui sanguini effundendo inhiant, frenantur, tum Pontifex qui non è cœlo sed ex inferis vibrat execrationum fulmina, & furias tædasque ardentes excommunicationum eiaculatur, vt Principes Spirituali imò carnali spiculo configat, regna orani Ecclesiæ communione priuet, in ordinem cogitur, & sub iugum mittetur, omnésque aliorum hostium nerui tum eliduntur, cùm nos Spiritus diuini ardore concalefacti non congelamus, nam & tepidos Deus euomit, nec claudicamus, quod Elias non tulit, sed recto pede ad Euãgelium incedimus, vt Petro D. Paulus subinnuit. Dei causa est: diuino & principali Spiritu opus est. Spiritus est qui omnes hominum quisquilias, sicut ventus paleas dispellit. Multa te, Amplissime vir, monere possunt vt quod benè facis indies facias melius, vt cum ætate quam Deus prorogat, cum experientia quam docet, cum honore quo te cumulat, tuus vicissim in illum amor, in Ecclesiã zelus, in Religionis synceritatem studium crescat & augeatur. Recordaris quid Dominus à suis, quibus maiora talenta commisit, requirat. Reminiscaris, quod obliuisci nunquam debes, quomodo indulgẽtissimus Pater non modò in terra diutissimè te honorarit, sed etiam quomodo te in ipso mari è naufragio, ex ipso penè mortis hiatu liberarit, quando tu extrema videns, ad preces conuersus, in cœlum intentus, in Christum tota spe proiectus, Serenissimam Reginam, charissimam patriam, Ecclesiam

Duæ machinationes Pontificiorũ.

Practica.

Theorica.

Dei generalis prouidentia erga Angliam in detegẽdis laruis hypocritarũ.

Dei specialis liberatio.

totam, animam tuam creatori & redemptori tuo commendasti, quando te (Honoratissimis Comitibus itineris, vt tibi consuleres suadentibus) forti & præsenti animo respondisse ferunt, nolle te vel Scaphæ vel tabulæ fidere, sed in Deo solo tuã omnem fiduciam recumbere: & quos viæ & vitæ & periculi socios habebas, cum illis velle in eandem sortis, vel vitæ vel necis societatem venire. Vox generoso animo & verè Christiano pectore digna, & è memoria nunquam deponenda. Non enim aliam ob causam honorum tuorum insignia concessa sunt, non liberatio, non hæc conseruatrix manus cælitus extenta fuit, non aliam ob causam vento afflante nauis in altum subitò & feliciter prouecta est, nisi vt eum qui vitam & dedit & seruauit, & ames ardentius, & timeas reuerentius, & ei te regendũ des, ei gratias agas, eius hostes odio pio, eius amicos amore puro prosequaris, eius verum cultum ex animo fidelissimè promoueas, & summatim vt eam cursum quò te natura ducit, imò gratia vocat sequaris. Quod faxit Sospitator noster Christus qui te nobis, tibi, Ecclesiæ saluum & florentem diutissimè custodiat.

Oxoniæ è Collegio Magdalenensi, Martij vicesimo nono.

Dominationis Tuæ
obseruantissimus,

LAVR. HVMFREDVS.

DE PRA-

DE PRAXI R. PONTIFICVM ET DE LEGATIONE IESVITARVM in Angliam Admonitio.

VETVS quidem modis clementissimus Deus nostros Maiores affatus est, Fratres & Populares in Christo obseruandi, per Prophetas suos, ac postremò per Filium & Apostolos, eorúmque successores voluntatis suæ internuncios & præcones: quorum opera, Dei beneficio, diuinarum tabularum hactenus custos & compos fuit Ecclesia. Similiter cum genere nostro egit diabolus variè, sed & veteratoriè: ad errorum suorum dissem-
inationem adhibitis semper diuersis organis. Vetus enim ac verum est dictum, Vbicunque templum sibi Deus consecrat, ibidem Satanam quoque Sacellum sibi erigere. In Paradiso Deus legem tulit nostris parentibus: adest ilicò Satan personatus, serpens insibilans ac suadens inobedientiam: vbi Moses & Aaron, ibi Iannes & Iambres: vbi Elias prophetans, ibi Baalitæ pseudoprophetæ: vbi Michæas simplex, ibi Zedechias cornutus: vbi Zorobabel aut Nehemias aliquid ædificans, ibi Sanballat aut Tobias Ammonita insidians: vbi Christus, ibi Pharisæi: vbi Petrus, ibi Simon Magus: vbi Paulus Apostolus, ibi Pseu-

Hebr. 1.

Praxis Satanæ.

2. Tim. 3.

1. Reg. 22.

1. Nehe. 2.

doapostoli: vt quod extruit dextera Dei, id sinistra destruat Diaboli.

Opus reformationis sacrosanctum inchoauit Deus in nostra ecclesia, quod magisterio & auspiciis suis, ministerio & manu sereniſsimę Principis Elizabethæ ad multos annos prouexit, & ad exitum sanè optabilem & fœlicem perduxit. Sed ecce Satan accurrit, per suos emissarios tumultuatur, belligeratur, execratur, anathematizat, omnia machinarum genera admouet, omnia impedimenta iniicit, vt omnia retardet & dissiiciat.

Nunquam autem apparet sua natiua specie diabolus sanguinarius, sed alienam personam etiam mitisſimi Mitionis sibi imponit: sempérque adsciscit administros & satellites. Alioqui nisi tyrannidem suam, quam vsurpat, arte, marte tueretur, prudentisſimus omnium animantium non diceretur. Fallit Euam, sed in persona elegantis & callidi serpentis: Adoritur Saulem, sed in forma senis sanctisſimi & grauisſimi Samuelis: Seducit Achabum, sed in ore prophetarum: Imponit simplicibus, sed per lucis Angelum: Prodit & perdit Iesum, sed per Iudam in quem intrauit: Iudæos in mare demergit, sed persona Mosis assumpta.

Organa.

Gen 3.

1. Reg. 22.
2. Cor. 11.
Luc. 22.
Platina.

Cur autem Deus laxas hasce permittat habenas diabolo, vt nunc magis solutus & furiosior solito grassetur: etsi iudicio eius secreto, & tamen semper iusto, & merito nostro manifesto, & semper malo, factum esse non possumus negare: tamen ex Scriptura sacra duę causæ assignari possunt: vel vt prudens suos tentaret, an eum amare velint, & ei adhærere: vel vt iratus aliis qui pereunt, eo quòd veritatis amorem quo salui fierent, non admiserunt, quò credant mendacio, erroris efficaciam immitteret.

Causæ 2.

Deut. 13.

2. Tess. 2.

Modi, vt dixi, Tentationis & machinationis diabolicæ, plures sunt: est enim vt versipellis & Proteus ita tempori seruiens, sui dissimilis, ad hominum ingenia, ad casuum varietatem, suas actiones & cõsilia accommodat: aggressionis tamen vias tres potissimum ab eo initas inuenio: potentiam, insciti ã, scientiam. Quid enim furiosus non tentauit? quis eius potentiam, tyrannidem, violentiam dignis verbis posset representare? qui & omni tormentorum genere, & in omnes optimos, castitate religionis, sanctitate morum excellentissimos sæuiit? Et quemadmodum vndique hostes finitimi Israëlitarum sanguini inhiarunt: in Oriente Ammonitæ, in Occidente Palestini, in Septentrione Syrij, in Meridie Ægyptij: sic per Imperatores, Pontifices, hæreticos ad obterendum Ecclesiæ calcaneum insidiosus, imò ad effundendum sanguinem armatus est. Nec viles prædas agit, sed nobilis latro est, & optimos quosque decerpit, sicut olim ille, vt Magnates è medio tollendos innueret, summa capita papauerum amputauit. Latrones & fures, inquit Chrysostomus, non se eò recipiunt, vbi fœnum & stramen est, sed vbi aurum & argentum: sic diabolus ad expugnationem & internecionem optimorum omnes suas copias atque potentiam conuertit. Veriſsimè Gregorius magnus: Aut opprimendo rapit, aut insidiando circumuolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut desperando frangit, aut promittẽdo decipit. Quamuis autem ciuili brachio hanc suam potentiam exeruerit: tamen potentissimum suum in terra vicarium Rom. Pontificem sibi elegit & coop-

Modi 3.

Liuius. Dec. 1.

Potentia.

tauit: in cuius Pontificatu tuendo fortitudinem suam maximè ostẽdit, quem duplici gladio armauit, cuius ad caput triplicem coronam accommodauit, quem à capite ad calcem cataphractum omni sua autoritate septum in medium produxit, quem terrorem regum, flagellum orbis, legum bullarum excommunicationum fulmine horribilem, quadripartito in terra, in cœlo, in purgatorio, in inferno dominatu formidabilem effecit. Sic potens est: sed & hominum simplicitate, credulitate atque insciția non rarò abutitur. Vidit eruditus Satan rudi seculo quiduis obtrudi posse, ita crassioribus inuentis per homines impolitos & hebetes ludificauit: & scriptores bardos, exangues, eneruatos dedit, quorum dictio vt barbarissimis & solœcismis scatuit: ita religio multorũ errorum cœno & sordibus fœdata iacuit. Nunc verò factus est magis ingeniosus artifex: sciẽtiam adhibuit armatã, qua nihil iniquius, nihil violentius. Hæc omnia in progressu orationis nostræ videbitis, quàm potẽter per Pontifices Rom. quàm subinsulsè per monachos, quàm solerter per Iesuitas, regni sui pomœria conetur dilatare. Tales enim homines tales artifices, tales morbi tales medicos, talia tempora tales legatos videbantur requirere. Quocirca ad temporum superiorũ res gestas, ad Pontificum acta antegressa oculos referte: in quibus replicandis nostra versabitur oratio, vt casus præteriti metus sint futuri: & ex hisce antecedentibus præsentia colligantur: & ex omnibus simul ante aspectum vestrum constitutis planissimè intelligatur isto nouo stratagemate diaboli ad fraudem concinandam nihil perfectius, ad imperium suum constabiliendum nihil conuenientius, ad remp. & Ecclesiam subuertendam nihil funestius potuisse reperiri.

Insciția.

Quod

Quod vt aliquo modo patefiat: Legationum Pontificiatum summam, & totius Romanæ Aulæ Praxim ac consuetudinem quæso patienter & diligenter animaduertite. Opto autem cum Cypriano, Omnes in Ecclesiam regredi, opto vniuersos commilitones nostros intra castra Christi, & Dei patris domicilia concludi. Doleo, & mirum & miserum puto, in vna domo vnum Dominum non posse dominari, in vna patria & regno vnum regimen non obtinere, homines eodem lacte enutritos, ex eisdem Academiæ spatiis egressos, eandem religionis formam, eandem obedientiæ & obseruantiæ viam erga vnam Principem non persequi. Gaudeo etiam, bona spe fretus & fultus, Deum qui ex lapidibus filios Abrahæ, ex muliercula sterili fœcũdam matrem, ex Publicano Euangelistam, ex Saulo Paulum, ex Iustino Philosopho Christianum & Martyrem facere potuit: qui lux est & in tenebris lucet, qui verè Sal terræ est & cõdit insulsissima, velle quoque istorum lapidea corda reddere carnea, velle eos sic in viam suam reuocare: vt quibus armis nunc Ecclesiam nostram impugnant, iisdem in posterum defendant, & omnes ingenij vires, omnem dicendi facultatem, omnem linguarum peritiam, ad Euangelij illustrationem, ad Ecclesiæ propugnationem, ad nomen Dei celebrandum conferant. Et dum hoc ago, absit à me vt oratio mea quenquam viuum vulneret, aut mortuum mordeat: vobis tamen Romanæ Aulæ vaferrimũ artificium, & antiquũ Polliteuma detegere, quo cautiores reddam, absque vllius facti exaggeratione, operæpretium arbitror. Epist. li. x. Epist. 3.

Scitè & sapienter Epicharmus, Memento diffidere: & similiter Cicero, Neruum sapientiæ esse, non temerè credere. Non est vna omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominum se insinuantium mens, non idem scopus & finis omniũ. Homericum illud perplacet.

In Odyss.

Dicebant bene, sed mente alta praua struebant.

quod ille vocat βυθοδομέυειν profundè dissimulare. Quàm pulchri sunt pedes eorum qui Euangelium, bona, pacem verè nunciant? Sed Legatorũ duo genera in Prouerbiis leguntur, Est cautus qui omnia prudenter facit, est stultus qui prodit stultitiam. Est Legatus infidus, & in malum corruet, est fidus & salutaris. Duæ res Legatũ suspectum efficere poterunt: hypocrisis & curiositas. Nam si aliud in ore promptum, aliud in corde reconditum habeant: si altera manu panẽ offerant, altera lapidem afferant: si scorpiones sint, in facie blãdi, in cauda aculeati: si Vergiliani Sinones sint, & equus Troianus intus lateat: aliqua certè causa subest cautionis & diffidentiæ. Ignatius, Multi lupi vellere assumpto, oues simulant. De ouibus ille, quod etiã quadrat optimè lupinis pastoribus.

Ad Philad.

Pro. 17.

Curiosum esse aliquem in rep. aliena vituperabile, quod sapientissimus Parœmiastes ostendit, Stultorum oculi in extremo terræ. Improbat Apostolus hoc otiosum & curiosum genus hominum, Denunciauimus, &c. Massilienses vagos & errones coërcendos non immeritò censuerunt. Quid si istos emissarios vtroque morbo laborare, & à Papa capite, tanquam ex Pandoræ pyxide, per curiosos hypocritas & ἀλφηστὰς in totum corpus Ecclesiæ has omnes plagas effundi probabili coniectura ostendero? Hei vereor, inquit ille, Ne quid Andria apportet mali! An à Roma, ex Tarpeia arce his temporibus potest aliquod bonum esse?

2. Thes. 3.

Pont. R.

Vt ergo à potentibus Satanæ instrumentis, & à magnis huius mundi Monarchis, & ab ipso templi Pinnaculo ordiatur oratio, quàm potenter in per-

perniciem regum Romani Antistites conspirarint, non est obscurum his qui antiquitatis monumenta legunt & intelligunt. Vnus Bonifacius Octauus instar est omnium, qui non vnius regni singularis prædo, sed regnorum omnium Christiani orbis malleus & confractor vniuersalis, à Platina sic producitur, eum suggestum in Basilica Lateranensi condidisse, ex quo Anathematismos in Cœna Domini contra regem Franciæ & alios eius sedis inimicos intonaret, eum inter Italos maximè Genuenses & Venetos discordias aluisse: quasi Paparum gaudium & pabulum sit aliorum dissidium: ac, vt verbis ipsius Secretarii Papæ contra Papam vtar, Moritur hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quàm religionem iniicere conabatur, quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum vndique conquisitum plus quàm dici potest sitiens. Ex quo vno liquet quid quotannis, imò quotidie Romæ à Põtificibus agatur, quorum primum ac summum hoc studiũ est, Principum ceruices iugo suo subiicere. Quis enim ignorat quid Gregorius Septimus Necromanticus & monachus, contra Henricum Quartum Imperatorem Augustum molitus fuerit: quomodo illustrem virum anathematis vinculo illigauerit: quomodo eum magnis itineribus, Canusium vsque profectum, omni regio cultu exutum, laneis vestibus indutum, hyeme asperrima, nudis pedibus supplicem per se, per alios absolutionem demississimè petentem, toto triduo repulerit? Receptus est tandem in gratiam, sed mox alia causa iniustè inuenta alio fulmine percellit: ius patrium & hæreditarium in concedendis dignitatibus Ecclesiasticis adi-

In vita Bonif. 8.

Anton. p. 2. &c. Benno Card.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mit, addita constitutione iniquissima, & principibus non ferenda: Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Episcopo vel Abbati audientia concedatur. Insuper gratiam beati Petri & Ecclesiæ introitum interdicimus. Pergit porrò insanire & sæuire, verbis, factis, literis pugnat, quoscunque potest à debito obedientiæ officio auertit. Sic enim Antoninus his fermè verbis, Principes insuper Teutoniæ à iuramento fidelitatis quod illi præstiterant absoluit, atque ipsum ab imperio deponit, hinc rebellant Saxones, Rodolphus Sueuiæ Dux coacta Synodo suffectus est: Cui Papa coronam auream opere miro fabricatam per Legatos suos omnium malorum architectos misit, cum hac inscriptione,

Decret. 16. 1. 47.

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodolpho.

Sicut Benedictus nonus aliquando Petro regi Hungariæ coronam dedit cum hoc versiculo,

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Sed quid fit? Rodolphus de mandato Papæ ab Archiepiscopo Moguntino coronatus miser post vanam coronam, quæ diu non floruit, crucé malam reportat: in bello ab Henrico vnà cum Saxonibus cõiurationis adiutoribus interemptus: Pontifex qui aliis autor fuit defertionis, ipse à suis Romanis deseritur: & Roma capta in castro Crescẽtii (siue Sancti Angeli) captiuus: pòst suum in Diuum Petrum, in vniuersam Ecclesiam, in Cæsarem grauissimum peccatum, suadente Diabolo, confessus, exul in vrbe Salernitana conscientiæ torminibus miserè vexatus moritur: cùm antè in conciliis, Brixiæ & Moguntiæ habitis, tanquam Ecclesiastici ordinis euersor, imperiorum contur bator, scãdalorum seminator, sacrilegus, Magus, à fide

à fide deuius, Papali dignitate priuatus & condemnatus fuisset. Ex qua vna historia potestis cognoscere Papatum meram esse tyrannidem, Cæsareæ Maiestatis & Regum inimicum, regna conferre auferre per fas nefasque pro libidine, omnium rebellionum, proditionũ causam atque scaturiginem existere. Intelligitis etiam hũc qui subditum contra regem, militem contra Dominum, Rodolphum cõtra Henricum, imò & filium contra Patrem, vt est historiis proditum, concitauit & armauit, qui minis & terrore contra Imperatorem, iuramentum ab Episcopis & aliis inferioribus Clericis in hanc sententiam extorsit, nec se potuisse seruare nec Rodolphum: sed illius Romani Salmonei tonitrua tãquam puerilia crepitacula fuisse contempta, quòd non ex iudicio sapientis iudicis, sed ex libero arbitrio maleuoli hominis profecta viderentur. Nam & se & suum supposititicium regẽ perdidit. Quod ad ipsum attinet, satis confidenter ex Ambone in cõcilio prædixit, aut se moriturum, aut breui regnũ animamque Cæsari ablaturum: sed vanum vatem tum fefellit augurium, quantumuis in Ecclesia Diui Petri indutus Pontificalibus hãc suam prophetiam in purpuratorum patrum solenni conuentu proclamarit. Rodolphi autem corrolarium fatale & infœlix omnium periurorum & perfidorum hominum qui se à Principe abalienant, speculum, quo absterreantur, esse potest: quippe qui, homo miserrimus, abscissam dexteram periurii sui indicem exeruit, & Episcopis tanquam suasoribus demonstrauit: En vobis, inquit, dextera qua interposita sanctè iuraui nihil iniuriarum Domino meo Henrico me facturum, nihil insidiarum comparaturum: sed ad hanc iuramenti transgressionem Apostolica iussio, ve-

Benno Card.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stra suasio impulerunt. Sicut in Germania hoc suum munus delegatum strenuè administrauit Pontifex, sic nunquam otiosus fuit, nec domi, in vrbe sua, nec in Italia, nec in Gallia. Omitto quid Stephanus Papa gesserit, Pipinum & reliquos proceres regni inducens, vt iuramenti fidem quam Childerico regi dederant, soluerent: vnde illum in regio solio collocat, istum tonso capite in monasterium detrudit. Ac in eadem Gallia, belli istius ciuilis, quod nuper exarsit, quę alia fax, quàm Pontificiorũ fæx, quàm Pius Quintus, illustrissimæ Reginæ nostræ iuratissimus hostis, qui eò Cardinalem de Sancta cruce legatum suum tanquam Mercurium vel Aten potius cum imperio amandauit? Annon ad regẽ Galliæ contra Hugonistas auxiliares copias summisit, & regem alioqui sua sponte plus satis incitatum, magis instigauit? Annon Sanderus noster propterea ei gratias agit, & ei talem scilicet Apostolicum spiritum gratulatur? Omitto Ludouici quarti in Bauaria tragicam historiam, contra quem, Ioannes Papa 22. homo omnium iudicio damnatus, ciues & subditos concitauit. Quid de Eugenio quarto dicam, cuius perfidia in Turcam Amurathem Ladislao regi interitum, Christianæ Reip. cladem, sibi infamiam sempiternam creauit? Quis huius sceleris administer? quis nisi Põtificius Legatus, Iulianus Cardinalis à latere sceleratissimi missus, vt fœdus ritè factũ nefariè frangeret, qui & ipse periurii sui pœnas luit. De Ioãne rege Angliæ aliquid dicere horret animus, & luctu meminisse refugit, quẽ ille Romanus Carnifex non Pontifex, tanquã pilam volubilẽ sursum deorsum versauit, agitauit, & populo suo cõtemnendũ, & à monacho in cœnobio venenato poculo ebibẽdũ imò necandũ propinauit. Siccine in humanis rebus

Gallia.

Abb. Vsp.

Sanderus.

Ludouicus quartus.

rebus ac regnis Papalis ludit imò bacchatur potẽtia, vt nulla fides regũ, nulla subditorum obedientia, nulla Sacramẽti religio eos cõtineat, quos Deus tam sancto & arcto vinculo inter se deuinxit & copulauit? Siccine omnia rata in nomine Dei immortalis, pro arbitrio vnius homuncionis fient irrita? Zedechias Babylonio principi iuramentum & fœdus factum violauit: An benè cederet, an euaderet, qui fecit hæc, aut qui irritum fecit pactum effugeret, Dicit apud Ezechielem Dominus? Quanto minus subditus si fallat fidem datam Christiano Principi? Sed hæc est illa efficax & potens & plusquam Circea Diaboli per suos Pontifices regum & populorũ dementatio.

Cap. 17.

Dixi modò etiam hos Pontifices suos Iulianos, Cardinales, suos monachos & sacrificulos habere, quos ad hæc sua negotia conficienda sem per adhibuerunt. de quibus nunc, vt ordo postulat, quædam commemorabo, & antiqua replicabo: vtque quid hæc noua legatio portenderit, vestra prudentia colligat, vetera cum nouis, aliena cum nostris, illa cum istis cõiungam. Nihil enim falsum volens ac sciens in oratione mea ponam, nihil contra istos Legatos acerbè concludam, ne vel diuerticula à causa aliena quæsiuisse, vel hominibus miseris aut mortuis detraxisse videar. Quemadmodum Diabolus magnus ille Peripateticus, iactat se vbique locorum peruagari: & Petrus ait eum circumire vt quærat quem deuoret; & Spiritus immundus loca arida circumambulat, vt in domum vacuam nouo Spirituum comitatu regrediatur: ita semper habuit sectæ suæ discipulos, quos ab autore primo ambulatore, (vt olim à Gnatone Gnatonici, ab Epicuro Epicurei, ab Aristotele ambulante Peripatetici nomen habuere) Ambulones sanè seu Nouos Peri-

Pontificij legati nõ ui Peripatetici.

Iob. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pateticos appellemus. In circuitu enim isto impij ambulãt: & Phariſęi terra mariſque circumiuerũt vt proſelytos facerent, & Pſeudoapoſtoli παρεισάκτοι falſi fratres ſubintrarunt in Galatarum Eccleſiam, vt libertatem quæ eſt in Chriſto Ieſu explorarent & in ſeruitutem redigerẽt: & apud Philippenſes, Operarii multi, crucis Chriſti inimici ambularunt: ſemper irrequieti ſpiritus religionis obtentu ſuſque déque agitantes omnia. Scelerata planè & peſtifera ſecta, quæ religionis velo proditionum nefaria conſilia obtegit. Quod autem in genere hactenus dictum eſt de hypocriſi, curioſitate, ambulatoribus, id veriſſimè ad Legatos Pontificios, ad Cardinales, Monachos, religioſos Peripateticos accommodetur: quorum illud præcipuum ac proprium munus eſt obire prouincias, ſe in aulis principum inſinuare, ſecreta perueſtigare, omnia Romano Pont. inſuſurrare, omnium animos contrectare, & familiariter pertentare, alios in errore confirmare, alios infirmos peruertere, alios ſaniores ſpecie ſanctitatis & rationibus neſcio quibus in ſuam diſciplinam tãquam in naſſam attrahere. Sic orbem conuertunt, dum nomine fidei caſtitatem fidei adulterant. In hoc genere monachorum multæ ſpecies continentur, & aliæ aliis quibuſdam gradibus præcellunt. Extiterunt enim quidam doctiſſimi quorum libri extãt quos abſit vt mea nominet, aut notet oratio: Quippe Rob. Holcot (ſic enim illi viſum eſt) Hieronymum, Gregorium Mag. Gregorium Nazian. Baſilium, Chryſoſtomum, Bernardum, Ioan. Damaſcenum inter monachos doctos numerat (Auguſtinum excipiens) qui non vt iſti monaſticè vouerunt aut vixerunt, ſed in Collegia, quaſi in quietos ſeceſſus, profugerunt. Alii verò poſteriores ſimiles illis, de quibus ſcripſit ex Poëta Cretenſi Apoſtolus, ſcilicet qui Cretizare nouerunt, ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri: quibus appoſitè illud conuenit,

Gal. 2.

Super. L. Sap.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Armachanus.

Vetus querela eſt Armachani reuerendi Præſulis contra tot fraterculorum Mendicantium, & oberrantium examina: quos pia vetuſtas tanquam fucos à præſepibus arcendos exiſtimauit.

Venio ad Ieſuitarum hanc Peripateticam & nouam ſectam, vt vnde prognata ſit exquiramus. Peripateticos dico: liceret ſi liberet Errones aut Rogatianos nominare. Nouam voco, quia nouum eſt, quicquid Chriſtus non docuit: & nouus ordo eſt quem Chriſtus non inſtituit: & nouus eſt aduerſariorum confeſſione, à Pont. R. natus, in hac mundi ſenecta, poſt tot ſecula, noſtro demùm tẽpore: creatũra Papæ nouiſſima & nequiſſima. At ſi non nuda vocabula & nomina, ſed rem ipſam intueri, & verè exiſtimare voluerimus: altius aſcendere, & ab alio principio, id eſt, ab ipſo principe Seminarii, illo primo in Paradiſo perambulatore, ſecundariò ab ipſo Phariſaiſmo & Monachatu degenerante repetere poſſumus, in quo huius Ieſuitiſmi radix & origo verè fũdatur. Degenerem voco, qui à ſimplici illa & auſtera monachorum diſciplina deſciuit, qui verè Monachi, id eſt, ſolitarii fuerunt, qui blaſphemias inimicorum crucis Chriſti non ferentes, & perſecutionem ab ipſis paſſi in angulos & in ſolitudinem tanquam in portum confugerunt. Degeneratio tum emerſit, cùm per vicos & compita ambulare & in luce ac celebritate vrbium verſari cœperunt: quibus nihil vnquam fuit ſtatui principum, tranquillitati regnorum, Eccleſiæ Chriſti exitialius. Non ſic Antonius, cuius illa præclara eſt ſentẽtia,

Ieſuitarũ origo & propago.

Soz. l. 1. ca. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

"Pisces humida substantia nutriri, monachis verò "solitudinem ornamentum adferre: & illos, si ari- "dum tetigerint, vita priuari: istos, si vrbes acce- "dant, monasticam grauitatem amittere. Vnde il- lud notum prouerbium: Monachus in oppido pis cis in arido. Vnde Æneas Syluius inter alia elo- In hist. Boh. gia, Vagum monachum esse Diaboli mancipium. Vnde grauiter annotauit beatæ memoriæ D. Zuinglius istos à latere Legatos & Ambulones, qui omnia foris obseruant & speculantur, & au- res Principum obsident, & pios consiliarios quo- ad fieri potest, excludunt, esse peruigiles Dra- cones, quasi custodes aurei velleris. Animaduertit Cap. 3. hoc de opere Monachorum etiam Aug. ipse, qui cùm illud Paulinum citasset, Denunciamus vo- bis, Fratres, in nomine Domini nostri, vt subtra- 2. Thess. 3. hatis vos ab omni fratre inquietè ambulante, & Cap. 28. non secundum Traditionem quam acceperunt à nobis: subiicit multos hypocritas sub habitu Mo- nachorum vsquequaque dispersos esse, circum- euntes prouincias, nusquam missos, nusquam fi- xos, nusquam stantes, nusquam sedentes, alios "membra Martyrum, si tamen Martyrum, vendi- "tare: alios fimbrias & Phylacteria sua magnifa- "cere: qua pictura quid esse potest illustrius? in qua "veris & viuis coloribus nostros in Anglia Lega- "tos depinxit, ac si præsens omnem illorum ingres- "sum, susurros, miracula, reliquias, totamque nun- dinationem Pontificiam oculis suis vidisset. Ta- Socr. lib. 3 cap. 1. lem hypocriticum monachum credo fuisse Iu- lianum Apostatam, qui initio Christianus, ad cu- tem tonsus, vitam simulauit monasticam: qui in- ter Christianos subodoratus est, quomodo Chri- stianismum subuerteret. Nec mihi persuadere possum tot de isto hominum genere querelas frustra conceptas fuisse: quorum alii clamant il- lum

lum numerum omninò minuendum, alii omnes esse tollendos tanquam malorum disseminato- res, & rerum publicarum incendia. Scribit Ab- bas Vrspergensis, Pontifices quosdam affirmasse, Melius videri paucos vita claros, quàm plures dissolutos in monasteriis: conuersationem eorum examinari, malè conuersantes abiici oportere. Recens hoc & crudum vulnus est & refricatur in concilio ad Paulum tertium, quòd multi in re- ligiosorum ordinibus abusus irrepserint, quód- que magno sint scandalo, & exemplo plurimum noceant, & nominatim censent, abolendos esse Conuentuales ordines. Bernardus doctus Ab- bas istorum Conuentuum circumuentiones & Ep. 42. fraudulentos circuitus per transennam perspe- xit, Labor, inquit, & latebræ, & voluntaria pau- pertas, hæc sunt monachorum insignia: ac mox " degeneres hosce spurios notans, Vestri autem o- " culi sublimè vident, vestri pedes omne forum " circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiun- " tur consiliis, vestræ manus alienum diripiunt pa- " trimonium. Planissimè & verissimè dixit, quo- " niam in hac degeneratione id factum videmus, aut monachos pingues ventres domi omnia de- licatissima terræ bona deuorasse, aut foris calli- dos istos errones summa rerum potiri, & in ho- minum conscientiis dominari voluisse. Hæc erat huius nouissimi seculi pestis, dum audiendo do- ctrinam Dæmoniorum in meridie ambulan- tium, & attendendo spiritibus erroribus ac im- postoribus à fide defecerunt, fuerúntque sanè isti Religiosuli omnis Apostasiæ tam in Orien- te quàm in Occidente magistri aut soli, aut sum- mi, aut certè non infimi. Horum enim magiste- rio populus didicit nuptias ac cibos bonas Dei

creaturas damnare: horum opera, preculis, taciturnitate, confessionibus secretis, Ethelothresciis, ridiculis vestibus, capitum rasuris, calceis ligneis, funibus, votis, hypocritica continentia, irreligioso ieiunio infatuati homines idiotæ ad hanc prodigiosam à vera doctrina defectionem vbique locorum deuenerunt. Euoluite origines istorum factiosorum, & facilè hîc Monachachatum antiquum esse dabimus: Inueniemus successores eorum esse, de quibus Christus, Ecce hîc Christus, Ecce hîc Iesus: in syluis, in penetralibus, nolite exire, nolite credere. Et impleta videtur iam illa Christi perantiqua concio in nostris Apostatis, Si aliquis venerit in nomine suo, illum recipietis: & illa altera antiqua de efficaci illusione prophetia Apostoli, Antiquitatem enim istorum nouorum Patrum quæso ex Archiuis vetustatis considerate. Non enim ignobiles duces videntur fuisse Theudas & Iudas Galilæus, quibus magnus numerus adhæsit: quæ tamen consilia iusto Dei iudicio dissipata, & ipsi in nihilum redacti sunt teste Gamaliele Iudæorum Senatore grauissimo. In Ægypto dementiæ Arrianæ reliquias & quædam Monachorum agmina extitisse testatur Theodoritus, qui neque sanum dogma amplexi sunt, & nouos in Ecclesia ritus, à furore Samaritanorum & Iudæorum non abhorrentes vsurparunt. Epiphanius alios & rebelles & hæreticos commemorat, Audianos, qui in Monasteria & contubernia secedebant, in solitudine, aut prope vrbes, in suburbiis suas habebant mansiones & ouilia: à quodam Audio orti, qui à rege in Scythiæ partes relegatus est, eo quòd populos rebelles faceret, hoc nomine accusatus ab Episcopis. Illic diu commoratus vlterius est progressus ad intima Gothiæ,

Matt. 24.

Ioan. 5. 1. The. 2.

Orientales monachi, & errones.

Act. 5. Ioseph. Antiq. 18. c. 1. li. 20. cap. 4. li. 1. cap. 9. Lib. 3. contr. hæres. Tom 1. li. 17.

thiæ, multos Gothorum in fide sua instruxit, monasteria veluti seminaria condidit, virginitatis, pietatis, disciplinæ seuerioris, & exercitiorũ quorundam peculiares regulas præscripsit, vt huius rebellis & apostaticæ sectæ auctor non minimus fuisse videatur. Quis in Oriente Mahometismum inuexit? nónne Sergius Monachus & Nestorianus? Ille enim Mahometismum instituendo & hæreses suas dispergendo, Homar verò homo quidam audax, vnà cum aliis, bellando, in Mæcha Arabiæ metropoli, deinde in aliis partibus Alcoranum obtruserunt: & duobus hisce Pontificiorum mediis prædicatione & gladio prævaluerunt, adiuncto Tauro & Columba quasi Spiritu sancto aliisque fictis miraculis.

Successores profectò sunt omnes Monachorum ordines in Occidente, Iacobitis, Benedictinis aliisque sectariis passim augescentibus. Sicut enim ad Theologum Gregorium Basilius Magnus egregiè scripsit, ex Oriente fidem Euangelicam ex Sion & ex Hierusalem in orbem vniuersum emanasse: sic inde in Occidentem iacta sunt τῆς ἀποστασίας σπέρματα, defectionis semina. Et sicut Aegyptus & totus Oriens monachorum ferax & fœcundus fuit: & post opera eorum Mahometismus increuit: sic in Occidente multiplicatæ sunt sectæ, & deformata religio. Quorum ordines primarios quatuor VViclephus noster in nomine CAIM fratricidæ comprehendit, & Mendicantes quasi ab illo genitos non illepidè dixit, vt per C, Carmelitas, per A, Augustinenses, per I, Iacobitas, per M, Minores intelligamus. De Mago monacho Hildebrãdo scripsit seriò Bẽno Card. Quia diebus „ per paganos Christũ publicè persequi non poterãt, per falsũ monachũ sub habitu monastico, sub „

Occidentis Apostasia & Monachatus.

G. VVide forde cõ. I. VViclephum. In vita & gestis Hildeb.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habitu religionis, nomen Christi fraudulenter subuertere disponebat.

Produxi quædam particularia, quæ tamen conglobata & in vnum aceruum congesta, aliquod vniuersale possent inferre: tamen vt inductio fiat aliquo modo plenior: agedum istis & alia adiiciamus. Quid enim illud sibi vult, Lupum quendam eiusque successores à Martino Quinto approbari, & omnes fratres, heremitas, monachos à Lupo generali Præposito regi ac gubernari oportere? nisi illud sit quod suspicor, non esse illos Dominici gregis pastores sed lupos, à quibus voluit nos Dominus attendere. In Paralip. Abbatis Vrsp. refertur de quodam Procopio, qui Iuliano Pontificis Rom. Legato in Bohemia dixit, Si neque Moses, neque ante eum Patriarchæ, neque post eum prophetæ, neque in noua lege Christus, neque Apostoli Médicantium ordinem instituerint, quis dubitet opus esse tenebrarum & Diaboli? Vetus esse hoc grauamen, licet videre in Antilogia, vbi de Religiosis istis egisset, Olim, inquit, Clerici induti virtute ex alto & sapientia, cum timore Dei ambulabant in omni sanctitate & veritate: iam verò omni prauitate dehonestati, absque timore Dei ambulant, in hypocrisi & fictione. Quid ego de Anabaptistico fratricellorum instituto dicam? quid de Templarijs Regum & Friderici pro terra sancta fortissimè belligerantis proditoribus, qui ambo propter scelera oppressi & extincti sunt. Si istorum hominum successores esse nolint, Maiores agnoscant, Apostolicos: Nam Apostoli non sunt, (licet sic dici velint, & Apostolorum nomine appellari, testetur rerum Indicarum Commentarius,) quòd nec à Deo immediatè, nec à legitima aliqua potestate ordinariè ad exteras gentes missi fuerint. Apostolicos esse cre-

In operib. Hier.

Abb. Vrsp.

In Antilogiaso. 706

Apostolici.

Epiph.

se credo, quippe, cũ eandẽ hæresim redoleant: cũ vtraq; secta Coniugiũ sanctum detestetur: ritu, victu, habitu, peculiaria habeat discrimina: Pseudapostolicè vel Anabaptisticè cõmunioni rerum addictior proprietatem facultatum quasi illicitã aspernetur: ex Apocryphis & nouis reuelationibus fidei suæ probationes & firmamenta petat, Apostolorum titulo glorians instar Apostolorum discurrat, Apostolicæ tamen doctrinæ characterem nõ retineat: an lac lacti magis simile esse existimabitis, quàm Iesuitici Legati sunt similes Apostolicis? Si ista antiquiora esse obiiciant, videte nunc istorum ideam & effigiem apud Cor. Agrippam, qui totum hoc negotium in tenebris perãbulãs & hypocriticum (vt Bernardus exposuit) quasi in tabula descripsit: scilicet eos Religiosos peregrinationum & votorũ prætextu obambulantes prouincias, bello & pace ab exactionibus immunes, explorare secreta, ad omnium proditionum genera instructos esse: ab his vrbes in Gallia incensas, alios fratres reliquias Diuorum circumferre, ouem, agnum, lac corradere, eleemosynas tyrãnicè tanquam tributum postulare, pecunias habere, tamen perfectionem & paupertatem ostentare, cum Iuda loculos portare, tamen nec aurum nec argentum sibi esse cum Petro & Ioanne dicere, nummos scilicet non contrectare. At ista dicent exotica: audite domestica. Est enim verum & venustum Richardi quondam Regis Angliæ dictum, qui admonitus à quodam sacerdote Sulcone, vt filias suas nuptui daret, cumque is sibi nullas esse diceret, Sulco autẽ regeret ipsum tres habere, easq; pessimas, Superbiam, Auaritiam, Luxuriam, cõuocatis proceribus, tale condit Testamentum: Do Superbiam Templariis, Auaritiam Monachis, & Prælatis Luxuriam.

De vanitate Scientiarum.

In testib. verit.

Richardus Angliæ Rex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Istos ergo Illuminatores mundi, qui nobis faces nouas præferre volunt, hortor verbis Hiero. Sic viuite in monasterio, vt clerici esse mereamini: longoq; tempore discite, vt postmodũ doceatis. Quod si putent ideò se puriores esse, & omnes alias sodalitates & confraternitates, vt vocant, superare, quia Iesuitæ vocantur, & eius diploma & crucem circumferunt: eò sunt meo iudicio nequiores. Olim erãt in Lusitania Iesu milites quos ille excommunicatus Papa Ioan. 22. instituit, fortassis istorum sociorum Iesu aui aut proaui: quoniã hãc Legationem in Indiam Lusitaniæ rex quidam apud Paulũ 3. promouit. At cur isti contra Scripturam, præter morem, sine exemplo, hominis obscuri verbo & authoritate, nouum, superbum nomẽ non sermonibus modò suis creberrimis sed libris publicitus editis vsurpare non pertimescunt? Iesuitæ vocantur quos miles claudus, indoctus, impius velut vrsa suos deformes catulos lambens formauit, formatos in orbem extrusit, extrusos cõfirmat Romanus Pontifex. Itáne, omnibus aliis despectis & ordinibus suis, & fratribus Christianis, Iesu nomen sibi arroganter imponi patiẽtur? O superciliũ, Multa sunt quæ Christianus æquabili moderamine & prudenti animo tolerare potest: sed nouitatem non modò impiarum vocum, sed etiam rerum & sectarum approbare nec potest, nec debet. Cur enim Iesuitę Iesum diuidunt, & nostrum communem Iesum suum faciunt? cur non sunt, sicut dicuntur, Christiani, eo contenti Antiochenæ Ecclesiæ honorifico nomine? Nullus vnquam fuit, est, aut erit Iesu socius, fratres aut filij, aut mater, aut sorores, aut pueri, aut discipuli esse possumus, Iesu gratia & beneficentia. Comminisci & cauillari possunt, aliam esse eius nominis interpretationem, sed à suspicione arrogantiæ,

Ad Rusti. d. 16 q. 1.

Iesuitarũ nomen.

gantię, blasphemiæ, nunquam vendicabunt. Non est inanis Logomachia, aut pugna verborũ, cùm nominum integumentis rerum summa periclitatur. Testis est illa præclara Tertulliani regula, L. de car. Christi.
"Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm sunt,
"& amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si
"aliter quàm sunt cognominãtur. fidẽs nominum,
"salus est proprietatum. Quod idem author ani- L. 3.
maduertit cõtra Marcionem in persona Iesu, imò & in ipso nominis sacramento verum summum sacerdotem patris Christum delineari. Iesu nomen circumferunt, & Iesu Psalterium nouum excogitarunt, in eo Iesu nomen ter semper reperiunt: sed Iesu solius nomen non innocant: vt & ille libellus Precum, & eorum Articuli docent. Et in bulla Confirmationis non Iesu tantùm, sed
"Papę serui dicuntur. Quicunq; in societate nostra
"quã Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Cru-
"cis vexillo Deo militare, & soli Domino atq; Ro
"mano Pontifici eius in terris vicario seruire, &c.
Polydorus conquestus est, suo tempore, ignauis- L. 7. ca. 5. de In R.
simo cuique iã nouæ religionis introducẽdæ libidinẽ incessisse: (qualis sanè videtur Miles ille sicarius Ignatius Loiola, inuentor & magister societatis Iesu) ideoq; putat cõducibile esse, vt hę hominũ feces abscindantur, ne suis sordibus cultus Diuini nitorem & munditiam diutius conspurcarent: sicut de Albatis à sacerdote collectis, primò crescentibus, deinde dissipatis ostẽdit. Dominus olim istam Babylonem confudit: Theudam, Iudam sustulit, errores tot Mendicantium, tot Heremitarum, Anachoretarũ, Carmelitarum, Carthusianorum, Frãciscanorum, Fratricellorũ, Templariorum, Hospitaliariorum, reuelauit, dispersit, dissoluit? Et isti nouorum seminariorum sodales, eã spẽ audẽt sibi facere, omnibus aliis vel euersis

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel euanescentibus se posse succrescere aut subsistere? Nã licet in vtranque partẽ disputari posset, & pertinaci homini nũquam persuaseris, etiamsi persuaseris: tamen omnibus ratione perpensis & animo pertractatis hoc efficietur, Iesuitissimi fundamentum esse aut hæresim, aut aliquam febriculam singularitatis, vt ita loquar, & Schismatis. Iesuitæ dicuntur: sed quid si Iesuatas nominemus, quoniam inter Iesuatam & Iesuitam parum interest? Hos descripsit graphicè Raphaël Volaterranus, ortum habuisse Senis in Hetruria: primũ eius sectæ parentem fuisse obscurum hominem, Ioã. Columbinum, auarum, Mercatorem: Vrbanũ Quintum probasse, votum castitatis perpetuum iniunxisse: amictum singularem additum fuisse, numerum creuisse, eos tandem sub eodem Vrbano, quasi qui fratricellorum impuram sectam imitarẽtur esse insimulatos, de quorum libidine, idem autor nefanda quędã commemorat. Quibus adiecit Polyd. Virgil. illos suspectos tanquam maleficà aliqua superstitione imbutos: & Iesuatas ideo dictos, non quòd Iesu doctrinam promulgarent, aut Iesu vitam sibi imitandã proponerent, sed quòd Iesu nomen in ore haberent. Itaque in ortu & in ipsis quasi faucibus compressit eos iustissimus Dominus, à Menandri hæresi non multũ abhorrentes, qui etiã gloriatus est Iesu nomine: aut non dissimiles illis quos Cor. Agrippa suggillauit, Se Christi sodales (Iesu socios) Apostolorũ q; contubernales iactant: quorũ vita sæpè est sceIestissima. Sed quid isti habent egregium præ cæteris aut eximium, quorũ nomẽ superbum est, religio arbitraria, vocatio illegitima, preces superstitiosæ, prædicatio humana, vestitus monstrosus, maiores Pharisæi, Menandrini, Apostolici, aliique religiosuli quos diximus: ex quibus omnibus hic Iesui-

Iesuitæ. Iesuatæ.

In Anthrop. li. 21.

E. de sectis Monach.

Iesuitissimus conflatus esse videtur, nisi quòd omnes Franciscanos & Prædicantes & Mendicantes se longè à tergo relinquere immodico sui amore inebriati arbitrentur? Quæ est ista demum prærogatiua istorum nouorum Legatorum, vt in hanc Ecclesiam audeant illotis pedibus irrumpere, & à communione nostra Anglos alienare, & ad suam societatem seuocare? An sine illis salua esse nõ potest Anglia? Scilicet homines phreneticò illi similes, qui manus suas ad astra sursum tendens ne ad horam quidem voluit demittere, ne cœlum caderet. Sic isti se Atlantes solos aut instauratores esse imaginantur nostræ Ecclesiæ. Atque dicent fortassis quod in Iudicio publico responderim intelligo Iesuitã Campianum: Quorsum hæc alieniora & remotiora? Vetera sunt: obsoleuerunt: nos minimè attingunt: neque ad nos qui tum nati non sumus, vllo modo pertinent. Minorem & hypothesim requirimus, quomodo sit cum rebus ac rationibus nostris coniunctum. Iterum profiteor me subticere malle, quàm vllũ crimen vel verum vel falsum in illos conijcere. Ad acta Iudicii publici vos remitto, vbi sub Iudicibus æquissimis litigarũt, & causam suam audacter satis egerunt, & infœliciter nimis causa cecideruntEd. Campianus.

Sed tamen cùm ex similibus fieri soleat iudicium: Cùm Maiorem bene propositam, Minor non malè sequatur: & ex iis rectè conclusio inferatur: Cùm satis confirmatum sit, hostem humani generis diabolum, quibus potest viis & viribus syncerę religionis cursui remoras omnes iniicere: ei in hoc opere Põtifices Romanos succurrere & succenturiari: istorum Legatos esse & fuisse, Monachos, Cardinales, Sacerdotes, Iesuitas: & omnes in hoc conspirare, vt discordias cõcitent, principibus amplectentibus Euangelium

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduersentur, suiq; Pōtificij regni fines & opes amplificent: & inter illos antiquiores, & istos neotericos nihil interesse: sed viperas nasci de viperis; & de homicidis patribus homicidas filios & posteriores esse solere peiores prioribus: vt de illis Siculis reguli nō imprudēter dixit Dionysio Regi vetula: hinc vos potestis de aduētus istorū causa, & de hoc iniquitatis mysterio augurari.

Hieron. in Matth.

Verùm ad causam propius accedam, & ad nostram remp. Etsi fama volitat Gregorium hunc decimumtertium Pontificem Roman. seniculum non esse Gregorium, non Vigilantium, sed Dormitantium, & in hac rerum communium cogitatione non multum excubare, nec his curis se valdè macerare, sed cuticulam curare, filium locupletare, & verè esse, vt propriè nominatur, *Bon Compagnon*, Bonum Socium, ita vt Primatium Ecclesiæ Pastorem decet: tamen inueteratum Diaboli odium in Ecclesiam, perpetua rerum gestarum historia, continuata Romanæ Curiæ praxis, & hoc Religiosorum speculum quod hactenus proposui, faciunt, vt propemodum credam Scorpionem illum quantumuis dormientem ab aliis ad aliquod insigne facinus perpetrandum expergefieri potuisse. Nam Tridentinū Concilium aliquid monstri diu parturiuisse, & alicubi etiam peperisse non est ignotum. Forma Iuramenti qua se illic obligantur, in vulgus & in lucem exiit: omnes coniecturæ conueniunt & congruunt, vt conciliabulum non concilium, Syncretismus non Synodus rectè iudicetur. Ex quibus omnibus intelligi potest, ex hoc Romano & Remēsi Seminario, malorū quædam semina initio occultata, pòst aliquos fructus inobedientiæ, contumaciæ, rebellionis produxisse: Pontifices intus totos iā diu conflagrasse, & irarū æstus animo cōcepisse

Gregor.13.

Trid.con.

cepisse, quarum alibi scintillas emicuisse, alibi flāmas erupisse vidimus. Quid contra nostros Principes sæpius tentatum sit, superius attigimus, & plenius ostēdere liceret. Quid nuper ex Arce Capitolini Pontificis contra patrem Henricū Octauum, contra filium Edouardum Sextum, & Elizabetham filiam eiaculati sint, cæcus qui non videre, stupidus qui non palpare possit. Memoratur in vita Pauli 3. de Henrico Patre, eum Clementi Septimo iratum hinc eiecisse: Roffensem Episcopum, & alios capitali supplicio affecisse: monasteria diruisse: Inde cōmotum Pōtificem, quem antè Leo Decimus titulo defensoris fidei ornauerat, eū veluti omnis religionis Catholicæ desertorē, & hæresis Lutheranæ sectatorē anathemate percussisse, & regno priuasse. An putatis hunc Papæ Anathematismū hodie à Romanis Pōt. obliuioni traditū? Imò de hoc intestino & plus quàm Vatiniano Paparū odio verè Onuphrius, Malefactorum omnes sumus tenacissimi, benefactorum pluma leuior est gratia. Non potuit hoc regis inuictissimi præclarissimū in exterminando papatu fāctū ex Papistarū memoria deponi, adeò altè animo insedit, adeò omnes illos incendit, vt propterea hostis (ipsorū iudicio) habeatur, Turcarum rege lōgè infestior. Nec latere potest illa Cardinalitia ad Carolum Quintum Cæsarē oratio, qua hortatur eum Anglorum Regem Henricum potius quàm Turcā bello aggredi, exaggerat Papatu exturbato in Anglia sparsum esse semen Turcicum: quoque acriores stimulos admoueat, persuadet Anglis non deesse spiritus, in Anglia legiones Catholicorum adhuc delitescere, quæ paratę sint pœnas de illo sumere: quomodo etiam nostri Iesuitæ hodie suis fidem facere, imò vana spe simplices lactare conātur. Monet igitur & rogat Cæ-

Henric.8.

Onuphr.

Card. Pol. l.3. ad H.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sarem, vt Reip. Romanæ afflictæ & affectæ succurrat, vt copias, vires, auxilia non in Hellespontum, non ad Turcarum Regiam Constantinopolin, sed in Angliam patriam suã quæ ipsum aluit, contra Henricum suum Mecœnatem, qui eius studia benignitate sua Romæ fouit, dirigat ac quàmprimùm conuertat, ne maiorem Ecclesiæ Rom. perniciem inferat: Sic enim ille buccinator & belli tubicen, *Tùne igitur Cæsar hoc illi spatij dabis? &c.* Nec leuiora sunt quæ de Anna Bullena pia & electissima fœmina Sereniſsimæ nostræ Principis matre Henrici coniuge refert, ab illa scilicet Regis animũ hæresi infectum, ab illa venenũ hoc primum, in intimas eius medullas infusum fuisse. Põtificii iugi profligationẽ venenũ, & religionis repurgationem hæresim appellant.

Anna Bullena.

Vtinam tali Reginæ longior vita contigisset: vtinam regii fauoris aura aspirante, hoc reformationis negotium fœlicius promouere ac perficere potuisset. Nam quod ille Cardinalis Anglus & Onuphrius vitio ei vertendum putant, id meo iudicio in summa laude ponendum est. Omitto Edouardi nobilissimi Regis tempora, quæ sereniſsima fuissent, nisi quòd hæc Pontificiorum obstinatio ciuilibus bellis Remp. lacerans hanc solam nubeculam offuderit.

Edouar. 6.

Venio ad Elizabetham Ecclesiæ nostræ egregiam nutricem, dignam parentibus filiam, quæ in tanta sua alioqui fœlicitate & Domini benedictionum affluentia, nec sibilos, nec dentes, nec morsus nec ictus Antiqui serpentis effugere potuit. Bulla sanguinaria Pii Quinti ante aliquot annos publicata est, in qua Henrici Inuictissimi Regis famam depopulatur, nobilissimam Reginam, flagitiosè hæreticam, & quid non, appellat, Regno maculam inurit, Protestantes omnes per

R. Elizabetha.

Bulla Pii Quinti.

latera nostra vulnerat, Dei gloriam, verbi veritatem, Euangelij synceritatem deprauat & vellicat, quò fidem in Christum, obedientiam in principem excutiat: Principem fortunis, corona, vita spolieț: quò argentum nostrum in scoriam, vinum in aquam, regnum nostrum in Papatum suum, nos ad se, ligones in lanceas, falces in enses, enses in viscera nostra conuerteret.

Bvllam quam habeo, coniunctè & conſertè non apponam integram: sed eius summam omnésque partes discerptas denudabo & subijciam oculis omnium: vt Thrasonicam Papæ iactantiam, Luciferi superbiam, Phalaridis tyranni dem, Antichristi viuam picturam videant: in qua appellat, SENTENTIAM DECLARATORIAM « CONTRA SERENISSIMAM ELIZABETHAM « ANGLIÆ REGINAM ET EI ADHÆRENTES « HÆRETICOS. QVA ETIAM DECLARANTVR « ABSOLVTI OMNES SVBDITI, À IVRAMENTO FIDELITATIS ET QVOCVNQVE ALIO DEBITO, ET DEINCEPS OBEDIENTES ANATHEMATE ILLAQVEANTVR. Romanæ Religionis animaduertitis lutum, lacunas & labes, quas hæc Sancta, Catholica, & Ap. Ecclesia euomit, & subditis aspergit: perfidiam, periuriũ, inobedientiã: virtutes scilicet Romanistarũ proprias & germanas? Animaduertitis hic esse reipsa verũ quod verbis clarissimis olim significauit Laurentius Valla, Romã scholam esse, in qua liceat mentiri, fallere, iurare, peierare? Animaduertitis quomodo non scelerati, non rebelles, sed fideles & obedientes Angli anathematis laqueo Romæ cõstringantur: Romæ excommunicatione feriantur? Romæ diris omnibus deuoueantur? Romæ Satanæ tradantur? & infra omnes impios mortuos mandentur, & in orcum vsque præcipitentur? Cùm sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit, interdicit, imprecatur, execratur, Homiliã quã aduersus Anathematismos Chrysostom⁹ scriptã reliquit, homo minax & furiosus non satis aduertit. At quis tãdẽ est qui sic perbacchatur? PIVS EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Prodigii certè quidem simile mihi videtur, seruum regnare, imò seruum seruorum Regem Regum fieri, Reges è solio suo regio deturbare, non iam à remo ad Tribunal, vt dicitur, sed ad regna ascendere? Næ iste seruus superbus est & diuino flagello castigandus, qui serui conditionẽ vocabulo agnoscit, factis negat: qui Seruus Seruorum vocari vult, & Apostolicus & tamen cum Apostolo seruus Christi nec dici nec esse auet: qui verè & hominum & hypocriseos, & flagitiorum omnium seruum se esse, hoc titulo declarat: de quo, Heroico spiritu & quidem meritò, dixit olim Imperator Christianus Friderieus 2. etiam illis temporibus dissimulationis Papisticę inuolucra perspiciens: Se nõ passurũ amplius, vt Christianæ plebi lupus ouilla pelle tectus imponat. Aᵇ perpetuam rei memoriã: Quàm vanus vates factus est Bileam Romanus? Memoria illa iã obliuione sepulta est: periit ipsius Pontificis memoria: Reg. Elizabetha viuit, valet, regnat, & diu spero regnabit, sed Pius Papa & valetudine & primatu & vita orbatus, commorsus à vermibus, certè à morte cõfectus & corrosus occubuit. Inscriptioni seruili & hypocriticæ subiũgitur Principium in sublimi dicendi genere collocatũ, amplum & exaggeratum, REGNANS IN EXCELSIS cui data est omnis in cœlo & in terra potestas, vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nullæ est salus, vni soli in terris, vz. Apostolorum Principi Petro, Petriq; successori Rom. Põtifici in plenitudine potestatis tradi-

Auent. l. 7. Annal.

tradidit gubernandam. Hunc vnum super omnes gentes & omnia regna principem constituit, qui euellat, destruat, dissipet, disperdat, plantet & ædificet, vt fidelem populum mutuæ charitatis nexu constrictum, in vnitate spiritus contineat, salũumque & incolumem exhibeat saluatori. Quo quidẽ in munere obeũdo nos ad prædictæ Ecclesiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus omni opera contendentes, vt ipsa vnitas & Catholica religio (quam illius author ad probandam suorum fidem & correctionem nostram tantis procellis cõflictari permisit) integra conseruetur.

Τραῦς ἀνασκιρτήσασα πολὺ κονιορτὸν ἐγείρει:

Aniculæ non dissimilis Pius seniculus inconcinnè saltitans: & corhurno suo fastuosè incedẽs quantum excitat pulueris? De regno Dei, Principatu Petri, deq; Successorum prima Cathedra, de Hieremiæ supra omnia regna dominatu, de suo gubernaculo dũ ineptè gloriatur, quales & quantos nobis offundit fumos?

REGNANS IN EXCELSIS: Verissimè: Regnat Dominus: Lætatur igitur terra, exultant Insulæ multæ: gaudet & triumphat Anglia: quia regnante Domino, reguntur & frenantur Pontifices, domantur feroces, seruãtur Principes, defenduntur respublicæ, euadit salua & incolumis Regina: quam vnxit, eam propugnat & vindicat, ne Papa digitulo suo possit tangere. Quis enim Regi vniuersorum eripiet regni sui incolas & hęredes? Nec in porcorum gregem Diaboli Legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset: tantum abest vt in Dei oues habeat: Possum dicere, porcorum quoque setas tunc apud Deũm numeratas fuisse, nedum capillos sanctorum, vt perscitè & persuauiter Tertullianus,

Psal. 97. Examen particulare Bullæ.

Ter. de persecutione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui passeres curat ne in terram cadāt: qui ouium, porcorum, setarum, pilorum nostrorum rationem habet: vnctos & Christos suos, pastores ac principes omnium hominum libidini & faucibus exponet? REGNAT DOMINVS, & Plena est terra Maiestate eius qui Dominus est exercituum: & ideo inuito Pio regnat Elizabetha, optimè agitur cum Ecclesia, quia suæ bonitatis scuto, suæ fortitudinis clypeo, nos, reges, Ecclesias coronat & vndiquaque communit. VNI PETRO Ecclesiam totam commendauit? Rex hic habenas regni sui vniuersalis Petro tradidit? Ecclesiam Catholicam vni Petro Apostolorum Principi gubernandam delegauit? An tum quando dixit, Vos autem non sic? An tum quando Petro ait, Non Rege, sed, Pasce oues & agnos meos? An Pastor ouium Romana lingua Regem propriè sonat? An Rex erit Catholicæ Ecclesiæ? An tum, quando eum piscatorem hominum cōstituit? Petrus regnat vbique? & præest vniuersæ Ecclesiæ? At ipse negat, qui se vocat Sympræsbyterum, & alios in clerum dominium habere vetat. Negat Scriptura: vbi enim dedit? In Clauium traditione. At enim illæ Claues: an Petro soli datæ sunt? an non erant potius illi cum aliis communes? Pius tantus Ecclesiæ Rector ignorat verba Christi exponi à Ioanne, non illam potestatem penes solum Petrum residere, sed ad alios omnes Apostolos eorúmque successores nō Romanos solos, sed vbique locorum degentes pertinere? An nescit dictum in numero multitudinis, Sicut Pater me misit, ita ego mitto Vos? An ignorat omnibus insufflasse? Dixisse omnibus, Accipite Spiritum Sanctum? quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt? Clauium vsum ibi cōmonstrari, vt claudant, vt referent: id est, vt peccata vel retineant,

Iesa. 6.

Pastor quid.

Luc 5.

1. Petr. 5.

Matth. 16.

Claues.

Ioan. 20.

neant, vel remittant ministerii ratione, nō magisterii autoritate? Sed adiicit Bulla, non Petro soli: sed Petri successori Rom. Pontifici datam esse hāc plenitudinem potestatis. De successoribus Romanis cur audet Bulla blaterare? qui ne nominantur quidem? nisi quatenus eo spiritus afflatu inspirantur diuinitus: quod & multis aliorum locorum & cathedrarum doctoribus clementissimus Dominus largiter dona dans hominibus impertiuit, quippe apud quem nullus est personarum respectus, nec ex personis fidem, sed ex fide personas esse probandas Tertullianus docuit. Nec ergo personarum nec locorū successio, quicquam valere apud homines pios & cordatos debet: nisi stultè cum Pythagora credamus μετεμψύχωσιν: qua Petri anima, Petri dotes, sanctitates, in omnes Syluestros, in omnes Hildebrandos, in omnes Sergios, vel ora porcorum, in omnes Leones, Pios, Iulios, Gregorios, Petri scilicet successores transfundantur & demigrent. Imò vt Iuris habet regula, Quod ipse (Petrus) non habuit, in alterum transferre non potuit. Non accepisse Petrum solum claues, iam effectum est: & ex Origene & Cypriano & aliis probari facilè poterit. Et quomodo Pius nobis persuadebit successores omnes habere à Petro suarum clauium priuilegium & eminentiam? Papa qui propius à Petro aberat, qui Pio antiquior est, aliter determinat, si tamen illi Decretali epistolæ suæ velint credere. Hæc Apostolica Sedes, cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & NON AB ALIO est constituta. Si dedit, cuinam dedit? Clementi. Sic enim Clemens ipse ad Iacobum scripsit, ex oratione quam habuit ante mortem Petrus, Audite me Fratres, Clementem hunc Episcopum

Act. 10.

Anacletus Epi. 1.

Testamẽtum Petri de sua Cathedra.

vobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado. Debile fundamentum fallit opus, inquiunt: Et quod ab initio non valet, temporis diuturnitate non conualescit. Si prima donatio vana & ruinosa sit, quo iure successores sibi vendicare poterunt? Clementi dedit? Imò verius Lino. Malo enim Eusebio, quàm Clementi, in sua causa papaliter loquenti credere. Ille scripsit Linum duodecim annis præfuisse: postea Romanæ Ecclesiæ MINISTERIVM Anacleto tradidisse: Anacleto post duodecim annos quibus Romanus Episcopus fuerat, Clementem successisse, Clementem non à Petro accepisse, sed ab Apostolis tertium fuisse. Et si in hac Confessionis formula contineatur, soli Clementi eum donasse, de successoribus autem Romanis nulla mentio iniiciatur: quæso quo modo, qua ratione, qua Lege, quo legis titulo, quo Paragrapho, qua litera, quo apice in hanc suam possessionem deuenient? Sed quid obsecro dedit? Doctrinæ & prædicationis suæ cathedram. Quando Pius, quando Gregorius, quando Pauli, quando Iulius Secundus magnus ille Bellator prædicarunt, quando docuerunt? Aut si aliquis aliquando suggestum conscendit, quid docuit? an Petri prædicationem? Hoc verbum Dei Petrus tanquam depositum reliquit, hoc Clementi commendauit, hoc, non aliud Testamento suo legauit: At verò docent illi quæ Petrus nec vigilans, nec somnians vnquam vidit. Docent anilem Purgatorij fabulam: hominũ consilia & inuenta: suas & suorum Decretales epistolas: Estnè hoc Petro in doctrinæ cathedra succedere? docent sua opera, suos titulos vniuersales & magnificos, suas prærogatiuas, quas cùm insano Esauo nolunt vendere, nec pio Iacobo communicare. Vnde hoc? Num etiam à Petro? Audiamus

Donatio cathedræ vana ex Epi. Cle. Eusti 3. cap. 13. c. 34.

Cathedra Petri.

diamus ipsum Clementem in sua Epistola se ac "
omnes suos successores ore Diui Petri pudefa- "
cientem, & nulla Aquæ Lustralis aspersione, "
nullo modo, nullo tempore eluendam maculam "
inurentem.

Neque Iudicem aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus: vti ne præfocatus præsentibus horum curis, non possis verbo Dei vacare. Quid ergo dedit? Non Regnorum distributionem, non spolia, non claues aureas, vt regna à gente ad gentem, à Principe ad Principem transferat: Domini Dei est terra & plenitudo eius vniuersa: Domini Dei solius digitus in pariete exarare potest, MENE, MENE, TEKEL, V. PHARSIN, quia illius est Regna numerare, appendere, diuidere. Taceo quòd hæc larga Donatio ex multis mendaciorum sutelis composita est & consarcinata. In illa Epistola sic habetur: Petrum esse fundamentum Ecclesiæ: quod arrogantissimè dictum esse omnes existimare possunt. Licet enim Tropicè Apostolos columnas Scriptura Sancta, Fundamenta Chrysostomus quoque alicubi vocet: tamen fundamentum singulariter vnum hominẽ appellare, & hominem fundamentum Ecclesiæ aut catholicum Caput nominare, idem Chrysostomus prohibet, ne super hominem ædificetur Ecclesia. Fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Huius farinæ est & illud vanissimum dictum, de Iacobo Apostolo Episcopo Episcoporum regente omnes, quæ vbique diuina prouidentia fundatæ sunt, Ecclesias: quod tamen Pontificium solium non stabilire videtur, sed labefactare, illudque non Romæ sed Hierosolymis erigere.

Dan. 5.

Epi. Cl 1.

1. Ephe. 2.

1. Cor 3.

Sed illa quàm pudenda, quàm crassa vanitas! Petrus in mandatis dat Clementi vt Iacobo de sua morte scribat, ei suas varias conciones explicet, ipsum Clementem successorem à se renunciatum esse indicet, de suo martyrio quod tum imminebat certiorem faciat. O vanitatem vanitatum! Nam Iacobus ille septem plus minus annis ante Petrum occisus est: nisi fortè per aliquē Nicolaum (vt in Moscouia quandoque fieri aiunt) literas illas perferri & transmitti voluerit in Paradisum ad Iacobum mortuum. Quare nec donationis firmitas, nec historiæ veritas, nec illarum Epistolarum autoritas, nec Successorum conformitas, nec vlla rationis vel sanitas vel probabilitas efficiunt, vt à Petro eam cathedram sic Clementi contraditam, & à Clemēte omni deinceps insequenti Romanæ sedis occupatori fuisse com-
Hier. ca. 1. missam, facilè in animos vestros inducatis. Sed e-
Locus nim ex Hieremia conuincit Pius, HVNC VNVM
Hieremię Petrum cum successoribus omnibus Regnis prę-
expendi- fici, vt euellant & destruant, vt disperdant & dis-
tur. sipent. Eminentia ciuilis & carnalis exigitur, & ratio non spiritualis sed carnalis adducitur. Aedificandi, destruendi, plantandi, euellendi figuram, esse in Scripturis familiarissimam & receptissimam, & è medio petitam, & à rebus communibus & agrestibus desumptam, quis est qui diffitebitur? Et adhuc iste, tanquam apud Theocritum Piscator, suo de pisce aureo somnio se inaniter pascet & pueriliter oblectabit: hoc hamo ciuitates, regna, ditiones attrahere & piscari se posse autumabit? Piscatio seu dominatio Hieremiæ planè spiritualis erat & prophetica. Sic enim Regna plantauit & ædificauit, quomodo Iesaias plantans cœlos & fundans terram, quomodo Paulus plantans & Apollo rigans: quomodo Co-

do Corinthij Dei agricultura, Dei ędificatio fue- 1. Cor. 3.
runt: quomodo Seruator metaphoram eandem extulit, Omnis plantatio quam non plantauit Pa- Matth. 15.
ter meus cœlestis eradicabitur: quomodo ipse Deus suis figuris aliorum verborum lumen clarius hoc eodem in loco intulit, Ibis & vniuersa quæcūque mandauero tibi loqueris &c. Ecce de- Hiere. 1.
di verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes & super Regna &c. Eugenium An- De cōsid.
tecessorem Pij subtaxauit & submonuit Bernardus, Opus non Regium esse faciendum sed rusticum, cogitandum Prophetæ, Apostolo, successoribus eorum non de Sceptro sed de Sarculo. Illę bonus Hieremias qui Regibus se subdidit, qui in carcerem coniectus est, cui omnes Principes, plebeij, viri, fœminę, Maiores, Minores obloquū- Hierem.
tur & obganniunt, Regia pompa & purpura aut 44.
Pontificali Infula fulgens, reges tanquam Papa rexit, an in plenitudine potestatis gubernauit? Sed quid isti quærūt, aut quid sibi volunt fanatici homines, qui ante Christum natum Christi vicariam Iurisdictionem sibi arrogant & ab ipso Hieremia sui Papatus initia deducunt? Ea planè fuit nuper cuiusdam hominis simplex fatuitas Wintonię, in concessu Iudicum, qui ab Eliæ igneo curru, ab Elizeo, ab Ezechiele, ab ipso, credo, Adamo, & Eua originis suæ propaginē deriuauit. Videte in quas voragines se immergāt homines imperiti, dum in aëre vagantur, & terrā nō attingūt, & quæ extra oleas sunt, tractantes, de prophetis, de Christo, de Petro, de aliis declamitantes, ad quęstionē propositā de Papæ legitima possessione non descendunt. Sed quid mirum non sapere membra, cùm caput ipsum insaniat? Iam verò cùm nec à Deo in excelsis regnante Petrus, nec à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petro Clemens, nec à Clemente, nec à Lino, nec ab Anacleto posteriores Episcopi Romani hanc ampliſſimam & abſolutiſſimam poteſtatem acceperint: quid eſt quod nobis Pius tanquam Pica de ſua ad Eccleſiæ ſummum gubernaculum vocatione occinit? ſe ad hoc munus obeundum Dei benignitate adſcitum eſſe: ſe nullum laborem intermittere, omni opera cõtendere, vt vnitas conſeruetur. Sed quæ ſit illa Picæ huius pietas, ſententia quæ ſequitur declaratoria & peremptoria, vt loquuntur, nobis faciet manifeſtum & planiſſimum. Conqueritur enim IMPIORVM NVMERVM tantum inualuiſſe, vt nullus iam in orbe locus ſit relictus, quem illi peſſimis Doctrinis corrumpere non tentarunt, adnitente inter cæteros Illuſtriſſima noſtræ Angliæ Regina Elizabetha, (quam ſeruam flagitiorum & prætenſam Reginam petulanter & impudenter appellat) ad quam velut ad Aſylum omnium infeſtiſſimi perfugium inuenerunt. Expoſtulat, Henricum Octauum religionis deſertorem eſſe: hanc Regno occupato Supremi Eccleſiæ Capitis locum in omni Anglia ſibi vſurpaſſe: Regium concilium ex Anglica Nobilitate confectum diremiſſe, illudque obſcuris hominibus hæreticis cõpleuiſſe: Catholicæ fidei cultores oppreſſiſſe: improbos cõciona-tores repoſuiſſe: Miſſæ ſacrificium & eiuſdem generis alia aboleuiſſe: Epiſcopos Catholicos ſuis Eccleſiis & beneficiis eieciſſe: vt Romani Pontificis autoritatẽ omnem atque obedientiam abiurent, ſeque ſolam in temporalibus & Spiritualibus Dominam agnoſcant, iureiurando coëgiſſe: nuncios Romanæ ſedis in Angliam traiicere non permiſiſſe. itaque ipſum ad arma iuſtitiæ neceſſariò iam conuerſum, Autoritate Dei qui ipſum in hoc iuſtitiæ THRONO collocarit ſuffultũ, declarare

Pius. 5. Petri ſucceſſor, quomodo?

Epitome querelarũ Bullæ.

rare hanc & omnes ei adhærentes Anathematis ſententiam incurriſſe: & omnes ſubditos, qui monitis eius & mãdatis obedire voluerint, eadẽ ſententia INNODARE &c. DATVM ROMÆ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingẽteſimo ſexageſimo nono, quinto Calendas Martij.

C. Clorierius.
H. Cumyn.

Cui ne quid deſit, adduntur Petri & Pauli quæ Romanæ cathedræ tutelares quaſi dij & Patroni ferè ſoli numerantur, Inſignia.

Henricum Octauum beatæ Memoriæ Regem qui Biblia Pontificum cęcitate & malitia è Templis eiecta piè reſtituit, qui Papæ caput in hoc Regno fortiter circumcidit, qui ſuum in ditione ſua honoré Põtifici Romano prudenter non dedit, ſed Chriſtum tantummodo Vniuerſalis Eccleſiæ caput humillimè agnouit, & promulgauit, qua fronte, quo ore deſertorem & euerſorem veræ Religionis aſſererit? Recogitent tandem ſuperbi aliorum contemptores Romani, & diſcant ſi non à Chriſto, ſaltem à Chriſti veris miniſtris & magiſtratibus & à Regibus ſuam Apoſtaſiam. Diſcant ab Henrico Quarto Cæſare, in vno Hildebrandi exemplo tanquam in ſpeculo ſuæ deſertionis turpitudinem, qui coacto procerũ concilio, congregata Epiſcoporum Synodo, & aduocata populi concione palàm illum Põtificem tanquam lupum, furem, latronem, perfidum, tranſfugam, ouium DESERTOREM, gregis proditorẽ, charitatis oſorem, omnium communi conſenſu abdicauit. Regalis ſanè & digna forti Chriſti

Henric. 8.

Auent. l. 5. Annal.

Imperatore contra hunc seruum seruorum & vitiorum, Christianæ pietatis hostem, sententia. Nunc vestri iudicij cãdorem requiro, vtri de hoc Desertionis crimine, Regine Henrico Quarto cõtra impium Hildebrandum, an Papæ nomine Pio contra Regem hac de causa verè Pium Henricum Octauum, subscribendum putetis? vtra sententia Regalis an papalis debeat præponderare? Hæc EADEM Regno occupato Supremi Ecclesiæ Capitis locum in Omni Anglia eiúsque præcipuam authoritatem atque iurisdictionem monstruosè sibi vsurpat. Hìc absolutam Papæ in mentiendo potestatem & plenitudinẽ attendite. Non caput Ecclesiæ supremum se Regina Serenissima insigniri aut proclamari voluit: sed planè id nominis refugit & abnuit: quanquam cum Henrico patre & cum aliis in Scriptura sacra Magistratibus sui regni Caput figuratè dici potuisset: Ergo vtrũ sic mentiri, sit in Papa error an peccatum, viderit ille nouus Anonymus Autor, qui in libello suo de Persecutione Anglicana duo illa tam argutè distinxit. Summam Moderatricem & Gubernatricem libenter vocamus, & submissè honoramus, & vt quàm diutissimè ea frui possimus, ex animo comprecamur.

Caput Ecclesiæ.

L. de persecutione Anglicana.

Res Ciuiles & Ecclesiasticas procurat? Nõ vult eruditissima Princeps sibi sapere: vult ciues suos eiusdem Diuinæ sapientiæ & salis esse participes: Nouit Regum munus esse geminum, rectè & religiosè Deum colere, & eandem cultus syncerit atem populo suo proponere. Nouit suum esse officium erudiri & intelligere, seruire Domino in timore, exultare ei cum tremore, osculari Filium, & ad eadem officia & sancta oscula omnes suos subditos inuitare. Quod ad se attinet, nouit illud Bernardi ad reginam Hierosolymorũ. Quid prodest

prodest paucis diebus regnare super terram, & regno cœlorum æterno priuari? Quod ad alios pertinet illam eiusdem Bernardi sententiam recolit, Quid habeat emolumenti homo, si proximus eius ardeat in inferno, aut quid perdiderit, si secum fuerit in Paradiso? Nouit Diuini ignis hanc esse naturam, vt erumpat, vt ardeat, vt ad alios caloris aliqua vis & consolatio perueniat. Vult non se solam in Regno illo cœlesti sistere: sed hoc vult, vt ipsa Regnum suum illibatum & integrum & totum tradat Christo Regi Regum, Christus patri, vnáque cum ipsa omnes proceres, nobiles, totúsque populus omnes suas coronas cum illis in Apocalypsi Senioribus in Throno sedenti offerant. Estnè Romæ in principe flagitium, rerum Ecclesiasticarũ aliquam rationem habere? aliquam religionis partẽ attingere? Hoc monstrosum Pius Quintus esse indicat? vt pia Debbora Israelem iudicet: vt Elizabetha singulari Dei fauore, hæreditario iure, Legitima successione, omnium ordinum summorum infimorum consensu, & congratulatione Thronum Regalem conscendens, doctissimorum hominum consilio, Leges salutares populo det, & ex verbo Dei animarum salutem & religionis negotium promoueat? Non erat sic visum antiquissimo Antistiti Romano Eleutherio, nec dedignatus est vt esset Lucius Rex in suo hoc Regno Episcopus. Nec erat monstrosum in Constantino Imperatore etiam nostro, qui se ministrum Dei appellare non erubuit: & vt Episcopi casti, orthodoxi, humani essent, prouidit, & fidem Christi Catholicam omnibus commendauit & glisscentes quascunque hæreses repressit. Quòd si quis, inquit, audacter incõsultéque ad memoriam, ad laudem pestium illarum exarserit, illius statim audacia

In Sent. "
"
"
"

Verbum ignis.

Iud. 5.

Theod. Eccl. h. 4. c. 19.

„Ministri Dei, hoc est, mea executione coërcebi-
„tur. Augustinus contrà hanc Diuini officij negle-
Ep.50. „ctionem monstrum esse credidit : Posteà verò
„quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et ado-
„rabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes
„seruient illi, quis mẽte sobrius Regibus dicat, No
„lite curare in Regno vestro, à quo tueatur vel op
„pugnetur Ecclesia Domini vestri, nõ ad vos per-
„tineat in Regno vestro, quis velit esse siue religi-
„osus, siue sacrilegus?

„ Asylum infestissimorum hominum esse An-
Anglia Asylum. gliam clamat: imò bonos profugos recipit, ciui-
bus suis nõ corruptas doctrinas proponit, sed fon
tes diuinæ Scripturæ aperit omnibus piis lucem
verbi per suas leges & per earum administros ac
cendi discupit, gratulatur sibi, suis, exteris, Dei
bonitate, non impios, nõ hæreticos sed pios, Dei
& veræ Religionis studiosos perfugium atq; por-
Act.28. tum inuenisse. Sic enim decet, quoniam Insulæ re
cipiunt naufragos, vt Melitenses Paulum & alios
pios hospites: & in Insulis aqua dulcis reperi-
In Ps.79. tur, vt Hugo non pessimè annotauit. Olim Asy-
lum miserorum & Confessorum fuit Roma vetus:
quæ postea degenerauit, & in speluncã latronũ,
in hæreticorum seminarium & sentinã iusto Dei
Iesa.1. iudicio cõuersa est. Quomodo facta est meretrix
Ciuitas fidelis? Quod ergo Roma noua, dura
mater non vult, id faciat Anglia, Christi amicos
foueat, & protegat: Habeat illa suam Phyllida:
habeant Pamphili Glycerium, id est, profugum
Seminarium: patiatur Angliam Christianorum
exulum esse hospitium.

Regium cõsilium. Simile monstrum & mendacium est dẽ Regio
Consilio quod ex Anglica Nobilitate Mariæ
temporibus confectum nostram Principem di-
remisse, illúdque obscuris hominibus hæreticis
comple-

compleuisse criminatur: & hæc apud omnes na-
tiones perspicua & notoria esse, hæc quamplu-
rimorum testimonio comprobata non dubitat
asseuerare. Itáne verò in nostra Republica Lyn-
ceus, itáne in Curia, & Consilij Regij secretissi-
mis penetralibus oculatus est Pius, qui Romæ do
mi suæ cæcus fuit? & hîc voluit esse curiosè dili-
gens, in suis rebus & in suæ Ecclesiæ administra-
tione tam portentosè negligens? Consilium Re-
gium ex senioribus & grauioribus etiam Ma-
riæ senatoribus collectum est, ex flore Anglica-
næ nobilitatis lectum, omni humanitatis &
prudentiæ laude cumulatum: summa linguarum
& literarum cognitione perpolitum: Religio-
nis verò & pietatis studio purpuratis Pij Quinti
patribus anteferendum, vt & honorificum & li-
teratum & sacrum Consilium & dici & haberi
mereatur. Quod aliæ Nationes, quæ nobiscum
contraxerunt, perspiciunt & confitentur: & Pius
& Pij successores sua spe toties frustrati, dolis, ar-
tibus, practicis ipsorum infœliciter hactenus ca-
dentibus, republica nostra piè, pacatè, pruden-
ter admipistrata, omnibus Romanis Achitophe-
litis Dei misericordia per hosce electissimos Cõ-
siliarios infatuatis, si muccosi & obesæ naris non
essent, subolfacere potuissent.

Catholicos oppressit? Omnes qui ad Deum Crux ca-
Patrem nostrorum & ad veræ Catholicæ Eccle- tholico-
siæ sinum redire voluerunt, in gratiam clemen- rum.
tissimè recepit: renitentes custodia liberati
detinuit ne nocerent: è carcere nõ vt illi Mariani
persecutores ad rogum, sed in domos Nobilium,
ad mensas Episcoporum sæpenumero eduxit,
vt liberiore cœlo vterentur, vt honestè tractarẽ-
tur, vt domestica cõsuetudine & amica collatio-
ne in viã reducerẽtur. Sed mirari satis nõ possum,

quid sit quod Pius effutiuit de suis: eos diuturno languore & tristitiâ confectos, miserè vitæ diem finire? cùm alii libenter eos mortem oppetere glorientur? Enimuerò languore, tristitia confici, & miserè mori, haud scio an existimari possit conscientiæ bene compositæ argumentum, aut signum satis certum verorum & constantissimorum Martyrum: quicquid ille nouus scriptorculus persecutor persecutionis Anglicanæ contra doctissimum & modestissimum virum Doctorem Fulcum obtrudat. De illis temerè nõ iudicamus. Nouit Deus qui dedit in hanc vitam ingressum, etiam fœlicem egressum in extremo halitu in spiritu compunctionis & pœnitentiæ concedere. Tristis fuit anima Christi vt hominis ad mortem, propter peccata non sua sed nostra: nec tamen miserè vitam finiuit. Siquis eorum obstinatior, sacræ Principis Maiestati inobedientior, aut morosior, aut publicæ pacis facto, dicto scriptõue perturbator, vel in illa inclusione vel in hac libertate diem suum ætate ingrauescente, Deo euocãte obiit: ille naturæ cessit: Papa suorum Catholicorum amissione ringatur & rumpatur: nos de iis factum esse quod fieri Dominus voluit, & multis vomicis Reipublicæ corpus reuelatũ esse, quia homines sumus, dolemus, sed propter Ecclesiæ bonum in lucro deputamus. Quid est autem quod Pius toties inculcat, hæreticam Regi-
nam? Hæreticos ei adhærentes, in hæreticos homines res Ecclesiasticas dispositas: consilium refertum hæreticis? Scio nunc definitore Pio quid sit hæresis: quia Pium exclusimus, quia Pii superstitiosa ieiunia, quia missæ sacrilega sacrificia, quia Pii preculas Latinas & impias, quia ritus Pii superstitiosos aboleuimus, quia mysteria & instituta ad Caluini scilicet præscriptum suscipimus

In Epist. ad Heranum de persecut. Angl. Doctor Fulcus.

Hæretici.

pimus & obseruamus, quia Pseudocatholicos Pii Sacerdotes quasi serpentes in gremio non fouemus sed coërcemus: quia Principi fidem & obedientiam iurando obligamus, Pium & Papas abiuramus: hinc ista Bulla, hoc vlcus, hic Dolor, hîc Digitus, hîc calamus Papæ est: hæc Catholica & perfecta descriptio hæresis. Hæresis habetur: quia colla imò conscientias Romano Pontifici nõ submittimus, vt illius cathedram & πρωτοκλισίαν reuerenter confiteamur. An omnes qui Romæ sederunt, Petri Sedem tenuerunt? Non semper locus, non successio faciunt bonos Episcopos, nõ in Iudæa, non in Græcia, non in Romana Ecclesia.

Sederunt in cathedra Mosis Scribæ & Pharisæi: cæci & duces cæcorum, quorum fermentum cauendum monet Christus: Sederunt Constantinopoli, Hierosolymis, Antiochiæ blasphemi, hæretici, pseudoepiscopi: Et sedere Romæ non possunt à fide auersi & Apostatæ? An omnes Petri more in prædicationis sanæ cathedra sederunt? An eandem religionis puritatem reliquerunt posteris? An Papæ scribunt hodie Catholicas & Canonicas Epistolas? Aut hodie Romæ vel in Romana Ecclesia patiuntur martyrium prò Christo, vt olim Petrus? Petri certè non sunt nec Petriani. Matth. 15. 16.

Nos verò quę scripsit Petrus legimus, & omnibus Petri Successorum decretis & dogmatibus eius Epistolas anteponimus: & in illis apertè luculentam Romanorum Pseudoprophetarum effigiẽ cernimus. Nostra Princeps, noster Senatus, noster Clerus non sunt Arriani: fuit Romanus Liberius: Nostri non sentiunt animas dormire aut esse mortales: sensit Ioannes vicesimus secundus Romanus Pontifex, & propterea à Parisiensi vniuer- 2. Pet. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitate non immeritò damnatus. Nulli nostrûm sunt Nouatiani aut Acatiani: fuisse Romanum
2.D.19. Episcopum Anastasium refert Gratianus. Nemo nostrûm est Monothelita : fuit Romanus Papa Honorius. An quia eius ceremonias & libationes & oblationes & pacis & Pedum ipsius osculationes non habemus,hæretici sumus? Si magni Pontificiorum errores sunt , non detestari non possumus: si leuiores sunt , recipere non debemus: ne tubercula & næui in Cancrum euadant: ne Christianismo nostro Romanismum illorum misceamus: ne à Dei verbo scientes & volentes recedamus: & Deum in nostra capita propter Papæ supremum Caput , inconsideratè
Caluinus. prouocemus & irritemus. Quod de Caluini hominis in Dei Calendario Sancti institutis & mysteriis narrat: quatenus Deus in sacra Scriptura probauit,ea nos improbare non debemus, nec tamen Caluiniani sumus,nec reformationem Religionis nostræ Caluinismum dicimus.

Prætensa. PRÆTENSAM Angliæ Reginam Bulla scelerate vocat:Causam omnes nouimus : quia eam Papa nec inuxit nec confirmauit , nec à Papa Regina Coronam accepit : quia Regia maiestas ingenti animi magnitudine Papatus iugum excussit.

Prouerb.8 Nos ex Dei verbo aliter instituti sumus , Per me Reges regnant.Et historiis proditum est olim Cæsares Romani Pontificis inaugurationem & approbationem,ne flocci quidem fecisse,nec vnquam expectasse. Postremis istis & pessimis
Regum coronatio temporibus hæc consuetudo inoleuit : qua seruitute liberatam & releuatam esse Angliam Deo gratias immortales & agimus & habemus.
Seruitus Regum. Quæ enim fuit dura & plusquam Ægyptiaca illa seruitus , quando Ludouicus Rex Franciæ & Hen-

Henricus rex Angliæ(vt in Chronico Sigeberti narratur(circa Ligerim conuenientes Papam Alexandrum quàm humillimè consalutarunt,& officio stratoris vsi,pedites dextra læuaque frenum equi ipsius Sanctitatis tenuerunt,quando Alexander Papa Friderici Imperatoris collum pede comprimens,super eum tanquam super Aspidem ambulauit,& tanquam Leonem & Draconem conculcauit:& se Petro præponens superbus Antichristus,contumeliosè dixit: ET MIHI ET PETRO : quando etiam noster Henricus ob necem Thomę Cantuarienſis Episcopi oratores suos purgandi sui causa ad Alexandrum ablegauit : pœnitentia indicta,vt ducentos milites Hierosolymam mitteret.Et ex Blondo refert idē Nauclerus,constitutum esse neminem deinceps Regem Angliæ declarandum,qui à Romano Pontifice non esset appellatus:& obseruatum esse vt omnes reges Anglici ab eodem regni sui iura recognoscerent:& vt habetur ibidē, quando Richardus Rex Deo,& Petro & Paulo, Petrique successoribus se,Regnum , Ecclesiam obtulit:& Innocentio tertio,Homagium (sic vocat) fecit,vt scilicet Angliæ Reges,illa regna in fœdum ab Ecclesia Romana de cætero tenerēt:& pro seruitio eorum quotannis centum Marcas soluerent. Has offas tot Marcarum,tot priuilegiorum , tot seruitiorum sibi è faucibus ereptas dolet Pontifex: hanc subiectionem quia nuper reges nostri humeris suis imponi recusarunt : ducuntur in Foro Romano Prætensi principes.

Lud.& Henr.

Naucl. Vol.3. Gen.40.

Richardus.

SERVAM deinde homo seruilis Reginam nuncupat , & flagitiosissimus ipse,Seruam flagitiorum nominat. Qualis serua flagitiorum sit illa Mulier ebria sanguine Sanctorum , ostendit liber Apocalypseos: Qualis ille peccati seru° sit docet

Serua.

ca.17.18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus 2.Thessal.2. Reuelabitur ILLE INIQVVS ἄνομος qui nullo legum gyro teneri se patietur. Incredibile profectò dictu est,quantum delirent isti decrepiti & depontani Pontifices. Reginam stemmate Regio natam, patre (ipsorum testimonio)fidei Catholicæ defensore, matre Religiosissima,(piorum omniũ iudicio)& fidei verè Christianæ instauratrice prognatam, liberaliter educatam,ingenuis & humanissimis artibus excultissimam,sanctimonia, spiritu principali, modestia & continentia Virginali decoratam, omni virtutum dote collocupletatam, pietate omnes Pios Papas longè superãtem,Pius impius, Seruus seruorum non Dei sed flagitiorum, procaciſſima, & vt dicam,Vitulina sua Bulla Seruam flagitiorum appellitare non erubescet?Sed videtis, Fratres,quanta & quàm effrenata sit Romæ mentiendi licentia.Videtis & animaduertitis, (qua estis Dei gratia,prudentia & acumine)non mirandum esse quòd docemus Ecclesiam Romanam posse & solere aberrare, cùm Ecclesiæ Caput tam dissolutè vanum, tam luculentè mendax esse constet: Videtis nouum non esse,vt habet Gregorius,labi & in præceps ire Gregem,cùm Pastor per abrupta gradiatur: EXECVTIO sequitur propter hæc scilicet hæreses Principes,primates, populum, omnes fideles subditos,priuat,punit,exhæredat, vtroq; gladio humano Diuino percutit. Indoctior ne sit Papa an sæuior, nondum potui satis constituere:nam quid clauis,quid gladius Episcoporum sit non intellexit,sed tamen gladium è vagina ob causas incertissimas & leuissimas homo sæuus & insanus extrahit.

Elizabetha

At cur deponit cur deiicit Reges & Reginas, nisi vt ipse regnet,qui nondum didicit,Aliud esse sceptrum,aliud plectrum,aliud Pedum? Illud solius

lius Regis est,magnum?alterum musici,leue: tertium Episcopi, grande, quod Pius non magni æstimat.

Hæc omnia ex THRONO IVSTITIAE, scilicet, ex Curia Leonis,vbi quod lubet licet,vbi lupi & vulpes rapientes omnia,absoluuntur: asinus tria Petroselini folia capiens, aut famelicus stramen vnum aut alterum peregrinantis ad Romam colligens vapulat. Sicut incassum coram Leonibus lepores concionantur,vt alicubi Aristoteles: Arist.R. Holcot in sicut canit frustra coram accipitre luscinia, vt Hesiodus:sicut inutiliter supplex est Agnus lupo, vt habet fabulator Aesopus:Sic nec Elizabethæ,nec Principum vllorum aut plebeiorum Protestantium,in hac leonina Romæ Curia causæ cognoscuntur,nec vitæ parcitur,nec voces audiuntur:vt liceat verè Pontifices & eorum assecias Albani animanti ceruo non dissimili comparare: quippe contra omnium aliorum cõsuetudinem fel habet in aure peramarum, & felli hominis persimile: Quicquid nos dicimus, scribimus, ex verbo Diuino depromimus: id Pseudocatholici aut surda aut irata aure hauriunt. 1.Sap.fol. 75.

Non ex Throno iustitiæ sed ex Tribunali Pilati,non autoritate Dei,sed instinctu furiarum,non necessitate compulsus,sed odio veritatis exasperatus ad hanc execrandam condemnationẽ prorupit:& ideò hæc omnia facta sunt à Papali Sanctitate,vt omnia tumultibus & turbis in hoc Regno misceret. Quare ex his spinis hominem cognoscite; sicut his verbis quondam vsus est Eberhardus Archiepiscopus Sarisburiensis,Sub Pontificis Maximi titulo Pastoris pelle, lupum sæuissimum,nisi cæci sumus, sentimus. Et,Romani Flamines arma in omnes habent Christianos.De Gregorio decimo tertio dicamus, quod Fride- Auẽt.l.7. Fol.683.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ricus Secũdus olim dixit de Gregorio Nono: Romanus Sacerdos perturbat omnia. Et de omnibus concludamus, Aut velint meliora, aut valeant in ſecula ſeculorum, Amen.

Hic eſt ille magnus Pius Quintus, cuius Apoſtolica autoritate confirmata ſunt hæc eximia ſcilicet opera, Catechiſmus, Breuiarium & Miſſale Romanum, Liber de Culina ſui coqui ſecreti nomine. & aliqua Concilii Tridentini decreta, & hæc contra Elizabetham Sereniſſimam Principẽ, Declaratoria & Anathematica Sententia. Nam præterea nihil vidi ex ſcrinio eius ſacratiſſimi pectoris depromptum.

In Breuiarii Romani prima fronte annotanda eſt figura, vbi inter Petrum clauigerum & Paulum gladiatorem, hæ literæ maiuſculæ impreſſæ ſunt. S.P.Q.R. quarum enodatio, Beda noſtro expoſitore, hæc fuit: Stultus Populus Quærit Romam: Ergo Cauete. Procuratores, & executores iſtarum rerum, ego non nomino, Sanderus in ſua Monarchia non præterijt. Cui Bullæ particulatim reſponderem, niſi quia à D. Bullingero, & à noſtro Iuello beatæ memoriæ Epiſcopo, concione quadam in Eccleſia ſua Sarisburieſi, ante mortem habita, nunc in lucem edita, & copioſè & neruoſè refutata eſt. Hinc hinc nunquam ab iſtis Pontificiis ceſſatum eſt aut dormitum. Has Pii impias merces, etiam ad nos naui, penè dixeram, ſtultifera tranſmiſerunt & importarunt, vt nos ad Miſſas, ad preculas papales, ad vomitum reuerteremur: quæ tamen Dei gratia & Magiſtratuum vigilantia intercepta ſunt omnia. Ita ſemper Diaboli monaſticum ſatellitium in exitium Eccleſiæ, in extinctionem purioris doctrinæ euigilauit. Vt verò porrò progrediamur, & arcana Aulę Romanæ reuelemus: accipite Nic. Sanderi Epiſtolam Dedicatoriam ad eundem Pium Quintum, in qua habemus & tenemus reos confitentes, in qua huius legationis ſeminarium & principium ab homine non ſatis cauto ſimpliciter aperitur. Cùm enim è perſpicillo non ſcientiæ bonæ ſed conſcientiæ malæ horrendis ignorantiæ tenebris Angliam offuſam videre ſe putaret: Pii huius ſolicitudinem paſtoralẽ ſummis effert laudibus, qui non ſolùm Catholicos hîc ſuos eleemoſyna refecerat, ſed etiam per Legatos ad gremium Eccleſiæ Rom. quotidie vocarat, ex qua legatione homo ſcilicet patrię ſuę amiciſſimus ſperat ſuum cuique Catholico locum, breui fore reſtitutum. Quin etiam deprædicat in ſua viſibili Monarchia eos tanquam vel Chriſti exules vel Martyres, quicunque arma contra Regiam Maieſtatem ſumpſerunt: idque bellum à Pont. Rom. ſuſcitatum præ ſe fert & gloriatur. Cùm enim Apoſtolica ſedes, ſic enim ille loquitur, Elizabethã ab Eccleſia defeciſſe animaduerteret, ac Legatos ſemel ac iterum in Angliam ſed fruſtra miſiſſet: poſt decem annorum expectatam & iam penè deſperatam emendationem circa annum Domini 1569. N. Mortonum Anglum, Sacræ Theologiæ Doctorem, vnum ex Presbyteris qui Romæ pœnitentiam indicunt, mittit Pius 5. Epiſcopus in Angliam, vt certis illuſtribus & Catholicis viris autoritate Apoſtolica denunciaret, Elizabetham hæreticam eſſe, omnique ſua dominatione & poteſtate excidiſſe, impunè ab ipſis velut Ethnicam & Publicanam haberi poſſe: nec cogi eos deinceps illius legibus aut mãdatis obedire. Qua declaratione tanquam tuba aliquot nobiles Septentrionales ad rebellandum animati & accenſi, huic legationi ſuam hanc ſiue ſtragẽ, ſiue mortem

Epiſtola Sanderi ad Piũ 5.

L. 7. viſib. Mon.

siue exilium acceptum ferre debent? quorum temerarios conatus Diuina prouidentia omnia gubernans suo optato successu carere voluit. Ab eo tempore in Hybernia,& in Anglia quem lapidem non mouit Gregoriana factio? In Hybernia Catholicus exercitus visus,fusus,cæsus est:In Anglia Campianus & alii Iesuitæ Pontificis Legati comprehensi, aut confessione sua,aut literis suis, aut rei euidentia, aut suorum & aliorum hominum idoneorum testimonio conuicti,non constitutione tantùm nouella,Elizabetha regnante,sed antiquis huius regni legibus Edouardi Tertii & aliorum Regum tempore latis damnati pœnas dederunt.Poteram ex chartis Edmũdi Campiani quas vidi, ex eius libello Decem rationum quæ aliàs examinabuntur,ex confessionibus Iesuitarum ante & post illorum mortem quas accepi,ex forensi totius causæ pertractatione quam perscrutari licuit,alia non pauca colligere , & tabulis consignatis pluribus agere,sed non erat animus secretiora perquirere,aut perquisita patefacere , aut patefacta exaggerare,maximè cùm ea res tota aliorum libris testata & perspicua sit. Hactenus intelligitis clarissimi viri, quæ simpliciter & historicè narrauerim, quæ ex autoribus priscis & nouis, externis & nostris fideliter congesserim, quæ apertè confirmauerim:nunc de istis hominibus & eorum legatione, quid vobis Anglis, subditis,Dei,Principis,Patriæ amantissimis sentiendum sit: vos videte, vos apud animos vestros,qua estis prudentia,reputate. Mihi certè timendi videntur Danai , timendi Romani vel dona ferentes,quia ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, Hostium dona nõ dona:vt apud Sophoclẽ Aiax Mastigophorus de gladio ab Hectore Troiano antè donato, quo insanus mortem sibi conscíuit,verè prædicat. Quod etiam

Ed. Campianus.

etiam Anglo Iesuitas alioqui; Papisticæ religionis studiosos agnituros non diffido, vbi ad se redierint, vbi rem,ita vt est,omni larua detracta paulò consideratius & attentius inspexerint.

QVONIAM verò non omnes sunt Promethei aut satis prouidi, sed quod dolendum est apud nos quidam Epimethei inueniuntur nimis credu li, qui vix tãdem post factum sapiunt: qui Romanæ Pandoræ pyxidem omni verborum elegantia & suauitate,omnibus Rhetorum lenociniis obla tam & commendatam, intus tamen omni malorum Iliade plenam non respuunt sed recipiunt, &Põtificios vectores & Mercurios à nostris quasi summam per iniuriam violatos, & malè & indignè tractatos, libellis famosis, quæ est illorum fatuitas & audacia, in aures multorum effutiunt, & causæ eorum patrocinari non desinunt: statui eorum sermunculis & obiectiunculis obuiam ire,in lucem protrahere, & quanta potero breuitate confutare. Confutatio quarũdam Calũniarum.

Murmurant Iesuitas & Pontificios bonos viros à Papa vnctos & Christos, ne tangi vllo iure humano potuisse, nec puniri in foro seculari spirituales debuisse,quibus in Angliam profecturis Pontifex Romanus benedixit & valedixit. Itáne? Qui hinc sine venia fugerunt, & in transmarinis partibus per aliquot annos contra Regium Edictum & contra Ius commorati, in aduersariorum castris, fidem Christi quam antè hîc professi sunt,perfidè verbis,libellis, factis oppugnarunt, qui demum ab externa & Antichristiana potestate, ab ipso omnis reformatæ religionis,nostræ illustrissimæ Reginæ,totiúsque Regni Anglicani capitali hoste emissi, Bulla Pontificia quasi stella prælucente comitati, clam tanquam speculatores sine legitima vocatione in Regnũ subingressi Obiectio prima de persecutione.

sunt, non vt veniam dari aut fugæ & sceleris gratiam fieri sibi peterent: non vt errorem agnoscerent, aut Deo legibúsq; publicis subditi viuerent, sed qui per annum integrum huc illuc per Septentrionales & Australes oras, habitu mutato correptantes, voce viua, scriptis editis Scripturã quasi repugnantem ad sensum suum & ad clandestina sua consilia trahentes & concerpentes dogmata verbo Domini, statui Politico, Ecclesiasticæ paci contraria, in tenebris ac latebris sparserunt, quibus suorum Decretaliũ Romanensium Neoterismum inueherent, ac patriarum & sanctissimarum legum abolitionem suaderent: qui iam aureos montes sibi polliciti, regni Diadema, Cõsiliariorum honores & loca animo & cogitatione iam distribuerunt, qui Episcopatus etiam & reditus Ecclesiasticos, velut Romani milites Christi vestimenta, aut quasi Pompeiani spolia ante victoriam inter se partiti sunt: vt interim de occulta monastica coniuratione, de nefariis insidiis Regiæ Maiestatis personæ & Nobiliũ & Antistitum aliorumque innocentium vitæ & capiti, prò pudor, structis, omnibus quorundam ad necem destinatorum in libris etiam ab ipsorum confœderatis, expressis & impressis aliquid commemorare supersedeam: an istos machinatores insultos & immunes inuadere par esse existimabitis? an quod scienter factum & sceleratè attentatum est, quod ad religionis & reip. internecionẽ serpere non obscuris indiciis intellectum est: id impunitum abire, vel Iudicum seueritas licet modificata, vel Principis lenitas licet admiranda, pateretur? Innocentius Quartus contra Fridericum Imperatorem tanquam cõtra Turcam aut infidelem Indulgentias & Crucem (sicuti nuper in Hibernia contra Elizabetham Pontifex) proclamat.

Quid

Quid fit? Fridericus quantumuis Catholicus impunitos non dimittit, quantumuis cruce signatos capit, pro dignitate tractat, partim quaternis ad crucis formam vulneribus perfodit, partim capita in crucis modum scindit, & quos contra se cruce notarat Pontifex, eos ferro insignit, & noua cruce sua adornat. Religiosus quidam Minorita vitę Eugenij Papæ insidias struit, & de eo neci tradẽdo cum aliis proditoribus consiliũ capit, vi armorum, & Castrum Sancti Angeli occupando. Res detecta est, sanctulus ille captus est, sceleus confitetur. Num huic raso & vncto Vicarius Christi pepercit, imò nec regula nec religio seruat: mercẽdem suæ iniquitatis accipit, gradu suo priuatur, à curia seculari suspenditur, & hoc factum contra papalem Sanctitatem admissum sacrilegium vocat Antoninus. Hoc autem facinus grauius, hanc conspirationem nefariam contra statum, contra Maiestatem Principis, cõtra regni proceres in nostris religiosulis eleuabunt & extenuabunt? Qualis autem Eugenius fuerit Concilij Basilienſis decretum eiusque supplicium satis declarant. Idẽ refert de Carmelita Gallo magno, vt ipse ait, prædicatore, qui cùm aliquandiu per Galliã cũ magno populi cõcursu prædicasset, sedi tionis & hæreseos insimulatus & condẽnatus, similiter de gradu suo deiectus flammis consumptus est. Adeò nusquam tuta est perfidia, ne Romæ quidem. Et istorum patroni & fautores erunt in Anglia? Hosius Cardinalis, P. Vergerio stomachatur, quòd etiam cum literis ad amicos scriptis in regnum Poloniæ venerit, & eum seditionem concitare affirmat, & hoc viri boni officium esse negat, & propterea Sigismundũ Regem ad iram extimulat & exacuit. At ille optimus vir olim Papę à secretis, ad veram religionẽ conuer-

Antoni. 3. p. hist. Tit. 22.

Ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus alios ad eandem conuertere piè, quietè, viis & modis studuit, nullo modo curiosus in aliena republica. Et ferre debuit Christiana Princeps eos qui classicum cecinerunt, & nouo more, exemplo pessimo, abiecta religione Dei, proculcata omni reuerentia Principis, excussa legũ obedientia, res nouas moliti sunt, vt populi corda furarentur, & ciuium studia & animos auerterent? & à Regia Maiestate auersos alienigenæ, non Regi, sed Sacerdoti conciliarent? vt Angli Romanum iugum, iniquum, intollerandum, plusquam Phari saicum denuò subirent? Hoccine humanum factũ aut pium inceptum, hoccine bonorum aut Iesu sodalium, aut patriæ ciuium officium? Sed vt dixi, hoc nostris Magistratibus & Iurisperitis discutiendum relinquo, quia politicum est: qui iam omnia hæc & penitius introspexerunt, & exploratius cognouerunt, & verius iudicarunt. Non est meũ institutum, vel animus, illis crimen aliquod læsæ Maiestatis, vel malitiosè affingere, quod illi de nobis malè suspicãtur, vel iure intentare, quia à professione mea est alienum. Confiteor Theologorum esse, oratione lenire, non exacerbare: nec solent spiritus verè Euangelici afflictis afflictionis aggrauationem, sed cõsolationis leuationem, & correctionis medelam adhibere.

Cõt. Epi. de persec. Anglic.

QVAMOBREM non satis, vt ego iudico, verè, certè minus candidè scripsit ille nuperrimè quisquis Historiam Persecutionis Anglicanæ persequitur: esse Ministros quosdam pacis & lenitatis hostes qui expetant vt suadeant aculeum seueritatis exacui & intendi, quibus volupe sit miserorum calamitoso spectaculo oculos suos pascere & animos exaturare. Neque mirum est ab illo arrodi Ministros, cui nihil Anglicanum hoc tempore placet aut sapit: qui clementiam Principis, nouam sæuitiam: Iudicum moderationem, insignem crudelitatem: legum ipsarũ æquitatem, quasi sanguinarium draconismum existimat. Si Papistæ qui Missam celebrãt aut audiunt, qui iuuentutem sine Episcopi approbatione in angulis instituunt, aut corrumpunt: qui ad Ecclesiam venire recusant, aut Romanensium sacrificulorum Reconciliationibus, Confessionibus, Absolutionibus, Consiliis clandestinis, immurmurationibus attendunt, patrocinantur, & contra bonos mores & omnes leges istiusmodi Pragmaticos celant, adiuuant, fouent: aliqua pœna pecuniaria mulctentur, aut ad tempus in aliqua custodia detenti libertatem amittant, vt ita relicta Romana nouerca, ad veram matrem, repudiata meretrice, ad Iesu Christi sponsam, Ecclesiam repurgatam se referant, sicuti bonos ciues, & Christianos homines & prudentes viros & fratres nostros decet: illicò in hanc temporum Tragœdiam, in hanc morum nostrorum truculentiam, in hanc iudiciorum asperitatem, & inauditam antehac Angliæ feritatem, declamat, exclamat, & in re non ita magna magnas agit nugas, quasi onus & corporis & animi quauis Aetna exæstuante grauius & cruciabilius, ista nouarum legum accessione cogantur sustinere. Ita homo patriæ amans & gratus scilicet, verborum acerbitate Angliam facit Barbariam, quandam Tartariam, Turciam, Scythiam: quasi sine aliqua seueritate aut regna administrari, aut quasi sine freno Legum aliqua posset cõtineri aut esse Respublica: quasi Deus pœnas & quidem maiores & acerbiores legum suarum præuaricatoribus non inflixerit: quasi Magnus Constantinus in hac regione & in tota Monarchia sua eadem medicina vsus non fuerit: quasi sanctissimi patres hoc

Deut. 13.

remedium tanquam salutare, & publicè Ecclesiis, & priuatim hominibus non prospexerint: quasi Augustinus ipsa edoctus experientia ad Vincentium non dicat, Multas ciuitates videmus fuisse „Donatistas; & nunc esse Catholicas: detestari ve„hementer diabolicã separationem, diligere arde„ter vnitatem. Quæ autẽ ratio, quæ tantæ mutatio„nis causa? Quòd nimirũ Reges Domino seruiunt „in timore, quia ea quæ contra iussa Domini fiunt, „religiosa seueritate prohibent & plectunt: vt „idem egregiè habet ad Bonifacium. Annon vbi similis culpę est admissio, etiam similis pœnę esse debet exactio? Quid hìc mordent, quid carpunt? An Papistæ non sunt Donatistæ? At id alibi explicatur à nobis copiosius. Donatistæ profectò se in vnum Aphricæ angulum compegerunt, & illis perexiguis terminis Ecclesiæ amplitudinem coarctare & circumscribere voluerunr. Papistæ quoque idem garriunt, nullam habere nos Ecclesiam, nullam rempublicam Christianam, nisi Romanam, nisi quæ Romani Pontificis diœcesi & ditioni subiaceat: cuius tamen latifundia & tentoria in omnes orbis terrarum oras misericors Dominus expandit & ampliauit, etiam vbi Romani Papæ, nec authoritas recepta, nec ipsum fortassis nomen vnquam auditum est. Erat etiam & alia Donatistarum prurigo & scabies intolerabilis. Nam præterquam quod de religione corruptè senserunt, etiam eorum vita fuit inquieta. Vtar enim non meis sed eiusdem Augustini verbis in eadem ad Vincentium Epistola: Donatistę nimium inquieti sunt, quos per ordinatas à Deo potestates cohiberi atq; corrigi mihi nõ videtur inutile. Qua vna sententiola duas res complexus est, & eorum mores turbulentos: & dignam animaduersionem.

Papistæ Donatistæ.

Si

Si exceperit iste nouus Accusator, Minorem & Illationem deesse, sicut fecit Campianus: Infero, Pontificios, in consimili imò aliquanto grauiori peccato versari. Annon inquieti & tumultuosi sunt, qui ad nouas & exoticas religiones solicitant, qui ad defectionem & voce stentorea, & calamo virulento, & omni practicarum, vt ita loquar, genere & astu, apertè, obliquè cohortantur? qui ad communionem alterius Ecclesiæ, & ab obsequium alienæ potestatis vocant: vt iterum Romanus Pontifex in hanc ditionem pedem suum referat, vt in alieno solo ædificet & destruat, vt hìc Episcopatus, Sacerdotia largiatur & detrahat: vt leges roget abroget, vt reges euehat deprimat, vt res omnes ciuiles Ecclesiasticas sola supremi capitis sui vertigine moueat remoueat, vertat euertat?

Quare hæc duo, quæso, Fratres, vestræ cogitationi subijcite, vobiscum iterum atque iterum ruminate: primùm manifestam status præsentis, id est, vestræ religionis, vestræ libertatis, vestræ fœlicitatis, vestram optimi & beatissimi Regiminis supplantationem & labefactationem: deinde etiam hanc istorum Actionem non esse solùm Ecclesiasticam, sed simul Politicam, non merè temporalem, sed planè mixtam, quod isti Scriptores omnes, vt sine pudore, ita sine ratione denegarunt. Nam qui in hoc Anglicano fœlici cœlo alium Solẽ lucere, in hoc politico corpore aliud externum caput eminere & præesse cupiunt: annon, quantum in se est, Magistratum legitimum omni authoritatis acie spoliant & exarmant? An non ei gladium rubiginosum aut plumbeum in manus porrigunt, cùm Regẽtis nomen & vmbram non rem nõ potestatem habeat?

Imò, annon imprudentes, fortassis etiam prudentes & scientes, Bullæ Pii Quinti sententiam executioni mandandā censent? vt (quod omen auertat Deus) lucernam Israelis, Dauidem nostrum, ELIZABETHAM nostram, quæ hactenus splendidissimè emicuit, & diu, vt confidimus, effulgescet, conantur extinguere? Quod ergo debet constitui præmium eorum, qui sic statum & regni faciem commutant? qui sic in nostras leges, quibus omnes Illustrissimæ Principis Ditioni subiectos regi & corrigi oportebat, inuehuntur? qui Noui Solones aut Lycurgi alias ordinationes hîc imponi nostris & præscribi requirunt? Certè nec ipse Ethnicismus aut eiusmodi machinationes ferre, aut talibus cœptis fauere voluisset. Cur iste non meminit quid in Politicis suis Philosophorum sapientissimus Aristoteles dixerit, Non esse honorem dandum ei qui legem aliquam nouam ferre ausus fuerit? quid Locrenses statuerint, vt Nouatores suam illam legem nouam non nisi collo in laqueum inserto recitaret? Caueant ergo isti νομοθέται noui, ne homines incauti sibi & aliis struant periculum, cum summo rerum omnium communium discrimine. In omni autem iudiciorum administratione & legum executione hæc fuit semper nostræ Principis, nostri Senatus, nostrorum Præfectorum æquissima ratio & moderatio, vt in Religionis causa regulam sacram, regulam Augustini optimam sequerentur, vt docendi assiduitatem cum pharmaco correctionis coniungerent: Augustini verba hæc sunt. Cùm terrori vtili doctrina salutaris adiungitur, vt „non solùm tenebras erroris lux veritatis expellat, verumetiam malæ consuetudinis vincula vis „timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salu„te lætamur.

Pontificii Noui legislatores

Ad Vincent.

Itaque

Itaque vniuersæ Inuectiuæ huic omninò cum Hieronymo respondeo, Non est crudelitas, pro Deo pietas. Ad Riparium.

Atqui isti suppliciorum diserti exaggeratores, qui tandem sunt? annon Marianorum persecutorum successores & posteri? annon meminerunt, quomodo nostros ipsorum patres indignissimè omnibus crucibus diuexarunt? quomodo tum inhumanitas, immanitas miserè, mirabiliter increuit, increduit? Non solùm tum equitarunt pedes sub equorum pectore, brachia à tergo reuincti, nec solùm tum derisi sunt, in carcerem contrusi, torturæ subiecti, & in catasta distenti, exilio mulctati: non solùm tum omnes euadendi viæ intercluſæ & portus obseruati sunt, non solùm contumeliis impetiti, verborum ac cõuiciorum verbere exagitati, inediæ, frigoris asperitate, ergastu lorum squallore vexati, fortunis omnibus euersi: non solùm stigmatici, cauteriati, candenti ferro præusti sunt: non solùm illa alia tormentorum genera tum admota sunt, quę iste commemorauit aut potius sæpè commentus est: sed homines inhumanissimi nulla sympathia, nullo commiserationis affectu, nullis viscеribus, nulla Storga prædiți, omnibus modis ferocierunt, & planè obbruerunt. Non solùm libri nostri prohibiti, sed vnà cum Bibliis exusti sunt: & vbique, quotidie, faces accensæ sunt, corpora innocentissimorum hominum cremata sunt? At qui passi sunt? Non vnus aut alter aut tertius, vt in hoc mitissimo Regno Clementissimæ Reginæ iste in vulgus emittit, sed innumerabiles: Domini, serui, viri, vxores, nobiles, ignobiles, Ministri, pastores, Oues, Episcopi, Archiepiscopus Primas Regni, Consiliarius Regius: quid multis? Non conditioni, non ætati, nõ sexui comparcitum est: non cæco, non seni, non virgini,

Mariæ & Elizabethæ disparregnum.

non infanti indultum est: tum verè dici poterat,
2 Cor 11. In mortibus frequenter.

Et quare? Propter bonam conscientiam, propter Scripturæ Sacræ lectionem, propter Christum. Alij tum homines qui passi sunt, aliæ tum pœnæ quæ constitutæ sunt, aliæ tum causæ quæ obiectæ sunt. Proinde audiant (qui quiritantur, ne gemitu quidem liberum aut impunitum relin qui suis miſellis Catholicis) plures esse & foris, qui libero cœlo fruuntur, & diuagantur, & intus inclusos, qui saginantur largius & lautius, quàm multi simplices innocui Protestantes, & pij pauperes: audiant istorum libellorum auidissimi lectores, quicquid à nostris contra simpliciter papistas factum est, id factum esse, propter ipsorum correctionem & conuersionem: audiant Augustinum, sicut olim cum Donatista presbytero, sic hodie cum istis Romanistis grauissimè ratiocinantem: Displicet vobis quia trahimini ad salutem, cùm tam multos nostros ad perniciem traxeritis.
Epi. 204. cõt. Don.

Hæc subitò ad librum nunc primùm mihi fortè communicatum, quia particularia non vacat percontari aut perscrutari, alibi fortassis reliqua perstringemus. Interim intelligite exempla quæ adducta sunt tanquam nostræ crudelitatis monumenta, aut iusta esse supplicia, quia meriti sunt, aut verbis aucta, quia Rhetor scripsit, aut falsa, quia Satan mendax fuit ab initio.

Non est verum Campianum & socios duos semistrangulatos, pòst dissectos & exenteratos fuisse: Nam aliter edixit presens Magistratus, Non est verum, imò portentum est, quod narrat, Campianum Christo similem & æqualem faciens, scilicet quod ille spatiosam chartam, maiusculis literis descriptam, in capite gestans, (par enim erat talem ad certamen tantum prouocatorem & proclamatorem aliqua insigni nota vulgò nobilitari) NON ALITER TVLISSE DICITVR QVAM CHRISTVS SVÆ CRVCIS INSCRIPTIONEM PERTVLIT. Falsum est seuerius agi cum Papistis, quàm cum Puritanis, Anabaptistis, Arrianis aut etiam Atheistis: quoniam istorum nonnulli, mortis supplicio affecti sunt, illorum, propter suæ religionis simplicem confessionem, nullus, hoc pacatissimo & moderatissimo Elizabethæ tempore est. Breuiter istius Rhetorculi epistola tribus solis figuris illuminata est, aut Meiosi, aut Auxesi, aut Hyperbole, seu Pseudologia. Nam aut Meiosi sua facta minuit, aut Auxesi nostra amplificat, aut vtrobique mentitur. Sed de hac pœna & necessaria Legum seueritate infrà dicetur vberius.

ALIA EST ALIORVM calumnia, quæ abstergenda est, istos Legatos certamen obtulisse, ad scholas prouocasse, arenam auidè expetiuisse, audiri nõ potuisse. Credibile est venisse disputatum: Nam familiare est omnibus etiam hæreticis in publicis congressibus se iactare, in concionibus dominari, in conuentibus gloriari, disputationes cupidè requirere. Tertullianus opprobrat Marcionistis, qui instar sepiæ cùm traductionem sui sentiunt, disputando tenebras suis blasphemiis offundũt, & interuomunt. Arriani fretl linguæ volubilitate, & Constantij Imp. patrocinio, non veriti sunt, de Deo & eius essentia intrepidè & publicè altercari: Alius quoque Philosophus nimium præsidens suis syllogismis, in Concilio Niceno os ostendit suum & aperit, sed facilè in nomine Iesu Christi eum confutauit simplex Catholicus. Hæresi vt nihil est vocalius, ita nihil vanius. Disputare & argutari facile,
Calumnia secũda de oblata disputatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed non perinde facile est vincere. Quanquam hæc nostrorum Iesuitarum audacia noua est, & ab institutis & sobrietate & modestia patrum non nihil discrepans. Augustinus quanquam ipse in Aphrica sæpè & acerrimè cum Donatistis, Pelagianis, & Manichæis pugnauit, non omnem tamē disputandi & altercandi licētiam probauit: Quis, inquit, disputandi finis erit & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus: Nectarius Constantinopolitanus Episcopus ex sententia Agelij & Sisinij Theodosio seniori sic respondisse fertur, Concordiam in religione iniri nullam posse, quādiu omnibus permitteretur quidlibet dicere & disputare. Maximus etiam scribit, Nouerimus, fratres, quia non sine magno discrimine de religionis veritate disputamus: quam tantorum martyrum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere presumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas: & post morientium sudores otiosa disputatione contēdas. Nec dissentit Iesuitarum ferè Princeps & nouus Catholicæ Catecheseos autor Canisius. Quinimo & Petrus Emottus reprehendit Neotericos & eorum consuetudinem non laudat, qui se tam faciles ad manus cum hæreticis conferendas præbebāt. Et istorū vulgare est axioma, Cum hæreticis non esse disputandum. Sed ô bone Iesu, quid ista sibi volunt, vt cùm vnam Iesu Regulam omnes Iesuitæ sequantur, tamen sic discordent, quasi Iesu vnus & idem non esset spiritus? quoniam alius Iesuita ait, alius negat esse nobiscum ineundam disceptationem. Ego certè, omnibus animo & ratione lustratis, video Analysim Bernar-

L. 2. ca. 1. De Ciuit Dei.

Disputatio quæuis non probanda.

Pontificij omnes nō probant disputationes.

Disp. quæ probanda.

Bernardi esse optimam; Disputandum esse, vulpes non tam armis quàm argumentis capiendos esse: adhibitis cautionibus, vt refellantur errores: vt homines Ecclesiæ Catholicę sponsę Christi recōcilientur, Christo lucrifiant: Deinde vt illò intentio omnis dirigatur, vt conuincantur & conuertantur; iuxta illud Iacobi: Qui cōuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Si non victus esse velit, licet conuictus, tamen cepit vulpem. Nam etsi hæreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen confirmatur in fide: & quidem de profectibus sponsæ spōsus sine dubio gratulatur &c. Cap. 5.

Disputatio Londinensis cum Iesuitis.

Quod à nostris Theologis Alexandro Noello, D. Daio Decanis, & à D. Godo, Guliel. Fulko, Ioanne VValkero Doctoribus, & ab aliis Symmistis piè, prudenter, facundè, rotundè factum esse, quis tam effrons qui negare audeat? In qua collatione id egerunt clarissimi viri, vt Campianum & socios ab errore in rectam viam reducerent. Sed non proficiunt hylum, quippe labor irritus & nullus effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto, cùm nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire, vt benè Cyprianus. Idem saxum voluerunt editis libris Mer. Hanmerus, G. Charcus qui etiam viua voce cum illis congressus est. Præterea Responsionem suam typis excudit collega meus & in prælectione Theologica συνεργὸς, quē amoris causa nomino, G. VVhitakerus Cantabrigiensis, in qua Rationes Campiani tum viuentis minutulas & leuiculas perspicuè & eruditè refutauit, in qua etiam eandem conditionem accipere velle se idem disputandi onus suscipere posse protestatur. Accersitus eram inter alios & ego literis Ioh. Aelmeri Reuerendissimi patris Episcopi Londi-

Al Noellus &c.

G. VVhitakerus.

nẽsis & aliorum, vt Octobris decimo tertio cum illis manus consererem, quæ res nonnihil hunc meę scriptionis cursum retardauit: & eram ad iter accinctus, cùm ecce aliæ literæ reuocant. Erat tum fortassis subolfactum, cũ istis Iesuitis & aliis aliter agendum esse, non illis amplius de religione sua sed de capite suo disputandum, nõ in schola Theologica coram Academicis, sed in prætoria VVestmonasterienſi apud Iudices respondendum, & totam quæstionem non tam verbis quàm iure esse determinandam: quandoquidem nõ hęreseos dica iam scribitur, sed læsæ Maiestatis crimen intenditur. Sed de hac gladiatorum istorum temeraria euocatione & infœlici palæstra, alius erit dicendi locus. Illud verè dici & facilè probari potest, in nullo certamine nostros homines vnquam fuisse inferiores. Quomodo enim aut vinci veritas, aut Deus debellari potest? Extitit tamen inter reliquos nostri temporis accusatores quidam Anonymus, qui de hac oblata disputatione (vt in more positum est de victoria in hanc & illam partem, ex affectu suo non aliquo iudicio sano pronunciare) multa sed falsa commemorat. Illud quod adfert de priuata collatione in ædibus Comitis Lecestrensis Lõdini, quid sit & quò spectet non satis intelligo: nisi quòd hominem coniicio esse nimis diligentem & tamen satis negligentem. Diligentem, quia in honoratissimorum virorum cubicula & consilia ingerere se & irrumpere, & quid ibi actum & transactum sit, oculis plusquam Lynceis perlustrare voluerit. Quid enim quod priuatim & amicè dictum & factum est homo curiosus & πολυπράγμων inquirere & scrutari ausus est? Si abfuit, obiicio,

Anonymus scriptor deprimata collatione in ædibus Comitis Lecestrẽsis.

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

Si ad-

Si adfuit, benè latuit, sed rem malè prodidit, & non benè illius meminit, quod olim præclarè à viro sapiente enunciatum est, Hominem in aliena Domo & cæcum & surdum esse oportere. Negligentem & omninò totius actionis huiusce ignarum & planè cæcutire & caligare, res ipsa loquitur & demonstrat. Nobilissimus Heros ex animo sitiens quorundam generosorum ex tenebris papisini ad Euangelii lucem conuersionem, me tum fortè in Aula præsentem iussit adesse in quadam συζητήσει & congressione, qua, si fieri posset, tres illi generosi viri, errores, quos tueri videbantur, agnoscerent, & veritatem, à qua putabantur alieniores, addiscerent. Aderant mecum alii duo Symmistæ fratres, qui mecum in eo negotio collaborarunt & dextras societatis iunxerunt. Ibi tum Comes Lecestrensis grauiter & prudentissimè hortatur, ardentissimè obtestatur, vt sui, vt suorum rationem habeant: vt nunc se colligant, Deum in consilium adhibeant, carni & sanguini & hominibus omnibus renuncient, & Scripturæ Sacrosanctæ voluntatem attendant & vocem audiant: dicit nunc demum tempus ipsum postulare vt pro se respondeant, intimos conscientiæ suæ recessus & sinus patefaciant, se aduocasse quosdam qui libentissimè illorum scrupulos & dubitationes omnes eximerent. Instat, vrget, vt suas quæstiones proponerent, & si qua in re hęrerent, simpliciter & ingenuè proferrent. Cùm autem illi modestè recusarent, & se Laicos & indoctos & illi certamini impares esse, semel ac iterũ dictitarẽt, tandem Adamus Squierus nõ è subselliis, vt iste imaginatur, descendit, sed ne mutũ spectaculũ exhiberetur, ille ab illustrissimo Comite iussꝰ, Opponẽtis personã sustinuit, mihi respondẽdi partes

impositæ sunt,vt quia illi tacere quàm loqui maluerunt, rationibus vltrò citróque commeantibus aliquid,Deo afflante,boni fieret.De Iustificatione ex Epistolis Pauli & Iacobi, & de aliis atque aliis quæstionibus obiectiones papistarũ firmissimæ à D. Opponente, & earum solutiones à me adductæ sunt.Re ventilata & discussa iterum redit ad exhortationem vehementem, affectibus & pietate plenissimam Comes, vt aliis nominibus multis sic hac de causa maximè laudandus & honorandus,quòd flagrantissimo eos lucrifaciendi studio teneretur.Ita tum decessum est: Alio die accersitus in cubiculum Illustriss. Comitis solus cum eorũm generosorum vno contuli:tum quòd aliis præsentibus nolebat, sua dubia protulit: de numero Sacramentorum actum est: omnibus explicatis & enodatis non statim cessit, sed deliberare se & Deum inuocare velle professus est:nunc è custodia liberatus, Dei gratia, mutauit sententiam & ad nostram Ecclesiam cum aliis Christianis Anglis accedit. Quid hic vel Zoilus, vel Inuidia,vel ipsa Calumnia reprehendat? tamen ex hac breui & vera narratione quantum ille à veritate absit,potestis cognoscere.Ait importunitate postulantium attractum Comitem, cum Zelo & amoris abundantia adductus sit: ait Orthodoxos, id est,Papistas fuisse expectatos qui vnà disputarent,cùm nihil tale esset constitutum:ait D. Laurentium Humfredum cum tribus sociis ad impugnandum venisse,cùm essemus tres solummodo, & nõ ad impugnandum sed ad suadẽdum & persuadendum generosis priuatim cõueniremus: ait oẽs cõgressus nostros fucos esse & species disputationis,cùm sint actiones seriç,& ille potiº in his & in aliis multis videatur ludere,Sed hoc,credo,

Socii duo D. Adam Squierus, D Grauet tus.

istos malè habet,quòd eorum generosorum vnus ipsos deseruit,& de aliis duobus bona spes concipitur. Ex hac vna historiola, in qua Actor ab illo productus sum in proscenium,quæ & quanta aliarum fabularum vanitas sit,& ego coniectura assequor,& alij iudicare poterunt.

Obiicitur ab ipsismet,& ab astipulatorib. suis, semper licuisse homines à rectis fidei tramitibus exorbitantes conuertere: Sed ostendimus suprà illiusmodi homines professione mendicos,aliena quadra victitantes, sine ordine,sine lege palãtes, cæco & præcipiti zelo abreptos, alterius regni terminos & terras non debere inuadere:maximè vbi politia cõstituta est: vbi illorum opera commodius carere possumus, vbi nemo tales conduxit operarios, nec quisquam est qui talibus Allotrioepiscopis aliquã mercedẽ persoluet,nec vnquã Deus talẽ ordinẽ in sua Ecclesia approbauit: An enim dicẽt se Apostolorum vestigia sequi? Si Apostoli sunt, missi sunt: At quis misit? Magister generalis, aut Papa? Nemo transferre in alium potest quod ipse non habet: at in hac regione non regnũ habet,nec locum nec loculũ,nec cum auiculis nidulum, nec cum vulpibus latibulum? An se ingerent, & in alio Regno pedem ponent? & in alienam vineam irruent? Potest esse hoc Papale, sed non est morale. Possunt hæc ad absolutam & extrauagantem Pontificum potestatem & infinitatem referri,sed nec ex Officiis Ciceronis, nec ex Ethicis Aristotelis, nec ex præceptis Theologiæ vnquam probabitur. Catonianum est, Ad consilium ne accesseris antequam voceris. Nemo prudens, nemo modestus immittit falcem in alienam messem: Nemo aspirauit ad ædilitatẽ in Romana rep.sine suffragiis.In alieno choro nemo saltat,qui est sobrius. Nullus vnquã operarius laude

Color aduentus conuersio Anglorũ.

Universidad de Deusto Biblioteca

aut mercede dignus habitus est, qui non vocatus est, qui se intrusit: nec sapit mea sententia qui hoc modo operam interponere suam voluerit. Notatur Alcidamas apud Lucianum, ad conuiuium prorumpens

ἄλλης, Ἀγχ' ἓκ Ἀλρύδει Ἀγιμέμνονι ὦνδανι θύμῳ.

Qui currunt iniussu Domini, per Hieremiam à Domino accusantur: Nemo seruus Dei, sine vocatione Dei irrumpit, non Moses, non Aaron, nō Christus, non Apostoli, non illi in vinea operarij, nisi prius facta conuentione, & ex pacto denarij. Et audebunt isti nullo accersitu Magistratus, solo nutu Præpositi sui in alienam prouinciam impetum facere, & hoc magnum onus recipere, quod nec ipsi, nec ipsorum Magister, nec Collegium Iesuiticum deberet suscipere, nec posset sustinere? Mendici sunt? & quia gratis accipiunt, gratis dare volunt. Non licet. Generalis ille Magister nullo iure hanc religionem nobis vnquam probare poterit. Deus enim in sua Deut.15. Rep. mendicos non admisit, Mendicus omnino non erit inter vos. An quasi Apostoli apud nos seminarunt spiritualia, vt metant nostra carnalia? At carnalia metunt nostra, & serūt Ceremonias, traditiones, Oracula Papæ, & placita & regulas suorum patrum Iesuiticæ familiæ, omnia carnalia. Mendicitas habita est miseria: nō aliqua laudabilis professio: non tolerabilis conditio, non aliqua religio: nec domatim aut ostiatim voluit Dominus suos præcones mendicare: sed in Matth.10. domo quam ingressi sunt, permanere: nec docuit precariò quærere, quod lex Diuina & humana tanquam debitum assignat: Dignus enim est operarius mercede sua. Isti sunt Mendicantium ordines, quos tamen Bonifacius Octauus multis immunitatib. & priuilegiis muniuit & honestauit: Stella.

Ille

Ille inquā Bonifacius, anteà Benedictus vocatus: cùm tamen nec benedicere nec benefacere nouerit: qui viuus non abs re illo scommate exceptus est, metricè licet barbarè, verè licet non poëticè,

Audi, tace, lege, benedic, benefac, Benedicte:
Aut hæc peruerte, maledic, malefac, Maledicte.

Talis honor concessus erat ab Honorio Quarto alteri religiosorū ordini: moriturus enim, omnibus Cardinalibus prius sua dignitate priuatis, titulo illo, Minoritas donauit, hac lege, additione & conditione, vt semper ex illo Minoritarū numero aliquē successorē eligāt. O hypocriticos & superbos mendicos! Sed enim obedire suo Præposito oportuit, iussis legatis eundū est, quocunq; miserit Pōtifex obediendum? Sed non nisi in Domino: hoc enim facere debent Iesuitæ quod fecit Iesus, qui ab hominibus nō accepit testimonium, qui venit è sinu patris, vt non suam voluntatem sed patris enarraret. Faciant Iesuitæ, quod faciunt Iesu Angeli, qui apud Esaiā describuntur, Domino in sublimi editoq; solio sedenti astare eique ministrare: quorum clamor Seraphicus, & legatio Angelica hæc est, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituū. Et Psaltes narrrat Angelos licet virtute præstantes, tamē ad Dei solius laudes cōcinendas intentos esse, tanquā exercitus & ministros eius voluntatē facere, eius mandata audire & exequi. Cyrillus contra Iulianum: Si quis &c. spiritualem & supremam diligenter collustret creaturam, etiam illam inueniet congruis legibus gubernari, obedientemque & sequacem omnibus modis in Deum summum respicere. Et isti Papæ Angeli seu nuncij aliud Euangelium afferentes & aliena iussa peragentes, alterius nomine venientes recipientur? Obiect. de Iesuitarū eruditione.

At clamitant esse homines doctissimos, nulli se-

Cranzius l.8.ca.35. Sax.

Colos.3. Alia obiectio de obedientia Iesuitarum.c.6.

Psal.103.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cũdos,sic enim &sibi vidẽtur & ab aliis habẽtur, homines multarum linguarum, literaturæ magnæ,naris paulò emunctioris,planè nouum & rarum genus Monachorum, omnibus suis maioribus defecatius & purgatius. Hoc quicquid est, nostris hominibus acceptum ferant, qui obesos illos & otio torpentes ad liberalium artiũ studia excitarunt. Ne verò meum hoc inuentum dicant, Alphonso Minoritæ suo loquenti fidem, credo, non derogabunt: Et hanc prò dolor, hodie incursionem à Lutheranis patimur,quibus adeò fre
L.1.c.4. cõt.hære. quens est Euangelium,& Paulinæ Epistolæ,vt nihil aliud spirare videantur &c. Nam huiusmodi
" hæreticorum causa factum est, vt relictis quibus-
" dam nugis,quibus à trecentis annis hucusque ho
" mines sese dedêre,ad meliora studia se transtule-
" rint. Quò fit vt multò plures viros doctos nunc
" Ecclesia possideat, quàm à quadringentis annis
" retroactis hucusque habuerit.

Satis doctus est qui à Deo doctus est: Non sa-
In L. Sap. pit qui contra Christum sapit. Quinimo Robert. Holcot non diffitetur, Christum misisse
1.Cor.8. suos Apostolos simplices, Antichristum doctos
Iac.3. vocaturum. Est scientia quæ inflat & pernicio-
Ierc.4. sa est: Est sapientia è supernis descendens nihil simulans, & amanda est: Est sapientia terrena, & Dæmoniaca est: sunt eruditi ad malum, & damnata est: Est prudentia serpentina, qua primus homo delusus est, & abominanda est: Est & alia serpentis sapientia quæ sequenda est, de qua apud Matthæum est, Estote prudentes sicut ser-
Ca.10. pentes: quam Hieronymus declarauit, Quan-
Ibidem. do toto corpore occultat caput, & illud in quo
" vita est protegit:Ita & nos toto periculo corporis
" caput nostrum qui Christus est custodiamus.

Hoc Caput impugnant Dæmones, Hoc Caput oppu

oppugnant Gnostici, vtrique docti, vtrique nomen sortiti à scientia.Huic Capiti in quo vita est insidiantur Iesuitæ,qui aliud caput, alium Iesum & Seruatorem,alias salutis vias & canales, alios sequestres, alios sacrificos propitiatores docent ac defendunt, & nobis Anglis in hac sua Peregrinatione annunciant. Miror, quòd à Christo, Gal. 1.
" qui vocauit vos per gratiam,adeò citò transfera-
" mini in aliud Euangelium: quod non est aliud,
" nisi quod quidam sunt,qui turbant vos,& volunt
" inuertere Euangelium Christi. Cæterùm etiam si nos, aut angelus è cœlo prædicauerit vobis Euangelium, præter id quod prædicauimus vobis, anathema sit. Liceat enim ô Populares,sic Pauli verbis compellare & admonere. Quem non meritò terreant hæc Augustini verba? Idiotæ & simplices cœlum rapiunt, nos autẽ docti cum scientiis nostris, ad inferna demergimur, cùm scilicet nos inflant & non ædificant.Vt ex eodem citauit Cyrillus.Sed quæ est illa tanta, tam rara & inau- Cyril.li.5. in Io.c.12
dita Iesuitarum doctrina? vt inde possint disputando & certando palmam lemniscatam sibi polliceri.Habemus, Deo sit laus, verbi ministros & Doctores numero plures,dicẽdi gratia & copia, disputandi acumine omnibus Campianis præ- Campianus.
stantiores. Vtinam ille in Bibliothecam abditus studiis suis deditus nobiscum domi manfisset,vbi plura & rectiora legendo & auscultando, quàm apud Iesuitas peregrinando & cursitando didicisset. Enimuerò de Monachis illorum indoctis passim queruntur Polyd. Vergilius, Erasmus, Alphonsus & alii doctissimi. Et quid noui ab istis nouis monachis expectandum est, qui spem tantam hominibus ostendunt, & expectationem tantam sui concitarunt? Quicquid hactenus legimus aut vidimus,siue rationes, siue distinctio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes, siue censuras, siue Apologias, siue illorũ primò fugitiuorum Hardingi, Sãderi, Dormanni, Rastalli, & aliorũ, siue istorum Bristoi, Aleni, Campiani, recentiorum, in istis omnibus furtiuam monetam à scholasticis & aliis papistis surreptã, & nunc à rubigine absersam & expolitam esse deprehendimus. Quid est enim ab illis dictum quod non sit prius à suis dictum, & à nostris confutatum? Quò autem per transennam doctrinæ, & eruditionis eorum thesauros quos venditant, vno intuitu videatis, tantum vos docebunt, quantum ipsi Romæ & Rhemis à Papa Gregorio, à seminarij sui præfectis & scholarchis dictantibus, & quasi cibum præmansum tanquam paruulis in os ingerentibus, traditione illorum & calamo suo exceperunt: A quibus nè latum quidem vnguem audent discedere. Hoc olim Cornelius Agrippa vidit & obstupuit, hoc obseruauit ille Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ Alphonsus: Vnamquanque sectam sua dogmata accipere à suis præiectoribus, & ea tueri mordicus. Quis ergo ex istorum disputationibus fructus vel ad ipsos vel ad vos peruenire possit? Ipsi iurati licet victi, tamen veritati non possunt cedere, nec Palinodiam canere, sine nota violatæ regulæ, & inobedientiæ, imò & periurij. Vos quid aliud discere ab istis potuistis, quàm Papæ decreta, seminatorũ conclusiones, Casistarum & Magistrorum cõtrouersiarum, id est, veterum monachorum, putida & rancida deliria? Ascribã Alphonsi verba, vt Iesuitæ seruilem conditionem suam vel ab Obseruante fratre recognoscant, & cum illo resipiscant, & vos me non somnium meum narrauisse, sed illorum scripta adduxisse, & eos ex hoc debili fundamẽto ingentem errorum cumulum exaggerasse intelligatis. Quare fateor, inquit

inquit Alphonsus, me non posse cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorũ scriptis, vt impium autument, si vel in modica re quis ab eorum sententia discedat. Volunt enim hominum scripta velut Diuorum oracula recipi, illumq; honorem illis exhiberi, qui solis sacris literis debetur. Nõ enim iuramus in verba hominis, sed in verba Dei. Ego enim miserrimam hanc dicerem seruitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, vt non liceat vllo modo illi repugnare: qualẽ patiuntur hi qui se tantùm beati Thomæ, aut Scoti, aut Ocę dictis subiiciunt, vt ab eorum placitis, in quos iurasse videntur, nomina sortiantur, quidam Thomistę, alij Scotistæ, alij Ocanistæ, &c. appellati. Paulus quidem iussit, captiuare intellectum nostrum sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis. Quò fit vt hi qui tã leuiter de hæresi pronunciant, non expendentes de qua re loquãtur, sæpè sua ipsorum feriantur sagitta, incidantque in eam foueam quam aliis parabant. L. 1, 7.

Obiect. de veritate doctrinæ Iesuitar.

Verùm doctrinam sanam, scripturæ & patrum autoritate subnixam & suffultam ad nos afferunt? De illorum doctrinæ capitibus & rationibus, Domino volente, aliàs erit locus dicendi fusius. Interim vos, Fratres Chariſſimi, videte & attendite, ne fallaci veritatis imagine oculorum vestrorum aciem perstringant. Miserum est & luctuosum, si homines cum Ixione pro Iunone nubem, cum Isaaco pro Esau Iacobum, cum Iacobo pro Rachaële Liam, cum Iudæis pro Christo Eliam & aliquem prophetam, aut cũ Herode Ioan. Baptistam, id est, aliud pro alio, malũ pro bono, tenebras pro luce, pro vero Iesu vix Iesu vmbrã, pro cœlo gehennã sibi deligãt & amplectantur, omniq; sua spe miserrimè frustrẽtur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Numisma Papistarum adulterinum.

Quærite ab illis, Cuius hoc numisma aut inscriptio quæ obtruditur? Dei esse, non possunt verè affirmare. Ergo proditores coram Deo non prædicatores deprehendentur: In numismate enim tria solent requiri: vt materia sit probata, aurea vel argentea: illorum est subærata & plumbea: vt pondus iustum sit: illorum leue est: vt legitima sit inscriptio, illorum non est regis cælestis, sed Papalis & humana. At proditores vocari durum? at eos qui agunt, qui docent proditoriè, sic vocari iustum: & de suspicione multarum proditionum iam dictum est: Et Roiardus Minorita, id mihi videtur imprudens dixisse, quod istos reos faciat: Proditores profectò sunt, qui præferentes speciem pietatis quasi Christi insignia ad Christi hostes defecerunt. An nõ deficiunt, cùm loco Christi in omni dogmate suo, aut Papæ prærogatiuam, aut hominis dignitatem prædicant? aut aliquid Christo admiscent? Quis virorum aut fœminarum vnquam ex ore istorum audiuit, ô qui sitit, venite ad aquas, &c. gratis emite? Quis illud? Cur expenditis pecuniam, pro eo quod non est cibus, & laborem vestrum pro eo quod non satiat? vbi Hiero. Ipse Christus aqua & panis est qui de cœlo descendit: Quis audiuit illud, Si quis sitit, veniat ad me? aut illud, Venite ad me omnes: ac non potius pro illo, aliud, Venite ad matrem Ecclesiam Romanam extra quam non est salus, redite ad Papam, nos recipite? alioqui peribitis: hoc iugum conscientiis hominum: hanc damnationis doctrinam auribus eorum ab istis cursoribus insusurratam esse, à fidei bonę hominibus accepi, noui & expertus pronuncio. Cùm semper Aphrica aliquid noui monstri producat, cùm omnes nouæ sectæ aliquid noui afferant: an putatis Iesuitarum nouam religionem aliquam nouæ reli-

Part æstiua Do. 14. post Pentec.

Ies. 55.

Hier. 1. Ies.

gionis formulam non apportasse: vt sua nouitate fiat ipsa orbi Christiano commendatior & gratior? Polydorus Virgilius sic scripsit, Sic quotidie à nouis hominibus nouæ inducũtur religiones, inter se tam versicolori vestitu quàm ratione vitæ minimè conuenientes. L. 7. c. 2.

Aperiamus sanè & explicemus nouitatem istarum mercium vt videatis & vos, fraudine an lucro futura sit hæc negotiatio, hæc noua Legatio: In qua prædico vobis huius noui Dramatis hanc fore Catastrophen: in tota hac sua Actione, sicut catuli panniculos, sic istos scripturas sacrosanctas lacerare, vt noui scilicet actores huc aduentãtes, nouam hanc & venustam dent vobis siue Comœdiam siue Tragœdiam. Quid ergo docent? quid adducunt? non pro ære aurum vt Iesaias prophetauit, sed pro aureis ænea, quæ est Diomedis & Glauci apud Homerum commutatio: adducunt non thesaurum sed carbones, Agnos Dei, quos Agnus Christus nunquam probauit, quorum virturem ex Vrbani Quinti confectione & constitutione potestis perspicere: & etiam ex commẽtario de rebus Iapponicis, nominatim ex Epistola Aloisii Froës, vbi mirabilem narrat fabulam de multiplicatione Agnorum: allatam fuisse pyxidulam cerearum Agni cœlestis imaginum, quas Romæ summus Pont. consecrauerat, eas à quadam anu & aliis expetitas, tanta auiditate, vt ceram in particulas minutissimas secare coacti fuerint, quæ tamen vna Christianis mille quingentis ac triginta sufficerit, quas omnes, vel argentea, vel ænea, vel stannea theca inclusas, cum nomine IESV spinea corona circumdato, & cum tribus ad imam crucem clauis incisis religiosè conseruarunt.

Esa 60. Quæ sint merces Iesuiticorũ negotiatorum: 1. Agni Dei, &c.

Nomen Iesu.

Docent & adducunt aquam lustralem qua 2. Aquæ lustrales,

Universidad de Deusto
Biblioteca

eiúsque mirifica & maleficà vis.

in nouis insulis multa Iesuitæ miraculosè faciũt, qua epota homines aduersa valetudine ac maximè febri conflictati eadé ipsa hora sanantur, qua icti à venenatis serpentibus curantur: quam mulier ebibens,& suauiter quasi Angelus, IESVS, MARIA, pronuncians,ilico à Dæmone liberata est.Consimilis est historia in epistola cuiusdã ad patres societatis IESV,annexa libello de persecutione Anglicana,etiam hoc tempore: illum voluisse,totum se traditurum in Iesuitarum societatem & obsequiũ:atque fretum patrocinio B. MARIÆ & omniũ sanctorũ,dũ ROSARIVM DICERET,superna quadam spiritus dulcedine repletũ, hilarem factum,ad perferenda tormenta paratũ ad extremũ cùm putaret sinistrã manũ in medio palmę vulneratam,& sanguinem effluxisse: nihil tale fuisse,nec alium hũc dolorem, præter illum manus;persentiscere. Quid non credant occæcata mens,& stultitia,& superstitio? Homo inquit ille circa mortem phantasias videt:sic & Mundus in exitu suo multos patietur errores.

In Comment. de reb. Indicis.

Chrys. L.2. Epist. de Iaponicis rebus.

De virtute autem Aquæ huius Iesuiticæ,magnificè in Epistola prædicat Duartes à Sylua, Ægrotarum corpora non alio medicamento curantur à nobis,nisi Aqua Benedicta, cuius virtus in hoc regno multis experimentis, præsertim verò in oculorum curatione,quibus Iaponij vulgò laborant,est comprobata: vt eius petendæ causa à Leucis decem vel duodecim vndique concurratur ad nos. Quo Alexipharmaco multos pristinæ valetudini restitutos,& alios morbos complures

L.3.Epist.

in illis regionibus pulsos Consaluus Ferdinandus testatur. Ferri possent hæc in Iesuitis, vt domestici rerũ suarum testes sibi blãdiantur,ac suis placeant,ac regnum suum amplificent fictis ac prodigiosis fabulis. Sed mirandum est Copum

Anglum

Anglum adeò fatuum ac credulum fuisse, vt non solùm credat, sed etiam tanquam credibilia nobis referre eũm non pudeat: Aquam hanc piacularem seu benedictam à muto linguæ impedimentum,& in alio paralysim depulisse: & multas mulieres prius steriles fœcundas fecisse, & immanem maris tempestatem tranquillasse: & sorices,qui omnia sata miserè vastabant,à terris Christianorum in proximos gentium agros fugasse: & Christianos hanc ob causam aliquem semper ex Patribus accersere,vt ab eis hac aqua consecrata profundi possint. Hæc Copus,qui tamen præter auditum nihil habuit. Non sic Euangelistæ, Non sic diuus Ioannes,Quod scimus loquimur, quod vidimus testamur.

Alanus Copus. Dial.1.

Fœlix Anglia Iesuitarum auspicatissimo aduentu, quos experietur non solùm doctissimos Theologos ad conuertendum & seruandum animas, verumetiam fœliciſsimos medicos ad curandũ corpora:ità vt breui nec Iudæis, nec Arabiis,nec Græcis,nec Latinis,nec Galeno,nec Paracelso,nec Medicis,nec Chirurgis,nec antiquis, nec recentioribus opus habitura videatur.In hoc Papismus & Reformata Religio differunt, obest ille,hæc prodest Medicis. Medicos frigere & fugere necessum est,Iesuitis præsentibus: quandoquidem omnium malorum & morborum præsens remedium erit Aquæ benedictæ aspersio. At Euangelij Instauratio,vt prudẽter vidit & eleganter dixit D.Amerbachius,omnibus aliis detrimentũ præterquã medicis attulit,quia pictores, sculptores,omnes Demetrij Argentarij Dianæ Ephesinæ cultores,statuarij,aurifabri & cæteri esurire nunc se queruntur: At postquam Antonius, Rochus, Apollonia omnésque Sancti morbis mederi desierunt: quos pro medicis non habet reformata

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia: reditur iam ad medicos: istísque præteritis illi iterum consuluntur.

De miraculis Iesuitar.

At enim intromissi huc, edent miracula? Iam responsum est de miraculis Indiæ: procul absunt, mentiri possunt: fama malum, & eundo crescit. Nã & apud nos aliquid factum esse dicebant, sed adhuc certò non constat, nihil asseritur, aliquid tamen velut Apocryphum mussitatur. Campianum factum esse Mirabiliarium: in Tamesi aquas stetisse, non fuisse fluxum aut refluxum, cùm ille ex Arce Londinensi ad suam Passionem, ad locum supplicii deduceretur. Ita Campianus erit non solùm Romæ sanctus, sed Deus qui virga cursum aquarum inhibere & sistere potuit: erit Christus, qui mare tranquillauit: erit Canuto Rege longè potentior, qui non procul à Southamptonia dixit, Hãc paruulam vndam meo imperio cohibere vel remorari nequeo, vt testatur Polyd. Virgilius lib. 7. Anglic. Historiæ. Sed faciant mirabilia. Quid tum? Diabolus signa potest facere: & in signis ac prodigiis veniet Antichristus: Dæmones spiritus sunt inconspicui & subtiles, possunt suis præstigiis oculos fascinare & sensus nostros perstringere. Miracula Magi Aegyptiorum olim præstiterunt, quibus & populum infatuarunt, & Pharaonem regem obdurarunt. Sed in miraculis Mosaicis & Magicis hæc erat differentia: Magi egerunt incantamentis, Moses Dei verbo & potentia: Magi colubros produxerunt imaginarios, Moses veros: Magorum serpentes non poterant nocere, Mosis serpens vnus Magorum duos comedit. Talia sunt istorum confícta miracula: sine verbo: vana & phantastica, nec iam locus est miraculis, cùm in omnem terram verbum sonuerit, & in India olim, vt ex Synopsi Dorothei Episcopi Tyri constat, qui narrat Bartholomæum Indis Euangelium

Mar. 8.

Differentia miraculorum.

gelium Iesu Christi prædicasse, & Matthæi Euangelium illis tradidisse: & apud nos hodie, prædicatum est Euangelium, vt confirmatione nouorum miraculorum non egeant, nisi quia doctrina Antichristi noua fortassis opus habet nouis miraculis.

Con. I. Anglicũ de Christiana Peregrinatione

Est alius Peregrinator qui reliquias in sua, vt vocat, Christiana Peregrinatione miris extollit laudibus, & eas tanquam amoris symbola decantat: & istos Dei agnos & cætera quæ apportãt donaria, inter hæc mutuæ charitatis pignora & munuscula connumerat. Sit ita sane: fuisse olim eiusmodi dona: sed hæc Iesuitica illorum esse similia probare debuisset, si de re subiecta loqui & non à proposito digredi & deerrare voluisset. Illa fuerunt antiqua puriore seculo, hæc noua & suspecta, hæc corrupta Antichristi tempore, illa priuata signa beneuolentiæ, hæc publicæ tesseræ superstitionis: illa spontanea, hæc coacta: illa viuẽtium xenia, hæc mortuorum monumenta & exuuiæ: illa vera, hæc ficta: illa vulgaria, hæc consecrata: illa amicorum dona, quæ vltrò citróque commeant, hęc inimicorum munera, à Pontificibus Romanis missa, vt istis nugis superstitiosam plebeculam inescent, sibi concilient, à Deo, à Principe abducant. Iterum moneo vt sitis Promethei, Romanæ Pandoræ pyxides nolite accipere, nolite tangere: ne sitis ἐπιμηθεῖς, ne serò post factum sapiatis, vt ille de quo Hesiodus,

De Reliquiis & ibidẽ miraculis.

Accepit, tactúsque malo tum demique sensit.

Meministis dona esse quædam accipiẽtibus letalia: tale donum erat Aeneæ licet alioqui Pii, qui Didoni Reginę gladium dedit, sed quo se illa transfixit. Tale erat donum Deianiræ, quæ Herculi vestem misit, sed venenatam, qua semel induta

& calefacta, grauissimè homo fortissimus excruciatur. Nouimus apud Patres memorari quædam ad sepulcra sanctorum miracula: Ergonè hodie aut fiunt vbique, aut exorcismo creaturarum à Iesuitis fieri posse & debere credamus? Augustinus in eo loco, quem Peregrinator ille profert, narrat primùm, non esse necessaria nunc, vt olim, miracula, tum facta necessariò fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus: Quisquis adhuc prodigia vt credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Narrat secundò illa in Dei nomine facta fuisse, & non ita nota, nisi paucissimis: nec tanta vel authoritate commendari, vel tanta claritate illustrari, quanta illa, quæ sacrarum literarum canone recitantur: & ideò recitantur, vt fidelium populorum memoriæ inhæreant. Tertiò narrat illam cæci hominis illuminationem Mediolani ad sepulchra Protasij & Geruasij: illam pueri rota obtriti resuscitationem: & illam duorum Podagricotum sanationem ad memoriam Sancti Stephani Martyris, aliáque generis eiusdem miracula, ideò à Deo edita, quia in eum, qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, qui ascendit in cœlum cum carne in qua resurrexit, viui crediderunt: nec Augustinus vsquam reliquias eorum circumferri voluit, sed deridet, nec de cultu eorum, vel Sanctorum veneratione & inuocatione, qua hæc fierent, quicquam tradidit: sed omnia fidei verè credentium & Deo singulariter operanti tribuit: Quod ex istis locis patet, Quid erat in cordibus exultantium, „ nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis ef„ fusus est? Præterea ipsi Martyres, huius fidei „ Martyres, id est, huius fidei testes fuerunt. Et ibidem, Pro ista fide mortui sunt, qui hæc à Domino

Obiect. ex Augustino.

Solutio.

De ciuit. Dei. l. 22. c. 8.

In opere Mona.

Aug. de Miraculis.

De C. D. l. 22. c. 9.

mino impetrare possunt: Et capite sequente, Sed nobis martyres non sunt Dij, quia vnum eundémque Deum & nostrum scimus & martyrum. Cato. Et rursus demonstrat non esse Christianismum illa ætate Paganismum, vt quemadmodum Ethnici suis Diis templa ædificarunt, sic ipsi Memorias extruerent suis martyribus, quibus neque aras erexerunt, vt illis sacrificarent, nec sacerdotes instituerunt, quia sacerdotes Dei non ipsorum fuerunt. At nunc cùm ista omnia à Papistis ad hominum cultum detorqueãtur, cum illa Sanctorum monumenta & sepulchra hoc tempore diruta & sublata sint, cùm non veros martyres digna & debita veneratione prosequantur, sed suorum Sanctorum nomina in Calendarium referũt, eorum imagines & reliquias colant: cùm finis diuersus sit, quoniam Patres Dei cultum hinc confirmarunt, isti Angelorum adorationem stabiliuerunt, cùm sui quæstus causa ostentent & vendant, ex his magnam dissimilitudinem esse animaduertimus, & propterea non possumus hodie, nostro calculo istas ineptias & absurditates comprobare.

Concludimus ergo cum Augustino iisdem verbis quæ Peregrinationis autor adduxit, fieri nunc multa miracula eodem Deo faciente per quos vult & quemadmodum vult. Concludimus ex Chrysostomo, qui non pictum aut ligneum Christum, aut imaginarios Apostolos, sed veras Christi reliquias viuidè & graphicè depinxit: Christus enim in Sacramento Eucharistiæ & Baptismi, sensibilibus rebus & signis, sed oculis nostri intellectus exhibetur. Nam sic ait Chrysostomus: O quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre:

L. 22. de Ciuit. Dei c. 8.

In Matth. Hom. 83.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradidit, non vt videas solùm, verùm etiam vt tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat. Idem Chrysostomo non optat vi-
In epist. ad Philemonem. dere aut habere Petri claues aut tunicam, non
» Pauli gladium aut sudaria, sed ea tantùm quæ vti-
» liter vel dixit vel scripsit vel fecit: Non modò e-
» nim inquit tã paruas epistolas, & pro rebus adeò
» necessariis oportuit scribi: sed vtinam non de-
» fuisset, qui nobis Apostolorum historiam dili-
» gentissimè traderet, non tantùm quid scripse-
» rint, quídve locuti sint: sed vt sese per omnem
» vitam habuerint, quid & quando comederint,
» quando sederint, quò ierint, quid diebus singu-
» lis gesserint, & in quibus partibus vixerint,
» quam introierint domum, quò nauigauerint, v-
» binam applicuerint, atque omnia diligenter ex-
» poneret, adeo illorum omnia eximia vtilitate re-
» ferta sunt.

L. 4. de rebus Iappo. anno. 1562. Iterum suas merces extrudunt & laudant Annos Iubileos, Papales benedictiones, sic olim Gaspar Vitela Meaci proclamauit. Sic olim publicauit Sixtus Quartus inter Heluetios, in quibus æternã salutẽ appromittit pugnaturis cõtra hęreticos (putà Christianos) pro libertate suæ Ecclesiæ. Nouit enim Pontifex Maximus supremũ illud & callidissimum caput Italiæ, Germanos & Anglos sem-
Mercatura indulgentiarũ per tanquã simplices & asinos ab Italicis ingeniis haberi, qui omnia Romanensium commenta amplexari, omnes eorum nugas coëmere consueuerunt. Sacerdos Italus audita Germani cuiusdam confessione, etiam reliquiis sanctis proficiscen-
In theat. hist. Reliquiæ Asininæ apud Italos. tem cõmunire & honorare voluit: deditque homini quasi rem magni pretij sed tectam videlicet pedem asini cui Christus insedit inuolutum Sin-
done,

done, indicto silentio, ne cui diceret aut prodere-
ret, sed tanquam thesaurum in Germaniam defer
ret. Cùm ad Alpes peruentum esset, ostentat re-
liquias comitibus peregrinationis suæ, quos sin-
gulos etiam iste sacrificus asini pede donauerat:
Ex istis vnus tot pedibus conspectis, Ergóne, in-
quit, asino huic quinque pedes fuere? Quid non
mortalia pectora cogit credere stulta superstitio?
Ingenio planè ad omnem pietatem credulo an-
tehac fuit Germania, quod in centum graua-
minibus suis aduersus Papam non negant Germa
niæ illustrissimi Principes. Ita profectò ex altera
parte mille artibus & dolis ad fallẽdum instructa
est Italica Ecclesia. Quanquam & ea quoque ali-
oqui sapiens hic desipuit, imò etiam caput eius
Ecclesiæ.

Cur enim non liceat mihi dicere quod ipsi Car-
dinales de suo Capite aliquando fateri non eru-
buerunt? Corruptum Romanæ Ecclesiæ statum e-
mendaturus Cœlestinus Quintus nõ ab equis ad
asinos, vt vulgo dicitur, sed ab asinis orsus, ad e-
quos postea fortassis descensurus, hoc primum ie-
cit reformationis suæ fundamentum, vt Cardina-
les mulis & equis relictis Christi more & exem-
plo asinis veherẽtur, ipseque asino primus insedit
vt aliis exemplum humilitatis præberet. At Papa
non humilis à suis Cardinalibus, sed fatuus &
asinus dictus est, eoque deriso abierunt. Isto-
rum trium quæso quos maximos asinos existima-
bimus? an Germanos peregrinantes, qui Itali fal-
laciam deprehenderunt & deluserunt? an Pon-
tificem qui in reformatione seria, exemplo Chri-
sti abusus, de asinis in primis præcepta tradidit?
an Cardinales qui tale Caput asininum Ecclesiæ
caput vniuersale delegerunt? Hoc vafro & ma-
litioso artificio, vos etiam, fratres ornatissimi
Cœlesti-
nus asino
vectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ludificare conantur; & aureis imò plumbeis Benedictionum pollicitationibus ac Confessionibus efficient quod de Pseudoprophetis prædixit Apostolus, Clàm introducent sectas pernicioſas, Dominum qui illos mercatus est abnegantes, &c. qui per auaritiam vos fictitiis verbis negotiabuntur. Caueant autem isti Nugones fucorum & fumorum venditores Indulgentiarij: caueant ne sequatur iustum D. Petri salarium, quod sibi ipsis celerem interitum concilient. Peregrinabaris, inquit cuidam Socrates, tecum: ideò mirum non est peregrinationes tuas esse inutiles. Ego verò Iesuitis dico, quia peregrinantur secum, imò à Deo: idcirco hanc eorum curiosam legationem pessimè casuram & sibi & suæ Ecclesiæ. Nam cùm aduersus hanc sedem Romanam Sacri Imperij proceres sua grauamina in Comitiis Norimbergæ proponunt: de his Indulgentiarum prædicatoribus & Stationariis articulos quosdam exhibent: eos Bullas suas venales & inauditas peccatorum Condonationes exponere, noxas præteritas, futuras viuentium & vita functorum in Purgatorio remittere: hinc homicidia, furta, rapinas: hinc stupra, incestus, adulteria: hinc periuria, ac totam lernam malorum originem traxisse: eos peragrare Castella & oppidula, prædicare sancti alicuius, putà Valentini, Huperti, Cornelij, Anastasiiue sanctimoniam: Ordinem Mendicantium nihil ruri, nihil in vrbe sinere intactum: ideóq; à Terminis quos adeunt dici Terminarios. Idem in Conuentu Wormacienſi tractatur, Mendicantes Romam magnā pecuniæ vim importare: Legatos impudentissimos emitti in Germaniā, afferre Papales Benedictiones & facultates, vt vocant, vt liberos vulgo conceptos & spurios legitimos faciant. Hoc est Beati

2. Pet. 2.

Principes cō. Indul. & Stationarios.

Terminarii.

Petri

Petri amplissimum testimonium, hæc Indulgentiarum nundinatio: qua occasione clarissimi nostræ Religionis instauratores exuscitati, cęperunt primò Pontificios errores patefacere, & à Papali Ecclesia, & ab his rapacibus Harpyiis discedere, quas olim Alphonsus dixit ex Insulis nouis Romā conuolasse, & adhuc nidum ac domicilium suum habere compertum est. Hinc diuinitus oblata est ansa Ioan. Hussio ab ecclesia Rom. secedendi, ex Indulgentiis nimirum Ioannis Papæ ad Bohemos missis pollicentibus plenam condonationem delictorum iis, à quibus auxilium aduersus Ladislaum Regem Neapolitanum Rom. Ecclesiæ rebellem latum fuisset: Vnde ex Bohemorum secessione nonnullam plagam accepit Romanus Pontifex. Hinc Lutherus excitatus est, cùm intelligeret Tetzelij Dominicastri in suis Indulgentiis promulgandis impudentiam, eas nulla circuitione vsus apertè damnat, tanquam meras fraudes, & veluti retia, quibus Romani noui Petri sed præposteri piscatores piscari consuescant: aitque istos Quæstores Pontificios audacter asseueresse, animam in cœlum euolare, quā primum iactus numulus in cista tinnierit. Hinc hac ianua primùm patefacta, aliisque innumeris erroribus magis ac magis à Spiritu sancto reuelatis, Saxones Rom. Ecclesiæ nuncium remittunt. Eandem occasionem in Heluetia accepit D. Zuinglius, cùm eandem mercaturam Franciscanus quidam Sampsonus apud eos exerceret, de animarum in cœlum euolatione eandem cantilenam occinens. Itaque si Iesuitæ in Angliam hunc ob finem se recipiāt, vt suas mercēs pudendum in modum populo nostro diuendāt: idem stipendium, idem præmium expectent. Væ væ, Ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa

Impudentia indulgentiarū causa secessionis ab Eccl. R.

Ioan. Dubrauius. H. Boh. l. 13. I. Hussius.

Lutherus L. de Captiu. Baby lonica.

In prop. 1.

H. Zuing.

Apoc. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortis, quoniam hora vna veniet iudicium tuum. Et negotiatores terræ flebunt & lugebunt: quoniam merces eorum nemo emet amplius: non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, non byssum & purpuram, non oleum, non thus, non similam, non animas hominum. Hæc sunt ornamenta quę secum inuehunt in hanc Ecclesiam Iesuitæ.

Apportant? quid? Confessionem: Sic enim Romæ ordinatũ est, vt illi præ aliis huic muneri prę- Confessio Auricul. ficiantur, quæ si non esset, ipsi nulli essent: nimirũ hæc clauis est non regni cœlorum, sed regni sui: hæc non cœlum nobis, sed viam sibi in cameras & consilia principum, in omniũ diuitum capsulas, in omnium mulierc ularum arculas referat. Hæc clauis est clauium, qua in sinus omnium influunt, qua apud omnes gratia & gloria circunfluunt: sed tamen hæc priuata clauis publica est fidei Christianæ Panoletria: quam veteres Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus tãquam spuriam non agnoscunt, & tota Ecclesiæ historia publicam Exomologesim narrat & laudat, priuatæ autem huius pœnitentiæ fructum vel potius labruscam propterea abrogatam esse, ostendit in sua historia Ecclesiastica Socrates. Quæ est autem pœnitentiæ Iesuiticæ norma? Vsitata quidem, sed ab illis interpolata: & Confessio clauis secretorum Principũ. singula & secreta Regum, nobilium, plebeiorum peccata in aure Sacerdotũ demurmurantur: vnde non rarò voces emissæ per ipsorum Confitentium iugulum redeunt. Et quanquam coram Iudicibus quibusdam, vt audio, Iesuitæ obtenderint secretaConfessionis nõ posse reuelari: tamen non ignorant esse quosdam casus in quibus fas sit illa religiosi silentij repagula rumpere: & norunt Papas omnes esse omnium Secretorum Secretarios: Pudet

I.3.c.19.

det deinde nominare quæ Franciscanos, Dominicanos & religiosos non puduit perpetrare: ideóque breuitatis studio ad Erasmi Exomologesin vos remitto quę istorum sacra Veneris & Floræ aliquantulum reteget & denudabit. Quatuor mihi in hac Confessione præter hæc quæ dixi, nominatim suggillanda videntur: Primum, persona presbyteri Pœnitentiarii, monachorum & religiosorum, qui vt imperitia sæpe & morum impuritate ipsam plebem, quam informare & corrigere debebant, longè superant: sic Parochis in sua Ecclesia faciunt iniuriam, dum vt hodie faciunt in Anglia Iesuitæ, aliis iustis pastoribus reiectis, illi Confessiones audiunt, partes illorum sibi vendicant, de quo Armachanus olim meritò conquestus esse videtur. Alterum est quod habet Augustinus: Christum suum iugum fecisse leuius: Apostolos exonerasse gentes & Iudæos: nunc Ecclesiam Christianam nouis huiusmodi præsumptionibus aggrauari. Tertium est, quod id exigunt quod fieri non potest, itaque onus non ferendum est. Quis enim potest aut memorare omnia aut meminisse? Ait Dauid, Ab occultis meis mũda me: Ait Olympiodorus, Singulorum hominum facta sunt quodammodo infinita, vt eorum meminisse nequaquam possimus. Quartum est, quod hîc aliquam meritorum portionem constituant: ita vt & in Quadragesima, & ante sumptionem Eucharistiæ, & in extremo mortis conflictu demurmurationem istam rigidè flagitent: adeò vt Magister Sententiarum, Innocentius tertius & Hugo: Sine hac confessione non patere viam in cœlum contendant: Et Rodolphus quidam, Sacerdotes sic commissa nostra meritis leuare & potestate relaxare: & non esse decorum, vt quis sine mediatore aliquo iusto in-

Quatuor in conf. errores.

In r.c. Eccle.

L.4. d.17. In Con. Lat.c.21. Hugo de potestate Ecclesiæ In Leuit. l.3.ca.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dulgentiam petere præsumat: & tamen licet hæc Auricularis Confessio sit ita multis de causis vitiosa, pernitiosa, fugienda, tamen quia vt Sacramentum cum aliis quatuor in Ecclesia nostra non retinetur: hinc scilicet nostræ refugiunt & horrent Ecclesiæ vestibulum. Sed quid ego de illorum doctrina dicam, quum ipsi Doctrinam Spiritus sancti locupletissimam Diuinæ voluntatis testem Sacram Scripturam carpant & criminentur, esse mutam? quæ tamen est tuba & vox Dei, ad extremos orbis terminos pertonans: esse obscuram, quam Petrus lucernam in loco caliginoso positam vocat: non esse supremam iudicem sed Ecclesiam, quas omnes cauillationes Rob. Crovvlæus noster abundè diluit, & hortor Tho. Pondęum generosum, eum librũ diligenter legere, vt discat de sacrosancto Dei verbo augustius sentire, suúmque iudiciũ ex diuini verbi præscripto limare & corrigere. Aliud doctrinæ genus est quod nostris propinant, non esse vobis cum Ecclesia nostra communicandum, & nobiscum expostulant, quòd sacris nostris interesse, templa frequentare, couciones audire, legibus publicis huius regni moueantur & mulcta pecuniaria cogantur. Quibus respondeo cum August. Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cedendo, sed ambo diligendo. De qua legum mulcta licet suprà dixerim, tamen hîc plura necessariò afferre impellit istorũ clamosa importunitas. Fœlix crux quæ ad crucifixi Iesu Christi agnitionem trahit, & mater Ecclesię bona, quæ amore materno, timore liberali, vbera benignè & verbera prudenter subministrat. Fœlix necessitas, quæ ad meliora cõpellit, vt præclarè Gersõ Parisiẽsis Cancellarius. Cõfitemur religionem non cogi, fidem esse Dei donum:

Doctrina Iesuitar. de Scriptura.

R. Crovvlæus, ad Tho. Pondæum.

Doctrina de vitãda nostra Ecclesia.

Ad Bonifac.

Mulcta & metus legum.

Con-

Confitemur cum Gregorio, Nouam & inauditam esse prædicationem, quæ verberibus exigit fidem: Confitemur cum Bernardo, Fides suadenda est non imponenda, Quanquam, vt idem subdit, Melius proculdubio, gladio coërcentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorẽ multos traiicere permittantur. Confitemur cum Augustino, Intrare posse hominem in Ecclesiam nolentem, accedere ad altare posse nolentem, accipere posse Sacramentum nolentem, credere non posse nisi volentem. Item, Ramum viridem ostendi ouibus & trahi, nuces pueris demonstrari & trahi: Sic in spiritualibus multò magis trahi quibus Christus à patre reuelatur.

Ad Io. D. 45.

In Cant. S. 66.

In Ioan. Tract. 26.

Deinde addimus, vt Deus incrementum dat, vt, omnis qui audiuit à patre, & didicit, is venit ad Christum: sic Paulum plantare, Apollo rigare, homines audire oportere & discere. Itaque idem Augustinus, Exterior, cultor arboris, interior est creator. His subdimus, non modò ista doctrinę & prædicationis media adhibẽda, sed & aliis etiam quasi cauteriis vtendum, vt Paulus prius cogatur & prosternatur, dein à Christo vberius doceatur, vt qui ad cœnam Domini vocati per seruos non veniunt, per eosdem intrare compellantur. An illud Terentianum excidit, Ætas, metus magister prohibebant? sic omnes Pamphili, sic philauti, sic homines auersi tractandi sunt vt resipiscant, & in officio contineantur. Tertullianus, Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est non suadenda. Hæc ab illo Patre dicta videri possunt durius: tamen quando idem ostendit fructum coactionis, æquissima est oratio: Sic enim ait, vtique qui imponit præceptum, extorquet obsequium. Quem-

con. Gnosticos.

admodum & sua ætate attestatur Augustinus vbi experimento certo hanc vtilitatem moderatæ disciplinæ in epistola ad Vincentium comprobat. Hæc primitus mea sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis; sed demonstrantium superatur exemplis, Legum enim terror ita profuit, vt multi dicant, Gratias ago Domino, qui vincula nostra dirupit. Quare fixum & firmum maneat hanc crucem non esse inutilem: Virgam iuxta Basilium interdum esse παιδευτικὴν: & totam hanc illorum querimoniam esse plusquam puerilem, maximè cùm ipsi nos volentes nolentes in ordinem suum cogere, & ad obedientiam suæ Ecclesiæ redigere soleant: & sanè Mariana persecutio testatur rem non sine vulnere & sanguine abiisse. Et nunc Ioan. Houlettus contendit in sua ad Regiam Maiestatem præfatione, de Euangelicis posse, de Romanensibus non posse sumi supplicium: Siccine in hoc Romanensi foro æquum videtur, vt alius plectatur, alius ne quidem appelletur? Imò potius vt Christus patiatur, & dimittatur Barrabas? Et vt papistæ sancti & intacti sint, & Protestantes puniamur?

I. Houlet ti Paradoxum.

Sed quibus tandem rationibus conficiunt & concludunt, non debere Catholicos nobiscum communicare, non debere Deum nostra lingua, nostro more & ritu in nostris templis colere: PRODIIT enim Anonymus quidam, in suo breui vt vocat discursu seu tractatu: Cuius nulla argumenta cohærent, nec in re ipsa insita sunt & infixa, sed foris procul assumpta & verè commenia: quæ nostram magis causam quàm Pontificiam reuelare & adiuuare videantur. Imò quæ olim in ea quæstione doctissimi patres nostri, Lutherus,

Solutio rationum Io. Houletti & libri discursus, quod non communicandum sit cum nostra Ecclesia.

therus, Melancthon, Bucerus, Caluinus, Martyr, Musculus, Viretus de superstitionibus, Missis aliisque papistarum sacris vitandis tradiderunt: ea iste contra nos, sed ineptè & sinistra manu eiaculari voluit. Quare vna litura omnes illæ literæ deleri, vna figura Retorsionis omnia illa iacula hebetari possunt. Sic enim intorqueantur eadem tela in aduersarium.

Confutatio per Retorsionem.

Ergo Prima ratio quænam est? Subest periculum contagionis? Assentimur: Deserendæ ergo (fratres) & deuitandæ vobis sunt Pontificiorum Ecclesiæ, ne, si picem tetigeritis, ea vos contaminetis. 1.

Secunda, Oborietur scandalum? Astipulamur: ergo cœtus eorum fugite: ne conscientiis vestris laqueus iniiciatur, ne proximus infirmus offendatur: ne hostis scandalum patiatur, & vestra præsentia triumphans vobis tanquam victis insultet. 2.

Tertia, Debent omnes religiones sua quædam certa & propria signa habere, quibus à se queant internosci: Concedimus ergo, ne eãdem cum papistis religionem complecti videamini, ab iisdem externo ritu & Ecclesiasticæ disciplinæ forma ac ratione discrepare velitis. 3.

Quarta, Si templa illa adeant, erit sicut in Regno Roboami, sic in Ecclesia schisma & discissio? fatemur: ergo ne diuidamini: nec Romanensium synagogis aut conuentibus vos aggregate. Obtestor vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos schismata, sed coagmentati sitis eadem mente & eadem sententia. 4. 1. Cor. 1.

Quinta ratio est participatio: Nolite ergo in hæresi papistica consentire, ne culpæ participes in suppliciis participetis, ne hæreticos non deut- 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantes,cum hęreticis in eandem pœnarum societatem veniatis.Sexta, Hypocrisis,& dissimulationis crimen incidet? ergo in eorum templis nec domi nec foris comparete:illorũ idololatricis cultibus nolite vos polluere. Qui non est mecum, contra me est. His argumentis ad vestram vtilitatem,fratres, vos armate. Annon enim se rationibus suis tanquàm sagittis propriis confixerunt? Annon in eodem laqueo,quem contra vos abscõderunt,comprehẽsus est pes eorum?Si quis enim voluerit ea latius persequi , verissimum esse comperiet:quod ab autore illo propositum erat , non fuisse probatum : Maiorem sine Minore,generalẽ propositionem sine applicatione induci : itaque nihil facere contra nos Complexionem: imò totum librum esse cothurnum,qui vtrique pedi cõueniat , imò qui nobis magis quàm ipsis accommodetur. Nam septimo loco quod sequitur , etsi aliquo modo ad propositum videtur pertinere, tamẽ etiam ibidem oberrat, & veritatis scopum non attingit,aut falsa infercit,aut aliena interserit,& est Antistrephon ipsisque magis multò verius quàm nobis adaptari poterit. Quæ est enim illa ratio?Ecclesiæ nostræ liturgia mala est? Quid ita?Quia Scripturas in ore habent,sicut prisci hęretici.Apagesis. Scripturas in ore habere pudet Catholicos?Cum prophetis,cum Christo , cũ Apostolis habere in ore,in corde,in templo,in priuatis ædibus nos gloriamur: cum illis non pudet dicere,Scriptum est,Os Domini locutum est: nó pudet nos Euangelii Christi. Translatio mendosa est? Nodum in scirpo quærunt , Cæci sunt aut lusci,& in oculatos iaciunt conuicia? Suam versionem Latinam Tridentinorum patrum calculis solam Authenticam nobis probent:dein nostram sua lima posteriore corrigant. Quid deinde?Non sunt

6. Matt.22.

Psal.9.

7. De Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ.

Translatio.

sunt in templis nostris Imagines? non mirum, quia id non prȩcipitur,nos admittere veremur:illi licet prohibeantur,non verecundantur: Filioli custodite vos à simulacris. Nec habuit istos idiotarũ libros,ista anicularum spectacula , istas puerorum imagunculas prima Ecclesia vt ex Cyrillo, Arnobio & aliis liquere potest , nominatim verò ex Tertulliano in Apologia : Nec se,nec Ecclesiã suam frigidas mortuorum statuas & imagines adorare quas milui, & mures, & araneæ videntur contemnere: quas Diogenes & Diagoras derisérunt.Diogenes,inquit Tertullianus , nescio quid in Herculem lusit.Ibidem Commentator,Diagoras Melius cùm in diuersorio quodam nulla sibi esset materia ad coquendam cœnam præter Herculis idolum,Age,inquit,Hercules, certamẽ nobis obeas decimum tertium, & excoquito lẽtem. Si ergo & nos imaginibus istis focum nostrum accendimus & nos calefacimus,cur frendit Papismus? Desiderantur quinque Sacramenta? Spiritus mendax loquitur : Confirmamus & catechisamus paruulos , ordinamus Ministros,celebramus Matrimonium , ad pœnitentiam vocamus, publicè priuatim Deo peccata nostra suppliciter ad remissionem , proximo humiliter propter reconciliationem confitemur.

Imagines

1 Io.5.

Sacramẽta.

Non vngimus infirmos? Non sumus Apostoli : Nec oleum Apostolicum est oleum Iesuiticum: Nec ista propriè sacramenta vocantur à patribus. Et Autor sacramentorum quis est,nisi Dominus Iesus? inquit Amb. li. de Sacramentis 4.ca.4. Hæc autem Christus vbi instituit,tanquam Sacramenta? Desunt Missæ in nostra Ecclesia , Non deest Communio sancta , quam solam Christus instituit. Desunt altaria? Non

Missę,&c.

sacrificamus Iudaicè, non mactamus in Euangelio pecudes: contenti sumus Mensa sacra & Dominica. Non oratur hìc pro animabus defunctorum hominum? Nec est opus, quia boni quiescũt: nec opis est nostræ, malis mortuis succurrere, non magis quàm medici possunt curare mortuos: Laudamus viros præclaros, vt extat commemorabile exemplum in Ecclesiastico. Precamur, vt nos Deus è faucib. Rom. Pon. eruat, vt à tyrannide Leonis vindicet? Falsum est: sed tamen licuit sic precari, quia Dauid siue Christus Deum orauit, vt eum à vitulis multis qui circumdederunt, à tauris pinguibus qui obsederunt, à Leone qui rapuit & rugit, vt ab omnibus hostibus liberaret: & Christus sic orare docuit, Libera nos à malo. Est Octaua ratio, si nostras inuisant Ecclesias, priuabũtur beneficio & priuilegio Catholicæ religionis, nimirum Altaris sacrificio: Pulchra iactura carere sacrificio Papistico, quod Christi passioni derogat. Non est dispendium sed compendiũ. Non videbunt Angelos descendentes & ascendẽtes in Eleuatione corporis Christi? Nõ sic deliramus, vt credamus ibi prẽsentes esse Angelos, vbi Christus præsens corpore suo nec est nec esse voluit: aut vt quod nemo hominum vnquam vidit, nec videri à nobis, nec à quoquã potuit, id nos cum illis stultis in Erasmi Exorcismo spectatoribus videre nos confiteamur. At Missæ ea suauitas, ea comoditas est, vt huius causa non centum tantùm Marcas Catholicus amittere, sed etiam centum mille mortes oppetere debeat. Ego tanti pœnitere nõ emerim: Istuc ergo nõ Anglis meis nec amicis optauerim, sed desperatissimis hominibus, quibus cum Phormione res ad restim rediit planissimè: quibus nec res nec spes est, quibus placet vox illa desperationis plenissima, Abi

Precespro defunctis.

Cap. 44. Preces vt liberemur à R. tyrannide Psal. 21.

8.

Præsentia Christi in eleuatione.

Missæ pretium 100. Marcæ.

Abi domum & suspẽde te. Non sunt nobis claues Ecclesiasticæ? Non potestatis fortasse sed scientiç, non tyrannidis sed ordinis: non Pontificiæ sed Christianæ sunt. Nulla est confessio? Non auricularis & quadragesimalis, qualis est ab isto discursatore assignata, quæ sit ad salutem necessaria: de qua diximus. At non consequentur merita bonorum operum, nisi in Rom. Ecclesia? Nec in Romana, nec in Anglica meritis vllorum operum vllus locus esse debet: In vinea denarius est datus operariis, vt primis sic nouissimis, non sicut isti laborarunt, sed sicut vineæ Domino bono placuit. Sed longiorem posui orationem, nõ necessariò, quandoquidem omnia & singula istius Cursoris argumenta non cursim, sed copiosè & doctè frater meus in Christo obseruãdus P. VVibornus iamdudum refellit.

Claues.

Confes.

Merita in sola Ecclesia Ro.

P. VVibornus.

Supereſt alia Iesuiticæ doctrinæ species omnium Christianorum hominum ac omniũ bonorum ciuium auribus odiosissima, qua docent populum non debere suam fidem, obedientiam, obseruantiam in rebus licitis & honestis Iuramẽto Regiæ Maiestati obstringere. Iuramentum Primatus alii multi damnant, vt ille persecutionis Anglicanæ historicus fabulosus, qui non à publica persona vlla, non à Magistratu, non in Comitiis publicis, non à viris Ecclesiasticis, non ab Academicis hoc exigendum vllo modo: inprimis G. Alenus magnus hoc tempore Papistici cœli Atlas, non probandum, non rationi, non naturæ consentaneum, non possibile, non cum Dei verbo cõiunctum, non cum Ecclesiæ decreto cohærens, non honori Regiæ Maiestatis conueniẽs, sed omnibus modis onerosum omnium conscientiis expressè statuit. Cur ita verò? Nec enim satis est dixisse Apollinem, oracula iis temporibus indigent pro-

Doctrinæ aliastipulæ de non iurando Principib.

In Apol. Aleni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

batione. An iurare omninò improbandum censent? Id verò Anabaptisticum esse (scio) non diffitebuntur: An repugnat sacro Dei verbo? Iurare in Dei nomine, in veritate, in iudicio, in iustitia? An pugnat cum naturæ lege, Cùm iuramentum bonæ fidei requirat ante Legẽ Abrahamus à seruo, vt fidelis esset, & vxorem filio Isaaco de filiabus Canaan non acciperet? An rationi dissentaneum quod religioni consentaneum? Quid aliud hoc iuramẽto exigitur quàm quod à suis Israëlitis postulauit Iehosue? Populus Israëliticus iurat Principi, se aliis diis reiectis soli Deo seruiturum & eius voluntati obediturum. Populus Anglicanus aliis exteris Dominis & potestatibus relictis, Iuramento Deo suam obedientiam, Principi suum obsequium promittit: cui rerũ ciuilium & Ecclesiasticarum ex diuini verbi præscripto procurationem concedit, & externos principes ac pontifices ab eadem iurisdictione intra huius regni & regionis fines excludit, sanctéque recipit ei omne debitum officium & obseruantiam deferre, omniáque priuilegio antiqua & Regni iura velle defendere pro virili & sacra tecta conseruare. An hinc vlla existere potest cõscientiæ benè formatæ & edoctæ quæstio: an vllus scrupulus aut scopulus aut metus vllius naufragij? An absurdum est Regiæ Maiestati parere?

Hier. 4.

Ios. 24.

Est autem Regina mater patriæ, nutrix Ecclesiæ,

Paret Carnifici renuens parere parenti.

An quod patres nostri suis Regibus sæpè præstiterunt, & nos omnes hodie facimus, id fieri nõ potest? Iurauit Deus Optimus Maximus nobis per seipsum: & nos in eius verba, pro eius aris & focis & religione iurare ipsi detrectabimus? Iurarunt olim Reges, Pontifices, iustitiæ & pacis custodes populo, vt in Summa prædicantium ap-

I. Brom.

paret, Quod æquũ omnibus faciẽt, nec hoc dimittent, *Ne pour bon gré, ne pour mal gré, ne pour dons, ne pour promesses*: recito enim autoris verba, & repono scriptionis ipsissimã formulã: & principi populus vicissim suam fidem non obligabit? Legatur Constitutio noua, in qua sic iuratur: se Dominis suis sacratissimis Iustiniano & Theodoræ coniugi puram conscientiam, & geminum seruitium præstaturum, se cum sanctissima Dei Catholica & Apostolica Ecclesia communionem habiturum, neque ei vlla vnquam in re aut vllo modo aduersaturum? Annon hîc & in ciuilibus & Ecclesiasticis rebus omnis operę & omnium officiorum perfunctio, omnis obedientia promittitur? Iurare licuit Iustiniano: & Elizabethæ negatur? Licuit tum hoc officium Deo & Dei Ecclesiæ exhibere, & hodie non erit licitum? Imò quod Pontificiis contra Deum Romæ permissum est, id nobis pro Deo erit illicitum? Cur enim suas deformes Iurandi formulas non recognoscunt? Extat lex Clementis Quinti, de iuramento Cæsaris, vt Ecclesiæ Romanæ priuilegia cõseruet, libertates protegat. Quæ autem illa sint ex constitutionibus Calixti, Pelagii, Nicolai secundi, aliorũmque clarum & planum est, esse nimirum placita Romano rum Pont. Hinc Cornelius Agrippa rectissimè, Ex horum, inquit, canonibus didicimus, &c. summi Põtificis esse bella gerere, dissoluere fœdera, soluere Iuramenta, absoluere ab obedientia. Quod tamen nullo iure Diuino debet. Deus qui dixit, Vouete, dixit, Reddite. Et reddes Domino Iuramenta tua. Et istæ teneræ & tremulę conscientiæ, quæ nõ possunt Regiæ Maiestati se in licitis cauis submittere, In Papatu quid non admittũt, quibus rebus inanissimis non subscribunt? Expendatur formula iuramenti Imp. in vita Hildebrandi

De Iuramento licito imperatori.

De formulis Iuramẽti Papistici illicitis.

Iuramentum Imperatoris.

& ibidem formula Pontificiæ abrogationis, Beati Petri Apostolorum Principis, &c. Henricum deiicio, Christianos omnes imperio subiectos iuramento absoluo: præterea quia monita mea imò tua contempsit, eum vinculo Anathematis colligo: certò sciens te esse Petrum in cuius Petra, vt in vero fundamento rex noster Christus ædificauit Ecclesiam. Legatur Iuramentum Othonis, vbi per lignum saluificæ crucis & per sanctorum reliquias suo Domino Ioanni iurat se pro viribus Romanam Ecclesiam eiúsque Rectorem exaltaturum. Perpendatur alia formula Episcoporum, Ego N. electus N. Episcopus &c. vbi fidem & obedientiam Beato Petro, Sanctæque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ & Domino Papæ atque successoribus Canonicè intrantibus pollicetur: consilium se, quod ipsi concreditum est, per se aut nuncios seu literas, ad eorum damnum, volentem & scientem nemini patefacturum. Papatum Rom. & Regalia Sancti Petri & successorum conseruaturum: Regulas sanctorum Patrum obseruaturum, hæreticos, schismaticos, & rebelles Domino nostro pro viribus persequuturum. Examinetur alia formula in Bulla Pii Quarti, de ordinatione & promotione Doctorum & aliorũ cuiuscũque artis & facultatis professorũ, In qua iurant se Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes admittere: se credere Trãsubstãtiationẽ, realem prẽsentiam, Missę verũ, proprium & propitiatorium sacrificiũ, vnius speciei Communionem, Purgatorium, animarum ibidem leuationem, suffragia pro mortuis, Cultũ & venerationem imaginum, sanctorum inuocationem & reliquias, Indulgentiarum salutarem potestatem: se agnoscere Sanctam, Catholicam & Romanam Ecclesiam tãquam omnium Ecclesiarum matrem & Ma-

P. 63.

In decretali de Iureiurando

Iuramentum Episcoporũ.

Mysteria Papę non reuelãda.

Iuramentum Doctorum.

& Magistram, se Rom. Põtifici Petri Apostolorũ principis successori ac Iesu Christi vicario spondere, iurare, & omnia concilia, ac præcipuè Tridentinũ recipere ac profiteri. Cuius hæc est conclusio, Hãc verã Catholicã fidem, extra quã nemo saluus esse potest, quã in prẽsentia spõte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retineri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum me: Ego idẽ N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euãgelia. Alia sunt multa & votorũ & Iuramẽtorum genera, quando suis Abbatibus, Prioribus, & Præpositis, & superstitiosẽ, & vanè, & arroganter quæ vires excedunt, scilicet quæ Bernardinus de Bustis parte 2. Ser. 27. tria religionis principalia fundamenta vocat, Castitatem, obedientiam, mendicitatem cæteráque vouent, seque quodammodo hominũ seruos cõstituunt: quæ asinina humilitas verè dici possit. Qui si illa tria Ioan. Hussij præcepta seruarent, vt à consuetudine iurandi, à leuitate, ab inductione aliorũ ad iurandum sibi temperarent, non ita se darent præcipites in omne periurium. Iuramentum nõ est iniquitatis vinculum: Et verè Augustinus, Non est peccatum verum iurare, sed grande peccatum est falsum iurare. Quare dum Allenus Theologiam, rationem, naturam, conscientiam huic sacramẽto refragari & reclamare asseuerat: quid ipse externis hominib⁹ perfidiosè spopõderit, & quid patriæ parenti iure debeat, planissimè est oblitus. An enim ægrè ferunt, quòd suam fidem Reginæ & legitimis successoribus obstringant? At enim sic in studiis ipsorum, vt vocant, vniuersalibus, seu Academiis studiosus iurat se fore obedientẽ Beato Petro, quod Petrus nõ re-

Iuramenta & vota religiosorum.

Sup. Mar. c. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quirit, & Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quod nullo iure exigit, & Papæ & successoribus legitimè intrantibus, quod incertum est & infinitum. Et Bonifacij Octaui vulpinus introitus falsum & malum esse conuincit. Cæterùm parum re tulerit quomodo intrent Canonicè, nisi viuãt, & regant & pascant Canonicè, dicẽt se dubitare an Regia Maiestas sit suprema regni sui in omnibus causis gubernatrix? & non temerè iurãdum quod ignorant? Prudenter id quidem: Non negamus. Quod dubites ne feceris: & in iureiurando adhibenda est propter Deum testem, Iudicem, vindicem religio, & propter iurantis personam, munus, officium, attentio. Sed cur hac in re fluctuẽt, cur vacillent? Testificandum coram Deo attestante conscientia, manu tangente codicem Euangelij? Ceremonia Iuramenti nihil est, modò res iusta sit, & animus iurantis bonus, & religiosum Iuramentum. Seruus Abrahæ iurat manu subtus femur posita: Iudæi libro Legis apprehenso, nos contacto sacro Euangelio. Sed ostendant, inquiunt, ex Euangelio, vel ex patribus, vel ex Conciliis, vel ex praxi Ecclesiæ, vel exemplo Constantini & Imperatorum rei Ecclesiasticæ administrationem non fuisse penes Ecclesiasticos. Iam ostendi ex Iustiniano: & curam religionis pertinere ad Reges, Dauidis oraculum, & tota eius in Ecclesia Israëlitica rei Ecclesiasticæ ratio & disciplina, & Augustini eius Psalmi interpretatio: qua ille Donatistis, nos Papistis os oppi-
Epist. 50. "lare possumus. Quomodo, inquit, Reges Do-
"mino seruiunt in timore, nisi ea &c? Aliter enim
"rex seruit, quia homo est, aliter quia etiam & rex
"est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter:
"quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præci-
"pientes & contraria prohibentes, conueniẽti vi-

Primatus. R. M.

gore

gore sanciendo: sic seruiuit Ezechias, lucos & "templa Idolorum, &c. destruendo: quibus Iosiæ "Regis Niniuitarum Darij exemplis subiicit. Cui "adiungamus colophonis loco grauissimam eius- "dem patris sententiam cõtra Cresconium Gram- "L. 3. c. 51. maticum, Reges cùm in errore sunt, pro ipso er-" rore leges contra veritatem ferunt, cùm in ve-" ritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa ve-" ritate decernunt: Ita & legibus malis probantur " boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex Na " buchodonosor peruersus legem sæuam dedit, vt " simulacrum adoraretur: idem correctus veram, " ne Deus verus blasphemaretur. In hoc enim reges sicut eis diuinitus præcipitur, Deo seruiunt inquantum reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verumetiam quæ ad diuinam religionem. De Constantino quod dicunt monstrum est, qui Episcopus dictus est, qui Episcopos inordinatos in ordinem coëgit, qui precum formulam militibus tradidit, & Eusebij de vita Constantini omnes libri testimonium luculentissimum suppeditant. Qua de re aliàs dixi, & alibi fortassis scribam latius. Itaque nulla est conscientiæ carnificina aut crux Præfectis in Domino obedire, Diaconum & ministrum Dei summum Magistratum agnoscere & vereri, ei legitimam potestatem in regendo & corrigẽdo attribuere. Omnis anima potestatibus eminẽtibus Rom. 15. subdita sit, inquit Apostolus, Ostendẽs quòd ista Ibidem Chrysost. imperentur omnibus, & sacerdotibus, & mona- Ser. 23. chis, nõ solùm secularibus, id quod statim in ipso " exordio declarat, cùm dicit: Omnis anima pote- " statibus supereminentibus subdita sit. Etiãsi Apo- " stolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis " tandẽ fueris. Neq; enim pietatẽ subuertit ista sub- "

iectio. Caueantque ne in errorem incidant Henricianorum aut Apostolicorum, qui Iuramenta nec licita probarunt, nec peierare dubitarunt. De qua hæresi Bernardus, Eò licentius quò latentius,

Super cant. ser. 65.

Iura, periura, secretum prodere noli.

Quod etiam de Priscillianistis tradidit Augustinus. Sed ne miremur ab his negari iuramẽtum principibus, cùm se ab omni seculari potestate immunes & liberos somnient. Syluester, Nullus laicus audeat clerico crimen inferre. Vtinam etiam illud memoria repeterent quod ex Concilio Chalcedonensi citatur, Quosdam irregulares & effrenatos Monachos ad ciuitatem Constãtinop. excurrisse, & in ea perturbationes tranquillitati Ecclesiasticæ intulisse, & diuersorum domos corrupisse. Sed de istis plus satis.

C. 2. 9. 7.

Par. 2. c. 16. q. 3.

Exhortatio ad Anglos.

Par. 2. q. 7. cap. 2.

Avgiæ Romani stabulum fide qua debui, modestia qua potui, aliquantulum vobis aperui. Cùm enim Iesuitas suorum Præpositorum secreta retegere Iuramenti religio prohibeat: Sententia enim Cham filij Noë damnantur, qui suorum doctorum vel præpositorum culpam produnt, & Patrum verenda monstrant: nolui ego vos hæc (clarissimi viri) celare: ne securitatem & otium meum, vel principis vitæ, qua regnante omnia summa & cœlestia adepti sumus, vel patriæ saluti, quæ omnes omnium charitates complectitur, antepositisse videar. Quod meũ studiũ omnibus bonis Anglis, qui modò habent aliquid sapiẽtiæ imò sanitatis, probatum iri confido. Aliorum Momorũ si qui sunt, vel iniuriæ vel calumniæ deuorandæ sunt aut mussitandæ, duce Deo, comite patientia, suffragante mihi bona conscientia. Si vnquam, si vsquam, si alibi, si aliquãdo: certè nunc nunc loqui necessarium, silere turpissimũ. Ostendi

di non omnibus nunciis fidendũ: Sunt boni quos Pindarus dixit πάντων μεγίστην πρᾶγμα παντὶ φέρειν. id est, Honorem maximum omni rei afferre. Sunt curiosi qui se obtrudunt, antequam missi fuerint: & istos ostendi inuocatos huc veniisse: sine causa os suum hîc offerre: impudenter ad nos conuolare. Clamauit perdix & quæ non peperit congregat, Hieremias. Perdix diabolus est, per hæreticos congregat, Hieronymus. Sunt nuncii bilingues & hypocritæ, & legati sæpe aliud stantes aliud sedẽtes narrant, in legationis causa aperiẽda titubãt & variant, aliud in ore, aliud in corde aut in literis gerunt: quos Achilles Homericus se dicit tanquã portas inferorum execrari. Aduẽtus causas ostendi veras & retrusiores: ostendi alias ab ipsis inuentas & allegatas. Verè huc omnia spectare videantur: vt omnia misceantur, res nouentur, & mutentur, papatus reuocetur, populus in fraudem alliciatur, & contra Magistratum à Deo vnctum concitetur: qui Rom. Pontifices vt olim contra Henricos, Ludouicos, Ottones, Fridericos, Ioannes, alienos, nostros superioribus seculis: sic contra Henricum Octauum, Edouardum, Elizabetham nuperrimè multa tentarunt. Aliud quidem lingua eorum sonat, sed aliò digitus intendit, aliud manus molitur. Medea fugit in via, fratris sui membra dissipat & dispergit: mens aliud egit: vt dum pater ossa colligeret, eius in persequendo celeritatem retardaret, ipsa è manibus effugeret. Sparsum est à Pontificiis contentionis pomum: Legationis causæ aliæ atque aliæ confictæ sunt: vt dum illis implicaremur & occuparemur, ipsi fœtore post se relicto fugiant, nos incendio fortassis excitato conflagremus. Ostendi causas ab illis citatas, & friuolas esse & impias: sicut de eorum doctrina, confessione, Mi-

In Pythiis. Hymno 4.

Cicero pro lege Man.

raculis, Indulgentiis & alienis næniis & nugatoriis mercibus dictum est. Vos autem Angli ne in deteriorem partē inflectat vel Iesuitismi nouitas, vel religionis larua, vel hominū persona, vel opinionum probabilitas, vel sectatorum multitudo, vel amicorum suasio, vel consuetudinum depravatio, vel vlla humanæ rationis subtilitas. Satā vt olim alia atq; alia specie sæpius apparuit: ita veste monasticase nō semel repræsentauit. Obiicit Albertus Pius Carporum comes per iocum Erasmo aliquando excidisse, ridiculam & quæstionem & responsionem: Quid est charitas? Pallium monachorum: operit quippe multitudinē peccatorum. Equidem sic cogitate, quod ille facetè dixit, seriò ab illis fieri. Cogitate Pontificis Romani assectatores in illa tali legatione nec pium, nec honestum, nec vtile sibi præfixisse. Nō est pietas Christiana, fratres, non religio quam tradunt, sed infinitum chaos superstitionum, quo vos inuoluere cupiūt. Vnus pater qui in cęlis est Deus: vna fides est vera quæ verbo continetur: Vna via in cœlum Christus. Piè Chrysostomus, Nisi ambulauerit quis per viam, nō poterit peruenire ad patriam. Attēdite vobis ab aliis qui se Magistros, seminatores Patres in terris nuncupāt. Patres sunt præposteri & ἄτοπον: vel per insciti ā vel per inuidentiam. Petitis enim vos panē, dant lapidem, petitis piscē, dant anguem: Vlysses apud Homerum Cyclopi vinum postulāti dedit, sed largius, hoc animo, vt illi madido & bene poto oculū effoderet & perterebraret. Alia voce loquitur Psittacus, alia coturnix, alia luscinia, alia cuculus: sic aliter Christus, aliter antichristus seruus diaboli, Christus agnus est, humiliter balat: diabolus lupus est, vlulat, aut quia serpēs est, sibilat: sed Christus solus est vitę dominus, ille mortis opifex & artifex. At respondebunt Iesuitæ: & suam nobis doctri-

nam probabunt? Responsuros verisimile est: probaturos non possibile, nō credibile. Loquax enim est peruersitas & peruicacia, non sequax. Verè Horatius, --*Centum adde catenas,*

Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.

Aliquam proculdubio inueniet rimam satan sophista, qua elabatur & perrumpat: vel cauillando vel colorando nubeculam offundet. Sed quid est contra veritatē incrustatio & sermonis calliditas aut elegātia? In fictili poculo vinum homines sapientes malunt bibere, quàm venenum in aureo. In paradoxis Cic. elegātissimè, Capedines & vrnulas non minus Deo gratas esse quàm delicatas pateras. Quicunq; ergo suasu & impulsu istorum timet se nobis adiungere, cum Nicodemo noctu accedat & periculum faciat. Bene Bonauentura, Qui audit mel esse dulce, & non gustat, nomen mellis scit, gratiam autem & saporē mellis ignorat. Gustate & videte, quàm suauis sit noster Dominus, quàm sana & sapida nostra religio: cùm illorum deliciæ melle sint perlitæ, sed plusculum aloes admixtum habeant. Nec pium est quicquid in principem aut in patriam fit impiè. fit autem, si cuniculos fodiant ac vineis agant, vt subuertant rempublicā. Nec honestū est quicquid est impiū: Inhonestū est principi fidē datā fallere. Cur autē Reginæ se subtrahāt, & adulterinæ Ecclesiæ Romanæ subdāt: cùm illa nihil religiosius, nihil clementius, ista nihil superstitiosius, nihil immitius sit, equidē mirari possum, cōiicere nō possum: nisi quia omnes deteriores sumus licētia, omnes nouitatis æquò & iustò auidiores. Vobis hæc hæc mutatio nō erit vtilis. Videtis istos esse mensarū asseclas, aliena quadra viuere: hoc crumenæ vestrę erit onerosum. Et q̄ olim ex Vadisco de peregrinatione ad Rom. Petrū dictū est, id Iesuitar. & Papistarū disciplinæ cōuenit: Tria Roma reportabitis,

Romæ ritia ornamenta.

deprauatam conſcientiam, corruptum ſtomachum, vacuos loculos. Gregorius iſte eſt alter Hermes,

Gaudet honorificabilitudinitatibus, Hermes
Conſuetudinibus, ſollicitudinibus.

Scopus Gregorianorum eſt Celſitudo, honorũ apices & culmina: ſcala qua ſcandunt, medium quo adipiſcuntur: argumenta quibus hoc extorſerunt, non Scripturæ authoritates ſed placita hominum, conſtitutiones, conſuetudines: finis verò & extremum erit ſollicitudo: ipſiſque autoribus & omnibus eorum vocem audientibus corporis & animi vexatio.

Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti Satanam conterat ſub pedibus noſtris, quo vindicati ab omnibus inimicis noſtris, & ex manu hoſtium liberati, ipſi intrepidè ſeruiamus, in iuſtitia & ſanctitate ambulemus omnibus diebus vitæ noſtræ, quò religionis puritate, patriæ tranquillitate, Principis Maieſtate quàm diutiſſimè fruamur. Amen.

PVRITANOPAPISMI, SEV DOCTRINÆ IESVITICÆ aliquot Rationibus ab Ed. Campiano comprehenſæ, & à Ioan. Dvræo defenſæ,

CONFVTATIO:

Et ex iiſdem Fundamentis Reformatæ noſtræ Religionis

ASSERTIO:

Autore Lavrentio Hvmfredo S. Theologiæ in Acad. Oxonienſi, Profeſſore Regio.

Auguſtin. ſup. Ioannem Tract. 46.
Sua illi ſi velint docere, nolite audire, nolite facere, certè tales ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.

Hieronymus in Præfat. in Ieſaiam.
Legant prius & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare.

AMPLISSIMIS VIRIS, D. GVILIELMO CECILIO BARONI BVRghleiensi, *Summo Angliæ Thesaurario*,

D. ROBERTO DVDLÆO Comiti Leicestrensi: R. M. Consiliariis honoratissimis, Academiarum Cancellariis dignissimis, omniúmque studiosorũ Patronis obseruandissimis, Laur. Humfredus Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum Iesum precatur.

QVAMVIS *Attica lege vetitum sit Oratoribus proœmio longiore præludere: tamen mihi nunc placet magis illa Iurisconsulti sententia, Nefas videri in foro causas dicentibus, nulla præfatione facta, iudici rem exponere. Liceat ergo mihi venia & pace vestra, Ornatissimi* Cæius.

Cancellarij, præfari, & quidem vtrumque vestrum vnis literis hoc tempore affari, non quòd mea hæc digna putem, quæ in vestro illustri nomine appareant: nec quòd velim vna ardelia duos parietes, quod aiunt, dealbare: sed hoc necessariò mihi faciendum fuit, partim quia non dissentaneum est, quos vnum iungit Officium, quibus vna nostrarum Academiarum procuratio & eadem solicitudo incumbit, eosdem vna coniungere Epistola: partim quia Edm. Campianus & Ioan. Duræus Iesuitæ Academicos Oxonienses & Cantabrigienses simul consalutarunt, & ego illorum exemplo adductus reliquum sermonem omnem meum ad eos direxi: vos, qui Rectores & Cardines nostrorum gymnasiorum estis, præterire nolui: maximè quia ego vtriusque Academiæ alumnus, & vtrique vestrum multis nominibus deuinctus, hac qualicunque dedicatione animum non ingratum testari debui: Imò Arbitrium vestrum honorarium propter prudentiam appellandum, & defensionem propter autoritatem implorandam, & gratiam propter humanitatem qua præditi estis, in hoc difficili & ancipiti certamine petendam mihi censui. Equidem agnosco librorum scribendorum

dorum hodie nullum esse finem, ideóque potuissem facile Hieronymo subscribere, Si omnino, inquit, huic labori supersedissem, optimè feciſem, & iuxta illud Flacci, In syluam ne ligna feras, Aut enim eadē dicerem ex superfluo, aut si noua voluerimus dicere, à clariſsimo ingenio occupata sunt meliora. Deinde scio quid sit tot crabrones irritare: & propterea mallem ab hac contētionis scabie vngues omnino abstinere. Vt obsequium sic interdum silentium parit amicos, veritas autem vna hostes habet multos: quam nostræ ætatis morosiſsimine dicam an delicatiſsimi homines horrent, nō minus sanè, quàm phrenetici medicum, quàm serpentes odorem, quàm noctuæ lucem fugiunt. Aduer Pe lag. l. 3.

Hinc nos tot diſsidiorum fluctibus contūdimur, & agitamur, & in prælia volentes nolentes protrudimur: cùm alij tamen aduersarij aliter affecti sint, vt veritatis huius odio, hæc tranquilliſsima nostra pax illis placere nullo modo poſsit, vtque planè contentionum istarum flammis velut pabulo suauiſsimo pasci videantur. Ego verò testor Deum, me nec omnem Iesuitarum ordinem in crimen vocare, nec quenquam libenter lacessere: vtpote qui ignarus & expertus

sum hæc infausta certamina omnem pietatem veram, omnem religionis sensum paulatim delere, & homines dum in his concertationibus & in hac dogmatica & scholastica parte nimis occupantur, non rarò amittere Practicam.

Hæc ego qui vera esse video, qui dissidiũ hoc Ecclesiæ quouis malo grauius ac peius iudico: tamen & nominatim ab aduersarijs prouocatus, & à superioribus imperio quodam protractus, quomodo salua conscientia possem silere, non intelligo. Cæcias ventus nubes & tempestates traxit: quis pro viribus ad subueniendum & ad sedandum non accurret? Vlularunt iamdiu lupi summissi ab externo Principe Papa: quis non approperabit vt ouiculis succurrat, vt istos abigat? Magisterio & auspicijs illius Pontificis Romani, ministerio Iesuitarum fluctus excitati sunt: quibus ipsi autores obruti sunt: quis hîc patriæ opem aliquam adferre, quis illos miseros relictos superstites iuuare, admonere, eripere si posset, omnibus mõdis non conabitur?

Ad Catechum.

Itaque dicendum est his exulceratissimis temporibus cum Augustino, Cogimur, dilectissimi, non tacere, cùm potius expediat flere, magis quàm aliquid dicere. Me autem

autem ad scribendum impellunt multa, promissum meum, quod non dubium sed debitum esse oportet, tum rei grauitas, pugnatur enim non de tribus capellis, sed de possessione veræ doctrinæ: ὑπὲρ χρημάτων ἀλλὰ περὶ πίστεως: *Demum aduersariorum importunitas & calliditas, quorum omnis oratio eò magis cauenda est, quò magis est exterius melle perlita. Olim vulgare fuit, Admirabiles fuisse in nectendis machinis AEgyptios: hodie non minus est verum, Tales esse in dolis consuendis nostros Puritanopapistas, quos sic meritò vocare libuit, quia præ omnibus Papistis & monachis se solos sanctos, se solos eruditos, se solos egregios credunt, quos non modò populus sed quos Deus diligat.* In vita Nazian.

Iesuitæ Puritanopapistæ.

Quò autem meum propositum à vobis, Illustrissimi viri, perspiciatur clarius: illorum prius cõsilia, & conatus, deinde meam de illis opinionem in hoc tempore aperiam planius: vósque rogo vt me benignè absque molestia attendatis.

Sicut omnis ætas suas habet feces & contagia, sic pestes duæ huius nouissimi temporis quasi propriæ & pernicioſæ comites sunt, quæ turbant nostrum Israelem, in Republica conspiratio, in Ecclesia conten-

Duæ pestes nouissimorum temporũ.

tio: quam vtramque Camerinam hodie Ie-
suitismus præcipuè commouit.

ETENIM sicut in causa Religionis à no-
bis opinionibus & iudicijs dissident hi noui
puritano papistæ: sic ea omnibus vijs & vi,
omni contentione & ardore animorũ mor-
dicus & pertinaciter tuentur: quo tandem
aliquando suum Capitolinum Deum, seu
Conspira-tio & se-ditio in Repub. verius Idolum Lateranum in Anglicanam
Ecclesiam inferant. Huius conspirationis
exempla & satis manifesta & nimis multa
sunt: ac sanè dolendum atque mirãdum tot
ciues genere nobiles, animi magnitudine
præstantes, à Regia Maiestate honoribus &
beneficijs amplissimis affectos, Diuina Mi-
sericordia, beatæ pacis & fortunarum suã-
rum commoditatibus affluentes, adeo ad o-
mnem humanitatis sensum obrigescere &
obdurescere potuisse, vt illos nec ratio ab
hac amentia, nec Religio à sanguinaria su-
perstitione, nec Dei timor, nec hominum
pudor, nec pœnæ terror, nec patriæ amor,
nec tanta Serenissimæ Reginæ clementia &
philostorgia, nec vlla humanarum di-
uinarúmque legum reuerentia à nefario
coniurationis scelere vnquam reuocarint.
Si externi suas copias & opes coniungant,
quo

quo iure alienos fines inuadunt? Si verò
Ciues, cur patriæ suæ latera transuerberãt?
Cur in eius venas & viscera irruunt? Si ali-
eni, cur Dei potens brachium non reformi-
dant, qui iniuriam faciunt? Si domestici,
cur non amant talem Patriæ Parentem, per
quam tot Dei donis & benedictionibus in-
dies cumulantur? Quicquid enim præte-
xant homines solertes, olfaciunt tamen sa-
gaces viri & intelligunt, sub lapide inter-
dum dormire Scorpionem, & clam hîc subes
se aliquod iniquitatis mysterium: Sentiunt
illud Athanasianum non solùm olim Eu- Ath. ad so-litar. vitã agentes
sebianis, sed hodie Gregorianis conuenire,
Quandoquidem Ecclesiastico iudicio vin-"
cere non possumus, solita nostra vi agamus:"
Perspiciunt de Iulianistis dictum fuisse à"
Cyrillo aliquando, Eò tendere eorum cona-"
tus, vt alios fœdæ Idololatriæ morbo infice-"
re quærant, sicut serpentes in triuiis sedent,"
vt insiliant in eos, qui nihil sibi timẽtes se-"
curi ambulãt. Hæc ego, Nobilissime Comes,
prosequutus sum in prima parte Iesuitismi,
in tui nominis splendore euulgata: in qua
istas fraudes, artes, Praxim Romanæ Cu-
riæ detexi, & ex veteribus monumentis at-
que Archiuis deprompsi: non vlli homini,
vel vlli hominum ordini inuidiam aut pe-

riculum creans, sed nostræ commonefactionis causa continuatam historiæ seriem, & Commentarium rerum à Pontificiis gestarum, ad nostra vsq; tempora contexens. Constat enim tædas & faces omnium ciuilium incendiorum esse Pontifices Romanos: eorumq; assecłas, qui se Maiestatis Cæsareæ & Regiæ & omnium Dei Christorum deuotissimos iuratissimósque hostes planissimè omni tempore proclamarunt. Hæc Ate non Homerica sed Romana omnes Ecclesias labefactauit: Hæc res rationésq; Orientis proximis hisce aliquot seculis disturbauit: Hæc Græcos Christianos vulgo & principibus ipsis odiosos reddidit, & schismatis atque hæresis instimulauit, quòd contra vsum Romanæ Ecclesiæ in pane fermentato consecrarent: quòd Purgatorium negarent, quòd Pontificem Romanum vt verum Christi vicarium & legitimum Petri successorem non agnoscerent: vt Platyna & Vadianus prodiderunt. Hæc Germaniæ principes inter se commisit, interdum etiam Gallos & Anglos inuoluens: & Imperatores Henricos tertium, quartum, quintum, Fridericos duos aliósque diuexans. Hæc Childerici cum deponit, Pipinum Galliæ Regem declarat, cuius iussu & tuba inflammatus, Nouus

Ate Romana turbans omnia.

In vitis Pont. In Chersoneso.

Rex bella gerit, vt animæ suæ consulat, vt peccatorum suorum remissionem impetret. Sigonius.

Hæc non solùm Monarchas religione quadam sibi obstrinxit, & Regum conscientias irretiuit, verùm etiam omnes Ecclesiasticos proceres & sacerdotes quoscunque sanctissimis fidei sponsionibus & firmissimis Iuramentis sibi deuinctissimos habet: cuius exemplum sit formula illa in Consecratione Richardi Pati Vigornienſis Episcopi, assistente Cardinali Contareno, attestante Honofrio Pontano Ceremoniarum Magistro, præsente Setho Holanda presbytero Anglico, Romæ in Palatio Apostolico, Anno D. 1542. Pauli Papæ tertij anno octauo, Ego Richardus Patus electus Eccleſiæ Vigornien. ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato Petro ac sanctæ Romanæ Eccleſiæ ac Domino nostro Paulo Papæ tertio suíſque successoribus Canonicè intrantibus: non ero in consilio & consensu vt vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniuriæ aliquæ inferantur quouis colore. Consilium verò quod mihi credituri sint per se aut nuncios suos seu literas ad eorum dam-

Iuramentum Richardi Pati, quo se Papæ obligat.

num nemini pandam. Papatum Romanum ac Regalia sancti Petri adiutor eis ero ad defendendum & retinendum saluo meo ordine contra omnem hominem: legatum Apostolicæ Sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, ac in suis necessitatibus adiuuabo: iura, honores, & priuilegia, & authoritatem Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ successorum prædictorum conseruare & defendere curabo, nec ero in Concilio facto seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra personarum, iuris, honoris, status & Prælatis eorum machinentur, & si talia à quibuscunque tractari & procurari nouero impediã hoc pro posse, & quanto citius potero significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam peruenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reseruationes, prouisiones & mandata Apostolica totis viribus obseruabo, & faciam ab aliis obseruari: Hæreticos, Schismaticos & rebelles eidem Domino nostro & successoribus prædictis persequar

sequar & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam nisi præpeditus fuero Canonica præpeditione: Apostolorum limina, Curia existente citra singulis annis, vltra verò montes singulis biennis, vltra verò mare singulis trienniis per meipsum visitabo, &c. *Quid his Regibus Papæ captiuis seruilius? quid vilius? Quid hoc Clero sub hac Ate Romana miserius? quid afflictius? Prætermitto recentes & domesticas calamitates iam aduẽtu nouorum hospitum Iesuitarum nimium auctas: & vos appello, Amplissimi viri, qui Nicolai Sanderi in visibili Monarchia narrationem, & Nicolai Mortoni in Angliam legationem, & Facultates à Gregorio decimo tertio Edmundo Campiano & Roberto Personio concessas, maximè verò Diras illas & Nubes in Bulla Pij Quinti contra Augustissimam Principem* ELIZABETHAM *probè cognoscitis: quæ sanè Bulla bellorum omnium causa penè sola fuit, & planè omnem Pacis spem infregisset, nisi Diuina prouidẽtia hoc malum nostris ceruicibus imminens propulsasset. Videtis, Honoratissimi Cancellarij, primam huius ætatis plagam pestiferam, rebellionem & seditionem in Republica, qua ferè sola per an-*

Bulla Pii bellorum causa.

nos hosce septingentos viginti septem creuit papatus, omnisque Christianæ concordiæ ianua reuulsa est.

Opinionum varietas in Ecclesia.

Altera pestis est opinionum varietas & dissensio in Ecclesia: quæ vt his temporibus Iesuitarum appulsu valdè increuduit: ita tamen neque noua vobis neque mira videri debet. Primum enim vt palatorum sic iudiciorum semper magna est varietas: Et, Vt multæ facies hominum, sic & corda diuersa, vt habet Hieronymus. Deinde veritatis exorientem lucem non ferunt vespertiliones, vt in alio loco idem Hieronymus, „Hæc est conditio veritatis, vt eam semper „inimicitiæ persequantur. Et Tertullianus, „Quid? quod ita plerique clausis oculis in „odium eius impingunt, vt bonum alicui te„stimonium ferentes admisceãt nominis ex„probrationem: Bonus vir Caius Seius, sed „malus tantùm quòd Christianus. Odi Michæam, inquit Achabus, quia non prophetat mihi bonum sed malum: scilicet verum, sed nõ gratum. Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens? ait Apostolus. Non mirum si cuculus Philomenam auem musicam odio habeat: non placet Ioannes Baptista licet præco pœnitẽtiæ, nec Christus Iesus licet tubicen Euãgelij, nempe quia Pharisæis odiosa

Aduers. Pelag. l. 3.

In Apol.

3. Reg. 22.

Gal. 4.

odiosa est omnis veritatis prædicatio.

Remediũ aduersus conspirationes.

Hæc sunt mala quæ ingraueſcunt hoc tempore: nunc vt hæc mala Deo Optimo Maximo dirigente, in bonum aliquod nobis vertantur, vt morbis hisce duobus medicina fiat: date veniã, Clarissimi Cancellarij, dum meam apud vos profero sententiam. Admonere visum est & rogare. Admonebo populares meos, vt istos populares caueant & fugiant qui μδηκίζειν solent & simiarum more blãdiuntur, omnésque gestus effingunt, interim tamen velut flabella seditionis circumcursant, & vbique locorum populum concitant. Certè deterrere omnes bonos debet, & Dei sanctissima voluntas, & nostræ religionis certissima veritas, & aduersariorum maxima impietas, & patriæ arctissima charitas, & Principis summa bonitas, & Pacis amplissima commoditas, & è contrario ingens incommoditas discordiæ. Hæc est enim voluntas Dei, vt ipsum timeamus & Regem, & cum seditiosis non commisceamur: sed vt subiiciamus nos Regi tanquam præcellenti, Quia sic est voluntas Dei. Noſtra veritas inuisa quidem, sed inuicta est: Iactent Diocletianus & alij Romani se nomen Religionémque Christi deleuisse: Comperiet tamen

Dehortatio à Rebellione.

Voluntas Dei. Prou. 24.

1. Pet. 2.

Veritas Religionis nostræ

Domitianus supereſſe Chriſti vel cognatos, vel matres, vel ſorores, vel fratres, vel ſeruos, qui verbum eius & audiunt & faciũt: efflorèſcet in omnem perpetuitatem æterna veritas. Cognitio veritatis (noſtræ) mendacium (eorum) euertet, vt alicubi dixit

Epiſt. 56. *Auguſtinus. Aduerſariorum impietas atque adeo vafricies eiuſmodi eſt, vt omnes*

Aduerſarii. *eam perfecto odio proſequi debeant. Quis enim pius ferre poteſt aut in domo Adæ Cainum, aut in familia Noachi Chamum, aut in politia Moſis Dathanum, aut in palatio Dauidis Abſalonem? aut iſtiuſmodi qui ſcuto pacem petunt? qui altera manu aquam, altera ignem, altera caduceum, al-*

Patria. *tera haſtam afferunt? Patriæ charitas quò eſt interior & arctior, eò ſyncerior eſſe debet & firmior: quam quiſquis detestabili ſcelere violare auſus fuerit, eum ego vermibus ſimillimum iudico, qui lignum aut pannum, de quibus naſcuntur & nutriuntur, deſtruunt: aut colubro illi qui in ſinu Ruſtici calefactus, mordet calefacientem, ac propterea meritò ſicut malè fecit, ita malè audit,*

Cur tua cauda nocet carni, quæ carne quieſcit?

Viperinũ planè genus eſſe oportet, quod ſuam feritatem exuere nunquam diſcet: quod

quod non antè conquieſcet, quàm peßimum ſuum fœtum cum matris dolore & interitu pariat. Bonitas principis tanquam Magnes amoris, quæ Adamantina pectora ad obſequium non attrahat? quæ hactenus defendit bonos, abſoluit reos, ſupplicibus pepercit: cuius protectione ſecundum Deum proſperè, pacificè, quiſque ſub vite ſua degit, æs in argentum, gladij in vomeres, lanceæ in falces, prælia in prædia fælici Alcumia conuertuntur. Si velut Iuditha Angla Holophernis Romani caput abſcidit, ſi totum corpus doctrinæ pontificiæ amputauit: ſi etiã omnem eius caudã tollere poſſet, neminem bonum Iſraelitem ſtomachari aut indignari, ſed luculentiſſimum Dei præpotentis beneficium celebrare, præclariſſimum Ancillæ ipſius Regiæ facinus prædicare oportuit. Si quem flagitioſè, nefariè, proditoriè conſpirantem iuſtæ ſeueritatis acie percuſſit, id ſi rarò, ſi lentè, ſi leniter, ſi inuita, ſi crebrius irritata à maleficis, ſæpius perſuaſa à ſuis fecit, non crudelitati quæ nulla eſt, ſed iuſtitiæ quæ magna eſt, non naturæ Principis quæ mitiſſima eſt, ſed legum æquitati, quæ antiquiſſimæ ſunt, non ipſius voluntati, ſed & merito ſuo malo &

Princeps.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei imperio, qui non frustra gladiũ in manus porrexit, acceptum referant. Qui ergo DE PERSECVTIONE ANGLICANA *famosos libellos non verentur emittere, illi nostras de* IVSTITIA ANGLICANA *Responsiones dignentur legere: qui hoc viginti quinque annorum curriculo reos plus minus sexaginta ab* ELIZABETHA *neci traditos obÿciũt: illi vicissim Marianũ Quinquennium recogitent, quod non hæreticos, non homicidas, non patriæ aut principis Parricidas, sed nobiles, Reuerendissimum Archiepiscopum, Episcopos, Christianos innocentes circiter Quadringentos flammis absumpsit: Qui suos inter Martyres numerant: recognoscant Donatistas, Circumcelliones, Parmenianos apud Augustinum: Praxeam hæreticum, & Leænam meretricem quandam Conspirationis conscium apud Tertullianum: Alexandrum Latronem à Montanistis apud Eusebium, alios apud Optatum pro Martyribus habitos fuisse, & nonnullos eorum confœderatos prodere noluisse, multos fortiter mortem pertulisse. Qui hac Martyrij iactatione inflati sunt, audiant tandem Augustini grauissimum responsum, Rectè ista dicerentur à vo-*

Contra Parmeniani Epistolam, & Epist. 68. Aduersus Prax. L. Ad Martyres.

L. 5. c. 18.

Aug. l. 2. cõt. 2. Epi. Gaudent.

Aug. l. 2. cõt. Gaudent. c. 12.

à vobis quærentibus Martyrum gloriam, si haberetis Martyrum causam: audiant eiusdem Patris, & meum quoque votum, Vtinam errorem non vitam deposuissent. Quicunque autem supersunt, qui huic causæ tacitè fauent, certò sciant Regiam Maiestatem Clementia tanta vti toties, quòd id maximè in votis habeat, subditos allicere non alienare, seruare non perdere: Iustitiæ verò exemplа interdum in turbulentos & tribunitios homines statuere, vt reliqui fiant ad similia perpetranda tardiores: eam verò erga omnes Anglos suos ita semper esse affectam, vt Clarissimi quondam viri supremam vocem libenter & crebrò vsurpet, VTINAM POST DECESSVM MEVM BENE SIT PATRIAE, VTINAM TRANQVILLA SIT ECCLESIA. *Pacis commoditas quos non moueat? quos non delectet? quæ Deo gratissima est, humanæ societati vtilissima. Christus ait, Vade prius, reconciliare Fratri tuo, & tunc veniens offer donum tuum: Hinc Chrysostomus suauissimè, Plus diligit concordiam fidelium quàm sua munera. Cùm Republica optimè agitur, vbi Pisistratus & filius, Parens Pa-*

Bilibaldi Pirchemiri morientis vox.

Pax.

Matth. 5.

triæ & Ciues, Magistratus & priuati, diuites & pauperes in vnam sententiam & beneuolentiam coeunt. Contrà discordiæ, consspirationum, tumultuum multa sunt incommoda, & infœlix semper exitus: vnde res priuatæ & publicæ dilabuntur, regnum ruit, Deus irascitur, Satan ridet; architecti & principes malorum voce auium cœli mirabiliter produntur, diuinóque iudicio grauiter puniuntur, quemadmodum horrendi exitus omnium Choritarum qui aduersus Vnctos Domini coniurarunt euidentissimè declarant, & nos ipsi in morte Thomæ Percæi, Iacobi Fitzmauricij, Storæi, Feltoni, Stucliy, Desmondensis Comitis, eiúsque fratris Ioannis, Someruili, & huius nostri Campiani, aliorúmque Papæ cõfœderatorũ aut Bullæ Papalis administrorum non sine gemitu nuper perspeximus. In ciuilibus enim & publicis seditionibus quid fit? Colludunt cum Papa, conspirant contra personas honoratissimas, at Zedechia capto bellatores dispergunturr, Iosia cæso, de Republica, de Religione, de amicis atque etiam inimicis actum est, Pastore percusso oues dissipantur,

Discordia.

Ecclc. 10.

Nos animæ viles, inhumata infletáque Turba
Sternemur Campis:

Ciues

Ciues gladius externus deuorat, terræ nostræ bona hostes comedunt: & verè hîc fieri sentiemus quod rex AEgypti Psammenitus verè dixit: Domestica mala esse maiora lacrymis: interim autores & fautores ipsi, quantumuis in suo Olympo securi, quantumuis Papæ sui vmbraculo, aut Bullæ præsidio, aut Crucis signo, aut litera Thau freti fuerint, ex hoc communi patriæ incendio non intacti non illæsi euadent. Pisces ab esca sibi temperant, si hamum, aues à grano, si laqueum, canes ab osse, si baculum viderint: & rebelles spiritus nec temporaria hæc flagella cohibebunt? nec pœnæ æternæ refrenabunt? Sed mitto istos Bullatos Bellatores, quos paucos esse credo, nullos fore confido: si & ipsi hæc dissensionum incommoda, quæ memoraui, seriò secum reputauerint, & misericors Deus illorum corda tetigerit & punxerit, & vos grauissimos Senatores, aliósque prudentissimos consiliarios Spiritu suo ornare & armare, vt cæpit, porrò etiam pergat, vt quæ ab illis clàm vel palàm struuntur, sapienter prouidere, fortiter impugnare, fœliciter depellere possitis.

Bullati bellatores.

Contentionum in Ecclesia medela.

Hæc illos admonuisse satis sit: nunc mihi vos rogandi estis, Dignissimi Cancellarij, Primum vt quod toties contendunt à vobis, quod flagitant & vrgent, quod nuper Duræus tua, honoratissime CECILI, *opera futurum sperauit, vt tota hæc controuersia ab Academicis dirimenda susciperetur, quod ego etiam ab vtroque vestrûm in mea ad te Præfatione,* COMES *Nobilissime, oraui, id tandem aliquando pro facilitate & prudentia vestra concedere, aut pro autoritate & gratia impetrare ne grauemini, vt in vestris scholis libera & publica disputatione illorum vanissimæ opiniones ab hominibus eruditis examinentur & confutentur. Equidem non sum oblitus aliquoties & Edouardi temporibus, & Elizabethici Regni auspicatissimis initijs, & iam istis nouis Seminatoribus & Iesuitis aduenientibus, in colloquium priuatum, & disquisitionem cum illis nostros non semel veniisse: neque sum nescius Sophisticam esse semper garrulam & loquacem: & istorum plerosque non tam Dei quàm suam gloriam quæsiuisse: qui scilicet in Comitijs publicis, in foro Iudicum, in cœtibus celeberrimis, in Academijs suam vocem audiri solummodo desiderant, quò aura imperitæ*

In Epist. ad Acad.

De disputatione petitio renouata.

peritæ multitudinis afflante, tibiæ eorum inflentur magis, sonentque vehementius. Sed enim & nostra Veritas, vt credi debet, ita defendi cupit, & ostendi gaudet, & latere erubescit: nec dubium est, quin Dominus scholarum omnium Rector, quique sedet super Cherubim, daturus sit causæ suæ victoriam. Non spernendi sunt quia parui sunt: sed timendi quia praui sunt. Ainnt Hæmorrhoides esse bestiolas minutas, vnius tantùm pedis longitudine, sed qui ab illis icti sunt, his sudor cruentus ex oculis, ore, naribus, auribus, vesica, toto corpore erumpit. Nihil insitia vilius, sed & nihil audacius, nihil Iesuitismo blandius, sed & nihil fraudulentius, qui in scena sua erit plausibilis, donec vltrò citroque ratiocinando eluceſcat veritas. Interim consulite æqui bonique, quæso, hanc nostram calamorum collationem. Nam quæ in suo fasciculo collegit hîc artificiosè transmarinus Institor: illa ego conatus sum pro virili explicare & dissoluere.

Nicander.

Est certè Collationum & disputationum omnium ingens vtilitas: siue ipsam cautam, siue nos, siue aduersarios consideretis. Siquidem & causæ Veritas occultata

Disputationum triplex commoditas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illustratur, & nos dormientes excitamur, & aduersarij vel errorem agnoscentes emendantur, vel persistẽtes quales sunt, deteguntur. Lapide percusso ignis exilit, &, Ferrum ferro acuitur, vt est in Prouerbijs: Aromata fragrant magis incensa: vnguenta latius redolere nesciunt nisi commota: Aurum, si malleum senserit, magis diducitur, si ignem, perpurgatur. De quibus singulis egregiè disputatur in Scriptura, & à Patribus: Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Rursum alius, Conditio præsentium temporum, Fratres, etiam hanc Admonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt, futura enim prænunciabantur, siue quia fidem quorundam subuertunt, ad hoc enim sunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Iterum alius, Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa omnibus errantibus vtitur ad profectus suos. Et iterum, Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permisit, vt quum insultant nobis, aut interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, vel diuinas Scripturas nosse cupiamus. Iterum alius,

Prou 27.

Greg. Mor. 9.

1. Cor. 11.

Tert. de præscript.

Aug. de vera Religione.

Idem. s. Gen. con. Manich.

alius, Ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio: scilicet vt nos acutius plura videre possimus, & ipsi tandem cæcutire desinant: eóque pacto nostrum Bellum linguarum consensio animorum & pax consequetur, & contentionum funis, vt Tertulliani vtar prouerbio, non ducetur longius. Dicitur C. Gracchus cùm ad populum peroraret, puerum musicum post se habuisse, vt huius Tribuni plebis in dicendo feruentioris impetus concitatos eburnea fistula reuocaret. Gauderẽ sanè & valde læta rer, si hæc mea qualiscunque opella & placida cum aduersarius collatio, ipsorũ immoderatum feruorem si non restinguere at sedare posset: ne si hæc fistula non moderetur, se imposterum, quod absit, nimium Gracchos præbeant. Rogo etiam omnes inimicos, amicos, & vos impẽsissimè, Ornatissimi Cãcellarij, vt errata siue meæ infirmitatis, siue alienæ negligentiæ, humanè cõdonetis, liberè indicetis: nullo modo voluntati peruersæ, aut studio quenquam fallendi tribuatis, nemo me non lectum, nemo causam meam incognitam præcipiti affectus præiudicio condemnet. Vtar enim verbis Lactantij si sacrilegis & proditoribus & veneficis potestas defendẽdi sui datur, nec prædãnari

Ioan. de Tur. Crẽ. L. 4 c. 5. Ex Glossa & August.

Ad Cancell.

L. 5. Inst. c. 3.

„quenquam incognita causa licet, nō iniustè
„petere videmur, vt si quis erit ille, qui inci-
„derit in hæc, si leget, perlegat: si audiet, sen-
„tētiam differat in extremum. Oro Dominū
Ad Monimū. L. I. Iesum cum Fulgentio, Doceri multò plura,
„quæ nescio, à quo accepi pauca quæ scio. Ro-
„go, vt præueniente ac subsequēte misericor-
„dia, quæcunque scienda nescio, doceat me:
„In his quæ vera noui, custodiat me: in qui-
„bus, vt homo fallor, corrigat me. Rogo de-
nique vos vt solito candore meam voluntatem interpretemini, autoritate vestra meā innocentiam tueamini, pristino fauore Academias vestras prosequamini, studiáque nostra foueatis, zelo causam Dei propugne-
Cō. Iuliā. „tis, vt præclarè ad Theodosium scripsit Cyrillus, Germanum erga Christum amorem de-
„clarat, qui calumniantibus illum se obii-
„ciunt, & quasi quod in Scriptura Diuina dicunt, Zelando zelatus sum. Postremò eundem Christum rogo, vt cursum vestrorum omnium consiliorum secundet, vos sibi, Ecclesiæ, Scholis, Reipublicæ florentes conseruet, & tandem Nestoriis annis saturos ad æternæ fœlicitatis portum saluos perducat.

LONDINI Aprilis 1.
Anno 1584.

ACADEMICIS OXONIENSIBVS ET CANTABRIGIENSIBVS

clarissimis viris & Charissimis Fratribus, Laur. Humfredus S. D. P.

ARMA virumq; cano Pragæ qui nuper ab Oris
Italiam fato profugus, Brittannica venit
Littora, multum ille & terris iactatus & alto,
Vi superûm, Magni iustam Rectoris ob iram.

His enim versiculis, Academici Patres & Fratres, totum ὁδοιπορικὸν seu Itinerarium Iesuiticum & Summam Legationis Pontificię in Angliam comprehendisse & ante oculos omnium collocasse mihi videor. Salutauit vos Ed. Campianus, & nuper resalutauit Ioan. Duræus, vterque vobis eandem salutem nunciauit, eundem de Catholicorum Persecutione Coccysmum vobis occinens. Agam ego distinctius & articulatius de singulis Epistolarum locis insignioribus, vt vos possitis simul & semel contueri omnia. In Epist. Camp. ad Acad. & ad Præpositum.

Narrat iste noster Iesuitarum θεμιστὸς se relicta Praga per Italiam appulisse in Angliã,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iussu Superiorum, autoritate Gregorij Papæ, cui tanquam summo gubernatori nauiculæ Petri obediuit. Narrat de profectionis incommoditate, de sua & sui nescio cuius homuli iactatione in mari, de quodam discrimine in littore, atque adeo in ipso quasi portu: denique in ipsa interiori Anglia de certis periculis & inusitatis suppliciis. Similis est Duræi ad vos oratio, de sæuitia Protestantium extraordinariè & præter omnẽ consuetudinem in Anglia, contra Catholicos: similis non tamen iusta, sed non minus lamentabilis est Guil. Aleni, Hovvleti, aliorúmque de persecutione & asperitatibus con-
quæstio. Quæ est ergo crux illa tanta, quam se, quam suos Catholicos baiulare murmurant? *Offenderunt fluctus haud paulò sæuiores in littore Anglicano quàm in Oceano Britannico.* Quamuis hìc de istis non temerè iudicandum, sicut olim Melitenses Barbari de Pauli vipera pronunciarunt: tamen miseros sanè homines & fortassis etiam maleficos fuisse verisimile est, quibus sic diuino iudicio & mare iratum est, & quos sic terra excepit. Cur non statim sic colligunt Iesuitę cur non apud animos suos cogitant hac legatione sua noua Deum offendi? aduersis ventis & flumine & Numine se in discrimen venire non necessarium? eò se propipere vbi nihil erat negotij? hoc esse Deum tentare sine legitima vocatione in alienam regionem, ditionẽ, iurisdictionẽ, ductu, signo, sibilo externi Dominatoris irrũpere? esse extremæ dementiæ

In Epist. Duræi ad Acad.

Crux Pontificiorũ.

Act. 27.

tiæ in tranquillo tempestatem optare? longè satius fuisse domum ad Papam, ad Præpositum, ad Seminarium primo quoque tempore remigrare? *Ingressi viderunt tormenta non scholas parare Antistites.* Qui tandem Antistites? aut vbi, quando, à quibus sic exagitati & excruciati sunt? Aliquot iam annos circumuagantur, bonam insulæ partem lustrant, peruadunt, inuisunt quos volunt, prædicant suum Papam quibus possunt, sacra sua peragunt, vbi libet & licet, impunè, liberè. Interim aduentum gratulantur omnes sui, tractãtur magnificè, eunt, redeunt, circũeunt, conuiuantur, epulantur, in vtramque aurem dormiunt: O quanta patimur! inquit ille, in sinu tacitè subridens. Antistites nostri tortores non sunt, alius est Euangelicus nostri Iesu spiritus. Nostri magistratus & ministri cùm ipsorum corporibus parcere, tum animas seruare, & errantes non tormentis excarnificare, sed argumentis erudire cupiunt: Doceri eos volunt, quia pii sunt: & docere possunt, quia eruditi sunt: tormenta non quærunt, scholas expetunt. Nostri cum Ambrosio sentiunt, Auxentij esse & Arrianorum, cruentas leges ore dictare, & manu scribere. Nostri cum Hieronymo dicunt, Vtinam filios hæreticorum & omnium qui decepti sunt interficiamus sagittis spiritualibus. Didicerunt Euangelici pati non percutere, vapulare non verberare. Athanasius enim ferè sic, Verberari Christianorum proprium esse, flagellare Christianos,

Crimen Episcopis nostris obiectum & dilutum.

In Iesaiã. 5. 6. 14.

In Epist. ad solit. vitam agentes.

Pilati & Caiphæ esse officium. Est hæc Pontificiorum tessera CRVDELITAS: aliud est Protestantium symbolum, CLEMENTIA;

Protestantiũ & Romanistarũ dispar spiritus.

isti occîdunt, hi occidunt. Aliter sonat Ecclesia Christi, aliter tonat synagoga Antichristi: cùm nocere & mordere non possit, „minarum tamen latratu procul terret: Isti si „impietatis os non audent aperire, tamen „pectoris venena non amiserunt, vt loquitur

Ad Apronium. Gen.c.27.

Hieronymus. Scilicet planè Esaum imitantur; Venient dies luctus patris mei & occîdam Iacobum fratrem meum. Nam execrabile hoc scelus contra Matrem patriæ & Christianos fratres subditos, impiè concipi, nefariè suscipi nimis compertum est. Ecce

Psalm.7.

parturiunt iniquitatem, concipiunt dolorem, parient vanitatem: Surge Domine ne

Psalm.9.

„prævaleat homo, iudicentur Gentes in con„spectu tuo. Constitue Domine Legislatorem super eos: sciant Gentes quoniam ho„mines sunt, SELAH. Romam profectò in-

Romanẽsiũ innata & inueterata feritas.

nocentium sanguine à primo fundamento iacto ad hæc vsque tempora imbutam fuisse, quis non intelligit? quando,

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

A Romanis militibus Christus in crucem subactus est, ab illis vestimentorum diuisio facta est. Romæ Petrus & Paulus, vt aiunt, Martyrio coronati sunt. Et Christus de Roma, Eo Romam vt iterum crucifigar: quia scilicet Caput in membris quotidie patitur. Romæ Ignatius belluarum dentibus attritus & com-

& commolitus purum Dei frumentum euasit. Romæ Diocletianus Imperator Romanus non tantam crudelitatem exercuit quam Romanus Pontifex, de illa verò Sulpitius, Hac tempestate omnis ferè orbis sacro Martyrum cruore infectus est. Vnde illud hæreticæ prauitatis nouum inuentum tan- Inquisi-
quam renouatus & iterum concalefactus tio.
Taurus Phalaridis? Nónne à Romanensibus? Vnde illud sanguinolentum corollarium, Siquis de Clero in præmissis aut in „
aliquo præmissorum reperiretur in Bohe- „
mia contrarius, talis per censuram Eccleia- „
sticam est emendandus: quòd si corrigi no- „
luerit, seculari iudicio est tradendus: nónne „
à Romana Ecclesia? Cuius illa vox, Soluitur „
hoc pugno quod non soluitur Syllogismo? Nónne Stephani Paletzii Romanistæ conpismum & illud, Non esse negotium cum Baccalaureo ad Cathedram, sed ad tribunal cum Iudicibus. Grauissima etiam censura est Corn. A-
Camotensis Episcopi contra Romanistas, grip f.132.
Pontifices Romanos non ingredi Sancta Sanctorum sine fratrum sanguine.

Testes sunt Romanistarum leges quæ non atramento sed sanguine exaratæ tot in Anglia, Germania, Hispania, Italia, Martyres sustulerunt. Illa, illa Laniena Parisiensis, ille Gallicus & vespertinus furor Romanæ tyrannidis non modò testis esse potest nobis præceptibus, sed index erit in omnem

æternitatem posteris, cuius non minima cau
sa fuit Romanus Pontifex, eiúsque carnifex
seu Vicarius Cardinalis de S. Cruce verè Pro-
testantium tum cæsorum Crux extitit.

Obiectionis remotio. Non, inquiunt, nos occidimus, sed gla-
dius secularis: at ille extrahendus est ex Bo-
nifacij decreto ad nutum Romanæ Eccleſiæ.

Ioan.18. Nobis non licet interficere quenquam, Iu-
daicus color fuit: verumtamen qui pro Tri-
bunali sedent, Pilati, qui tradunt, Phariſæi
aut Iudæ censendi sunt. Ac propterea Iesus
istis Inquisitoribus Iesuitis illam veterem
„repetet suam Cantionem, Væ homini illi
Act.3. „per quem traditur. De illiusmodi quoque
„Petrus, Vos Sanctum iustum negastis, vos
„petiistis virum homicidam donari vobis,
„vos autorem vitę è vita fustuliſtis. Vanisti-
In Anti-pap.2. mè ergo Sadoletus Cardinalis qui Sturmio
respondit, Episcopos hosce rogos non ac-
cendere, sed Reges quodam patriæ Religio-
nis zelo hoc cauterium adhibere & recte ex-
equi. Ideo enim certè hæc est vanitas, quia
eadem est facientis & patientis, agentis &
consentientis punitio: & notissimum est, ha-
rum flammarum omnium excitatores & sufflatores esse Romanos Pontifices. Quare hęc
est mea sententia hanc tantam immanitatem
non iam Phalarismum sed Romanismũ pos-

Duræi ob se meritò appellari.

Iectiones repulsæ. Verùm obiicitur VVhitakero à Duræo
In Epist. ad Acade. puerile esse, sic elabi è manibus & per po-
sticũ callidè effugere, & cùm argumento de
„nimia in Catholicos sæuitia satisfacere non
posset

posset, illud eludere, idémque flagitiũ in ad-
uersarios reiicere: in quo mihi videtur hoc
crimen de Romanensibus agnoscere & suos
tacitè subaccusare, qui illud ne vno quidem
verbo audet amouere. *Capti sunt*, inquit, *in
Anglia Catholici, clausi, suspensi: Campianus in-
terfectus est, immanitérque discerptus.*

Imò discerptus est leniter & leuiter, cùm
iã animã exhalasset, nec sentire quicquã pos-
set. Captus est, occisus est? fateor, Iustissimè, Plinius
& hoc Diuina prouidentia factum, vt scor- l.11.
pio pariens fœtus plures noxios occidatur,
ne venenata progenies nimis propagetur.
Dixisse fertur Pipinus, Herbas inutiles extir-
pare se, vt fruges bonę succrescant. Sed quor-
sum illa Campiani de se prognostica, dum Campia-
scribit ad Præpositum Generalem suæ So ni mors.
cietatis, in literis se legisse, *Campianus captus
est*: Et, *Anima mea in manibus meis semper* &
hoc eius aures vbique & vndique circumso-
nare, cùm tamen adhuc comprehensus non
esset? An factus est Caiphas & de se verè pro-
phetauit, quia eius anni Pontifex? an intus
oblatrauit fluctuans mala conscientia? Equi-
dem vt priuatus & homo, & humani nihil à
me alienum putans, doleo talis viri, Academi
ci, hominis bonæ spei, & non indocti talem
exitum. Sed quid dicemus? Occisi sunt? Ce-
dere noluerunt: Ad legem appellarunt, lege
stare aut cadere debuerunt: qui si ad miseri-
cordię asylum profugissent, fortasis in legis
mucronem non incurrissent. Nec satis est
pœnam commemorare, sed illud satius est

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sapientius causam trutinare. Siquidem Crux non est vna nec vniusmodi, sed multiplex; alia Christi humano generi propitia & salutaris, in qua gloriamur: alia latronis dextri & Christianorum pro fide, quam osculamur: alia latronis sinistri & flagitiosorum, quam execramur & deprecamur. Illa iniusta, hæc iusta. Illi tamen dicunt,

Crux triplex.

Quæ venit indignè, pœna dolenda venit,

at nos dicimus,

Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit.

Duræus in Ep. ad Acad.

Duræus porro obiicit: *Campianum & alios nomine quidem criminis læsæ Maiestatis, re autem vera propter Catholicæ fidei professionem excruciatos fuisse.* Duræus contrà nunc tandem vera audiat, qui hactenus, vt videtur, falsa centies accepit. Nunquam vel inuidia ipsa audebit hiscere, quenquã sub ELIZABETHA principe moderatissima & mitissima, iudicta causa vnquam condemnatum fuisse, imò cogetur confiteri eam semper in causa Religionis à cæde & sanguine abhorruisse: multorum scelerum gratiã feciſse, non pauca de iure suo remisisse: ad quædam hodie cõniuere, vt in viam redire discant aberrantes subditi: ciuem nullum capitali supplicio affecisse, nisi qui Regium Caput oppugnauit, aut quietum Regni statum concusit, aut aliquid demum contra legem capitaliter designauit. Non sic Catholici Romanistæ non sic: Legem habemus, secundum legem nostram debent mori. Pollionis famulus inuitus fregit calicem crystallinum? murænis deuorandus à sæuo

Elizabethæ incrementum regnum.

Romanistarum rabies.

hero Romano in piscinam deiicitur. Comedit aliquis Christianus ouum aut carnes diebus à Papa prohibitis? Legit sua lingua Sacrosanctam Scripturam? Iura Papę decretalia perfregit? Ad condemnationem citò ac subitò decurritur, in ignem mittitur sæpe non conuictus tanquam hæreticus. Nam prô pudor! illa Adriani Põtificis Romani Instructio ad Fran. Cheregatum legatum suũ, qualis vobis esse videtur? Si quis fortè dixerit, Lutherum inauditũ & indefensum fuisse per Sedem Apostolicam condemnatum, & audiri non debere, Respondebitis, illa quæ fidei sunt, propter diuinam autoritatem credenda esse non probanda, Iniuriam facere Synodo, qui semel rectè dispositа nititur in dubium reuocare. Hunc morem esse aiunt in VVestphalia, vt homicida morti tradito, inquiratur postea, an de mortuo secundum leges sumptum fuerit supplicium. Omnino simile est Romani Pontificis in Anglia præpostero rum iudicium: primò in Concilio suo Tridẽti nos proscripsit, REGINAM ELIZABETHAM in Bulla hæreticam denunciauit, quo vno decreto victu, vitã priuauit, è Regno terrestri, & cœlesti, exturbauit: nunc ad extremum Iudices suos Ecclesiasticos Iesuitas ablegat ad nos, vt nobiscum disputent ac disquirant, recténe lata sit hæc in hæreticos Anglos sententia, illorúmne fides an nostra sit magis Catholica? Hoc est enim Bellum quod Fecialis iste Campianus indixit, atque inquit, *Hoc consilium meum scripto mãdani.*

Mos Vvestphalicus:

Bellum à Cãpiano indictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inauſpicatum, ita me Chriſtus amet, bellum & Cãpiano & patriæ, quia tẽpeſtas eiuſmodi commota eſt, qua in Anglia & in Hibernia, cùm ipſi bellatores tum boni alioqui ciues immerſi & abſorpti ſunt. Res ipſa ſatis teſtata eſt pœnis multorum, & hac de cauſa triumphum canit in Epiſtola ad ſuum Præpoſitum Campianus, ex quibus prudentes viri, quales eſtis vos Academici, hoc Campiani bellum noui cuiuſdam alterius belli aut flammam aut ſcintillam fuiſſe poſſent augurari. Londinum ſe dicit attigiſſe, *bonum Angelum duxiſſe ſe neſcientem in eandem domũ quæ Patrem Robertum exceperat, accurrunt nobiliſſimi iuuenes, ſalutant, veſtiunt, ornant: pòſt ille partem aliquam Regionis quotidie obequitat, meſſis ingens eſt.* Presbyteri noſtrates & ſacerdotes illos paſſim adiuuant, venerationem illis Catholici exhibent: Sacramenta omnes percipiunt, aures ſitiẽtes ad peſtifera dogmata audiẽda afferunt: numerus innumerabilis, ſummi, medii, infimi ex omni ætate & ſexu conuolant: à Præpoſito contendit vt ſubſidiarii, quibus maximè ſe ait indigere, ſupplementi cauſa mittantur, qui ſimili induſtria Confeſſiones pernicioſas audiant, Miſſas ſacrilegas peragant, conciones impias habeant. Sitne hæc belli Scholaſtici proclamatio, an potius vexillum ſeditionis publicè ſublatum, quo auertantur ſubditi ab officio in Deum, in Patriam, in Principem, & euocentur vt nouæ Religioni, nouo domino, nouis legibus ſubdantur, dicat Iudex Academia. Dixit hoc olim

In Epiſt. ad Præpoſitum.

olim & ſic iudicauit Cyrillus ante vos de Iuliani conſimili ſtrategemate, Vnde leues & facilè mobiles in eius laqueos cito cecide-" runt, facti ſunt Dæmoniis dulcis eſca. Vt in-" terim taceam quid Sanderus homo non ſatis taciturnus effutiuerit de Apoſtolicæ Sedis declaratione contra ELIZABETHAM, & de noſtris multis Nobilibus, qui hac denunciatione adducti ſunt, vt de Fratribus liberandis cogitarent, adeò vt Catholicos omnes ſummis viribus affuturos ſperauerint: quod demum ipſe euentus infæliciter & ſuo magno malo & noſtrorum aliquo incommodo comprobauit.

In Præf. ad Theo.

Cæterùm de crimine læſæ Maieſtatis nihil dicam, quia nimis multa dicta ſunt, niſi quòd Duræus, dum hoc quicquid eſt criminis inconſideratè extenuat, plures incautos ad idem perpetrandum, & ad ſimiliter patiẽdum obliquè inuitare quodammodo videatur. Eſto, bellum in ſchola denuncietur non cum ſica. Quid ſequitur? Cauſa belli denũcianti à Campiano attendatur, *Feruorem iſtum mihi honor Ieſu Chriſti Regis mei & inuicta veritas imperarunt*, Et Duræus, Catholicæ fidei ſtudium eum protruſiſſe contendit. Non eſt Catholica fides, Duræe, quia non Apoſtolica, nec Apoſtolorum Catholicis Epiſtolis conſentiens: Nec eſt hæc concertatio pro Rege, quia non eſt pro eius lege: imò nec pro Petro, quia non pro Petra: nec pro ea fide in Chriſtum Filium Dei viuẽtem quam Petrus eſt profeſſus. Non habent igitur Petri

Cauſa belli.

Matth. 16. De Pœnit. l. 1. c. 6

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreditatem, qui Petri fidem non habent, si Ambrosio credimus.

Cãpianus victoriã sibi polliceturHæc cùm ita sint: tamen Campiani animos & fidẽ tiam, vt ipse vocat, inspicite: Persuadet in literis suo Præposito, *Sine dubio breui vincemus.* Persuadere etiam vobis Academicis voluit, si docuerit Solem hunc meridie lucere, & ex hypothesi Rosciana apud Tullium, Septingenta millia passuum biduo decurri non posse: facilè se etiam edocturũ, Veritatem suam illustrem & perspicuam nõ pose obrui. Triumphat etiã mirificè, *Si hoc præstitero, cœlos esse, diuos esse, fidem esse, Christũ esse, causam obtinui. Hîc ego non sim animosius?* Ita plane in toto libello nihil aliud canit quàm bellũ suum, scholas, prelia, pugnas, hastas amentatas, victorias. Næ ille aut fortis est aut fortunatus, qui more ranulæ Æsopicæ iuncea hastula congrediens, aut periculo cum illo milite Terentiano pugnans, tamen velut aliquis Olympionices prodit in medium, quasi omnes nos illico frangere & proterere vellet & posset. *Sol meridie lucet*, ergo etiam victor cuadam. Fortes & fatuos fortuna iuuat vel ludit: suas Rationes Decem adeo claras putauit, vt non obfuscari, adeo validas vt non eneruari possint. *Equidem occidi possum, superari non possum.* Magnum: siquidem Ignatio autore, Magni vtrumque gladiatoris est, & cædi & vincere: At enim Deo sit gratia, licet fumulos audiamus, tamen adhuc nullas flãmulas vidimus θαύματα ἐπιδείκνυται tonat Campianus, dixit tantũ non præstitit. Debet-

Pro Quintio.

Cãpianus Olympionices.

Ad Polyc.

Debétne Gladiator iste vel timeri à vobis vel amari à suis, vel ei credi ab vllo tutò potest, qui Oxoniæ professione sua, opinione nostra Christianus fuit, quem Academia in complexu suo fouit, cui verbi diuini lac præbuit, ad Magistri titulum, ad Procuratoris dignitatem prouexit, quem nobiscum contra Papatum sæpe & solenniter iurantem audiuit, nobiscum in Ecclesia iisdem sacris & publica Liturgia vtentem aspexit, quem ego & ad Ministerium nostrum admissum, & ad suggestum Pauli, & ad gradum Baccalaureatus, & ad prælectionem Theologiæ in Collegio Magdalenẽsi aspirantem, & multa sanctè coram me & aliquot ciuibus Londinensibus promittentem, protestãtémque & propterea liberaliter muneribus aliquoties affectum cognoui: qui tamen postea subitò à nobis fugit, & ad nos redit Iesuita, & cũ illo Iuuene proclamat, Ego non sum Ego? Imò vtinam sic reuersus cum illo fuisset melior, & cum filio prodigo correctior. Sunt enimuero isti alicuius Gigantis spiritus superbi, sed Dominus humilia respiciens & alta eminus despiciens illos vel puerili funda conteret & contundet. *Perelegantem & perpolitum hunc libellum* ad vos missum vocat ille qui vitam & Martyrium Campiani describit: & sanè Catholicissimi Epitomen, nemo, quod sciam, exposuit nobis distertius, cõcisius, plenius. Eritne igitur verum quod apponit, *Hoc libello Protestantes sensisse doctrinam & existimationem suam esse vulneratam & confossam?*

Cãpianus Protestãs.

Cãpianus leuis & profugus.

Libellus Cãpiani.

Autor vitæ & mortis Camp.

An quia ex Anglia in Hiberniam profugit, ex Hibernia Duacum abiit, vbi nouum Gradum Matęologiæ suscepit, vt Diaconatus apud nos crimen pœnitentia expiaret? An quia Duaco Romam concesit, ibíque socius Iesu factus est? An quia Roma in Bohemiam se contulit, ibíque ritu Romano Presbyter & sacerdos vnctus est? An potius quia ex Bohemia per ambages ad Præpositũ Generalem, à Præposito Dorobernium appulit? vbi si non bene dissimulasset, suo merito malè in ipso ingressu exceptus fuisset? An quia inde discedens Londini & in aliis partibus Angliæ diù latuit, & tandẽ in Comitatu Barcherienſi captus, & ex loco secretiore & tenebricoso angulo ignominioscè extractus est? Mutabilem & versatilẽ fuisse & non rarò spe lucri dissimulasse aut metu simulasse, núnc istarum, nunc illarum, imò omnium partium fuisse, omnes norunt Oxonienses, qui meminerunt eum puerum hoc papismi odore imbutum, virum omnino eundem aliquoties abiurasse: profugum inter suos omnis religionis & iurisiurandi oblitum pristinam & puerilem saliuã recepisse, & ad ingenium rediisse. Ita ferunt simias Ægyptias artem saltandi aliquando didicisse, insignibus indutas purpuris choræas duxisse, quæ tamen mox proiectis nucibus in spectaculo, desinunt esse saltatrices, & simiæ denuo esse incipiunt. Dissimulasse se ipse ait, *Habitu dementissimo sum, quem sæpe commuto, itémque nomina: quibus omnibus*

Camp. in Epist. ad Præpos. General.

nibus indiciis non hanc fidentiam, non animositatem, non fortitudinem, sed leuitatẽ, sed timiditatem, sed inconstantiam vbique prodidit: &, nisi fallor, qui primus nunc exiliit, fortasse iterum resiliisset, si non in illo alio capitali crimine tanquam mus in pice hæsisset. An timendi sunt, quia diserti sunt? At nunquam timenda est fucata Rhetorica, nec cadaueroſa sophistica. Disertus Iulianus, sed acuit linguam contra Dominum Christum, ait Cyrillus, & expirãs fateri coactus est, Vicisti Galilæe. De hisce omnibus Campiani Rationibus dici potest ex Hieronymo. In quibus nulla vis sit argumẽtorum, sed tantùm orationis facies, exquisitis hinc inde coloribus pigmentata. An quia popularis fuit Campianus? & propterea verè dixit, *Populus ea de re noster est?* Quid enim agunt aliud, quàm vt populo placeant, quas agunt, fabulæ? Norunt vti foro Iesuitæ, planè δημοπίθηκοι, omnium serui & simij. Nam Campianum hoc modo didicisse fingere, hęc verba docere possunt, *Ob gloriolam & auram popularem eminus ei ostensam, persuasione victus, se Diaconum iuxta nouam illam è Caluini scriptis depromptam consuetudinem consecrari passus est.* Imò eò magis fugere Campianistas populus debet, quia populi dant auribus, quorum oratio non ædificat, sed destruit, pernicioso scilicet philtro confecta & infecta. Qua in re apes illas imitari videntur, quæ mel quidem reddunt, sed quod habet venenum.

Hortor itaque Anglos omnes meos in

Campianus disertus. Cyril. ad Theod. In Præf. in Didym. de spiritu sancto. Camp. popularis. Ad Præpos. General. Cur Mundus militat sub vana gloria? De Martyr. Cap. Plí. lib. 21. Ad Anglos.

Domino, vt istos declinent, qui tale mulsum lethale porrigunt, Caueant ne in domos intromittant sed abarceant. Nónne hæc verba illorum sunt verba illius meretricis, quæ apud Salomonis prouerbia, vocat ad se præter euntes viam, Qui est vestrûm insipientissimus, diuertat ad me, vt optimè allusit Vincentius?

Prouerb. c.9.

Ad Angloiesuitas.

Peto à vobis, ab Angloiesuitis, Voti primi vestri in Baptismo sacro in nomine Beatæ Trinitatis celebrato, tam nobis quàm vobis cómuni memores, tandem aliquando deponite Iesuitismum, Christianismo nostro acquiescite. Nolite quærere solam scientiam, sed multò magis sanam conscientiam. Nec voti vllius cuicunque nuncupati seruitus, nec exemplum vllius Campiani vel Pseudomartyrum vos in idem barathrum trudat. Malo ego vos bonos Confessores, quàm tales Martyres.

Ad Academicos.

Alloquar etiam vos, sed alio sensu quàm nuper Campianus, *Quæso à vobis vt salui esse velitis.* State firmi, estote accincti ad hoc acerrimum certamen, quo nullum esse potest exitialius, quia totis viribus, per infinitos hostes oppugnat nos Diabolus. Afferunt vobis Iesu dulce nomen, sed non simplex Iesu Euangelium: Gypsum afferunt, quod venenum præsens est, & fallit lacti additum. Romanistæ lupi sunt, inhiant prædæ, & ouibus insidiantur, timete: vulpes sunt & esuriunt, capite aut cauete: vultures sunt, cadauer expectãt, prouidete. Sonitu digiti cognoscuntur vasa: vena si tangatur, sentietur morbus: pulsate, tangite, examinate doctrinam istorum, intelligetis eam non solùm morbidam sed & mortiferam, & quoniam vos Campianus delegit arbitros controuersiarum, decidite. Quia autem vobiscum reliqua oratione tota mihi agendum est, hîc abrumpo Præfationem & Antiepistolion. Dominus Iesus adsit illis, vobis, nobis omnibus, Amen.

Iren. l. 3. c. 19.

OXONIAE, è Col. Magdal. *Februarij* 4. *Anno* 1583.

CAPITA DOCTRINÆ Iesuiticæ & Rationum in hac Parte tractata.

1 *Sacræ Literæ.*

2 *Sacrarum Literarum Sententia.*

3 *Natura Ecclesiæ.*

4 *Concilia.*

5 *Patres.*

DE SA-

DE

SACRIS LITERIS

PRIMA RATIO AB EDMVNDO CAMPIANO Iesuita in certamine Academicis oblato reddita,

ET

NVNC A LAVRENTIO *Humfredo Academicè examinata.*

DVo esse Theologi præcipua munera: veritatem confirmare & errores confutare, cuiuis homini vel obiter Epistolam Pauli ad Titum aspicienti satis notum esse arbitror. Quin & Patres Ecclesiæ ad hunc scopum collineasse animaduerto: & Hilarium eadem ferè via & ratione docendi vsum esse contra aduersarios video. Sic enim ille pater de se & suis: Duplex nobis in refellendis eorum vaniloquiis cura est, vt primum quæ sunt sancta & perfecta & sana doceamus: neque sermo noster per deflexus quosdam atque anfractus oberrans, ex deuiis atque erraticis cuniculis emergens, veritatem potius quærat quàm ostendat: tum deinde vt quæ Tit. 1. Lib. 7. de Trin.

ab illis inanium ac fallacium sententiarum argutiis ad speciem veri blandientis aptantur, ea ipsa consciențiæ omnium ridicula esse & inepta pandamus. Eandem methodum ostendit nobis Augustinus, vt Doctor Ecclesiæ veritatis propugnator, & erroris expugnator sit. Iam verò ad prosternendum aduersarium satis non est, vt hostem noris quocum tibi certamen est: sed & arma quibus vtitur, & opus est & operæpretium cognoscere: vt Philosophus præcipit: Eodem modo in spirituali militia & in hoc Theologico conflictu vtrumque necessarium est, non solùm vt ipse probè munitus, & ab omnibus rebus instructus sis: verùm etiam Antagonistæ personam & qualitatem, tum etiam firmamentorum genera, quibus suam causam tuetur, scire conuenit. Irenæus enim sic, Eum qui velit eos conuertere, oportet diligenter scire regulas siue argumenta ipsorum: nec enim possibile est alicui curare quosdam malè habentes, qui ignorant passionem eorum qui malè valent.

De doctr. Christ. lib. 4. c. 4.

Aristot. in Rhet.

In Prolo. 4. li.

Descripsimus in prima parte Iesuitas, eorum nomen, originem, naturam, disciplinam legationem, aduentus in Angliam causas & veras à nobis positas, & vanas ab ipsis confictas: supereest, vt quibus telis ac rationibus pugnent, intelligamus, eáque omnia suis ponderibus examinemus. Ac partim quidem iuxta methodum Paulinam Didascalia in docendo veritatem, partim Elenco, in refutando errorem, vtemur: ab eodem capite & Ratione Campiani, id est, à Scriptura, à sententia Scripturæ, ab Ecclesia, à Conciliis, à Patribus & nostræ causæ defensionem, & aduersariorum præuaricationis impugnationem arcessentes. Iesuitæ Exordium in prima

Generalis methodus huius Responsionis.

Ratione valde Categoricum & Censorium ita se habet.

CAMPIANVS.

CVm multa sunt, quæ aduersariorum diffidentiam in causa loquuntur: tum nihil æquè atque sanctorum Maiestas Bibliorum fœdissimè violata. Etenim qui, posteaquam reliquorum testium voces & suffragia contempserunt, eò sunt redacti nihilo secius vt stare nequeant, nisi diuinis ipsis codicibus vim & manus intulerint: Ii se prorsùs declarant extrema fortuna confligere, & rebus iam desperatis ac perditis experiri durissima velle atque vltima.

HVMFREDVS.

RAtio, Academici ornatissimi, & ordine prima, & dignitate primaria, & reipsa solida est Sacrarum literarum autoritas: quam tantum abest vt imminuere aut infringere velimus: vt eam modis ac machinis omnibus propugnare studeamus: nec vnquam res nostræ perditæ erunt aut desperatæ, quamdiu nobis licebit hoc Scripturæ clypeo nos defendere: nec violant Maiestatem Bibliorum qui prædicant & profitentur esse principium vnicum, vnde probationes solummodo desumantur, esse principium principiorum de quo nefas est dubitare, & aduersus quod disputare species est inexpiabilis cuiusdam blasphemiæ.

Ratio prima ab autoritate scripturarum sola firma est, & vera Thesis.

Hinc argumentum omne petitum est verè Theologicum, & sine hac sacra Ancora mentes fluctuant, & conscientiæ in portu aliquo tuto nunquam & nusquam conquiescent. Alia enim quæcunque sunt, quia apodictica non sunt, nec rem planè demonstrant: quia humani cerebri, carnis & sanguinis argumenta sunt: piis animis non satisfacient, sed adhuc vacillabunt, & ambigent. Patres quidem propter ætatis reuerentiam, concilia propter suffragiorum multitudinem, Ecclesiam propter sanctitatis opinionem, aliqua ratione amare possumus & honorare: at eorum dictis & conclusionibus firma fide citra exceptionem adhærescere, salua religione nõ possumus. Quod autem in Religionem diuinam admittitur, id iuris humani Regula teste, ad omnium iniuriam pertinet: quam propterea sartam tectam conseruare debemus. Quid est autem Religio nisi cultus diuini Numinis, vni Deo, eiúsque præcepto & voluntati religatus & astrictus? Hæc vna Religio est sola recta & irrefragabilis ratio: vt etiam Iurisconsultus, Summam esse rationem quæ pro Religione facit. Et Augustinus, Ratio præcedente fide plurimum valet. Hæc vera Religio, hæc fidelis seu religiosa ratio vt vnum Deum confitetur, sic eundem vnũ legislatorem agnoscit. Quoda vel hac communi ratione duce, non diffitentur Ethnici, qui Scytharum leges non ad Zamolxin sed ad Vestam, Persarum non ad Zoroastrum sed ad Hormasim, Ægyptiorũ non ad Trismegistum sed ad Mercurium, Lacedæmoniorum non ad Lycurgum sed ad Apollinem, Athenienſium non ad Solonem sed ad Mineruam, Cretensium non ad Minoem sed ad Iouem, Romanorum non ad Numam Pompilium sed ad Ægeriam Deam referũt: quoniam homines Dei scribæ esse possunt autor &

Aug. de vera Rel. Religio fit regula & vera ratio.

autor & inuentor & veritatis Doctor αὐτόπιστος solus & verus Deus est censendus. Humanum est aliquando impingere, Deus verò humanarum rerum culpam non habet. Quis nescit Mosen leges dedisse Hebræis? sed quas Dei digito prius conscriptas à Deo in monte acceptas tanquam Dei ad populum sequester & internuncius tradidit. Quis nescit omnes in Mosaica cathedra sessores & successores eandem viam sequutos? Augustinus, In Cathedra Mosis legem Dei docent: ergo Deus per illos docet: sua verò si velint docere, nolite audire, nolite facere. Quis nescit per prophetas, per Euangelistas, Apostolos Scripturam ad nos peruenisse? sed tamen ex Dei pectore & spiritu tanquam ex sacratissimo fonte per manus ipsorum, tanquam per fidos canales profluxisse non nescimus. Propheta Dauid Psalmos commendauit Ecclesiæ suæ: sed ait, Spiritus Domini per me locutus est, & eloquium eius fuit in lingua mea. De prophetis omnibus Diuus Petrus, Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi seu rapti loquuti sunt sancti Dei homines. De Apostolis ipse Christus & ad Apostolos, Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis illi loquẽtes, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Adeo non concedit illis inueniendi laudem, vt etiam ipsis adimat eloquendi facultatem, quippe qui & cordis & oris & creator & moderator existit. De tota Scriptura Paulus, esse θεόπνευστον, diuinitus inspiratam. Et sicut de Scriptura tradita, ita de Ecclesia accipiente, vt de Magisterio, sic de discipulatu sentiendum est. In Academia hac quotquot discipuli boni sunt & eruditi, à Deo docti & dicuntur & sunt. Sponsa vna est, & vni Sponso dicit in Canticis, vt dilectus loquatur si-

Eusin vita Const. lib. 5.

2. Sam. 22.

2. Pet. 1.

Matth. 10.

Matth. 23.

bi,vt Dilectus respondeat, vt Dilecti sui vocem suauissimam audiat. Est itaque vnus pater qui in cœlis est,vnus magister,& vnus Consiliarius,ille magni cõsilii Angelus: vnus interior & exterior præceptor Spiritus sanctus. Qui ergo domus Dei est,Christi templum, & Spiritus sancti organum: huius oratio nõ humana sed diuina,nõ prophana sed Christiana,non carnalis sed spiritualis, id est, à tota Trinitate fluere debet,cuius omnes cõciones dulciores sunt quouis melle, quouis nectare: cuius sacer Codex fidei nostræ canon est, & omnium controuersiarum arbiter honorarius & vnicus. Ac propterea Biblion seu Liber propter excellentiam vocatur, In capite libri scriptum est de me: quasi diceret librum esse librorum seu vnicum,præ quo & extra quem alii libri sunt non Sibyllæ folia sed Luciani libri,suspectę Narrationes imò sæpe fabulæ. Quid ergo est cur ex aliis libellis rationes allegamus: cùm hic liber excellentissim⁹ sit & perfectus? cùm autor sit Deus? cùm Scriptura sit à Spiritu sancto prodita? cùm discipuli huius scholæ ab eodem Deo spiritu instituantur? Quid hîc reprehendere vel Momus ipse vel carpere Zoilus poterit? Duræus insurgit, hic de hoc nostro pugnandi more conquerens, Sola nobis (fortissimi milites) Scripturarũ arma relinquitis, atque vtinã hæc integra. Et integra relinquimus, & tamen non sola: nam & Ecclesiæ Catholicæ,& conciliorum antiquissimorum & sanctorum patrum arma legitima non eripimus: ita neutrũ verum est Duræe, quod affers,& vtrumque in hoc congressu patebit omnibus. Fortissimi, inquis, milites. Salsè tu quidem Duræe, sed attende. Si nos timidi qui vobis Scripturæ arma relinquimus, quàm fortes estis vos qui nobis & populo Dei eadem abstulistis? Enimuero non est, Durçe, non est

Hebr 10.

Duræus.

nec erit vnquam fortis aut fælix bellator, qui non his armis solùm tectus in aciem contra hostem descendit. Sic hæreticos debellandos censuit patrum nostrorum prudentia. Fortissimus miles Dauid, non clypeo, non lancea, non gladio Saulis, non humana armatura, sed in nomine Iehouæ & vno lapillo è pera Scripturarum Goliathum adoritur, & illo solo ictu Gigas iste & fortis Gibbor est mortuus. Vir quoque Catholicus testimonium Scripturæ, quam affert hæreticus, & erroris eius pertinaciam conuincit. Hæc Gregorius. His scripturis caput Goliç detruncat: hęc fortissimus miles Paulus, cùm totã panopliam hominis Christiani describit, non ista carnalia arma sed spiritualia præscribit, Accipite gladium spiritus, qui est verbum Dei. His armis à Christo fortissimo duce expugnatus Satan, prostrati Scribæ, Pharisæi aliique Iudæorum sectarij. His armis contusi Arriani mãdante Constantino, vt est apud Theodoretum. His armis resectas omnes hæreses tradit Athanasius. Ecclesia orthodoxa rectè legens & exactè sacras literas examinans, seipsam inædificauit super Petram. Ecclesia inquam illa, quæ perfecta columba est, quæ gubernaculum tenet rectæ & priscæ fidei in cymba Apostolica. Quid? an in hac petra, an in Magistro nostro aliquid desideramus? Est Deus vt in aliis, sic hic Shadai, vt ita dicã, omni sufficiens, de quo rectissimè illud & intrepidè licet dicere, Ipse dixit; quippe omnibus Pythagoris sapiẽtior. Alii didascali multi sunt: sed Iacobus vetat multos esse didascalos, quia omnes in multis labimur. Deo ἀψευδεῖ, nec mẽtitur, nec docet mẽdacia, nec fallit nec fallitur: contrà falli & fallere, errare & errores ferere humanũ est. Omniũ habere memoriã, inquit ille, & in nullo penitus errare diuinitatis poti⁹ quàm humanitatis est. Sicut opifex ità o-

1.Sam. 17.

Ephes. 5.

Scriptura sufficit.

Rom. 3.

L. 2. ff. Si quid aliud C. de veteri iure enucleando.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus, ſicut pater ita fœtus, ſicut Deus abſolutiſsimus eſt & αὐτάρκης: ſic Dei lex expleta eſt & ſufficit. Quid enim? an non omnia continet ad fidem per quam peregrinamur, & ad ſalutem, per quam glorificamur, neceſſaria? Nullam eſſe veritaté quæ in ſacris literis non reperiatur, præclarè oſtendi
Epiſt. 5. poteſt ex Auguſtino, qui etiam ait, omnes Romanorum leges ſine hac vera religione parum valere: hac addita fieri homines ciues alterius ciuitatis cuius vox veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas. Licet etiam alij reges, Sacerdotes, prophetæ nuncupentur, tamen iſti ab vnico vncto Meſsia nomé mutuantur, & verè & Antonomaſticè CHRISTVS, id eſt Vnctus, Chriſtus eſt Rex, Sacerdos, Propheta: vnctus ſuper montem ſanctum Domini, vnctus à Spiritu ſancto &
Pſal. 2. Iſ. 61. à Domino, vt Euangelium nuntiaret manſueris, obligaret vulnera corde contritorum, proclamaret captiuis libertatem, vinctis ſolutionem carceris, cæcis viſum, annum Domini fauorabilem electis, diem vltionis hoſtibus, conſolationem lugentibus: vt daret plorantibus ornamentum pro cinere, vnguentum voluptatis pro luctu, ſtolam laudis pro ſpiritu mœſto, vt vocaret eos arbores iuſtitiæ, plãtarium Domini ad glorificandum. Vnctio autem teſte Ioanne, docebit nos &
1. Ioan. 2. 14. 16. in omnem veritatem inducet. Si plenè vngit nos & omni veritate imbuit, & totum Euangelium & omnia læta, & totam legem & omnia ſua exponit: quid eſt in quo claudicare videatur? Quare vſurpemus audacter poſitionem Ioannis Huſſij, quantumuis in foro Romano condemnatis Legem Ieſu Chriſti veri Dei & veri hominis perfe ſufficere ad regimé militantis Eccleſiæ: & repetamus inter alias eius rationes hanc vnam non eneruatam, Summè potens, ſummè ſciẽs, & ſummè

mè beneuolus non ordinat aliquid imperfectè. Pleni ſunt his vocibus omnes libri patrum, cùm alia omnium hominum ſcripta incerta & imperfecta ſint: hanc ſolam ſcripturam eſſe conſummatam. Placétne Scripturæ ſententiam intelligere & dogmatum ſanitatem diſcere? attendatur vox Baſilij, Scripturam diuinitus inſpiratã oportere ſuo iudicio litem tranſigere, vt apud quos inuenta dogmata fuerint, diuinis ſermonibus congrua, his omnino veritatis ſuffragium deferatur. Conſulatur etiam Dionyſius, de huius ſcripturæ authoritate & perfectione. Cupimúſne hæreſes & ſcandala aliáque incommoda deuitare? Hæc omnia gignunt, Theophylacto teſte, quicunque aliquid præter ſcripturas afferunt. Quid? libétne etiam confutare hæreſes? Id iam oſtenſum eſt. Aſtipulatur & Chryſoſtomus ſic, In viam reuocari poſſe Manichæos alióſque quicunque exorbitarunt. Hinc dicitur Machæra contra hæreſes à Tertulliano: & gladius anceps ab Apoſtolo: eiúſque enſis deſcriptio in Apocalypſi habetur. Vtuntúrne ſcripturis Diabolus eiúſque ſacerdotes hæretici? Certè abutuntur & conciliis & patribus. Vocantur in teſtimonium ab Heluidio Tertullianus & Victorinus, à Dioſcoro multi patres (in Chal. con. act. 1.) ab Arrianis Origenes, à Donatiſtis Cyprianus, à Pelagianis Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Muſica conqueritur apud Pherecratem Comicum, de Timotheo quodam, quòd vnam aut alteram chordam fidibus ſuis propter ſuauiorem harmoniam addiſſet. Et quum operi diuino & perfectiſsimo multa adiiciantur, ſilebit Theologia? Poſſunt enim omnia ad hanc Scripturæ normam perpoliri & dedolari. In hanc ſententiam eſt Orig.

Ratio Io. Huſſij.
Ep. 80.
Ter. ad Marcionem. l. 3.
Heb. 4.
In Hier. Hom. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihil est siue in prophetia, siue in lege, siue in Euangelio, siue in Apostolo quod non à plenitudine diuinę Maiestatis descendat. In hanc sententiam sæpe Chrysost. scripsit, & passim August. & diserte Basilius, causam etiam adiungens, Omnis scriptura diuinitus inspirata ac vtilis propterea à spiritu conscripta est, vt velut in communi medica animorum officina propriæ affectionis medelam vnusquisque eligeremus. Sed quid hæc testimonia de Dei veritate & verbi perfectione ab hominibus accipio, quum vtrumque Ioannes Euangelista neruosè & luculentè probauerit, Omnem fidei quàm salutis nostræ rationem scriptura comprehendi? Multa & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum, illum Filium Dei: & vt credentes, vitam habeatis per nomen ipsius. Ex qua vna aurea sententiola tria discimus, rerum gestarum omnium quæ quidem necessariæ sunt, scriptionem: ex hac scriptione fidem, ex fide salutem per Iesum Christum. Quibus quid amplius aut maius requiri possit, nõ intelligo. Quod nunc demum afferent? Ipsam credo scripturã propterea non sufficere, quia Traditiones quasdã assuendas ipsa scriptura & ipsi patres nobis confirmant. Neutrum verum est: Nam scriptura, & quod traditum est, & quod scriptum, nõ aliquod discrepans aut diuersum, sed vnum & idem sibi se significat. Quod enim viua voce docuerunt, id post in scripta retulerunt, siue latius, siue strictius, semper autem plenissimè. In quo illa duo constanter retinẽda sunt, primum, quę populo tradiderunt Apostoli, ea à Domino vniuersa accepe-

Basiu. Psal. 1.

c. 20.

Obiectio.

Solutio.

runt. Deinde eadẽ literis mandarunt & excerpse-

runt, quæcunque sufficere videbantur, & vt credamus & vt seruemur. Sic patres sensisse, Irenæus vt antiquissimus, sic testis est locupletissimus, quo contenti simus in hoc tempore. Quod ad prius illud attinet, libro tertio docet, Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc pręconiauerunt, posteà verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Ex quo loco tria notemus, primùm, Apostolos anteaquam aliis viam salutis indicarent, eam ipsos optimè nouisse. Nec enim vt Irenæus subiecit, fas est dicere, quoniam antè prædicauerunt, quàm perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes, emendatores se esse Apostolorum. Secundò illos vocales fuisse Dei præcones, eadémque & pro concione in scripturis nobis non autoritate vel sua vel Ecclesiæ sed per Dei voluntatem tradidisse. Tertiò ea quæ nouerunt & sic communicarunt, nostrę fidei vnicum fundamentum & omnis veritatis basin existere. Quod apertius in sequentibus extulit. Tantæ igitur ostensiones cùm sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quã facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium diues, plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Quòd igitur sacras literas in prima acie Iesuitæ collocant, in eo subscribimus: quòd alia argumenta aliunde deinceps accumulãt, improbamus: quia nullam aliam esse rationem existimamus, quæ argumenti vim habeat, quæ in scholis nostris consistere aut poTria ex Iren. notanda.

c. 4.

sit aut debeat. Nam humanum testimonium omne etiam ipsi patres refutant & reiiciunt: Augustinus ad Vincentium contendit nec Hilarii, nec Cypriani, nec Agrippini, nec vllorum Episcoporum scripta sic legenda esse, vt ex eis testimonium proferatur, quasi contrà sentire non liceat, si cubi forte aliter sapuerint, quàm veritas postulat. Idémque, Non valet, hæc ego dico, hæc tu dicis, hæc ille dicit, sed hæc dicit Dominus. Quare vt Ignatii verbis vtar, Vbi pastor est, ibi vos (ceu oues) sequimini.

D 9. c. Noli Frater.

2 Hypothesis & depulsio criminis de Scriptura violata.

Supposita hac Thesi, veniamus ad hypothesin: quæratur de prçuaricatione: an nos Bibliorum sacrosanctam maiestatem violemus, & diuinis codicibus vim & manus inferamus: in quos à Campiano hæc faba cuditur, hoc crimen nouum confertur. Si hìc vicerint, si nos in αὐτοφώρῳ deprehensi fuerimus, Io Pæan canat Romanus Pontifex, floreant Iesuitæ, Pontificii applaudant: nos hoc verbo victi labascimus. Assumit ad probandum quod proposuit, duo, alterum ex librorum Canonicorum detruncatione, ex translatione alterum: quorum neutrum vel excusari debet vel tolerari potest: vtrumque dignum sanè est non tantùm flagello sed & fulmine. Nam si aut libros è Canone resecando, aut quos damus peperam vertendo populum Dei ludificamus, peccamus grauissimè. Sed vt illis libuit audacter & falsò affirmare, ita licebit nobis verecundè & verè pernegare. Quomodo autem confirmat Iesuita nos, id est, Ecclesiam Anglicanam, à corpore Bibliorum vnum membrum, ex codice Dei vnum libellum authenticum auellere? audiamus.

Analysis Methodi Cãpiani.

Prima pars, de Bibliorũ detruncatione.

CAM-

CAMPIANVS.

Manichæis quid causæ fuit, vt Euangelium Matthæi & Acta refigerent Apostolica? Desperatio. His enim voluminibus cruciabantur, & qui Christum negauerant prognatum de virgine, & qui spiritum Christianis tum primò cælitus illapsum finxerant, quum ipsorum Paracletus, Persa nequissimus, erupisset. Quid Ebionitis, vt omnes Pauli repudiarent epistolas? Desperatio. His enim suam dignitatem retinentibus, antiquata circuncisio est, quam isti reuocauerant. Quid Luthero, vt Epistolam Iacobi contentiosam, tumidã, aridam, stramineam, flagitiosus Apostata nominaret, & indignam spiritu censeret Apostolico? Desperatio. Hoc enim scripto confossus miser atque diruptus est, cùm in sola fide iustitiam constitueret.

Augustin. lib. 28. cõ. Faust. c. 2. & de vtil. cred. c. 3. Matth. 1. Act. 2.

Iren. li. 1. c. 16.

Præf. in Epist Iac. In lib. de ca. Bab. Cẽ. Magd 2. pag. 58. Iac 2.

HVMFREDVS.

Sinite quæso me, quæ ille orationis suæ vela in prima parte expandit latissimè, in angustum contrahere, vt illa ampla & inflata oratio, quàm exanguis & arida disputatio sit, appareat. Ita enim disputat, Manichæi Euangelium Matthæi & Acta Apostolica rescinderunt, Ebionij omnes Pauli Epistolas amputarunt, Lutherus, Caluinus, Geneuenses, Anabaptistæ, alii alias particulas abraserunt: ergo Ecclesia Anglicana corpus Biblicum delumbauit. Nisi enim hoc inferatur, nihil concluditur. Si Iesuitæ arena Academica toties ab ipsis optata potirentur, & ad Academiæ cathedram & ad scholæ diatribas sisterentur: omnino

Dialecticã Campiani.

Respõsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc responsum auferrent, scopas esse dissolutas? si ratione consulerent, diceretur absurdum, si philosophiam, esse iniustum, si artem & leges dialecticæ, esse incõsequés. Quid si isti omnes aliquos sacræ Scripturæ libros abiiciãt? quid hæc ad nos, qui recipimus? Æquumné erit aut rationi consentaneum, vt alius peccet, alius luat? alius det malũ, alter det pœnas? Eritné receptum apud istos Romanos, quod erat aliquando apud Græcos factitatum, vt delinquẽte coquo, tibicen vapulet? Manichæi, libros aliquot tollunt vel negant? & nos innocentes nihil tale cõmeritos, nullius culpæ affines istorum verberabit & feriet oratio? quod illi intriuerunt, nos exedemus? nobis hæc grandis dica ab istis audaculis Phormionibus impingetur? Præterea fallax est in Dialectica cõsecutio, & ἀνακόλουθον. Si Lutherus Germanus vnus sic senserit sic scripserit, ergóne hoc in vniuersum ad totã Ecclesiã, aut ad omnes Anglos propriè pertinebit? Ab homine ad humanitatẽ, ab vno ad vniuersitatem, ab indiuiduo ad genus, à particulari ad τὸ καθόλου ritè & dialecticè procedetur? Exempli causã, ex Chronicis multos Monachos irreligiosos, malos, mutos nouimus, ergo omnes aliæ societates Iesuitarum malæ sunt? Hoc argumentandi genus, placebit Iesuitarum auribus? Quare acta iã & tractata sunt omnia, qui multa dixit, nihil probasse cõuincitur: nec vlla hîc occasio porrigitur aduersariis, qua permoti à nobis exeant, & hoc nouo schismate, patriã deserãt & lacerent Ecclesiã. Sed hactenus hypotheticè largiti sumus, quod non erat dandũ, & quod nõ est, disputationis causa verum esse finximus. Ad primã Ratiocinationis partem, Antecedens nimirum reuertamur, & an illa particularia ita reuera sint quomodo nobis persuadere volũt, ordine disquiramus. De Manichæis & Ebio-

Athenæus.

Particularis discussio primæ propositionis.

& Ebionitis qui magnam Noui Testamenti partẽ rescinderunt, quia nihil ad nos, nihil dico, de horũ opinionibus fortassis aliás suo loco. *Lutherus Iacobi Epistolã nominat contentiosam, tumidam, aridam, stramineã, indignam spiritu Apostolico.* Et citat eius præfationẽ in eã Epistolã. At in ea præfatione in Iacobum, ait sanè fuisse à quibusdã veteribus reiectã, se tamẽ laudare & vtilem & commodam iudicare. Hoc cùm nostri vrgerent, & Campianus exagitatus & exæstuans allato libro nullũ locum proferre posset, huc demũ itũ est, aut exẽplar esse correctũ, aut in transmarinis partibus aliud haberi apud Cæsarẽ, aut apud Ducẽ Bauariæ, fortassis breui audiem° ex Æthiopia vsq; hoc suũ exemplar delatum esse, aut certè ex India, aut ex nouis insulis. Tandé Campiano vita functo, alius nouus Defensor Censurę Cãpiani Posthumus, nuper natus, aliud reperit diuerticulũ, Whitakerum falsum esse, Campiani obiectionem veram fuisse: straminea epistolam & cætera omnia à Luthero nominari disertè in Præfatione Germanica. Verbis tumida & audax assereratio, reipsa arida & straminea, imò nulla erit probatio. Extat enim Lutheri Præfatio Germanicè, quam vidi, legi, sed de ariditate, stramine, tumore Epistolæ nulla litera, vt probabile sit istos assertores aut non legisse, aut non intellexisse, aut neglexisse, aut homines somnolentos suum nobis somnium narraiam Campiani fuisse. Imò nec Campiani: Scio ad quem lapidẽ incauti impegerint, dum alienis oculis non suis vti maluerunt: Scio vnde mutuo sumpserit, Iesuita à Carthusiano, Cãpianus à Surio qui in Commẽtariis rerũ gestarum sic inquit, Ausus fuerat Lutherus, ex Canone scripturarum Noui Testamenti reiicere Epistolam ad Hebræos,

De Di. Iacobi epist. obiect.

Solut.

Defensor Censuræ.

Lutheri Præfatio in Iac. Germanica.

L. Surius

Epistolam D. Iacobi, quam stramineam ille impurus nebulo appellauit. Hiccine est mitissimi Iesu spiritus? Siccine Lutherum clarissimum Ecclesiæ lumen & decus, iste noster Iesuita flagitiosum apostatam, hic Monachus impurum nebulonem, ambo hæreticum contumeliosè nominare non reformidant? O par Monachorum impurum! quorum illa vox mutuò se instigans sibique applaudens insonare videtur,

Cur non Momę, boni quoniam conuenimus ambo,
Tu buccas, inflare leues, ego carpere sanctos.

Scilicet monachos decet hæc canina Rhetorica: Cùm tamen Michael Archangelus non maledixerit diabolo. Linguam Iesu aliã esse discimus ex Chrysostomo, Christi linguam imitari nos si congruam adhibeamus diligentiam: si loquamur ea quæ vult ipse Iesus. Audacis est, os Diabolo simile possidere, & linguam maligni Dæmonis imitari, quam habere non oportet Christi mansuetudinis sectatores. Contra Lutherũ conuiciari locus est communis Pontificiorum omnium & Cochlæus ex sua cochlea prorepens similiter crepat, & citat testem sui similem Iodocum Clitouæum. Repetit idem in Elencho Hæreticorum de straminea Epistola Gabriel Prateolus: idem ingeminat in sua Visibili Monarchia Sanderus, à quibus noster Campianus hoc stramẽ suffuratus videtur vt iam non mendacij solùm sit cõuictus, sed & furti sit coarguendus. Nam splendidum esse mendacium & titulus & præfatio tota Lutheri in Iacobum, clamitant: in titulo vocat Epistolam Sancti Iacobi, quemadmodum & Zvvinglius doctissimus interpres in sua inscriptione Germanica hãc Epistolã diui Iacobi Apostoli nominat. Præfationis autem Lutheranæ initium Latinè ita reddi potest, EPISTOLAM HANC LICET A VTERIBVS IMPROBATA SIT, LAVDO TAMEN, ET BONAM ESSE CENSEO, PROPTEREA QVOD HVMANAM DOCTRINAM OMNINO NON CONSTITVIT, ET DEI LEGEM VRGET GRAVISSIME. ATTAMEN VT MEAM SENTENTIAM DE ILLA SINE CVIVSQVAM PRÆIVDICIO AFFERAM, EXISTIMO EAM NON AB ALIQVO APOSTOLO CONSCRIPTAM, ET HÆC EST MEA RATIO &c. Cuius suæ opinionis tres aut quatuor causas adiungit, cum hac clausula, nolle se cuiquam præiudicare, aut prohibere, quo minus inter Canonicas scripturas numeret, pro vt libuerit. Nã multa, inquit, prę clara dicta in ea sunt. At Campianus nobis assignat alium locum ex libro de Captiuitate Babylonica: nec illud verum est: nihil enim ibi dicitur de hoc stramineo. Quæ autem hac de re scripserit passim in multis libris idem Lutherus, omnia oratione nostra cõsectari esset infinitum & inutile. Constat, fateor, in scriptis suis aliorum Patrum sententias sequutum, de hac scripturæ parte aliquantulum dubitasse, nec eam, quæ Canonicæ debetur, authoritatem tribuisse. Quanquam & nonnulla loca Iacobi citat: vt probet orandum, Iacobi testimonio vti non veretur, Orate alij pro aliis: & plebeculam eo thesauro nunquam fraudauit, sed Germanicè conuertit, vt legi vulgo in Ecclesia possit, & ipsam eam quã ex patribus suxerat duriusculam opinionem, correxit & emolliuit. Fuerunt vt sunt libera doctorum & piorum hominum iudicia, & aliorum sententias enumerare & expendere semper in omni ecclesia libera licuit. Quod Lutherus fecit in eodem libro de captiuitate Babylonica, non tam suam quàm aliorum vetustissimorum de ea Epistola censuram recitans. Ib iq̃ tamen Lutherus non inficiatur consuetudine autorita-

Hom. 52. ad Pop. Antioch.

Vide defen. Censuræ f. 55.

Præfatio Lutheri in Iac. Germanica.

In cap. Bab.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem obtinuisse. Qua in re quid aliud dicit quàm
In Præf. Tom. 4. Hier. quod Erasmus? Iacobi Epistolam veteres ab alio quopiam illius nomine editam affirmabant, licet
"paulatim temporis progressu obtinuerit autori-
"tatem. In Præfatione Germanica aliquot causas
Matth. Illyr. attigit, & eas omnes ex Illyrico ferè colligere
"licet, quas lector inde petat. Lutherus, inquit, in
"sua Præfatione graues causas recenset, cur pro
"Apostolicæ autoritatis scripto haberi nequeat,
"quibus quemuis pium, quique non habet stu-
"dium contendendi, meritò assentiri arbitror. Ipse
Historia Magdeburg. certè in Postilla maiore, non suum sed aliorum iudicium referens, ait, Iacobi & Iudæ Epistolæ inter ea quæ nullum certum autorẽ habent con-
numerantur. Sed illud quid est quod in Margine Historiæ Magdeburgicæ interserit mentionem? Vbi primùm Lectorem moneo vt Campiani numerum mutet, ne cum ipso aberret, est enim in Centuria secunda, pagina non 58. sed 68. deinde in taxandis Centuriatoribus eodẽ quo antè vsus est artificio, quippe quod ex vetustis Historiæ Ecclesiasticę scriptoribus Eusebio & Nicephoro illi diligentissimi autores annotarunt, id tanquam ab ipsis conscriptum aut cõfictum introducit. Magdeburgensium hæc verba sunt, Recitat ibidem Eusebius sicut & eum sequutus Nicephorus, suspectos habitos semper fuisse libros aliquos eo nomine, quod non genuini, nec ab Apostolis & satis probatis autoribus conscripti fuerint, in ordinem tamen librorum Noui Testamenti peruenerint, vt sunt Epistola Iacobi, Epistola Iudæ, Petri Epistola posterior, duæ posteriores Ioannis.
Euseb. li. 2. c. 24. Ipsa verò Eusebii verba alibi hæc sunt: De hac Iacobi Epistola sciendum est eam esse adulterinam. Non enim multi ex veteribus mentionem illius faciunt. Sic enim νοθευομένης interpretor, nõ vt Duræus

Duræus tanquam adulterinam, sed multorum iudicio adulterinam, notham, miniméque germanam Iacobi Epistolam. Ex Nicephoro sic, De quibus addubitatum sit, hæc sunt: prima inter Catholicas Iacobi fratris Domini, & septima Iudæ, fratris eius: item posterior Petri Epistola: De his enim anceps apud antiquos fuit opinio. Quid hìc Li. 2. c. 45.
noui prodiderunt historię concinnatores? Imò ex hisce duobus testibus elicitur, non Lutherum hoc peperisse sed partum ab aliis antiquissimis citasse, qui subinnuerunt nec Apostoli Iacobi fuisse nec Apostolici cuiusquam Epistolam. Idem Li. 3. c. 25.
Eusebius alibi: cùm namque authenticos & omnino indubitatos Scripturæ libros percensuisset, subtexuit: Quibus verò contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc, Epistola quæ Iacobo tribuitur, & Epistola Iudæ, &c. Nam Hiero- Hier. in Catal.
nymum in hanc quoque sententiam descendisse notum est, & eadem ferè verba quæ Lutherus habet vsurpasse, liber de viris illustribus testatur. Hieronymi verba Græcè reddita à Sophronio, sic latinè sonant, Hãc ipsam (Epistolam) ab alio quodam sub nomine eius editam fuisse quidam asserunt. Quidam, inquit, asserunt, non est ergo noua Lutheri assertio. Sed Duræus cauillatur, hanc paulatim tempore procedente obtinuisse autoritatem. At quam Duræe? Num canonicam? Non, sed extenuat ἀυθεντίας τινὸς ἐπελάβετο, Autoritatem quandam obtinuit. Quàm erit hians hæc connexio, Aliquam habuit autoritatem, ergo sine exceptione, sine omni dubio, Apostolicam & Canonicam? Quædam autoritas ab eodem Hieronymo tribuitur Hermæ, cuius liber inscriptus Pastor, apud quasdã Græciæ Ecclesias etiã publicè legitur. Ita confirmat Eusebius, & tamẽ è Ca- Euseb. li. 3. cap. 25. con. Cast.
none remouet & nothis annumerat. Ita passiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

Martyrum legi poterant ex decreto Concilij Carthaginensis. Sed quid ego Hieronymum testem produco, cuius venerandam autoritatem eleuat

De locis Theol. lib. 2. Melchior Canus, non canus pater sed nouitius & nasutus papista, Nec verum est, inquit, in libris Canonicis decernendi Ecclesiæ regulam esse Hieronymum: quod Caietanus perperam, ne dicam perniciosè existimauit. Si nũc istos Canos qui Patrum admiratores haberi volunt, Camos & Patromastygas vocitarem, qui velut degeneres & petulantes filij patrum suorum verenda impudenter retegere, imò sine causa temerè insectari audent, equidem quos ego studèo conciliare, illis forsitan bilem & stomachum mouerem: & tamen videtis Canum Hieronymi canicie spernere: imò & Caietano Cardinali nõ parcere: imò nec suum

Li. 2. c. 10. Gelasium summum Pontificem admittit, cui tamen de libris Canonicis iudicandi prærogatiuã

Li. 2. c. 7. tribuit, Ad summum, inquit, Pontificem pertinet definire, quinam liber sit Canonicus, &c. sed audiamus rationem. Quod si non esset iudex in Ecclesia, qui hanc contentionem litemque dirimeret: certè non esset Ecclesiæ à Deo prouisum in rebus necessariis: quasi ante Papatus incunabula Deus hanc controuersiam & dubitationem sustulisset: quasi sine Papa hac ex parte Ecclesiæ suæ Spiritus sanctus non prospexisset: aut quasi hodie aliquid probare velut Canonicum, vel reprobare tanquam apocryphum sit in manu cuiusquam mortalis post examen Apostolorũ, & post obitum Ioannis Euangelistæ & Apostoli, qui vi diuinitus huic operi fœliciſſimum fastigiũ imposuerunt, & de Catalogo librorum Canonicorum, & de omni diiudicatione eiuscemodi quæstionum, dubitandi nullum locum posteris reliquerũt. Gelasius Papa Presbyterum Romanæ Ec-

D. 15. Sancta Rom. clesiæ

clesiæ Hieronymum pluris facit quàm Canus: Illa sentimus, inquit ille, quæ beatum Hieronymum sentire cognoscimus, non solùm de Ruffino, sed etiam de vniuersis quos vir sæpius memoratus Zelo Dei & fidei religione reprehendit. Liceret & alios annumerare, sed ex his perspicuum est Lutherum iniustè & indignè ab istis esse tractatum, qui præter multas suas non contemnendas rationes, Hieronymi, Eusebij, Nicephori, Erasmi, Illyrici, veterum multorum & aliquot neotericorum nostrorum atque adeò Pontificiorum autoritatẽ & consensum protulit. Illud igitur quod Campianus de Iacobi straminea & arida & tumida & contentiosa & indigna spiritu Apostolico Epistola blaterauit ex Luthero, id totum, expressè, simul, constanter, simpliciter ab eo dictum non dum inuenio: pluribus tum discutietur fortasis, cùm locum vnde desumpserunt ista omnia, ipsi certius & candidius monstrauerint, quod adhuc bona fide neminem puto feciſſe, nec credo potuisse, si potuissent, scio debuisse. Licet verò in omnibus exemplaribus Lutheri & Norimbergæ & VVittembergæ, & Ienæ ita imprimeretur, quod est falsissimum: licet etiam illa omnia epitheta inuenirentur, quod hactenus nec Campianus, nec Censor, nec Defensor, nec alij vnde excerpserunt, manifestè commonstrarunt: tamen argumentum non sequitur, nec Anglicanam Ecclesiam vel vno digitulo attingit, cuius hæc est confessio, NOVI TESTAMENTI libros omnes, (vt vulgo recepti sunt) recipimus & habemus pro CANONICIS. At Duræus, dum vndique discurrit & vbique rimatur, locum illum Luthieri tandem inuenit de Stramine. Nam acutus homo vidit hactenus Campianum nihil verè prolocutum: Epistolam Iacobi non esse à Luthero sic vo-

In Art. Synod. Lond. Duræus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catam: nec in libro de captiuitate Babylonica, nec in præfatione in Epistolã Iacobi, nec Latinè, nec Germanicè: quos libros solùm nobis produxit Campianus.

Iudicent ergo saniores Iesuitæ, quid de insano isto proclamatore sentiendum sit. Quid Duræus? Præfatio Lutheri in N. Testam. Respondet aliter quàm Campianus verba illa esse in præfatione Lutheri in Nouum Testamentum. Inspexi eam & quidem Germanicè, & tamen nullam talem sententiam, nullam voculam similem reperio. At enim, inquit Durçus, Ienæ impressa illa præfatio habet. Fac habere: Credámne Ienensi editioni, cùm VVittébergensis omnino non habeat, vbi vixit, studuit, prælegit, & omnia accuratius excudere potuit? Nec quod est συγκριτικῶς vel per comparationem dictum, simpliciter est intelligendum. Fiat, sit dictum, sit scriptum à Luthero, Epistolam Iacobi præ illis Petri, & Pauli Epistolis stramineam esse: an idcirco disertè dixit esse stramineam? Stramen quodammodo dici poterat illa doctrina, de lege, de litera, de moribus, respicias auream Euangelij doctrinam, quam Petrus illustrauit apertius, & copiosius Paulus, qui nihil præter Christum scire volũt. Stramen inquã esse poterat illa doctrina de operum iustificatione, non quidẽ vt est à Iacobo posita, sed vt à multis Augustini tempore & hodie à Romanis Glossatoribus est exposita. Postremò si Lutherus hanc locutionem duriorem molliuit, si ipse elimauit, si omnino sustulit, cur flagellant se corrigentem?

Sedenim quàm perditæ frontis sunt Campianus, Prateolus, & alij qui nõ solùm comminiscuntur Epistolam à Luthero abolitam, quod non esse verum ostendimus, sed & causam hanc affingũt quòd fidei iustitiam quam astruere voluit Lutherus, Iacobus videatur destruere. O diuinos, o

nouos coniectores & scrutatores cordium! Non enim in eo loco Lutheri, causa iustificationis tractatur, sed cùm Iacobi textum ad extremæ Vnctionis Sacramentum constituendum pontificij ineptè & violenter detorqueant, id multis rationibus ex verbis ipsius Iacobi infirmat, & tãquam corollarium adiicit, quod hanc Epistolam non esse Apostoli Iacobi, nec Apostolico spiritu dignã, multi valdè probabiliter asserant. Quis hoc asseruit? Num Lutherus? Imò veteres multi, inquit Lutherus. Veniamus nunc ad causam fictitiam Campiani: ea est, inquit, causa Lutheranorum, desperatio. Desperauit miser Lutherus, cùm in sola fide iustitiam constitueret, Iacobi epistola confossus atque diruptus, ideóque negare & expungere facilius & consultius. De facto aut dicto Lutheri quo ad huius Epistolæ autoritatem superius: eam legit, probauit, exposuit, transtulit, antiquitatis iudicium magis quàm suum retulit. Doctrinam verò iustificationis hac postrema & tenebricosa ætate Lutherus asseruit dexterrimè, liberrimè, pulcherrimè, contra quam nullæ Iesuitarum machinæ aut vineæ, nulli aut aperti impetus aut insidiosi ictus prçualebũt. Nec erat Luthero necesse ad hoc miserum & desperatissimum perfugium confugere, vt negaret Epistolam esse Apostolicam. Iamdiu ante multos annos eam obiectionem retudit Augustinus: iamdudum Thomas Aquinas: & scholæ nostræ distinguere ambigua, & æquiuocationes Iesuiticas internoscere didicerunt: & quidem necessariò, ne Paulus Apostolus Iacobo contrarius esse videatur. Paulus ait, Abrahamum fide iustificatum sine operibus, & secundũ carnem nihil inuenisse, nihil meruisse: quod ait, ex scriptura cõfirmat, Credidit Abraham Deo: confirmat si ex operibus

Doctrina iustificationis c. Iacobo.

Super Gal. 3. super Iac. 2.

Rom. 4.

Gen. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustificaretur,haberet quod gloriaretur, sed non
apud Deum:confirmat ex Dauidis Psalmo qui ré
Psal.31. totam & rationem omnem iustitiæ nostræ explicat & definit:(qui autem non bene definit, nunquam bene docebit) hanc iustitiam nostram, id est,diuinam, non quam acquirimus, sed qua donamur,esse remissionem & expiationem peccatorum,qua sola æternum & summum bonum felicitatis consequimur.Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. confirmat à circumstantia temporis,quando hoc dono ornatus & coronatus est Abrahamus in præputio, vnde pater factus est omnium credentium: cuius fidei vestigiis nobis ingrediendum,si velimus regnum cœlorum ingredi, Alias confirmationes Pauli congerere perfedeo. Ex quibus constat Iesuitas Iesum Christum,Euangelii virtutem adhuc ignorare, quandoquidem Iustitia in hac quæstione est misericordia,hæc iustitia passiuè non actiuè intelligenda est: hæc iustitia non ex actionibus nostris sed ex imputatione Christi consistit. Quod non solùm ex Sacris Scripturis quod satis est, sed ex Origene,Ambrosio & aliis liquidò & plenè à nostris demonstratum est.Similiter & Victor de hoc Abraham,

Credidit, & nudæ fidei consensio sola
Plenam ad iustitiæ & meriti reputata coronã est

Iacobus autem, Abraham pater noster nónne ex factis iustificatus est? eodem tamen textu & testimonio Geneseos vtitur, Credidit: An vlla est aut esse potest in Paulo & Iacobo spirituum pugna,aut opinionum discrepantia? Absit, vnus Magister, vnus spiritus, vna ergo opinionum & spiratio. Responsio lucida & certa est, esse hoc Papisticum argumentum ab æquiuocatione, & distinctione illustrandum: Iustitiam aliam Dei

Dei meram misericordiam & gratuitam beneuolentiam:qua sola & Paulus & Iacobus, & pater Abrahamus,& nos quotquot sumus fideles filii à peccati oneribus releuamur:& eam sola fide nobis applicamus sicut manus nostra in apprehéndendo est organum organorum singulare & vnicum: Secundariò esse aliam iustitiam humanam & nomine tenus nostram, non qua iustificamur Rom.10.
coram Deo, sed qua innotescimus iusti hominibus. Neque enim fides operum virtute & splendore,sua quasi anima & vita caret,vt nec corpus suo motu,nec sol suo calore,neque fons suo riuulo,nec arbores bonæ suo fructu destituũtur. Paulus doctrinam tradidit: Iacobus vitam instituit, ille exigit vt primò placeamus Deo, hic pòst vt hominibus etiam nos probemus: ille vt iustificemur,hic vt sanctificemur: ille vt fide accepti simus propter Christum, hic vt fidem coram Christianis testatam faciamus bonis operibus, ne viui mortui, fideles infideles, Christiani Pseudochristiani,spirituales & Euangelici, reuera carnales & Epicurei videamur: Scopus Apostolorum inspiciendus est, Iacobi fidem verbalem,mortuam, dæmoniacam reprobantis, Pauli fidem realem, viuam, Christianam constituentis, Iacobi charitatis & legis officia requirentis: Pauli à radice iustificationis ad operum flosculos & fructus progredientis in eadem ad Romanos Epistola. An istis multò plura & maiora non vidit oculatissimus Lutherus? vt necesse fuerit homini tali ad extrema hæc deuenire, & in illas angustias se compingere vt fidem Iesu Christi non posset astruere nisi fidem tanto scriptori derogaret? An hac illustri fidei & iustitiæ prædicatione miser fuit Lutherus,an potius beatus,qui hanc suauissimam Euangelii doctrinæ lucem aspexit ab in-

tuitu Iesuitarum procul semotam, quos æquiuocatio in verbo Iustificationis & Fidei apud Apostolos & hîc & semper fefellit? Nam Iesuitas nec veram iustitiam qua beamur, nec veram fidē, qua eam tenemus, non intelligere, suis indiciis & argumentis Duræus prodidit. Ex ambiguitate vocis Iustitiæ, primùm sic ratiocinatur, Nos iustificari coram Deo quia Paulus scripsit, Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Vera est sententia de iustitia legali, quam Iudæi in ore habuerunt, sed opere non præstiterunt: & mens Apostoli est illis prioribus capitibus non leuare sed grauare & Gentes & Iudæos, illis de legis onere, non de Euangelica gratia concionari, vt primum deiiciat legis iustitia à qua multum abfuerunt, vt pòst iustitia Christiana hos prostratos erigeret, quam Christus gratis contulit. Ita Pauli & propositum & argumentum aliud est & diuersum Duræi collectione, hoc modo: Factores legis, qui vtramque tabulam obseruant, & omnia & singula mandata plenè exequuntur, iustificabuntur: At vos totam legem non facitis, ergo eam legis iustificationem assequi non potestis. In Maiore, officii & legis perfectio, in Minore humanarum virium infirmitas proponitur: quod probatur ex sequentibus. Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, Doces, prædicas, sed furaris, adulterium, sacrilegium committis. Hoc speculum verum ostende tuis, Duræe, vt aliam iustitiam Euangelicam esuriant, non hoc speculabundum, vt in lege glorientur & per legis transgressionem Deum ipsum dehonestent. In secundo argumento in voce Fidei alia est Ambiguitas. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Rom. 2.

Loquitur enim non de fide iustificante sed miraculosa, vt textus explanat & Christus exponit. Quare nondum confossus aut disruptus est Lutherus, nec Paulus nec Iacobus operibus nostris vllum meritum astruunt, nec salutem ascribunt. Descendamus ad aliud particulare: in Antecedenti propositione, & cuiusmodi sit, iusta statera trutinemus.

CAMPIANVS.

Quid Lutheri catulis, vt Tobiam, Ecclesiasticum, Machabæos, & horum odio complures alios eadem calumnia comprehensos, è syncero Canone repentè dispungerent? Desperatio. His enim Oraculis disertissimè coarguuntur, quoties de Angelorum patrocinio, quoties de arbitrij libertate, quoties de fidelibus vita defunctis, quoties de diuorum hominum intercessione disputant. Itáne verò? Tantum peruersitatis, tantum audaciæ? Cùm Ecclesiam, Concilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, Populos, Leges, Academias, Historias, omnia vetustatis & sanitatis vestigia conculcassent, scripto Dei verbo tantùm controuersias velle dirimere proclamassent, illud ipsum verbum, quod solum restiterat, ex sectis è toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis partibus, delumbasse? Septem enim ipsos de veteri Testamento codices, vt minuta dissimulem, Caluiniani præsciderunt: Lutherani verò etiam Epistolam Iacobi, & huius inuidia, quinque alias, de quibus aliquando fuerat & alicubi controuersum. His quoque libel-

p. iiij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum Hesteris, & triape è capita Danielis annumerant nouissimi Geneuenses, quæ quidem Anabaptistæ istorum cõdiscipuli iampridem damnauerant atque deriserant.

HVMFREDVS.

Legimus Sisinium quantumuis Nouatianũ hominem suauem tamen & facetum fuisse, & sales cum gratia quadam iacere consueuisse. Campianus autem si non Nouatianus at Nouitius dentatus semper,& mordax esse maluit, vt eum non in Iesuitico Seminario,sed in aliqua Cynica schola edoctum & educatum existimetis. Catulos esse dicit: Iudæi canes vocant Gentiles Christianos. Ferenda sunt nobis,ô Iesuitæ,maledicta vestra,na & malefacta vestra pati cogimur. Si vos domini ad mensam saturamini, tamen liceat quæso per vos Catulis istis etiam de micis quę de mensa Domini Dominorum cadunt, cum gratiarum actione comedere. Catuli sumus nos quia Iesuitas nouos hospites ferre non possumus. Cassiodorus, Canum natura est,vt nouis hominibus non acquiescant,sed eos latratu arceant. Catuli sunt Lutheri, qui istos libros è Canone exemerunt. Ergône Occidentales & Orientales doctissimi Episcopi, antiquissimi Patres,catuli Campiano erunt,quos Ecclesia Christi non solùm homines sed homines Dei agnoscit? Libri quatuordecim sunt, vt opinor, de quibus olim prisci addubitauerunt & quos in Canonicorum librorum Catalogum non ascripserunt. Quid si, Iesuitæ, vobis indicauero hoc ita esse vestrorum hominum testimonio? quid si docuero nihil dixisse aut scripsisse nostros,

De aliis Canonicis libris obiectio.

Antiquitatis opinio.

nostros, quod non sit dictũ prius & scriptum antiquitus? Prodeat vester Melchior, quem si vos sapientem Papistam negatis, planè vos desipitis. Is hæc verba habet, In dubium itaque & olim & nostra hac tempestate vocatum est,an septem illi libri veteris Testamenti Baruch, Tobias,Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus duoque Machabæorum sint habendi Canonici. Ex nouo quoq; Testamẽto,quæstio ferme eadem existit de Epistola Pauli ad Hebræos, de Epistola Iacobi,de secũda Petri, duabúsq; posterioribus Ioānis, de Epistola Iudæ, & libro Apocalypsis.Sunt enim Theologi & fuerunt,atq; in his quidẽ & nobiles veteres,longeq; principes, & quidã iuniores docti & graues,qui multis magnísq; rationibus adducti negarint eos libros oportere in Canonicis computari. De Lo. Theo. ca. 5. l. 2. Melchioris confessio.

Hac re sic affectus & perculsus est Melchior,vt ipse quoq; vacillare incipiat, Ita addubitare cogit doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. Erántne isti omnes Lutheri catuli, aut erit Melchior Catholicus canis? Non arbitror. Cur ergo in Lutherum aut in Lutheri catulos sic omnes vno impetũ inuehuntur: vt id etiam quod antiquitas comprobat, non attendant, sed quia Lutherani consentiunt, vituperant? Hæc est magna prę iudicij humani cæcitas,hic ęstus affectuũ, hæc præsumpta & altè animo impressa imaginatio. Si Lutherani non dixissent:opinio proculdubio Catholica fuisset.Memini Erasmum exemplo quodam demõstrare quantam vim habeat phantasiæ hęc phrenesis. Narrat quendam è codice pa ginam reuulsam Italo dedisse, & addidisse fuisse opus scriptoris Neoterici.Italus q. antiquarius vi deri quàm esse maluit, & fortè omnis nouæ reformationis in Religione & re literaria impatiens, ilico barbariẽ & orationis spurcitiẽ & dictionis

Phantasia cuiusdam Itali. In 3. serie oper. Hier.

salebras offendit, inclamat Phy, nauseat. Mox ille extra iocum & vero vultu ait esse Ciceronis fragmentum. Ita quod est Ciceronianum & comptissimum, homini phantastico nouum est & impolitum: Quicquid vetustatis titulo circumfertur aut è gremio Romanæ Ecclesiæ profertur, tametsi non vetus sed nouum, non verum sed vanum, nõ germanum sed adulterinum sit, plerumque gratum esse solet: si aliquid à recẽtioribus nostris & tempore antiquius & veritate salubrius & scriptione latinius & elegantius repetatur, & in Ecclesia doceatur, quasi Lutheranum aut Caluinianum, & quasi nouum atque impium & barbarum exploditur. Quas Iesuitæ in Canonem recipiunt, hos Iudęi, Græci, Latini submouent. Hebręi enim intra numerum Alphabeti & Hebraicarum literarum, totum Vetus Testamentum includunt, eósque libros in quatuor classes diuidunt, in Pentateuchum, in Prophetas priores, in prophetas posteriores, Maiores & minores, in Scripta siue Hagiographa, putà, Dauidis Psalterium, Salomonis Prouerbia, &c. atque de horum fide subdubitare nefas ducunt, vt confirmat Iosephus, apud quem etiam Tobię, Ecclesiastici, Machabæorum nulla mentio. Nam licet Tobias Ethicus liber multa vtilia contineat, & Hebraicè extet, tamen ab eius linguæ peritissimis hominibus nostris exercitationis gratia conscriptus fuisse nonnullis videtur, quanquam ea de re nihil ausim affirmare. Melito Sardensis Episcopus, qui pro Christiano dogmate ad Antoninum liberè scripsit, hac de causa in Orientem profectus, vt de ordine & numero librorum certò cognosceret, omnes apud Eusebium nominatos, in quo tamẽ catalogo Tobias, Ecclesiasticus, libri Machabæorum non recensentur. Græcus etiam Origenes, vt apud eundẽ Eusebiũ habetur, primũ Psalmũ exponens, Scripturarũ Veteris Testamenti catalogum ad verbũ sic cõtexit, Haud ignorandum fuerit, esse Veteris Instrumenti libros sicut Hebræi tradunt viginti duos, qui numerus apud eos etiam literarũ est. Nam in hoc numero assentitur Iosepho, & qui viginti quatuor ponunt, lib[…]brum Ruthæ & Threnos, inter Hagiographa supputant. In Canonibus Apostolicorũ Biblia venerauda & sacra enumerãtur, de Tobia, Iudith, Ecclesiastico silentiũ. Similiter Damascenus lib. 4. de Orthodoxa fide, c. 18. Qui omniũ virtutũ doctrina referti sunt, hoc est, Sapiẽtia Salomonis & Sapiẽtia Iesu, quã pater Sirach cõposuit Hebraicè, Græcè interpretatus est nepos Iesu, & filius Sirach, boni quidem & pulchri hi libri sunt, & honesti, sed nõ numerantur (in propheticis libris) neq; ponebantur in arca. Et suprà, Scire operæpretiũ est, quòd 22. libri sunt veteris Testamenti, secundum eleměta Hebraicæ vocis, duo enim & viginti habent eleměta. Quid Latina Ecclesia? De numero librorum cũ Iudęis cõsentit Hieronymus, istos excludit. Idẽ in Præfatione in Psalmos numerũ viginti duorum librorũ ponit & mysterium subesse indicat. Cyprian⁹, siue quisquis ille fuit Symboli expositor, Hæc sunt quæ patres intra Canonẽ concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Ad finẽ libros Tobiæ Iudith & Machabæorum non inter istos Canonicos sed inter Ecclesiasticos reponit. Sed quid vel Hieronymi vel Isidori Censuras de hoc libro Tobiæ repeterem, cùm habeam Durẽi confessionem de nostra Anglicana Ecclesia, quam ille immundi labij & duri oris homuncio Synagogam appellitat? Synagogæ, inquit, vestræ in ipso cultu diuino hunc librum tam superstitiosum non rarò legunt. Dubitauit etiam vester Angelicus Doctor

Fortis & phrenetica imaginatio Romanensiũ contra Lutheranissimum.

Cõt. App. li 1. Tobias.

Hier. in Catalog.

Euſ li. 4. ca. 26.

Euſ. li. 6. ca. 26.

Can. 84.

In Galeato in Hier. ad D. & Rog. ad Chrom. & Heliod.

Hiero. In præf. in Ionam, 6. Etymol. ca. 1. In cõfut. VVhitakeri.

Ecclesiasticus. Parte.2.q.86. art.3. Thomas de autoritate Ecclesiastici, Si tamen, inquit, Ecclesiastici autoritas non recipiatur propter hoc quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur. Et de libris Machabęorũ dubitatum fuisse olim Antoninus non dissimulauit. Nec tamen Diuus Thomas, nec Hieronymus, nec Antoninus dici propterea catuli debẽt. Quoniam igitur in ore duorum aut trium stat omne verbum & triplex funiculus difficulter rũpitur, & hunc Iudæorum, Oriẽtalium, Occidentalium consensum videmus: Lutheri sectatores à vero non deuiasse manifestum est. Hinc etiam patet quid de Machabæorum libris dicendum & diiudicandum sit, & in concilio Carthaginẽsi tertio, anno post Christum plus minus quadringentesimo ne quidem nominantur, & ab aliis pro Ecclesiasticis habiti sunt non pro Canonicis, etiã Romana curia suffragante vt pòst demõstrabitur. Luculentus testis est etiam hic Hieronymus in multis locis, & Iosephum libri Machabæorum exaratorem fuisse subindicat, quem Iudæũ bonum, autorem politum esse nõ nego, Christianum pium, in religione vera institutum nũquam affirmabo. Possum hîc de hisce libris iudicium referre Hieronymi in Prologo Salomonis, Naziãzeni in versibus, Cyrilli Hierosolymitani in Catecheſi, Athanasij in Synopsi, Gregorij Papæ in Iobum, qui Canonicos esse negat, licet ad ædificationem Ecclesiæ conducere arbitretur. Sed quid externa conquiro, cùm ipse autor suiipsius proditor sit? Autor secum pugnat in historia de morte Iudæ, De morte Antiochi Epiphanis. Autor prodit seipsum secundo libro, ca. 2. Quæ à Iasone Cyrenço quinque libris explicata sunt, nos vno volumine perstringere conabimur. Idem autor veniam petit, si quid minus congruenter in suo Commentario scripserit.

1. Macha.

Adnersus Pelag.

L. 19. c. 16.

2. Machab Can. 24.

1. Macch. 9. & 2. l. c. 1.

1. Macch. 6. & 2. Macch. 1. & eiusdẽ libri c. 9.

2. L. c. 15.

scripserit. Hoccine est Canonici scriptoris iudicium sibi repugnare, alium hominem autorem confiteri? Non ergo hos libros Lutherus repentè, sed vetustas olim dispunxit.

Quæ causa aduersus hos Lutheri catulos fingitur? Desperatio alia Caluinianorũ scilicet: idcirco Tobiæ omnem autoritatem adimunt, quia vident eo libro Angelorum patrocinium defendi, cuius nos inimicos esse existimat. Minimè gẽtium, nam patronos esse eos scimus, & seorsim nostros & generatim omnium regnorũ & hominũ, Raphaelem, Gabrielem, legiones angelorũ esse spiritus administros Dei, ad officia hominũ, ad beneficia omnium, ad vsus & præscripta quædam munera, Angelis enim suis Dominus hãc custodiæ demandauit prouinciam, qui tamen illorum omnẽ cultum & veneratione prohibuit. Sed locum inspiciamus: dein pontificiorum illationem examinemus. Raphael vnus est è septem Angelis, vbi numero definito vtitur pro infinito, vt Lyranus docet ex Gregorio, lachrymas & preces Tobiæ ad Deum retulit, operum eius bonorum oculatus testis fuit, ad hoc diuinitus emissus & amandatus. Hæc omnia scripta esse fatemur. Quamuis autem huius libri autoritas meritò in dubium veniat, nec dogmata fidei constabilire possit, tamen demus omnia: argumentum examinemus, quorsum hæc ab illis afferuntur? Ergo, inquiunt, licet Angelos inuocare & adorare. Sed hæc illorum illatio ex illo textu non elicitur. Perinde enim est ac si dicerent, Licuit Raphaeli iussu Dei hominibus inseruire, eos in omnibus viis suis custodire: ergo licet hominibus præter Dei mandatum illos Dei nuncios & seruos & custodes nostros inuocare. Atqui Duræus hîc Whitakerum alloquitur, Hilarius ex capite 12. Tobiæ Angelo-

cap. 12.

Hebr. 1. Angelorũ patrocinium & Inuocatio

Matth. 4. Tob. 12.

Duræus.

rum interceſſionem probauit, nec vllam hîc, vt
in Pſalm. 129. tu, ſuperſtitionem odoratus eſt. At in eo Pſalmo ea de re nihil dicit Hilarius. Scio quid alibi dicat, ſed omnino à propoſito alienum eſt. Interceſſio Angelorum nihil aliud eſt quàm eorum miniſterium, inter nos & Deum, dum preces Deo offerunt, & mandata Dei ad nos perferunt, nósque cuſtodiunt, nam ea interceſſione illorũ noſtra in-
De Trin. l. 4. firmitas indiget. De hoc Angelico munere concinnè & commodè Hilarius, quod vtinam obſeruent iſti Angelici Papiſtæ, Bonum quidem præſidium Angeli, ſed melius Domini. Iam de Angelis Scriptura ſæpe loquitur, vt de Chriſto, confirmante ipſo Hilario, Deus eſt qui & Angelus Dei eſt. Et reuera Chriſtus ſolus verus eſt noſter Raphael. Quicquid eſt ex toto contextu illo, & ex verbis Angeli & ex factis Tobię, nõ poteſt liquere vllas Angelicas creaturas inuocandas eſſe aut
Tob. 12. adorandas, ſed contrarium. Verba Angeli ſunt, Deũ celebrate: præclara res eſt prædicare Deum, & nomen ipſius (non meum) extollere. Non veni mea gratia, ſed eiuſdem Dei veſtri voluntate: Quapropter IPSVM celebrate in omne æuum. Aliud itaque eſt Ergo Angelorum, aliud Ergo ſeu concluſio Romanenſium. Et ſanè hoc eſt bonorum & malorum Angelorum diſcrimen. Qui ſe conſeruos eſſe confitentur, & ſibi honorem tribuendum negant, & Deo ſoli deferunt, boni
19. ſunt Angeli, vt ille in Apocalypſi, Deum adora, De vera Rel. c. 55. & hoc loco Raphael. Huc reſpexit Auguſtinus, nolunt ſe ſic honorari à nobis. Quod ſi coli ſe velint & θρησκίαν petant, ſunt mali genii & Apoſtatici & Dæmones, quod etiam alibi oſtendit, & aliam concluſionem & diuerſam ab hac Papiſti-
Epiſt. 49. ca ſubinfert, PROINDE ſicut impia ſuperbia, ſiue hominũ, ſiue dæmonum ſibi hos diuinos honores exhiberi

exhiberi vel iubet vel cupit: ita pia humilitas vel hominum ſanctorum vel Angelorum, hæc ſibi oblata recuſauit. Quid à Tobia, & aliis factũ eſt? Tob. 12. Num prolapſi Duliam vel Latriam exhibuerunt? Nequaquam: ſed in faciem proſtrati per tres horas Deum laudarunt, eius opera magna & admiranda prædicarunt. De hac vaniſſima diſtinctione ſcripſi aliàs in vita Iuelli, cùm noſtro Copo acerrimo Thomæ Aquinatis defenſori reſponderem. Manifeſtum eſt Auguſtinũ voluiſſe nec Dulia nec Latria colendos eſſe Angelos. Nam in eo- De vera Rel. c. 55. dem capite 55. aliam inducit illationem, Quare honoramus eos charitate, non (Dulia) aut ſeruitute. Hic ergo Tobiæ locus cùm de inuocatione noſtra omnino nihil, ſed de officio Angeli ſolummodo dicat, cúmque ea & dicto Angelico & De autofacto Tobiæ refutetur, nondum cogimur librum ritate L. propterea vel negare aut abiurare aut abrogare. Tobiæ. Et tamen ſi rurſum opponerem Tobiam non eſſe in Canone, non ideo Caluinianus eſſem: Hieronymianus eſſe poſſem. Ex quo etiam mutuatus Lyranus ita ſcripſit, Poſtquam auxiliante Deo In Galeſcripſi ſuper libros Sacræ Scripturæ Canonicos, to in Gl. incipiendo à principio Geneſeos, & procedendo vſque ad finem Apocalypſeos, eiuſdem con- Ord. ſu. fiſus auxilio, ſuper alios intendo ſcribere, qui Tob. N. non ſunt de Canone, ſcilicet liber Sapientiæ, L. ibid. in Præf. Eccleſiaſticus, Iudith, Tobias, libri Machabæorum &c. & pòſt noſtram confirmat ſententiam, " ad morum informationem eos legi in Eccleſia: " tamen eorum autoritatem ad probandum ea " quæ in contentionem veniunt minus idoneam " reputari. Quare quod ad inuocationem Angelorum à Campiano hic liber citatur, Lyrano teſte, probatio eſt minus idonea, & vt ego iudico minimè ad rem. Sed omni probationis onere leuare

Universidad de Deusto
Biblioteca

me potuisset Eckius, qui in Enchiridio fatetur ingenuè sacras literas Sanctorum inuocationem disertè nusquam tradere. Sed illud in omni hac disputatione cum aduersariis in vniuersum obseruari debet, eos Canonicorum librorum munimento exarmatos ex Apocryphis aliquem plumbeum gladiũ semper & quidem libẽter arripere:

In Censura Dial. 5. Nam quod noster Campianus siue ignarus, siue negligens, siue obliuiosus præteriit, id deputari quidam à Theologica facultate in Vniuersitate Colonienſi suppleuerunt: qui vt operum nostrorum promerita astruant, ex eodem Tobiæ libro sic probant, Angelus, Tobiæ decimoquarto, fatetur, operibus præcellentibus ipsum Deo acceptum fuisse, vbi tamen mendacium trifariam con-

Cap. 12. flatur: primò non loquitur Angelus, qui Tobiam antè deseruerat, sed eius libri scriptor: secundò de operibus præcellentibus nihil dicit, sed tantùm de honesta vita & probata conuersatione istius familiæ: tertiò non agit de merito operum quoad iustificationem aut salutem, sed illud solum dicit, illam omnem Tobiæ cognationẽ Deo, hominibus, & cunctis habitantibus in terra fuisse gratam & acceptam: quæ ad Thematis propositi confirmationem nullo modo pertinent.

Verùm in loco secundo quem citat, fortassis

Lib. Arb. nos prosternit, Astruit Ecclesiasticus Arbitrii libertatem, ideo eum sublatũ & è Canone remotum cupiunt: imò ante nos Hieronymus, Glossa ordinaria, Lyranus sustulerunt. Sed qua ratione

Eccles. 15. stabiliãt hoc suum liberum arbitrium expendite. Ipse hominem creauit ab initio, & permisit eum arbitrio consilii sui: ergo homo saucius & seruus peccati ad bonũ libera voluntate sua propendet: quam manifestam esse contradictionem quis hebes & obtusus non intelligit? Vt vnus & idem saucius

saucius & sanus, seruus & liber simul esse possit? Itaque iterum negamus consequentiam: prima pars de homine ante lapsũ præmittit, altera de lapsu concludit: quid est si hoc non sit ἀπροσδιόνυσον? Nam quatuor status hominis fuisse in prima creatione, in lapsu, in conuersione, in glorificatione Magister Sententiarum docere poterat. Hominem Adamum ad imaginem Dei conditum sapientia, innocentia, libertate arbitrii, sanctitate & iustitia præditum fuisse scimus, vt bonum vel malum, aquam vel ignem, vitam vel mortem potuisset eligere, & ad vtrumuis manum porrigere: pòst à Deo non coacti, sed à spiritu malo acti, & motu suo & arbitrio libero abusi, parentes nostri à Deo recesserunt, & se & liberum arbitrium perdiderunt. Iam verò homo lapsus animalis & caro, quonam pacto quæ sunt spiritus percipere, quomodo tenebræ, diuinæ gratiæ radios aspicere? quomodo mortuus ad vitam suis viribus aut facultatibus arbitrii resurgere, quomodo à Christo alienus ad patrem venire poterit? Qui seruus est peccati, nunquam liber erit nisi à Filio Dei liberatus fuerit: & tum quicquid est, Dei gratia est Ioan. 8. quod est. Nostra verò cum aduersariis lucta omnis & concertatio est, de prima conuersione nostra, quomodo à Deo per arbitrium auersi ad Deum reuertamur. Nos docemus, non puri sumus ex nobis, qui ex nobis ne cogitare quidẽ bene possumus, sed à Deo qui agit in nobis vt velimus, nec à natura quæ vulnerata est, sed à gratia quæ cæcos illuminat, non ex arbitrio quod nos perfundedit, sed ex spiritu qui in corde iam fidei scintillam accendit, qua impuri animi iam cœlitus purgati ad omnia charitatis & sanctimoniæ officia inflammantur. Conuerte nos, inquit Hieremias, & conuertemur. Tertius locus omnium

Contra Tho. 2. Sentẽt. li. 28. & contra Con. Tri.

Act. 15. Thren. 5.

papistarum commune propugnaculum est in libro secundo Machabæorum,quo suum expians sacrificium pro defunctis fulciunt,Ratiocinatio autem est admodum infirma,Iudâ coacta stipe, misisse Hierosolymam, ad sacrificium pro peccato faciendum,ergo est licitum: ac si quis sic connectat argumẽtum,Dauid adulterium commisit, ergo licet adulterare. Nam hoc planè legi diuinæ aduersari,& nullam eiusmodi piacularem hostiã pro mortuis à Mose tradi certũ est & notissimum. Itaque Demosthenis regula vera est, non exemplis sed legibus viuendum esse & agendum: ab exemplis argumentari debile fundamentum est, nisi legi innitatur, quia factum Raziæ in eadem historia sibi manus afferentis non probatur,quippe malum,nec Abrahæ in filii immolatione exemplum est imitandum, quippe singulare, maximè quia hic Machabæus bonus alioqui vir,non vllius exemplum, nec vllum Scripturæ veteris locum, sed tantùm Dialogismum cordis sui sequitur, vt ex verbis apparet, nec quisquam in Nouo Testamento idem factum iterare voluit. Addo etiam hanc clausulam de precatione pro defunctis videri nonnullis interpositam ab alio, quandoquidem Iosephus eandem narrans historiam de hac oblatione siluit, vt videre est ex historia rerum Iudaicarum. De recentioribus Iudæis quod affert Duræus,eos hodie precari & optare pacem mortuis: quorsum? sicut nos papistas in Christianismo tanquam degenerantes à religionis puritate iustè arguimus:sic hanc fecem Iudæorum coarguendam censemus; saniores & priores Iudæi idem non faciunt. Nam de hoc loco Machabæorum,quòd oratio viuentium non prosit defunctis,sic habet Munsterus in Commentariis super Iosephum filium Gorionis: Id cùm in alio

Ca.12.

2.Math. 14.

Li.3.ca.19 Duræus.

alio Scripturæ loco non inueniatur,neque Iudęis in hunc vsque diem in vsu sit, Orare pro his qui iam sunt sub iudicio Dei,videtur coronis ista per audaculum aliquem adiecta. Quartus locus est ex eodem libro Machabæorum, diuorum hominum interceſſio. Sic enim & Alphonsus de Castro ratiocinatus est,Cùm Onias Pontifex & Hieremias amator Israelitarum mortui, adhuc extra statum meriti collocati in limbo patrum orarent pro populo:quanto magis Sancti nunc Deo fruentes & orant feruentius & exorabunt facilius? Primùm & hoc quoque est eiusdem Iudæ exemplum siue Narratio,qui vt suos ad pugnam excitaret,narrat Oniam, & Hieremiam pro Israel precari: sed & hæc tantùm est visio, cui quid tribuendum sit,sapientes & pii iudicent. Quomodocunque sit omnia hæc sunt, vt aiunt, extra oleas: Nemo enim nostrûm vnquam iuit inficias,Hieremiam & sanctos mortuos posse sub altari clamare, posse orare pro fratribus, pro membris afflictis vniuersæ Ecclesiæ,Angelos canere Deo, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. At quòd sigillatim pro aliquo vno nostrûm ex speciali affectu preces fundant, aut quòd nos debeamus illos inuocare, aut eos inter nos & Deum Intercessores asciscere, id hactenus nunquam probarunt. Faciat sanè triumphãs Ecclesia quod debet,& quod Agnus iubet,& Agno sedẽti in throno & cytharis suis ac voce laudes & Alleluia decanter: sed de officio Ecclesię militantis erga illos defunctos nostra est lis & controuersia:cuius hoc loco nulla est syllaba. Ideóque à scopo aberrant longissimè. Aliud argumentum Duræi est huiusmodi, Iudæis fidelibus adeo familiaris erat Sanctorum inuocatio,vt Christum Heliam inuocasse putarent, eùm diceret, Heli, Heli, Lamma Sabactani:

Ap.8.

Ies.6.

Matth.27.

Cap.15. Diuorum hominũ intercessio.Cont. Har li.13.

igitur Sanctorum intercessio probanda. Quod non modò irrisione sed & explosione dignum est. Non sic putarunt Iudæi fideles, sed quidam ex adstantibus: & nos ab inimicis crucis Christi non accepimus dogma Christianum, sed à Christo, qui clamauit, Eli, Eli, Deus meus, Deus meus, Nô SancteElia libera me. Proinde cùm liquidũ sit in his quatuor doctrinæ pontificiæ capitibus, eos nec cœlum nec terrã attigisse, sed à proposito alienissima testimonia ex Apocryphis coacerualle: neque nos adhuc causa cecidisse, nec adhuc prostratos ab istis Goliathis succubuisse: quorsum illi sine flamma vanissimi fumuli? quorsum ille tantus in re frigidissima feruor orationis? Quorsum illa, *Itáne verò tantumperuersitatis, &c.* Quid tum?

7. libri alij à Caluinianis præcisi sunt.

Etiam septem libri à Caluinianis præcisi sunt: Caluiniani, Lutherani vocamur à Iesuita Campiano: cur non etiam nobis liceat nomen posthac nouum indere, vt Ed. Campianus, nouæ sectæ autor & Angloiesuitarum primipilus habeatur, vt sicut à quodã Ioanne Campano Prateolus Campanistas hæreticos deducit: ita à Campiano Cãpianistæ proseminentur? Cãpianus certè & Cãpanus vna tantùm litera distant nomine, re conueniunt. Campanus nouo Enthusiasmo inflatus in ministerium se intrusit, Campianus non vocatus nisi à spiritu suo vel sui præpositi generalis, non iussu, non accersitu non rogatu neque scitu nostri Magistratus in Anglia sacerdotio nescio quo perfunctus est. Cãpanus in verbis cœnæ Dominicæ aliud Glossema inuenit, nullo modo Oecolampadium, aut Zuinglium, aut Caluinum sequutus: Portentosa est etiam Campiani eiusdem sacri mysterij expositio, vt pòst docebitur. Campanus in carcerem coniectus suæ liberationis spem

Cãpianus. Cãpanus.

spem sibi & suis fecit: & nisi hæc prophetia vera esset, pollicetur suarum opinionum palinodiam. Hac spe inductus vel seductus Campianus in Angliã venit, hac spe vixit captiuus, sed Pseudopropheta & se proh dolor fefellit & suos Cãpianistas qui ab ipso pendebant. Caluiniani aut Lutherani non sumus, nec enim serui hominum sumus: hoc nominis non sumimus nos, illi nobis imponunt. Caluinum & Lutherum tanquam eiusdem corporis membra, tanquam electa Dei organa, & viuos & mortuos, vt decet & licet honoramus: sed vt disciplinæ alicuius inuentores & patres non agnoscimus. Nam si neque Cephæ, neque Pauli, neque Apollo nomine insigniri debemus, sed Christi discipuli, & esse & nominari cupimus: multo minus istorum hominum vmbraculo gloriamur. Sumus enim Christiani non Petriani: per illum nati, sed illi nati, vt perscitè Augustinus. At vt à nomine inuidioso ad rem falsissimam dilabamur: qui sunt Caluiniani qui septem libros Veteris Testamenti abraserunt? Prateolus qui Caluinistarum omnes opiniones tanquam canis sagax subodoratus est & peruestigauit, qui omnia eius dicta & non dicta, facta & non facta ex Staphilo, Hosio, Claudio Sanctesio vndecunque conuerrit, hanc tamen Bibliorum mutilationem illi in Hæresi Caluiniana non obiicit. Imò verò cùm in Lutherum maledictorum plus satis euomuisset, propter suam fidem specialem vt vocat, eò quòd Epistolam Iacobi è Catalogo extrudere videretur, Caluinum laudat, vt qui opinionem illam quorundam retunderet, his verbis, Quare mihi ad Epistolam recipiendam satis est, quod nihil continet Christi Apostolo indignum. Et Campianus quos notauit, eosdem non nominauit. In

Aug. pſ. 44.

Caluinus.

Biblia Geneuensia.

margine inseritur nescio quid de BibliisGeneuē-sibus. Geneuēses in ea re elucubrāda plurimū operæ & olei ad Dei gloriā,& ad Ecclesiæ ędificationē,posuerūt,siue loquatur de nostra versione Anglica Geneuę impressa, siue de Latina,siue de Gallica. Omnes libros & libellos prout humana mēs capere,& humana lingua exprimere potuit,fideliter trāstulerunt. Cùm ad reliquos libros ventum est,à prophetis vsque ad Nouum Testamentum,

Quid Apocryphum. D.15.

appellant Apocryphos,vsitato nomine,non vt ille rudis Glossator in Decretis papalibus,ab Apo, de,& Crisis quod est secretum : sed quòd occulti essent,non ab Ecclesia publicè recepti, sed quòd secretè intra priuatos parietes legi possent : Et

Hugo. Hieron.

Hieronymus in Prologo Galeato ponit extra Canonem & inter Apocrypha, Nos verò siue Caluiniani siue Geneuenses , sic existimamus,eos dici posse vel Hagiographos à viris sanctis proditos vel Apocryphos,vel Ecclesiasticos non verè Canonicos,vnde tamen & historica ad res à memoria nostra remotas intelligēdum,& ethica ad morum conformationem copiosè & fructuosè colligantur,hoc enim video Antiquitati placuisse.Sed

Baruchus.

vt de singulis ordine agatur : Baruchus proximus est, (nam de aliis dictum est :) de quo si illud ex

in Prolo. Pro. Sal.

Hieronymo proferamus, in Canone Hebraico nō inuenīri , sed tantummodo in vulgata Editione: & ab Augustino in sua enumeratione esse prætermissum,nec à Damasceno,nec ab Innocentio, nec à Concilio Carthaginensi capite quadragesimo septimo comprehensum: Geneuenses nihil noui tentantes cur insimulentur ? Nam quod

Melch. Ca.l.a.c.7

Melchior Canus respondet , Hieremiæ tributum esse, quod Baruchi nomine legitur,non satisfacit: quia Hebraicè in Hieremia non habetur: & quia ipse animaduertit suam solutionem esse friuolam,

uolam,ideo se cōrigit, Ad confirmationem facilius responderi potest,tempore Hieronymi,quod nunc tenemus,id non fuisse adeò certum, at modò dignum esse qui ab Ecclesia recipiatur.Et quis nouus spiritus Canonicum faciet , quod vetus & Apostolica Ecclesia à Spiritu sancto edocta in Canonem non admisit ? At quod ab initio non valuit,temporis progressu non conualescit. Et nos quidem lectione dignum fatemur: sed in Canone contineri non dicimus : in quo disputationis nostræ cardo vertitur. De Tobia , Ecclesiastico,libris Machabæorum satis suprà.

Li.2.c.11.

Tobias. &c.

Tobiam edidit doctissimus Paulus Fagius Hebraicè, quem Iudæorum opera ex vrbe Constantinopolitana nactus euulgauit , transtulit : & Iesum Syracidem in Bibliotheca aliqua latitare audiuit : tamen non diffitetur esse Apocryphos. De his & de Iudith idem sentit Hieronymus , Prologo librorum Solomonis.Sicut ergo Iudith, Tobiam, Machabæorum libros legit quidem Ecclesia , sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina legit,&c. Quænam Ecclesia non recipit ? Antiqua,Hieronymi tempore, ante Caluinum. Ergo Caluiniani veterem cōsuetudinem retinent , dum è numero Canonicorum segregant: & nouitati student Romanistæ,dū cōtra ἀρχαῖα ἄῤῥη, contra præscriptum antiquæ Ecclesiæ in Canonem insulciunt. Duræus insultat hîc, Hos libros post Hieronymi tempora receptos fuisse.Quos,inquit , non olim Hieronymus , sed vos nunc præscidistis.Imò vestri,Duræe,præscide runt:vester Iodocus Clichtoueus Neoportuensis suo obelisco notauit , Non modò hi duo libri (Sapientia & Ecclesiasticus) non numerati sunt in Canone sacrorum librorum,sed etiam Tobias,

In comment. S. Damas. l. 4. de Orth. fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudith,& libri Machabæorum,à numero Canonicorum voluminum veteris Instrumenti sunt excluſi. De Noui Teſtamenti libris abrogatis quid ſubnectit Ieſuita? *Lutherani Epiſtolam Iacobi & huius inuidia quinque alias præſciderunt, de quibus aliquando fuerat & alicubi controuerſum.* Ecce Lutherus & Campianus tanquam fratres vno & eodem ſpiritu iam afflati conſpirant, & conſentiunt,hanc rem olim non fuiſſe exploratam & explicatam , ſed aliquando & alicubi dubiam & controuerſam: cui & nos accedimus. Campiani Margo expunctã à nobis epiſtolã ad Hebrços adnotat: quod quia in Textu non eſt, facilius contemnitur,& nos in margine notare poſſumus,hãc eius notam non valere. Sed quod prius in explicatione argumenti poſitum eſt, id ſemper animis noſtris & cogitationibus ſuccurrat, contra noſtram Eccleſiam iſta omnia Parerga nihil concludere , quæ omnes Noui Teſtamenti libros complectitur. Lutherani è corpore toto Biblico,tam multas tam bonas tam ſpecioſas partes atque membra execuerunt & ſuſtulerunt? Imò Latina Eccleſia iamdudum ſuſtulit. Hieronymus in Ieſaiam , Vnde & Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos quam Latina conſuetudo non recipit. Et paulò pòſt,Pauli idcirco ad Hebræos Epiſtolæ contradicitur , quòd ad Hebræos ſcribens vtatur teſtimoniis, quæ in Hebræis voluminibus nõ habentur. Et capite Octauo de eadem , Licet eam Latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat. Quod paulò apertius expreſſit in Hieronymum Eraſmus,Viuo etiamnum Hieronymo,Romani non recipiebant Epiſtolam ad Hebræos. Hanc ſententiam Romanorum aperuit Euſebius , Quod autem quidam eam quæ ad Hebræos eſt reprobarunt , à Romana illi Eccle-

De Epiſtola ad Hebræos.

C. 6.

Romani non recipiunt Ep. ad Hebr. In præf. ad T. 4. L. 3. c. 3.

Eccleſia , quaſi Pauli non ſit , contradici aſſerentes iuſtum fuerit non ignorare. Ita iſti Latinæ Eccleſiæ Neophyti aſſeclæ , ſui immemores Latinæ conſuetudini contradicunt, & noui Romaniſtæ à veteribus Romanis diſſentiunt. Ita nunc aut Lutherani Romanizant aut Romani Lutherizãt, qui Epiſtolam ad Hebræos Paulinam non agnoſcunt. Quemadmodum etiam virum doctum & ingenioſum & Romanæ familiæ columen Caietanum hãc de cauſa tamen ſine iuſta cauſa exagitat Melchior, falsò obiiciens eum in libris ſacris conſtituendis Eraſmi nouitates ingeniumque ſequutũ, dumque alienis veſtigiis voluit inſiſtere , propriã gloriam maculaſſe. O delicias iſtorum hominum, quorum palato iam nec concilia , nec patres,nec ipſorum Papæ,nec Scholaſtici papiſtæ, nec Cardinales , nec noſtri nec ſui ſapiunt : quibus credo nec Iupiter ipſe placeret , ſiue pluat ſiue ſerenus ſit. Iudæ Epiſtolam,& Petri poſteriorem,& duas Ioannis ſiue Euangeliſtæ ſiue alterius presbyteri ante multos annos veteres reprobaſſe, & tãquam adulterinas cenſuiſſe ſcriptum reliquit Euſebius. De Ioannis Epiſtolis poſterioribus aliquem ſcrupulum iniiciunt illa verba Hieronymi , Primam illam ab omnibus Eccleſiaſticis & eruditis viris probari,reliquas duas Ioannis Presbyteri eſſe,aſſeri. Qui etiam de Petri ſecunda epiſtola , Eam quæ poſterior dicitur ἐκ ἐνδιάθηκον non eſſe legitimam accepimus : & tamen quia multis viſa eſt vtilis, cum aliis Scripturis ſtudioſè diſcitur. Alia verò reputat veluti ὁμολογούμενα & ἀναντίρρητα cõfeſſa & probata citra omnem controuerſiam. Quare ſi aliquem iſtorum librorum tanquam ſuſpectum habuerunt Lutherani aut Caluiniani; quod tamen nondum nobis ſatis probarunt: non nunc primum eorum fides in dubium venit: ſed

De Iudæ, Pet Ioannis epiſtolis.

L. 2. c. 11.

L. 2 c. 3. In vita Ioan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hester & tria cap. Dan.

olim iam olim dubitauit atque remouit Antiquitas. *His quoque*, inquit, *libellum Hesteris & tria penè capita Danielis annumerant nouissimi Geneuenses, quæ quidem Anabaptistæ istorum condiscipuli iampridem damnauerant atque deriserãt.* Quæ in Daniele & Estera Hebraicè extant, nemo nostrûm vnquã dubitauit esse genuina & germana Spiritus sancti oracula: at fragmenta & accessiones illæ etiã à veteri Interprete vestro improbari videntur, cùm ita in Antuerpiensi exemplari impressum inuenitur: Hoc nec in Hebræo, nec apud vllum fertur Interpretum, Item, In sola vulgata editione reperimus. Item, quæ sequuntur vsque ad finem libri, de Theodotionis editione translata sunt. Eraſmus dum in Tomum quartum Hieronymi præfatur, scripsit Danielem apud Hieronymum eiusdem ordinis haberi, cuius & liber Psalmorum, & tamen ex his quæ huius habẽt titulum, Hieronymum non vereri quædam obeliis iugulare, veluti Belum, Draconẽ, Susannam, hymnúmque triũ puerorũ &c. dein ex primis duobus Esdræ libris vnicum facere, & duos reliquos inter Apocrypha censere, &c. Placet hîc Athanasii supputationem annectere. Cùm numerasset Veteris Instrumenti libros Canonicos viginti duos, literis Hebraicis numero pares: Præter istos, inquit, sunt adhuc alii eiusdem Veteris Instrumenti libri non CANONICI, qui Catechumenis tantùm leguntur, Sapientia Salomonis, Sapientia Iesu filii Sirach, Esther, Iudith, Tobias. In hac & non in alia sententia sunt Geneuenses siue primi siue nouissimi. At cur obsecro in sua absoluta Canonis enumeratione Esdram prætertit Campianus? an eum dicemus Vetus Testamentum aut castrasse aut delumbasse? Prosequitur Campianus suam Bibliothecam sacram explicare, &

Est. ca. 11. 12.

Daniel.

Ath in D. Scrip. Synop.

re, & tandem vnum argumentum affert, Augustinum testem producit.

CAMPIANVS.

Quantò modestius Augustinus, qui sacrosanctum Catalogum pertexens, non sibi, neque Alphabetum Hebraicum, vt Iudæi, neque priuatum spiritum vt Sectarij, pro regula posuit: sed illum spiritum quo totum corpus Ecclesiæ Christus animat? quæ quidem Ecclesia custos huius depositi nõ magistra, quod hæretici cauillantur, thesaurum hunc vniuersum quem Tridentina synodus est amplexa, vetustissimis olim Concilijs publicitus vẽdicauit.

HVMFREDVS.

Quid ergo, an omnia hæc Origenis, Cypriani, Iosephi, Hieronymi, Eusebij, aliorumque multorum iudicia tanquam Iudæorum Alphabetum, aut tanquam sectariorum deliria vna sententiola tanquam vno atrò carbone notabunt & condemnabunt? Scio hæc Campianum ex Melchiore aut Coclæo sumpsisse, qui Augustini catalogum ideo præferunt Hieronymo, quòd is quasi Iudaizare, alter Christianos sequi videatur. Sed inconsideratè & absre patres inter sese committunt. Augustinus ipse Iudæos vocat gentem scriniariam Christianorum quòd fuerunt custodes sacrorum Bibliorum. Pro se & pro nobis respondet Hieronymus ex Origine, de fide Iudæorũ: Quod si aliquis dixerit, Hebraicos libros postea à Iudæis esse falsatos: audiat Origenẽ, quid in octauo

Li. 2. de D. Chr. ca. 8.

Ies. 6.

volumine explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ, quòd nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguat in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent, sin post aduentum Saluatoris, &c. Cachinum tenere non potero. Quare placet illa Hie-
Hie. in præfin Paralip. ronymi grauissima determinatio, Apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur reuertẽdum est, vnde & Dominus loquitur. Quare obiectio illa contra Iudæos quasi aut aliquos libros Veteris Testamenti omiserint aut amiserint aut adulterarint, non modò frigida est sed falsissima: quibus
Rom 3.9. scimus Dei Testamentum, oracula, patres, leges, omnia concredita. Pergit porrò fabulari, *Vniuersum illum Thesaurum quem Tridentina Synodus est amplexa, vetustissimis olim Conciliis publicatus ab Ecclesia huius depositi custode esse vendicatum.* Quod nec verum esse nec vero simile fatebitur, quisquis Ecclesię patres quot citaui, aut cõcilia, aut libros Augustini syncerè legerit. Augustinus egregia cautione nos præmonuit & præ-
129. muniuit in quodam Sermone de Tempore: Si quis aliquas Scripturas præter eas quas catholica Eccleſia recepit, vel in autoritate habendas esse crediderit, vel fuerit veneratus, anathema sit. Omnes autem istos libros pro canonicis à Catholica Ecclesia semper reputatos fuisse, sicut decreuit synodus Tridentina, ex Ecclesiæ Archiuis ostendi quî potest? aut vbi hoc dixit Augustinus? Nam licet ipse in libro de doctrina Christiana Canonem Sacræ Scripturæ contexat: tamen ibi suum iudicium profert nõ Ecclesiæ testimonium: Aliter sonant hæc, sic putauit Augustinus, & sic statuit Ecclesia, sicut ex tanta nube testium quos adduxi in Græca & Romana Ecclesia perspicuum est. Deinde fucus est & fraus in Argumento: Augustinus

gustinus Iudith, libros Machabæorum, &c. Canonicos esse censuit, ergo omnino & in vniuersum canonici sunt, sicut sacræ Scripturæ libri reliqui sunt, vt inde Religionis nostræ dogmata tutò & solidè confirmemus. Sic enim Canonicum accipit Tridentina Synodus, sed non Augustinus: vtpote qui non omnes libros fidei canonẽ esse voluit: sed quosdam Ecclesiasticos, & vitæ canonem. Quare Amphibologia dictionis & ignoratione sensus & mentis Augustini se & suos decepit Campianus. Sic enim Autore Caietano, Regulares Canonici libri rectè distinguuntur, vt ex Authenticis credendi normam, ex Hagiographis seu Ecclesiasticis viuendi regulam petamus. Alioqui de Machabęorum libris non ita timidè loqueretur ipse Augustinus contra Epistolam Gau-
Li 2. c. 23. dentij, SI SOBRIE LEGANTVR. Sed pergamus, & præeuntem Campianum sequamur.

CAMPIANVS.

Idem Augustinus de vna Scripturarum particula specialim differens, inducere in animum non potest, librum Sapientiæ, qui iam tum, Ecclesiæ calculo, temporum serie, priscorum testimonio, instinctione fidelium, vt firmus & Canonicus robur obtinuerat, cuiusquam temeritate vel susurro, extrudi extra Canonem oportere. Quid ille nunc diceret, si viueret in terris, & Lutheros Caluinésque concerneret Opifices Bibliorum, qui sua lima politula & elegantula vetus nouúmque Testamẽtum raserint, neque Sapientiam tantum, sed & alia permulta de Canonicorum librorum ordine segregauerint: vt quidquid ex horum officina non
De præd. Sanctorum. ca. 14.

prodierit, illud ab omnibus, phrenetico decreto tãquam incultum & horridum conſpuatur?

HVMFREDVS.

Phaleras & bullas orationis Campianicæ detrahamus, & ſingulas partes nudè conſpiciendas proponamus. Quæ enim nunc dicuntur, trifariam diuidi poſſunt, vt ſint vel argumentationes quædam ieiunę, vel Amplificationes turgidę, vel perbacchationes ſtomachoſę. Quæ duo poſteriora quia ſunt vel ex arte Rhetoricè colorata, vel ex carne humanitus cholerica prætereamus. Nam qui librum Sapientiæ affirmat & Eccleſiæ calculo, & temporum ſerie, & priſcorum teſtimonio, & inſtructione fidelium, firmitatem & Canonicum robur obtinuiſſe: frigidè amplificat & in lente, vt eſt in Græco prouerbio, vnguentum profundit. Nam iſta omnia, quæ huius extulit & auxit oratio, reipſa verè deprimuntur & concidunt. Perbacchatur ſtomachosè & contumeliosè in Lutheros, in Caluinos, opifices Bibliorum, ſua lima politula, Vetus, Nouum Teſtamentum radentes, permulta de Canonicorum librorum ordine ſegregantes, omnia quæ ex illorum officina non prodierint, phrenetico decreto tanquam inculta & horrida conſpuentes. Hęc omnia tanquam inanis cerebri exhalationes, tanquam virulenti ſtomachi eructationes, tanquam hominis furioſi phrenetica ſomnia, quia re prius confutata ſunt, verbis repetere & replicare ſupерſedeo. Venio ad argumentum cuius nullus neruus eſt, licet Duræus ex reſponſione Auguſtini corroborare nitatur. Quęritur an ille liber Sapientiæ ſit conſenſu Eccleſiæ Catholicæ verè & pro-

propriè Canonicus? negatur. Si enim Catholica Eccleſia in hac ſerie Canonicorum librorum, etiam librum hunc Sapientiæ conſtituiſſet, ſicut ex verbis Auguſtini colligit Ieſuita, teſtimonium illud Sapientiæ quarto (Raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ eius) FRATRES MVLTI L. de Præ-
DE LIBRO CANONICO adhibitũ nõ negaſſent; deſt. c. 14.
nec ſic dubitanter & cautè loquutus fuiſſet ipſe Auguſtinus, Hæc eſt tota cauſa cur dictum eſt, à QVOCVNQVE ſit dictum, Nec in eo loco dicit Auguſtinus eſſe Canonicum, ſicut Campianus affirmat: ſed rectè in Eccleſia à lectoribus recitari, & ab Epiſcopis vſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, Catechumenos, cum veneratione diuinæ autoritatis audiri. Quod ſanè fit in Eccleſia noſtra, vt quotannis legatur, & vt ibidem indicauit Auguſtinus, ſic etiam nos cenſemus aliis Catholicis Patribus diuinorum eloquiorum tractatoribus eum librum non poſtponi ſed anteponi oportere, quorum etiam teſtimoniis acquieſcimus, quàm diu nihil niſi quod diuinum eſt adhibent. Et Epiphanius pro nobis facit, qui In Ancorato.
à priſca Eccleſia παγάρετον, omnium virtutum librum cognominatum ſcripſit, qui Officia & præcepta viuendi optimè traderet. Nam quod Con- Concil.
cilium Carthaginenſe quinque Salomonis li- Carth. 3.
bros inter Catholicas ſeu Canonicas numerat, Caiet. in
eo ſenſu accipiendum, ſicut ex Caietano diſtin- commẽt.
ximus, vt eſſent norma & Canon viuendi, non vt in Hiſto.
inde fidei capita aſſeramus. Sic enim patres ſe in vet. Teſt.
eodẽ Canone exponũt, Hoc etiam fratri & comminiſtro noſtro Bonifacio, & aliis earũ partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone notum Can. 24.
fiat, quandoquidem iſta à patribus accepimus in Eccleſia legenda. In quo iſta mihi conſiderate, Papam Bonifacium vocari hic non ſummum ſa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerdotem sed συλλειτουργὸν, ministerij eiusdem socium: nec plus honoris ipsi quàm aliis episcopis deferri, à quibus omnibus volunt hoc suum decretum intelligi & confirmari. Deinde etiam hanc constitutionem CANONEM nominari, non tamen Canonicæ Scripturæ æquandum, vnde fidei regula certa & indubitata sumi posset, sed vt in Ecclesia audiant & inde morum suorum formam accipiant. Præterea fieri potest, vt pro tribus libris Salomonis à Concilio probatis, quinque infulciantur. Cuius meæ coniecturæ rationes hasce profero, quia in hoc ipso Canone alium errorem irrepsisse video, Nam vbi Garanza Dominicanus, post duos Esdræ libros ponit, Machabæorum libros duos, Græcum exemplar de Machabæis tacuit, & ad Canonicos Noui Testamẽti libros transiit. Quibus addamus, de autore libri Sapientiæ inter Patres certò non constare: nec etiã fuisse ipsi Augustino cognitum. Nam propter dictionis elegantiã quidam Philonis esse putarunt, inter quos est Hieronymus: sic Augustinus in eo libro qui à Campiano citatur, tantùm Salomonis tres libros recitat, nam de hoc Sapientiæ libro & Ecclesiastico sic, Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Atque hoc quod hîc constantissimè asseritur, & in Decreta sua pontificij retulerunt, Augustinus parum sibi constans retractauit, In secũdo sanè libro de autore libri quem plures vocant Sapiẽtiam Salomonis, quod etiã ipsum sicut Ecclesiasticum, librũ Sirach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est: & postea aliud didici, & omnino probabilius comperi non esse eius libri autorem. Quid alij patres? A Cypriano siue Ruffino Aquilegiensi in enarratione Symboli Ecclesiasticus dicitur. Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt, qui non Canonici

L. 2. de doct. Chr. ca. 8.

nici sed Ecclesiastici à Maioribus sunt appellati, vt est Sapientia Salomonis, Ecclesiasticus, Tobias, Iudith, & Machabæorum libros, quæ omnia quidem in Ecclesijs legi voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam: quod nostram sententiam enucleatissimè aperuit. Quid Concilia? Adducor certè & alia autoritate Concilii nimirum Laodiceni in quo Patres fuerunt, & hi patres longè aliter Synodicè tradiderunt, quæ oporteat legi, & in autoritatem recipi, hæc sunt ibique ex veteri Testamento solos tres libros Salomonis nominant, Prouerbia, Ecclesiasten, Cantica Canticorum: non Sapientiam, non Ecclesiasticum: nec illos alios quos ab hac prærogatiua Canonicæ Scripturæ Ecclesiæ nostræ secreuerunt: quæ duo Concilia Laodicenum & Carthaginense sexta generalis Synodus in Trullo rata habuit & confirmauit: ideóque Caneno non ille Carthaginensis Concilii à priori Laodiceno corrigendus est: aut duo diuersa patres in Trullo confirmarunt: aut si quod prius est purius est, & quod posterius deterius: huic potius sentẽtiæ istorum patrum Laodicensium qui multos annos antegressi sunt astipulari, illisque Maioribus non istis minoribus auscultare debemus. Longiorem hoc loco me facit Campiani non longitudo tantùm sed odiosa prolixitas, qui ex hoc vno loco Augustini triumphat ante victoriam: cùm tamen hæc omnia contra illum faciant, Patres, Concilia, ipse Augustinus se reuocans, & ipsissimus locus eius quem ex libro Prædestinationis Sanctorum adduxit.

Can. 59.

CAMPIANVS.

Ad hoc tam dirum & execrabile perfugium

qui descenderint, ij certè, lice in ore suorum assectorum clarum volitent, Sacerdotia nundinentur, declamitent in concione, ferrum in Catholicos equuleum, crucemque conseiscant, tamen victi, abiecti, squalidi, prostrati sunt: quandoquidem arrepta virgula censoria, velut arbitri sedentes honorarij, dictata ipsas tabulas, si quæ ad stomachum non fecissent, obliterant. Ecquis est, vel mediocriter institutus, qui talium cuniculos hostium reformidet? qui hostes quamprimùm in corona vestra, eruditorum hominum, ad eiusmodi veteratorias artes, tanquam ad familiarem dæmonem currerent non aurium conuitio sed strepitu pedum excipierentur.

HVMFREDVS.

De squalore, prostratione & abiectione nostrorum, & de nescio quo diro & execrabili perfugio seu in vmbra de re nihil velitatur. Victi sunt Patres nostri qui toties vicerunt, aut squalidi sunt, qui toties hîc trophæa reportarunt? & nunc in cœlo stolas candidas gestant, quas nulla Iesuitarum virulentia denigrabit? aut prostrati sumus nos eorum miselli posteri, qui Dei gratia ad huc erecti stamus, parati in acie toties ab ipsis vebotenus expetita confligere? Atenim quoniam toties nobis desperationem & diffidentiam exprobrant, toties nos victos occlamitant, & numNouus Censuræ Defensor ad certamen iterum prouocat, & multas conditiones vel disputandi vel scribendi vel concionandi, vel domi vel foris vel cum nostratibus vel cum exteris obtulit: agedum ea de re dicamus, nostrorum alacritatem maximo storum tergiuersationes aperiamus: maximo-

Defensio Protestantium contra crimē diffidentiæ & de Noua prouocatione Defensoris Censuræ.

quia nuperrimè Duræus, quasi victor proclamat, nullum puerum imbecillum aut imbellem inueniri, qui nostra certamina detractaret: nullam disputationem vnquam cum Catholicis coram æquis rerum æstimatoribus institutam, cuius nos postea non pœnituerit: Campianũ solum nostras conciones cœnásque sua disputatione rariores effeciſſe, vt non facilè denuo huiusmodi certamen nisi inuiti simus suscepturi. His omnibus verè & breuiter respondendum. De Campiani infœlici prælio aliàs dictum est. Superiora certamina replicemus.

A quibus obsecro & quãdo religio nostra profligari, bona causa nostra opprimi, veritas nostra vinci potuit? aut quando nos prouocati ab aduersariis ad liberam Synodum aut disputationẽ, tanquam causæ diffisi, aut tanquã desperatione absorpti cessimus, aut subterfugimus, aut terga dedimus? aut cõgressi in conflictu prostrati iacuimus? Cõbustus nõ cõfutatus à vobis est Ioannes Hussus in Concilio Constãtiensi, crematus nõ prostratus est à vobis Hiero. Pragensis vt pòst dicemus cõmodius. Nec vnquã à vobis est disputãdo victus Martinus Lutherus cui hoc desperationis crimen intẽtatur, quẽ summũ ducem nostrum vocat Duræus, sed ad arma ferenda pro Christi Euangelio semper animosus prosiliit: cuius illa vox & symbolũ omni laude & prædicationẽ dignissimum circũfertur, cùm iã VVormatiã ingrederetur: Non moriar sed viuã, & narrabo opera Domini. Cumque amici aliquot suaderent, ne se periculo exponeret, quòd fidẽ sæpe fefellissent, & nunc datã nõ liberarent: omnibus auditis & expensis, respondit, se vrbem ingressurum in nomine Domini Iesu Christi, etiamsi tot sciret diabolos sibi oppositos, quot in omnibus totius vrbis tectis essent

Ioã. Huſſ. Constantia Mart. Lutheri.

Ex actis Lutheri VVormatiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

regulæ. Pòst coram Cæsare totóque imperio actũ est: Lutherus bona cum venia Caroli dimissus.
Li.1. Quæ res sic angebat Pontificios, vt non dubitarit Surius in hæc verba erumpere: Vtinam piissimus princeps ab hac sententia non fuisset deductus etiam Catholicorum Dynastarum precibus qui putabant mitius agendum cum Luthero: vnde hanc suam barbaram censuram apponit, Non est crudelitas sæuire in membrum putidum. Sic isti nobiscum disputarét, nisi Dominus corda regum velut riuos aquarum, quocunque vellet, clementer & potenter inflecteret.

Idem primò accersitus à Leone Decimo Romam, & postea à Caietano Augustam vsque euocatus fide publica, itineri statim se dat, venit, conuenit, petit disputationem. Caietanus minatur pœnas à Leone constitutas, nisi reuocet: Lutherus denuo petit, vt libera disceptatione decernatur, victus nullam mulctam, nullum exilium recusat: Caietano verò reuocationem mandanti, disputationem abnuente, abiit. In conuentu Norimbergensi adest ab Adriano sexto Cheregatus, num vt amicè cum principibus Germaniæ conferat, aut cum doctis manus conferat? Nihil minus. Extat legationis formula, illa iudicet: De qua præfatus D. Lutherus timidos istos disputatores egregiè & graphicè depingit, illos mendaciter & fraudulenter omnia agere, omnes vmbras reformidare, nunc Curiam, nunc Ecclesiam, nunc Concilium indicere, rursum reuocare, Ac nisi, inquit, fœlicem hunc cursum Euangelii & dexterrimum veritatis ortum per seditionem Muntzeri & sectas aduersariorum Diabolus impediuisset, victa fuisset tunc Papalis fiducia: & superbia ista Iordanis, quæ se sub nomine Christi & Ecclesiæ venditat, iamdudum corruisset. Idem de Philippi Me-

pi Melanchthonis fortitudine & prudentia testificatus est Ioānes Sturmius, semper eum dũ viueret liberum Concilium desiderasse, Scripturæ & Antiquitatis testimonia ad id comportanda existimasse. Phil. Melanct. In Antip.

Quæ autem aduersariorum timiditas & diffidentia, qui pauor & squalor, agedum ipsorum confessiones, acta, scripta, rerum ipsarum exitus declarent. Confitetur Roiardus Protestantes (hæreticos vocat) disputationibus & scriptis plurimorum superare potuisse: eos tamen non desinere suum pestiferum institutum prosequi, vt Catholicos abducant & illaqueent: Imò verò illos hæreticos isti Catholici superare nunquam possunt, nec ipsi Cacodæmones: & res ipsæ loquuntur & testatur experientia, Catholicos ad certamen euocatos aut se subduxisse ignauiter, aut se dedisse turpiter. Prateolus quamuis inuitus fatetur nostrorum esse consuetudinem inuitare catholicos ad disputationem, illos refugisse. Eadem est Petri Emotti confessio, qui Neotericos taxat, quibus nihil magis in votis est, quàm disputationem inire cum quibuslibet, nec licere putat Catholicæ fidei professoribus cum hæreticis disceptare. Nec dissimilia confitetur Hosius, Sed illud interea verissimum est, quod sicut semper ad disputandum hæretici prouocabant, nouásque fides proferebant, sic fere semper disputationes Catholici defugiebant. Si quando ad manus ventum est, quàm cunctanter faciunt, quàm ægrè accedunt, quàm omnia tumultuosè gerunt? Ioannes Hussius in Concilio Constantiensi, quoties rogat, quoties supplicat vt audiri possit? frustra. Auditus semel iterum quibus sannis ac sibilis impudentissimè exceptus? Panormitanus qualis & quantus disputator? Is is, inquam, Papistarũ fuga & timiditas. Hær li.1. Bib.2.Ca.11. De expres so Dei verbo. In Parał. Abb. Panormitanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm nimium Eugenianus & immodicè Pontificius contra Arelatensem Episcopum & alios in Concilio Basilienſi autoritatem Papæ ſupra Concilia generalia bonis lateribus ſed mala conſcientia defendiſſet, in cubiculum ſeceſſiſſe dicitur, de Rege ſuo queſtus, quòd ſe aduerſus veritatem pugnare, & famæ ſimul cum anima iacturam facere compuliſſet. In conuentu Spirenſi cùm Faber Viennenſis Epiſcopus quoſdam tetros errores in concione docuiſſet, & Grynæi eloquentiam, eruditionem, ardorem animi in tali cauſa metueret, ſe à rege vocatum ſimulat, nunc otium non eſſe ad diſputandum de re omnium maxima cauſatur: quis exitus? Non deſcenditur in certamen, ſed adſunt lictores qui Grynæum abducant in carcerem, & planè Regis iuſſu captus fuiſſet, niſi diuina Prouidẽtia & ſenis cuiuſdam monitu Rhenum ſubitò tranſuectus euaſiſſet. Quæ ſunt nunc qui diffidunt, qui deſperant? Ad Bernenſem diſputationem vocantur omnes, Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Capito, Blaurerus, Hallerus, Themata propoſita defenſuri adſunt, Epiſcoporum aliorum venit nemo, ſolus Tregerus Auguſtinianus cùm audiret è Veteris & Noui Teſtamenti Scriptura ſola adiumenta & argumenta ſibi eſſe quærenda, diſceſſit. Nec vnquam, Duræ, nos pœnituit, quoniam & in Saxonia & in Heluetia ſic Dominus benedixit Eccleſiæ vt paſſim ſtatuæ diſiectæ, Miſſæ abolitæ, totúſque papatus abrogatus fuerit.

Faber.

Sleid. lib. 6.

Penetremus in Eccleſiæ noſtræ ſtatum, veniamus ad domeſtica. Edouardi Regis Sereniſſimi temporibus præceps venit cum ſuis in Scholam Theologiæ Richardus Smithus, ſubitò laceſſit Petrum Martyrem iam ad lectionem ſuam properantem, chartarum ſarcina onuſtus, homo aut bene potus aut malè ſanus. Tumultus Procancellarii opera & autoritate ſedatus eſt, dies ſolenni & publicę diſputationi præfinitus eſt. Quid fit? In pedes ſe coniicit hic magnus Ardelio, Petrus Martyr ſolus poſtea pro vno illo transfuga aliis multis Doctoribus Pſeudocatholicis, in maxima hominum corona præſentibus Regiis viſitatoribus ſe opponit, ſumma cum voluptate & vtilitate bonorum aſtantium. Quis victor? Non quæro quos rumuſculos Pontificii tum in compitis & circulis diſſiparint, ſed liber excuſus teſtis erit verus & claſſicus. Stephanus Gardinerus noſter VVintonienſis Epiſcopus, Ratiſponenſibus Comitiis, à Regia Maieſtate ablegatus, interfuit: Quid actum? qualis diſputatio contra Bucerum & Aleſium? imò quæ rixæ? quæ ſtomachi efferueſcentia? In ipſo colloquio, ſic ira incenſus eſt homo cholericus, vt in dextra manu vena quædam ſic intumeſceret, ſic palpitaret, vt ſpectatores hominis turbidos motus, animum inquietum & impatientem, & geſticulationes indecoras cõtemplantes, eum non lingua ſed manu, non Petri claue ſed Pauli enſe diſputaturum, & non ad argumentorum põdus, ſed ad pugnam & pugnos venturum crederent. Hi ſunt Lucifugæ Scripturarum, vt aptiſſimè Tertullianus: hi ſunt qui nũc diſputationes verbo quidem offerunt: re ipſa fugiunt: hi ſunt qui nos victos, abiectos, proſtratos eſſe iactant, quos in Dei cauſa neque ignauos neque ignaros, diuina gratia adiuuante, quotidie experti ſunt. Hi ſunt qui diſputare prohibent, qui aduerſantes occidere cogitãt, qui Papiſmum ſuum ſicut Mahumetes ſuum Alcoranum ore non diſputantis ſed gladii propugnant: quorum hanc legem impiam eſſe tradit Munſterus, vt ſi quis de ea diſputaturus certet, cùm myſterium tractare

Exempla noſtratiũ.

D. Smithus.

Ste. Gardinerus.

De reſc.

Mahumetica diſputatio.

Coſmog. li. 5.

nefas sit, capitis supplicio afficiatur. Ita Papistæ sicut ex istis positionibus & confessionibus perspicuum est, quorum picturam elegantem videre est apud Cornelium Agrippam : Canones sic Theologiam astrinxerunt, vt nullus Theologus quicquam à Pontificũ decretis diuersum audeat statuere, aut opinari aut disputare, absque protestatione: scilicet ait Papa? aio: negat? nego: Planè vt Martialis de Nænia & Ruffo,

Cor. Agrip.

Quicquid agit Ruffus, nihil est nisi Nænia Ruffo.

Et tamen hi sunt, qui nobis tanquam victis insultant, in quos illud dici potest,

Egregiam verò laudem, & spolia ampla referris.

Quàm sint ad disputandum parati, superiorum temporum memoria testis est, quando non ad scholas prouocati, sed ad rogum tracti sunt patres nostri, tum indicio esse potest pertinacia quorundam miserorum & cæcorum hominum, qui hodie ex Casistarum & Seniorum suorum præscripto disputationes refugiunt. Timent enim ne à nobis reuicti, manus dare aliquando clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur & intercedunt, ne audiãt: & oculos suos opprimãt, ne lumen videant quod offerimus. Quò planè ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cùm neque cognoscere, neque congredi audeant, quia sciunt se facilè superari: & idcirco disceptatione sublata,

Pellitur è medio sapientia vi geritur res,

Vt ait Lactantius. Sic nos meritò idem possumus vsurpare, quos & Mariana tempestas perculit, & quos hominum à Iesuitis fascinatorum pertinacia hodie offendit. De quibus verè ideo Agrippa, Scripturam tanquam à tergo relinquunt, & velut hæreticorum vt vocant scutum procul reiiciunt. Misera victoria, quę cum Scripturarum

Lib. 5. c. 1.

rarum abiectione & veritatis amissione acquiritur. In summa, illorum hæc est conclusio cum Donatistis, disputare nolumus, baptizare volumus. Nostra verò hæc ex Tertulliano, Veritas nihil veretur nisi abscondi. Permittite quæso hic me Cãpianum biuia quærentem & parentheses inexentem sequi, & cum illo paululum à via curriculoque nostræ argumentationis deflectere, Inquit, enim, *Hi certè, licet in ore suorum assclarum volitent, sacerdotia nundinentur, declamitent in concione, ferrum in Catholicos, equuleum crucémque conscisc ãt, tamen victi, abiecti, squalidi, prostrati sunt.* Didicerunt isti illud, Conuitiare audacter vt cicatrix maneat, Maledic, inquit illa, vt si non vero crimine constructi, aliqua tamen ignominæ labe notati videamur. De ferro & cruce in hisce prolegomenis nostris & in prima Iesuitismi parte, iam satis superque dictum est: vtinam aut ex animo resipiscant, & crucem nõ subibunt, aut hero sciscitanti apud Comicum, Quid meruisti? humiliter cum seruo respondeant, Crucem. Nósne in ore assclarum nostrorum volitare, qui in conspectu Dei nostri ambulare auemus? nósne declamare in Concione, qui cõcionibus ædificare Ecclesiam volumus?

Aug. 169.

Iob 1.

De nundinatione sacerdotiorum monstri & prodigij simile est quod obiicit Campianus. In Ecclesia nostra verrucas & festucas deprehendunt, & in Ecclesiæ suæ facie deformes maculas & trabes non vident? Quia ergo iuuenis fortassis nondum legerat, aut securus non attenderat, aut obstinatus oculos clauserat, euoluam, & Romanas merces tanquam per transennam aspiciendas proponam. Quis enim est qui ignorare potest hanc maculam Simoniæ, auaritiæ, sordium, Romano nomini iãdiu insedisse & inueterasse? Nec

Nundinatio Romanensium, & Papistæ cæ Ecclesiæ sententia.

sanè mirum, cùm opinio recepta sit in Papam nō posse Simoniam cadere. Cùm enim Pontifices aurium pruritu laborarēt, & parasitos animi sui causa factos ad libidinem suam subornatos haberēt, hinc ista Paradoxa emerserunt, Pontificem esse Dominum beneficiorum omnium, qui cùm vendat, iure vt Dominus, Simoniacus nulla esse ratione possit, eius voluntatem esse regulam qua omnes actiones dirigantur, & omnes auctiones fiant, ideaque quicquid libeat, id ei licere. Ex quo, vt etiam Cardinales ad emendandam Ecclesiam delecti confitentur, tanquam ex equo Troiano omnes abusus manauerunt, quibus tanquam grauissimis morbis hodie ad desperationem vsque salutis laborat Ecclesia. Qualis, prō pudor, apud eos ordinatio, & cuiusmodi clericorum? Et quæ ibi in eligentibus cæcitas? in electis insulsitas? in emendo & vendendo Simoniaca peruersitas? Ægerrimè adduci patior ad hanc lernam malorum detegendam: Prouocatus à Campianistis inuitus facio. Opus esset hîc aliquo mordaci & aspero Aristophane qui liberius taxare & vellet & posset, aut certè illis, de quibus ait Horatius,

Ex conſ. delectorū Cardin. ad Paul. 3.

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, magna cum libertate notabant.

Ego index ero tantùm, & quæ legi ac collegi oculis vestris subiiciam. Et si hîc in referendis eorum facinoribus fuero prolixior, in loco de Historia ero parcior. Primùm queruntur ipsimet Cardinales delecti, nullam curam, nullam adhiberi diligentiam, homines quoscunque impericissimos, viliſſimo ortos genere, malis moribus præditos adolescētes ad sacros ordines & maximè ad presbyteratum admitti, Cardinales à Regibus & principibus ambire Episcopatus, à quibus postea dependent, vt sententiam de rebus liberè nō possent dicere: aut si possent & vellent, tamen animi perturbationibus occæcati fallerētur. Edita est & alia admonitio legatorum sedis Apostolicæ, in qua ipsi suam ambitionem & cupiditates grauiter incusant, quòd etiam indignis sacerdotia cōferantur, & illis, qui nihil à laicis, præterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differant. Publicata sunt in Comitiis Wormatiensibus Graumina plus minus centum, vt est in Chronicis, ac inprimis & indoctis, agasonibus, stabulariis dentur beneficia, quòd Annatarum & aliarū exactionum onera creuerint, quòd pro ducatis decē olim expositis nunc centum soluantur, quòd cùm Moguntini, Colonienses, Saltzburgenses decem millibus ducatorum pallium impetrauerint, iam vix viginti quatuor millibus emere possint. Idem Autor pompam fere papalem in Cardinali nostro nō immeritò perstrinxit, ei videlicet prādenti & cōnanti, quod in Germania inauditū antè fuit, multis nobilibus astantibus, flexis poplitibus fuisse ministratum. Quæ fuerit auctio, licitatio, quantum pretium ab isto Cardinali pro papatu oblatum, videte Ioannis Foxi Martyrologium. Quid ego hîc Pici Comitis Mirandulani ad Leonem Decimum & ad Concilium Lateranum orationem luculentam commemorem, in qua monet Sacras ædes & templa lenonibus & Catamytis commissa & diuendita sacrificia, dispensationibus, quas dissipationes appellauit Bernardus, effectum esse, vt iam non multa, non plura, sed innumera teneant multi, qui ne Diaconi officio defungi mereantur. Ex vestris historicis proferre possem multa, quorum tamen libros horum Papistarum laudibus refertos esse Campianus

In Con. Trid.

In Par. Abb. Vrsp

Thom. VVolfeus

Picus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 47. gloriatur. Ex Nauclero constat Bonifacij noni temporibus curiam Romanam labe Simoniaca infamem fuisse, vt Ecclesiastica Sacerdotia non tam meritis quàm pecuniam offerentibus darentur, & Indulgentiis replerentur omnia. Hæccine sapiunt antiquæ Romæ integritatem? Hæccine sunt quę noua Roma per manus à priscis patribus accepit, qui ista gratis contribuerunt? quorum

In Syn. Rom. vnus Gregorius sub Mauritio, antiquam Patrum regulam sequens, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum sanciuit, nec ex datione pallij nec ex traditione chartarum: quia non decet aut Episcopos suam manum, aut ministros vel notarios suam vocem vel calamum vendere. Fœda profectò & plusquam Carbonaria nota inclinantis Romæ, & Pontificum & totius Cleri Papistici, qua se commaculari passi non sunt Romani Cęsares. Alexander enim Seuerus fugientes promouit, inuitos & non ambientes ad officia euocauit. O Roma nunc mutata & noua, quàm dispares habes Dominos! quàm multi noui isti vultures ad nouas prædas aduolant & inhiant, quàm multi nummos corradunt pro licentiis, dispensationibus, absolutionibus, commutationibus, fornicatoribus, meretricibus, Iudæis, à malè promotis, à bigamis, ab homicidis, à Simoniacis, ab his, qui lacticiniis & Dei bonis creaturis bene & liberè vti possent, ab his qui Gręcis Græcè, Latinis Latinè celebrant? Tot processus à Rota, reseruationes, gratias, Indulgentias, præuentiones, prouisiones, nundinationes Datariorum, Ce-

Iocus Papæ in Cardinales. remoniariorum, Ostiariorum, Officialium, Protonotariorum, aduocatorum, Magistrorum plumbi, custodum portæ ferreę, horti secreti, ipsorum Paparum & Cardinalium, quibus quia totus hic mundus vix sufficit, alium nouum creare oportet vt Be-

vt Benedictus Papa duodecimus aliquando iocatus est verissimè. His etiam aliisque eiusmodi corruptelis offensos fuisse in Comitiis Norimbergensibus Sacri Imperij proceres ac Principes, testantur eorum Grauamina, dum & patronos iure suo spoliarunt, & secundum regulas nescio quas Cancellarię suis nebulonibus Curtisanis tribuerunt. His offulis quia sic Romanistæ saginantur: hinc illi Cathedræ adhærent fidelius, non dissimiles canibus, qui quòd in macello bonos sæpe inueniunt bolos, ab his difficulter diuelluntur. Hinc illud ad Adrianum Friderici rescriptum, Ideo Cardinalibus se clausisse Ecclesias, quia illos non prædicatores, sed prædatores, non pacis corroboratores sed pecuniæ raptores, non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores viderat. Quid his sacris Harpiis rapacius & tenacius? Quid hac plebe subdita tot Dominis miserabilius & nudius? Nam sicut cadauer primò à Leone, deinde à canibus, postremò à coruis: sic miseri plebeij primò à Papa & Prælatis, secundò ab officialibus, tertiò ab inferioribus quasi esca panis deuorātur: sicut pulchrè in versiculis dicitur,

Pontifici vellus, Decano cedit ocellus,
Rem quia pingue sapit Archileuita capit.
Sorte sub æquali cedit cutis Officiali,
Et lac si fuerit Summonitoris erit.
Sic animal lacerum sub Præsule languet auaro,
Post spolium miserum vix manet ipsa caro.

E Tabula apud Sanctum Albanum Episcopatus diuisio.

Pulchrè etiam ille in Summa Prædicantium, Plus nituntur pecunias colligere quàm culpas corrigere, Ne mirentur Campianistę adhuc remanere in Anglia, aliquam sacerdotiorum nundinationē; nam quæcunque est, inter feces & reliquias Romani fori & macelli numeramus, quibus omnia istius rapacitatis monumēta accepta

referimus: & ad vos vtinam relegarentur ac remitterentur, à quibus ad nos transmissa sunt. Non possunt simul ac semel expurgari tot Romanorū Pontificum stercora. Adrianus Papa in suis Institutionibus ad legatum hoc modo coactus est se excusare: mirari debere neminem, si non omnia errata statim & abusus omnes emendet: inueteratum esse morbum, omnes mutationes periculosas esse, Qui nimis emungit, elicit sanguinem: sic isti Scripturas & omnes omnium sententias ad defensionem suæ cessationis torquent. Nos verò omnino auersamur: & cum Thoma Aquinate, nec in hac nec in vlla Ecclesia ferendam Simoniam decernimus. Sic enim ille dicitur Lotharingiæ Ducissæ percontanti, Licerétne officia vendere, respondisse, non expedire: si pauperes, qui magis sunt idonei, non posse: si diuites & ambitiosi, prædæ auidos esse & opprimere subditos: si diuites boni, non egere, nec curare: bonos ergo etiam renitentes esse eligendos. Optamus scoria omni absersa, hoc argentum purum resti-tui, ne domus orationis & Templum Dei, fiat latronum & mercatorum spelunca, nec boum vel asinorum latibulum. Ex his omnibus liquet nostros hactenus nec esse Manichæorum aut Ebionitarum successores, nec Anabaptistarum condiscipulos, nec conspuere quicquid sacrum est, nec virgula censoria diuinas Tabulas obliterare, sed ipsolimet ad veteratorias hasce artes tanquam ad familiarem Dæmonem currere: itaque ipsos debere & cuniculos Satanæ & Dei iudicia perhorrescere: alioqui nisi in se descenderint, nisi conuersi ad Dominum fuerint, non modò auricularis conuitio & pedum strepitu excipientur: verum etiam tanquam proditores veritatis, tanquam sacri & fi-

Arist.

Aquinatis prudēs respōsum

sui & Christianorum sanguinis æternos cruciatus perpetientur.

CAMPIANVS.

Quærerem ab illis, verbi gratia, quo iure corpus Biblicum detruncent atque diripiant? Respondent, non se veras Scripturas excindere, sed excernere suppositititias: quo iudice? Spiritu Sancto. Hoc enim responsum à Caluino præscribitur, vt Ecclesiæ iudicium, quo spiritus examinantur, subterfugiat. Cur igitur alias alij lancinatis, cùm omnes eodem spiritu gloriemini? Caluinianorum spiritus recipit sex Epistolas, quæ spiritui non placent Lutherano: sreti tamen vterque Sancto spiritu.

Inst. lib. 1. cap. 7.

HVMFREDVS.

Quærit de iure facti: quo iure corpus Biblicum scilicet, sic detruncent atque diripiant: fingítque nos respondere, non à nobis excindi veras Scripturas, sed excerni suppositititias. Sed quo Iudice? Spiritu. Respersit enim homo salsus omnia sua Sarcasmis, Subiectionibus, Sermocinationibus, ipséque sibi fingens omnia, interrogat & Echo resonat sibíque respondet, quasi aliquis è scena Roscius totam ipse agens fabulam. Excernimus suppositititia? Quid ni? quoniam Canonica ab aliis Apocryphis prima & pura antiquitas semper distinguenda existimauit. *Spiritu duce & doctore Caluiniani sex Epistolas receperunt? hoc non placet Spiritui Lutherano?* De hac re iam dictum est: nec opus erat eadem ad nauseam vsque Campia-

Iudex Scripturæ Canonicæ quis?

Universidad de Deusto
Biblioteca

no repetere. Fac eos de vna Scripturæ particula non eodem modo sensisse. Dissensit alicubi à Luthero Caluinus: sic patres, Augustinus & Hieronymus in libro Sapientiæ: & Concilia, Laodicenum & Tridentinum, Hebræi & Christiani, & antiqui & recentes in hoc librorum Canonicorum examine potuerunt dissentire, & in aliquot variarunt. Nec tamen inuentus est audax aliquis Censor, qui propter censuras, horũ spiritus damnaret: aut Spiritum Sanctum ab hac diiudicanda potestate & dignitate auderet deturbare. Quid enim fieri in tanta potest sine gubernaculo & ductu Sancti Spiritus? aut vt ego credã, Scripturas esse diuinas vel esse à Deo traditas tanquam fidei meæ principia, vel ad salutem meam Dei esse pertentiam? Spiritualis omnia diiudicat, & eum tribunali suo deiiciet Campianus? An hîc errauit Caluinus, qui spiritum sanctum Iudicem & arbitrum constituit honorarium, an potius Campianus qui spiritus sancti iudicium subterfugit? Si spiritus sanctus perducit nos in omnẽ veritatem, cur non etiam nos hanc docet veritatem? Ecclesia iudex est? Ita placuit Campiano qui hoc mutuò accepit à suis Doctorculis. Atqui hæc vera est causa omnium errorũ dum non limpidos fontes, non puras scaturigines adeunt, sed in lutosas lacunas se immergunt homines cæci, vnde non aquas sed limum hauriunt. Ad Ecclesiam ergo est hęc quæstio referenda? & eius decretum Lydius lapis erit ad explorandum qui liber Canonicus sit? Sic Melchior. At quæ Ecclesia? Non Catholica, sed tota Ecclesia erit Papa, vnus hominum. Sic enim idem, Ad summum Pontificem pertinet definire, quinam liber sit Canonicus. Ergo iam nec Spiritus iudicium feret, nec Ecclesia, sed Romanus Pontifex, qui vt in scrinio pectoris sui habet omnia: sic tanquam Palęmon dicet, Hoc scriptum est: vel ceu Aristarchus notabit, Hoc non est scriptum: nec erit Scriptura: At quo dictante? Spiritu malo. Annon enim Ecclesia Apostolica nobis omnes scripturas iamdudum commendauit? quo doctore? annon Spiritu sancto? An non Marci Euangelium inspexit Petrus, & approbauit? quo magistro? annon eodem spiritu? Annon eodem modo de reliquis omnibus memorat historia Ecclesiastica, illis viuentibus totum Canonem confectum fuisse? quo suggerente? annon Spiritu, qui in ore eorum locutus est? Non erat sic vel excludendus vel deridendus vel blasphemandus in piis hominibus Spiritus Sanctus, qui vt omnia bona Charismata operatur & efficit in omnibus, sic dat piis & sapientibus hunc Spiritũ discretionis, sine quo nec Dominũ Iesum nominare multo minus Iesu Euangeliũ recipere & credere possumus: Absque eo Apostolorum Epistolæ erunt nobis velut Apollinis responsa aut Amphyctionum aut Radamanthi Scita, imò certè Æsopi fabulæ: & Christus minus sapiet nobis quàm Virgilius, aut Hortensius: quomodo sui non spirat amaracus, & Augustino Manichæo placebat Virgilius, vt ipse ait, FLEBAM DIDONEM, Paulus non placebat, donec vocem audiret Spiritus sancti, TOLLE, LEGE. Vanissima est omnis hæc Campiani excursio, & de Scripturæ sacræ autoritate & de iudice sancto Spiritu. An enim vt nobis constet de Scripturis, hodie Romam eundum, vt petatur oraculum ex Tripode carnis, id est Pontificis, & non potius ex adyto Spiritus sancti? Pontifex caro est, iudicium hoc spirituale est. Pontifex vt homo diuinitus semper non loquitur, sed iudicat humanitus, & quæ signanda erant stellis, solet obelis iugulare, & quid ille de tota Scriptu-

Spiritus sanct à Camp. derisus, solus est magister noster.

L. 2. c 7.

Euseb. l. 2. c. 15.

1. Cor. 12.

Aug. l. cõt. 1. c. 13. L. 8. c. 12.

ra iudicet, fortassis pòst audiemus. Nobis Dei beneficio hoc inspiratum & animis intimis impressum est, de principiis nostris nec disputare nec dubitare oportere: multo minus negare aut contradicere: sic informati sumus & condocefacti à Spiritu & etiam à patribus. Dixit ille philosophus. Aduersus negantem principia non est disputandum. Dixit Basilius Magnus, Necesse est omnium disciplinarum principia indiscussa esse & concessa. Nam si in primis refractarii simus, via & ordine progredi ad finem non possumus. Hoc etiam ipsum, inquit, ab ipsis externis discere potes. Si enim non concesseris prima principia Geometriæ impossibile est ipsum, id quod consequens est concludere. Ita in Arithmetica, medicina, & ad quacunque professione, in quibus non tam vult à nobis propositorum demonstrationes inquiri quàm credi principiis &c. Sic etiam Theologus mysterium assensum ex fide citra examinationem requirit. Causa huius nostræ obsignationis & σφραγίας est Spiritus sanctus. Non tamen vt Catholicus putat, iactamus Spiritum sanctum: Hoc Montanus fecit, hoc Pontificii faciunt, qui Spiritum sanctum omnium suorum Conciliorum, quæ est, conspirationum præsidem & assessorem constituunt, cùm tamen in eorum conciliis non sedeat. per venit Spiritus sanctus, nec columba mitis, sed bubo feralis descendit. Nos vt hæc fides nostra & de Scripturarum autoritate certa persuasio confirmetur, iterum atque iterum Dei & Spiritus sancti auxilium & lumen desideramus & numen imploramus. Nec enim solem coruscantem sine luce oculi videre, nec auram resonantem sine aere aures sentire, nec homo Deum sine Deo & sine Spiritu sancto potest cognoscere, qui discretor est spirituum, veritatis, salutis arra, hom-

Sup. Psal. 115.

In Con. Rom.

nes ex hœdis oues, ex vrsis agnos, ita ex imperitis & obesis, sapientes & emunctos efficiens. Atque hic Spiritus multis mirisque modis alia aliis suggerit, & prout vult suam cuique mensuram distribuit, vt aliqua sit in hisce rebus iudiciorum varietas, idem tamen scopus & meta vna omnium, Dei gloria. Bonauenturæ illud non aspernandum est: Vna manus est, & per digitos sit distinctio, sic per vnum spiritum sit distinctio donorum. Quando nostri Scripturis omnem honorem tribuunt, ex Scripturis & discere & docere sua omnia volunt: hic spiritus veritatis est: quando Pontificii earum autoritati derogant, quando more hæreticorum (de quibus Irenæus) Cùm ex Scripturis arguuntur in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quando à doctrina Spiritus & à fonte ad reuelationes carnis & ad cisternas diuertunt, tum hoc non esse ex Spiritu sancto, sed ex spiritu prophano manifestum est. Cyrillus ait, Pontifex illa doceat, quæ ipse à Deo dicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus docet. Ignatius ait, Spiritum sanctũ nõ sua propria loqui, sed ea quæ sunt Christi, & ex Domino referre omnia: Erroris autem Spiritum seipsum prædicare, suas prophetias dicere, ἀυθάδαστον εἶναι sibi ipsi egregiè placere, seductorem, superbum, subdolum, ambitiosum, decantatorem, nugatorem, dicacem. Vtinam hæc recogitarent aduersarii, qui malo genio correpti, Spiritum sanctum eiúsque dona subsannant. Vtinam legati Pontificii qui pro plumbo argentum, pro membrana sua aurũm nostrum asportarunt, in doctrina veritatis Spiritus sancti regulam sibi proponerẽt, & Scripturas maiore in pretio haberent, & eodẽ spiritu ambularẽt, sicut nostri patres.

Luc. 11.

L. 3. c. 2.

In Leuit. l. 6.

In Ep. ad Eph.

qui Euangelii radiis Ecclesiam Dei hisce temporibus postremis collustrarunt: sicut Paulus Titum & suos legatos testimonio suo ornauit. Nónne eodem spiritu incessimus? nónne eisdem vestigiis? An verò idem sit Religiosorum istorum spiritus, an inter tot monachos loripedes, nudipedes, Reales, nominales, funigeros, restiferos, Ioannitas, Iacobitas, Iesuitas, qui spiritus magnitudine, linguarum multitudine, artium subtilitate ceteros omnes superare se imaginantur, vna anima fuerit, an doctrina vnius spiritus regnarit, iudicent Lectores, iudicate vos ornatissimi Academici, & iudicet antiquus ille scriptor, qui tales sic descripsit, Teterrimum Chaos ortum est in Ecclesia moderna per nostros Pharisæos, inter quos modica est diuersitas in iam dictis: sed vnus nitor melior esse alio, sanctior, approbabilior. Minores fratres se sanctitate præferunt & iustitia, prædicatores scientia & doctrina. Augustinenses, Carmelitæ, Antonitæ, Benedictinenses, Bernardinæ, & omnes alii sibi mutuò contrariantur, obloquuntur, & persæpe persequũtur. In quibus vesanimorum diuersitas, non vnitas inuenitur: Indè furgunt tot scandala, &c. Annon hîc Campianus verbis insultare licet, Cur igitur alii alios latratis, cùm omnes eodem Spiritu gloriemini?

2. Cor. 12.

In Antilogia Papæ f. 705.

CAMPIANVS.

Xist. Sen. l. 7. *Anabaptistæ historiam Iobi fabulam appellãt, tragicis & comicis legibus intermixtam. Quo scisunt? Spiritu docente.*

HV-

HVMFREDVS.

Iobi librum sacrum atque authenticum, & patientiæ nostræ illustre exemplar, & prouidentiæ diuinæ egregium documentum esse agnoscimus: de tempore quo fuit, multa à multis afferuntur, de Autore libri nemo nostrûm ambigit, cuius scimus in Veteri Testamento apud Ezechielem, & in Nouo apud Iacobum factam esse mentionem quem Dominus suo testimonio commendat, in quo libro singula verba, plena esse sensibus indicauit Hieronymus, quibus testibus quis fidem nõ adhiberet? Quod de Anabaptista oblaterat, à nobis alienissimum est, nec noster est, quisquis Anabaptista est: Lutherus, Zuinglius, Caluinus, Bullingerus, Simlerus, & alii doctissimi homines nostri illorum omnes Enthusiasticas & spirituales nequitias publicis literarum monumentis diligentius & acrius quàm Romanistæ traduxerunt. Nunquámne desinent aliena nobis in os & coram & palam opprobare, & aliorũ scelera pœnis nostris expiare, & in nomine Anabaptistarum nomen Christianorum odiosius facere? Ex Sixto Senensi quod obiicitur, id fortassis ex Nicolao Sandero desumptum est. Sixtus ex ordine prædicatorum in Bibliothecæ Sanctæ libro non septimo vt Cãpianus citauit, sed in octauo, hæresin esse dixit Anabaptistarum, qui historiam Iob putarunt esse confictam, & Tragicomœdiã Hebræorum appellarũt: nullum tamen autorem, nullum Anabaptistam nominat, tantùm opinatur hunc errorem petitum esse ex libris Talmudicis. Certum est ante natos Anabaptistas, extitisse alios,

Liber Iob

Ezech. 14. Iac. 5.

Sixtus in Bibl. l. 8. Hær. 10.

etiam Iudæos non incelebres, qui iudicarunt talem Iobum nunquam creatum, sed in Scriptura proponi velut exemplum seu parabolam, humanæ vitæ & nostrarum calamitatum expressam imaginem. Nec tamen isti dicunt esse fabulam, sic & nos qui Iobum in humanis fuisse credimus, existimare possumus Iobi librum Tragicomœdiam esse, quasi humanæ cõditionis & pii hominis speculum, cui post varias & tragicas tentationes, postcædes filiorum & filiarum (nam hanc nominis huius causam refert Sixtus) Dominus concedit lætum exitum & comicam Catastrophen. Qui dicit, illam sacram historiam esse fabulam, ipse magnus est fabulator & fatuus. Sed hoc in nostros qua ratione quadrat? qui intelligunt fictum esse non posse, vbi nomen, mores, patria, conditio viri, vxor, amici, dicta, dialogismi, facta ob oculos ponuntur, qui etiam in eum librum amplissimas vel Homilias, vel Commentarios ediderunt?

CAMPIANVS.

Præfin Can. *Castalio, mysticum illud Salomonis Canticum, quod, vt Paradisum animæ, vt manna reconditum, vt opiparas in Christo Delicias Catholici admirantur, nihilo plurис, quàm cantilenam de amicula, & cum Pedissequis aulæ colloquium amatorium, venereus furciser æstimauit.*

HVMFREDVS.

QVAMVIS ego Castalionis patronus nec esse volo, nec possum, nec debeo: tamen quo propius hominis mores, eruditionem, & multas & castas ad probitatem & ad externam sanctimoniam exhortationes Basileæ noueram, eò magis adducor, vt quod est piè ab illo scriptum, hoc esse credam à Campiano malitiosè deprauatum. Illáne ô Iesuita, venerei furciferi oratio est, Dicet aliquis, Ergóne indulgebo voluptati? Profectò, inquit, Salomon, siquidem huius vitæ friuolo bono frui velis. Ita statim ne qua pateat ad licentiam fenestella, antecurrit, & omnes aditus præcludit. Si in Cantico hoc paradisum animæ, si Manna reconditum, si opiparas in Christo delicias Catholici animaduerterunt: id totum vidit & expressit hic Castalio, Esse Seruatoris & Ecclesiæ colloquium, Salomonem esse Christi imaginem, Seruatoris in Ecclesiam studium hìc repræsentari: Ecclesiæ formam esse mirificam, Eam esse vnicam, per Christum doctam & sustentatam, fructus ferre vberiores: breuiter omnia exponit de Ecclesiæ pulchritudine. Verba illa, Dilectus, Lilium, Vnica, Columba, amica, sunt in ipso contextu, quæ mysticè interpretatur. Sed hanc nunc video scholæ Iesuiticę esse licentiam, calumniari, dicere quæ libet, maledicere, viuis & mortuis iniuriam facere. Nam quod ex præfatione aut argumento Castalionis in Cantica citat Campianus: Canticum hoc Salomonis nihil aliud esse quàm cantilenam de amicula, & cum pedissequis Aulæ colloquium amatorium, quantum ego videre potui hactenus, insigne est mendacium. Quanquam vt verum fatear, tale quid-

Castalio de Cant. Salom.

In Ecclesiasten.

In arg. Cãt. Cãt. c. 7. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam ei à Ministris Ecclesiæ Geneuensis obiectum est, non ex aliquo scripto quod edidit, sed ex sermone quodam familiari quem tum habuit, non quòd ipse ita sentiret, nam aliter & ipsius verba & Annotationes testantur (quomodo enim expungi voluit quę ipse sic non semel euulgauit?) sed quod homo nimis timidus & inepte cautus hominum imbecillitati qui fortasse possent impingere sic consuleret. Illa sanè admonitio non potest esse intempestiua, siue ea Castalio siue alius vtatur, vt cum iudicio & cautè & castè legantur Cantica: ne quæ sunt figuratè ad Iesu Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ spirituale connubium designandum proposita, carnaliter & crassè accipiantur. Quod in hoc Canticorum libro contra Castalionem obseruarunt Pontificii, id si etiam ad se trahere & ad Sacramentum Eucharistiæ, & ad alia Religionis suę dogmata transferre vellent, vt spiritualem nucleum ex litteræ cortice eruerent: & nos minus hodie laboraremus, & Cœnæ Dominicæ controuersia magis spiritualiter tractaretur, & ipsi in tot absurda & sordes non inciderent. Hieronymus istam adhibuit cautionem ad Lætam, de institutione filiæ: vt ne periculo discat Cantica Canticorum, ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis spirituale nuptiarum Epithalamium non intelligens vulneretur. Caueat omnia Apocrypha: & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reuerentiam legere voluerit, sciat nõ eorum esse quorum titulis prænotantur. Notauit hoc Gregorius, Nominantur hîc oscula, vbera, genæ, femora: vbi non irridenda est sacra descriptio, sed considerandа misericordia Dei: id hoc etiam amplior, quia dum membra corporis nominat, sic ad amorem suum nos vocat. Nota-

Th. Beza in vita Caluini.

Hieronymi & Patrum cautiones de Canticis Salomonis.

In Prolo. in Cant.

Notemus quidem quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operatur, qui vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpis amoris nostri verba se etiam inclinat. Præcauit hoc & annotauit ante illos Origenes: hoc Epithalamium non esse puerili ætati admodum accommodum. Si verò aliquis, inquit, accesserit, qui secundum carnem tantummodo vir est: huic tali non parum ex hac Scriptura discrimenis periculique nascetur, &c. Ergo moneo & consilium do omni qui nondum carnis & sanguinis molestiis caret, neque ab affectu naturæ materialis abscedit: vt à lectioe libelli huius, eorumque quæ in eo dicentur, penitus temperet. Aiunt enim obseruari etiam apud Hebræos quòd nisi quis ad ętatem perfectam maturamque peruenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. Ita monuit & Athanasius, Conuenit, vt qui intelligentes sunt in toto hoc libro allegoricè versentur, ne propter imperitorum insciti am, quæ dicuntur contemptui exponantur. Et illud ex eodem addendum est, Cantica Salomonis ex illis libris esse, quibus contradicitur & à nonnullis reclamatur. Ex quibus efficitur ex scripto Castalionis nuptiale Christi & Ecclesiæ carmen piè & pudicè colligi: si quid dixit aut suasit non esse inconsideratè legendum passim à quibuslibet: in eo non erat furcifer vereus non magis quàm Iudæi, quàm Origenes, quàm Athanasius, quàm Hieronymus, quàm Papa Gregorius.

Athan. in Synopsi diuinæ Script. Ibid.

CAMPIANVS.

In Apocalypsi Ioannis, cuius omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat

Ep. ad Paul. Præf. in Apoc.

Hieronymus, tamen Lutherus & Brentius & Kemnisius quiddam nescio quid, difficiles Aristarchi desiderant, eò scilicet propẽdentes vt exaudiretur. quem percontatis? spiritum.

HVMFREDVS.

De Apocalypsi Ioannis dicimus cum Hieronymo ad Paulinũ Presbyterum, tot habere Sacramẽta quot verba, & in verbis singulis multiplices latere intelligentias. Lutherus, Brentius, Kemnisius exauctorare studuerunt. Iterum redeundum est ad consecutionem argumenti quam diximus planè esse nullã. Nõ enim vna hirundo facit ver, nec duo vel tres Germani præiudicant vniuersæ Ecclesiæ, aut nobis qui Apocalypsin Ioannis Canonicis Scripturis accensemus. Quare deberent Angloiesuitæ nostræ se Ecclesiæ adiungere, quæ omnes istos libros & legit semper & probauit. Cæterùm quia de Antecedenti propositione nõ agitur: eam falsam esse constat. Quis enim nescit ex eo libro multas & magnas autoritates nostros afferre contra Romanam Babyloné? Et Kemnisius diligentissimus & doctissimus scriptor tantum abest vt Apocalypsim Ioannis exauctorare, vt ex illo Autore Eccium, Pighium, Andradium traditionum non scriptarum patronos vanitatis & impudentiæ coarguerit: quia cùm isti gaudeant Apostolis officium prædicandi non autem scribendi Euangelij delegatum, Ioannes Apocalypticus contrà dicit se accepisse mandatum à Christo, vt quę viderat & audierat, scriberet Ecclesiis: citatque ex Eusebio autoritatem Irenæi & Origenis, qui eum librum Ioanni Apostolo attribuerũt. Illud tamen sciendũ est, eximios hosce viros

Apocal. Ioan.

Kemnisius.

L. 5. c. 8. L. 6. c. 25.

viros potuisse hac de re inquirere, & antiquos etiam aliquot scriptores reuera dubitasse, ad quẽnam parentem referenda esset hæc Reuelatio. Id ostendit Eusebius ex Commentariis Dionysij cuiusdam: fuisse quosdam antecessores qui omnia reiecerunt, & in illa obscurum quiddam inuenerunt: se tamen reprobare non audere, obscuritatem admirari, & in quibus capitibus non intelligit, ibi suspicari arcanam quandam rerum futurarum expectationem contineri. Et eam multis de causis à Græcis non receptam Erasmus in Hieronymum autor est. Sed & hoc Campianum ex Surio Carthusiano contra Lutherum compilasse video. Quia verò in solum Lutherum incurrunt, agedum quid Catholicus Canus hac de re censeat, audiamus, Tẽpore Hieronymi dubitare Catholico licuit, an Apocalypsis Ioannis sacra & Canonica esset. Cur hoc Cano dicere liceat, & Luthero, aut Brentio non liceat idem annotare, aut cur Hieronymi ætate licita sit dubitatio, & hodie sit illicita, aut cur Lutherus & Kemnisius difficiles Aristarchi sint, & non etiam Melchior, equidem augurari non possum, nec aliquam causam excogitare idoneam. Nam illud video omnem de Scripturarum Canone censuram fuisse penes Apostolos & illam primæuam Ecclesiam. Quod etiam Gerson Cancellarius Parisiensis annotauit, maiorem fuisse hac in re primitiuæ Ecclesiæ autoritatem quàm nunc sit, nec esse in potestate vel Papæ vel Concilij vel Ecclesiæ, aliquid in his quæ ab Euangelistis & Apostolis constituta & ordinata sunt, immutare.

L. 7. c. 25.

Tom. 4. in præf. L. rerum gest.

De vita spirituali lect. 2. corall. 7.

CAMPIANVS.

Quatuor Euangelia feruore præpostero Luthe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præf. in No. Testament.

rius inter se committit, & tribus prioribus Epistolas Pauli longè præferens, vnicum deinceps Euangelium Ioannis pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum, quippe qui, quod in ipso fuit, libenter etiam Apostolos suarum virtutum socios adscripsisset. quo doctore? Spiritu. Quin etiam iste fraterculus non dubitauit Euangelium Lucæ petulanti stylo perstringere, quòd in eo crebrius bona nobis virtutum opera commendentur. quem interrogauit? spiritum.

Ser. de Phar. & Pub.

HVMFREDVS.

Quoties Lutherum ab omnibus Pontificiis nominari & peti cogito: toties illud mihi occurrit etiam Hectori mortuo omnes posse & audere insultare: quem nec Leo decimus, multo minus pusteri lepores aut damæ potuerunt territare. Obiicitur quatuor Euangelia per Lutherum inter se committi: & Pauli Epistolas tribus Euangeliis longè prætulit Lutherus: & vnicum Ioannis Euangelium pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum? Hoc enim iterum obiicit Doctori Hanmero & M. Charco Defensor Coloniensis, De Paulo mox: nunc de vnico Ioannis Euangelio. Lutherus quod aliquando ab aliis dictum est, dixit, Euangelistas esse quatuor, tres priores humanitatem Christi & miracula & facta potissimum, Ioannem diuinitatem & conciones præcipuè tractasse, omnes suum pensum ad procurationem & complementum nostræ salutis absolvisse: Hæc commissura & collatio omni vitio carere imò omni prædicatione est dignissima. His verbis Lutherus suam explicauit mentem, Omnium [illegible] premum quidem est hoc Euangelium, in illo, [illegible]

Luther. De 4. Euangeliis, & de vno Euangelio. Ioannis Euangelii. Fol. 55

In postill. Maior.

PRI[illegible]

PRINCIPIO erat verbum. Similiter loquitur de hoc Euangelio Chrysostomus, Hoc sermone in PRINCIPIO erat verbum, Christo associatam & agglutinatam fuisse nostram quondam infidelem Britanniam. Idémque Lutherus declarat propter Cerinthum coactum fuisse Ioannem scribere, qui Christo diuinitatem ademit. De Alogis habet Epiphanius, qui Euangelium Ioannis vel Apocalypsim negarunt. Si Lutherus istis hæreticis se opponit, si Iesum verbum Patris æternum fortiter defendit, & propterea Ioannem prædicat, & hoc solum nomine præfert, nemo prudens, nisi qui nodum in scirpo quærit, stomachari aut offendi poterit. Tanti certè fecit omnes Euangelistas, vt quod peruetustum & peruulgatum est, à Typographo suis coloribus & nominibus vnumquemque eorum voluerit delineari, Matthæum quidem Hominis, Marcum Arietis, Lucam Vituli, Ioannē Aquilæ specie exprimi. Vnicum autem esse Euangelistam nusquam dicere voluit: vnum esse Euangelium semper affirmare debuit: nec vnquam aliter locuti sunt homines Dei, aut Iesu veri discipuli. Nam quod Hosius Euangelia alia quatuor multiplicauit & κακαγγέλια vocat Lutheri, Zuinglii, Munceri, Suenckfeldii: scomma est ex spiritu Papistico. Paulus quoque ipse, non esse aliud asseuerat, id est vnum. Hic rogo vos, Charissimi fratres, vt cauillationes istas velitis attendere, quæ nunc primùm natæ non sunt, à Marcionitis prognatæ sunt, qui iam olim in Paulo reprehenderunt, quod nostri post tot secula vix tandem in Luthero viderunt. Prodit errorem hunc Chrysostomus, Arripuerunt enim, inquit, quæ dicta sunt hîc, ac dicebant: Ecce Paulus etiam ipse dixit, non esse aliud Euangelium. Neque enim hi recipiunt omnes Euangelistas, sed

Britāniæ conuersio ex verbi prædicatione.

Hom. 51.

Scomma Hosianū.

Gal. 1.

Cap. 1.

vnum duntaxat: & ea respondet esse ridicula, & affirmat etiamsi decies mille sint Euangelistę, qui scribant Euangelia; dummodo eadem scribant, non esse contraria, sed multa illa vnicum esse Euangelium, neque quicquam obstare scribentium multitudinem quo minus vnum sit Euangelium. Ex quo hanc conclusionem conficit, vnde dilucidum est quatuor Euangelia vnum esse Euangelium. De vno Euangelio hactenus.

Pauli Epistolæ.

Paulus præfertur tribus Euangelistis reliquis. Nullúsne erit finis cauillandi? Si Paulus organum Dei ad hoc electus Euangelii doctrinam illustret & Euangelicam solius fidei iustitiam ex professo tractet vberius, nemo subinuidus Luthero detrahat, quandoquidem hoc Paulus ipse sibi sumit & suum Euangelium appellitat, & ad hoc Euangelium Dei segregatum se testatur, & suo iure hoc sibi quodammodo vendicat. An istiusmodi inter Sanctos collationes ferre non possunt aures le-

In diuersos Hom. 2.

suiticæ? Nunquámne apud Patres legerunt? In Origene eandem ferè vidissent comparationem, quando propter hoc Euangelii mysterium Petrus Apostolorum vertici Ioannem videtur præferre. O beate Ioannes, non immeritò vocaris Ioannes &c. Cui enim Theologorum donatum est, quod tibi donatum est? abdita videlicet summi boni penetrare mysteria, &c. Petrus quidē Christum Dominum & hominem iam factum temporibus cognoscens & dicens, Tu es Christus filius Dei viui, altissimè volauit, sed Ioannes altius illo, qui eundem Christum Dominū, de Deo ante omnia tempora genitum intellexit, dicēs, In principio &c. Sic videtur præferre Paulo hac in re, qui tamen in tertium cœlum raptus est: non præferendi Apostolū Apostolo, Non enim inquit, nunc considerandus Apostolicarum personarū dignitatem, sed in

sed inuestigamus pulcherrimam diuinorum mysteriorum differentiam. Idémque putat Paulum fuisse mysteriorum Dei capaciorem Timotheo. Nunc cauillatio quæ affertur inspiciatur: Lutherus ait, Paulum copiosius tradidisse nobis dogma Iustificationis, Euangelii, gratiæ, quàm tres Euangelistæ, quorum institutum aliud erat, ortum, vitam, Acta, totam humanitatē Iesu historicè contexere, ergo Lutherus Paulū omnino præfert illis omnibus: quod est dictum κατὰ τι & secundum quid, ab istis simpliciter & absolutè intelligitur. *Quin etiam iste fraterculus*, inquit? Itáne fratercu- Lutherus fratercu-
lus nuper natus, homo nouus, heri, aut nudiuster- lus.
tius nouæ religionis, noui ordinis proselytus, Religiosum hunc fratrem seniorem amarulentis sannis excipit? Ita Dominus aliquem Semei exci- 2 Sam. 16.
tat qui Dauidi, aliquem Thersitem qui optimo cuique maledicendo negotium facessat. Quid fecit, quid commeruit, aut quid peccauit iste fraterculus, ô Pater? Lucam petulanti stylo perstrin- Lucas Euang.
git, quòd in eo crebrius bona nobis virtutum opera commendentur? Bona opera commendare, virtutis viam monstrare, nobis legem Dei planè & plenè quasi digito ostēdere, laudabile est. Hoc quia fecit Diuus Lucas, non erat perstringendus, hoc si Lutherus faceret, insaniret. Non potuit, nō debuit facere, Non fecit, Nihil est dictū tam bene, quod interpretando non deprauetur. Lucas Pharisæum & Publicanum in medium producit, De Iustihìc operum mentionem facit, & quidem in aliis ficatione
locis pluribus: Dimittite, dimittetur, facite vo- & operibis amicos de Mammona iniquitatis: Vnde ne bus.
aduersarii impingant, causam ostendit, cur externa opera magis Lucas vrgere videatur, quàm fidem internam & Euangelium. Ideo fortassis, inquit, quòd eo tempore (id quod hodie item fit) cùm doceretur solam fidem iustificare

homines eò solummodo deflexerint, quòd credere tantùm vellent, efficacia & fructu fidei posthabitis, Causam ergo esse ait, vt homines ad opera extimulet, ne fide simulata sibi blandiantur. Et tamen in hoc Publicani exemplo iustitiam fidei colligit, ex eo quod probabile sit eum antè audiuisse Euangelium, & inde Deum misericordem cognouisse, alioqui non dixisset, Domine propitius esto mihi peccatori. Illi verò obiectioni, Remitte & remittetur, respondet, non hoc remittendi factum peccatorum remissionem mereri, quia ante omnia, priusquam boni quicquam agat, oportet hominem esse bonum: nam id perpetuò stabile esse, Bona arbor malos fructus ferre non potest. Qui sic fideliter Euangelistæ verba & mentem explicat, vt doctrina fidei & operum rectè tradatur, & omne scandalū deuitetur, nunquam petulanter dicetur eum perstrinxisse? O miserum fraterculum Lutherum, qui scilicet benedicendo maledicitur, legem, Euangelium prædicans vituperationibus maledictis proscinditur: imò ô beatam animulam, in quam homines propter Christum probra iaciunt. Hanc tamen sortem Lutherum fuisse, cùm ista arguunt, tum Erasmus in Epistola ad Episcopum Moguntinum lepidè & verè declarat, inquiens, in libris Lutheri quædam esse quam hæretica fuisse damnata, quæ in Bernardo & Augustino vt orthodoxa & pia legi & inueniri possent.

Matth. 7.

In Parali. Ab. Vrsp.

CAMPIANVS

Luc. 22. ποτήριον. ἐκχυνόμενον.

Theodorus Beza verbū illud arcanum ex Luc. vigesimo secundo capite, Hic est calix, nouum Testamentū in sanguine meo, qui (calix) pro vobis effundetur: ausus est vt corruptū vitiatumq; tra-

cere, quòd hæc oratio nullam expositionem nisi de vino calicis conuerso in verum Christi sanguinem patiatur, quis iudicauit? Spiritus. Denique cùm omnia credant suo quisque spiritui, nomen Sancti Spiritus horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic agunt, nónne se produnt? nónne facile refutantur? nónne in confessu talium virorum, quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur? Cum his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide voces nō humanas sed æthereas tractauere?

HVMFREDVS.

Nouum argumētum suppeditat Theodori Bezæ, scilicet in violanda sacrarum literarum Maiestate audacia, qui arcanum D. Lucæ verbum ausus est vt corruptum vitiatúmque traducere. Quàm oculati sunt isti in nostris scriptoribus, quàm cęci in suis? Quid si D. Beza hoc scripsisset, quid si hìc disertè corruptum & vitiatum sermonem aut aliquem Solœcismum subnotasset? An erit hoc Iesuitis nouum, quod & Latinè & Græcè in Bibliis peruetus & propemodum vsitatum est? Quibus Solœcismis non modò Euangelicam sed & Apostolicam dictionem contaminauit Vetus Interpres? Per hunc solœcisant Apostoli, loquentes de Dæmonio, Quare nos non possumus eiicere, ILLVM? Et Iudæi, Murmur multus erat in turba: per hunc Solœcisat ipse Christus apud eūdem Ioannem, Qui credit in me, &c. maiora horum faciet. Et Dauid, Dominus in cœlo, sedes eius: & alibi, In conuertendo Dominus

Beza de ca. Luc. 22

Solœcismi in veteri translatione.

Matth. 17.

Ioan. 7. 14

Psa 11. 126

captiuitatem Sion facti sumus sicut consolati. Quinimò in Vetteri hac à Tridentinis patribus recepta translatione ipse Lucas alioqui disertus

Act.8. solœcisat, Multi eorum qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant, vbi incertum, vtrum homines exeant, an spiritus. Et

20, infrà, Beatius est dare magis quàm accipere: si

26. inferius, Æstimo me beatum apud te, cùm hodie defensurus me hodie: maximè te sciente, O

NIA quæ apud Iudæos sunt consuetudines quæstiones: vbi Græcè Lucas est locutus duriusculè, ἤγημαι ἐμαυτὸν μακάριον, μέλλων ἀπολογεῖσθαι σὲ σήμερον μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων, &c. casu absoluto, maximè cùm tu sis gnarus earum quæ apud Iudæos sunt consuetudinum & quæstionum. Et apud eundem ecliptica & suspensa

Luc.19. nonnullis videtur esse oratio, Quia si nosses & tu etiam hoc die tuo, quæ ad pacem tuam: Sed nunc abscondita sunt ab oculis tuis. Paulus habet suas locutiones patheticas, & non vsque adeò Asiacas, quem Hieronymus è corrupto Cilicum more nonnihil contraxisse insinuat: & Origenes putauit superuacaneum esse ab eo sermonis compositionem requirere: & in præfatione ad Romanos confessus est, eum elocutionibus imperitum confusis, & minus explicitis vti. Et quæ

Phil.2. est ille Græcismus? εἴπης σπλάγχνα, Si quas viscera, pro si quæ viscera: Et tamen illa quæ docti obseruarunt in eo hyperbata, vel Labyrinthos, vel mæandros, vel defectus suam habét elegantiam & gratiam: & omnes scimus verum esse quod de eo Origenes attigit, nimirum ille in omni dicendi genere excelluit: Et in Actis Apostolorum, dux verbi habitus est, & variis ac pene omnigelicis linguis locutus est, 1. Pet. 3. ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα pro ᾧ, cui respondens nam

Bapti-

Baptismus etiam nos seruat. Apud Ioannem Valla & Erasmus hærent quasi ad scopulum illum, Ἀπὸ τοῦ ὄντος, καὶ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Si ergo vulgata interpretatio tot Solœcismis scateat: & Græcus textus suas salebrosas & difficiliores loquendi formas habeat, & patres hoc non vereantur confiteri: non erat Bezæ spiritus vel deridendus vel contemnendus, si vnum hunc locum vitiatum existimaret. At dixisse & scripsisse eum, commentum Iesuiticum est: quoniam longè aliter loquitur in suis Annotationibus. Ac primùm re- Luc.22. ctè perstrinxit veterem Interpretem, Hic est calix, pro hic calix est, secundò geminam Metonymiam obseruauit, vbi continens pro contento, calix, pro vino ponitur, & Vinum Testamentum vocatur, quod tamen erat tantùm Testamenti signũ seu symbolum. Duræus hic vnam Metonymiam concedit, & factus est nobiscum vel sciés vel nesciens, Tropista: Cur negat alteram, vt totus fiat nostet? Tertiò Beza coniecturas suas affert aut ex margine in contextum librariorum incuria irrepere potuisse: aut esse Solœcophanes πὸτηκλυόμενον pro τῷ ἐκχυνομένῳ, vt non ad poculum, quod est absurdum, sed ad sanguinem referatur, & illud prius congruentius, hoc posterius esse ait alienius nec causam se videre, cur Solœcophanes vsurparet. Nunquid hic aliquid à Luca corruptum aut vitiatum dicit is qui duobus modis eius verba explanat? Nunquid verbum de solœcismo facit? Illyricus quanquam in re Sacramentaria à venerabili Beza dissentit, tamen hic consentit. Cæterùm Campianus hoc primus non deprehendit: mutuò ab aliis, vt alia multa corrogauit, à Sandero, à Claudio de Sanctes, à Bristoo & aliis qui ista non sine tædio ingerunt. Qui si vel patres legissent, vel ipsum Bezam

Valla. Erasmus. Apo. ca.1.

De verbis cænæ Domin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

consuluissent, vel Græcæ linguæ elementa gustas-
sent, non ad hunc modum omnes desipuissent.
Nam quod Beza suspicione aut coniectura subo-
fecit: id euidentissimè Basilius Magnus posuit in
Basilius. Ethicis: Nam de communicatione corporis & san-
ὅρ. 21. guinis Christi differens, & ex Lucæ hoc capite in-
stitutionem Christi ad verbum referens, Accepit,
inquit, poculum, dicens, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθή-
κη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι μοῦ τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hoc
poculum nouum Testamentum est, in sanguine
Luc. 22. meo, qui pro vobis effunditur. Bezæ patrocinatur
Venerabilis Beda, qui sic legit absolutè τὸ, Hic est
calix Noui Testamenti in sanguine meo, QVOD
(quæ res sanguis) pro vobis funditur. Istisne, an
Basilio Græco & Bedæ nostro est credendum? Si
audierimus istos, perabsurdè concludimus fusum
pro nobis esse poculum: si illos, par erit vtrinque
ratio, vt sicut antè corpus pro nobis datum, sic
Ex resp. prima etiam sanguinem pro nobis fusum statuamus. Be-
Claud. de za etiam à Claudio huius criminis insimulatus,
de Sanct. iam diu respondit, non se corrupisse, sed verba o-
mnia integra in versione reliquisse. In Monaste-
quod Irenæi dicitur, Lugduni esse exemplar ma-
nuscriptum, in eo totum illud de poculo post
riore loco non inueniri, Hieronymum affirmare
Paulum solœcismos locutum: se coniecturis qui-
busdam adduci ex aliis Euangelistis potuisse
Lucæ contextum inferi, & casum facilè mutari
librariis, verba in Canone multò esse corrupta
ra, & cætera quæ ex illo responso ad Reperiti-
nem primam Claudij sumi possunt. Sedens
Duræus cõ. VVhit Duræus contra VVhitakerum excipit sic, lepidè
est quod de Solœcismo adnectis. At neque hoc
quidquid est criminis Campianus Bezæ obiecit,
neque in se Beza suscepit. Respondeo, qui dixit
Arcanum Lucæ corruptum & vitiatum, an non
idem

idem quodammodo Solœcismum à Beza nota-
tum innuere videtur? At hoc non per circumlo-
cutionem sed expressè dixit Sanderus in Monar- Lib. 7.
chia sua, inquiens: Beza putat Solœcismum es-
se in quo rectus ponatur pro obliquo, nimirum, vt
Campianus textum Lucæ corruptum Bezam di-
xisse asseruit. vterque Bezam malè intellexisse,
malitiosè detorquet. Qui si linguæ Græcæ elemẽ-
ta prioribus labris attigissent, facilè intellexissent
inter Solœcismum & Solœcophanes, multũ esse
discriminis. Suidas enim definit Solœcophanes
τὸ δοκεῖν μὴ μετέχειν σολοικισμοῦ, μὴ μετέχον δέ: nempe
solœcismi quidem aliquam similitudinem præ-
ferre, non tamen esse Solœcismum. Solœcopha-
nes autem habet Beza, & eas Enallagas seu mu-
tationes non tantùm admittit linguæ Græcæ ele-
gantia, verùm etiam, illis figurarum luminibus
sæpe oratores optimi orationes suas commenda-
runt, vt Demosthenes & alij, quod etiam Budæus. Budæus in suis Commentariis annotauit, & schê-
ma seu figuram nominat, quippe quando mo-
dus, tempus, casus, genera eleganter varian-
tur: quod in Græcis & Latinis optimæ notæ au-
toribus cernitur.

Hactenus primo Campiani argumento re-
spõdimus, quod inconsequẽs esse ostendimus, &
si quid peccatum esset vnius aut alterius, nec pos
se nec debere nostram Ecclesiam eodem crimi-
ne, cuius rei nõ sumus, inuolui: tum primæ etiam
propositionis omne robur neruósque elisimus:
non Lutherum, non Geneuenses, non Caluinia-
nos, non Castalionem, non Brentium, non Kem-
nitium, non Bezam, ad eum qui obiicitur lapidem
offendisse, nostrorum hominum neminem, aut
desperatione fractum, aut malo spiritu agita-
tum, aut sacerdotiorum spe inescatum, Cano-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nicæ literæ amplitudinem imminuisse, non eius Maiestati vllo modo obstrepuisse, non vllas voces diuinas & æthereas mala fide vnquam tractauisse: ad quarum iudicium in rebus controuersis appellamus: quarum autoritate nostram omnem doctrinam stare & fulciri scimus & credimus: in quibus proram ac puppim salutis nostræ defigimus. Clamamus, Domine ad quem abibimus, Verba vitæ æternæ habes. Clamamus ô Pater, Sanctifica nos in veritate: Sermo tuus est veritas. Ioan. 6. 17. NVNC quod secũdo loco à nostris aduersariis opponitur, videamus.

CAMPIANVS.

Nihil hîc dico quæ vertendo peruerterint, quæ vis intolerabilia sint quæ accusem. Gregorio Martino scientissimo linguarum, collegæ meo, qui doctius & plenius hoc præstabit, nihil præripio, nec aliis, quibus id laboris esse iam præ manibus intellexi.

HVMFREDVS.

De versione Bibliorum peruersa aliquid non nuit, sed dicit se nihil dicere: & dicit verissime nec enim potest aliter dicere. Quæ sunt illa errata intolerabilia? Gregorio Martino hãc fessus labore padẽ tradit: ita quia duobus tropis seu strophis vtitur quoad se Reticentia, & Reiectione in Martinum: & tacendum quoque est nobis, & parcendum Martini expectandus, qui erit quando mula forsitan pepererit. Nam quod in omnibus angulis mussitatur, nostros Maiores Biblia ex latino sermone bono Anglica fecisse non bona: & nuper Gregorius ille Martinus: Noui Testamenti noua Translatione sua orbi persuadere conatur: quo ab eorum lectione, & ab ingressu in Templa nostra simpliciores absterreantur: in eo illi & doctissimis interpretibus & populo Dei faciunt iniuriam, & quod indignissimum est gigantea temeritate Deo ipsi bellum inferunt, ac si ipsis liceret linguam licentiosè in verba laxare, ac quod libet impunè blaterare. Disperdet Dominus labia dolosa, seu adulationum linguam magnificè loquentem: qui dicunt, linguis nostris prævalebimus, Labia penes nos nostra sunt, Quis dominus noster est? Et quis nouus Hypodiabolus suggessit Prateolo, vt postquam Lutheri, Bezæ, Castalionis translationem vituperasset, illa vanitate non contentus, quæ insignis est, etiam in nos sua euomeret mendacia? Anglicanam Noui Testamenti versionem à duobus Apostatis Anglis fœdè corruptam, olim Cuthbertum Tonstallum Episcopum Londinensem pro concione affirmasse, in illo opere se supra duo millia deprauationum atque peruersionum deprehendisse. Hæc est vera vsitata Pontificiorũ Arithmetica, ad numeros & calculos suos omnia nostra exactè reuocant. Copus noster homo in Germanica, credo, lingua cæcus vidit supra mille Lutheri errores in Germanicis Bibliis. Sleidanus accusatur quòd mille in sua historia narrauerit mendacia, &c. Quòd si ego vicissim in vno libello Psalmorum, vestri Interpretis errores numerarem, & cum Georgio Maiore in locis plusquam sexcentis aut mille deprauationes nominarem: possem sa-

Prateolus Marcossius reprehẽsor Anglicæ translationis.

Tonstallus.

Arithmetica Papistarum mendax. Dial. 6.

Respõsio ad secundi obiect. Camp. de peruersa versione Bibliorũ.

nè breui tempore, nullo negotio probare. Quanquam id liberaliter dabimus Martino, omnibus etiam vigilantissimis Interpretibus posse quandoque in magno illo opere somnum obrepere. Dabimus neminem mortalium nec septuaginta Græcos, nec Symmachum, nec Aquilam, nec Theodotionem, nec Chaldæum Paraphrastem, nec Origenem quantumuis Hexapla concinnantem, nec Hieronymum, nec Veterem Interpretem, nec nouum vllum posse eius sacræ linguæ vel proprietatem retinere, vel puritatem exprimere, vel castitatem repræsentare, vel Maiestatem assequi. Nimirum, Hieronymo teste, Multo purior manare credenda est fontis vnda quàm riui, & optimum vinum in alia atque alia vasa transfusum suum tandem natiuum saporem deperdit: sic libros sacros in alias atque alias linguas ab hominibus traductos suæ gratiæ aliquantulum amittere necessum est. Illud tamen adiungo, nostris hominibus id maximè curæ fuisse, vt in eo officio integrè & religiosè versarentur, & ad exemplar fideliter, ad captum popularem accommodata omnia redderent. Quod de Tonstallo refertur à Prateolo, quia peregrinus homo & rerum nostrarum imperitus fuit, testimonium hîc non potest dicere: maximè quòd omnes norunt Tonstallum de nostra religione sensisse non pessimè, & contra Romani Antichristi primatum, pompam, tyrannidem, præclaram concionem habuisse, ac illo tempore, quo Regis Henrici iussu translatio illa absoluta est, floruisse, nec illos interpretes, quorum pars ipse fuit, vnquam habuisse pro Apostatis, nec illam nostram interpretationem tanquam mendosam condemnare voluisse: quæ nunc sub limam reuocata & recognita non potest non piis placere omnibus. Hoc monendi sunt Angli populares mei quædam in Translatione morosulis istis Momis displicere, de quibus tamè iudicare nequeunt, & illa etiã quorum causam nullam perspiciunt. Apostasiæ scelus magnum est, & si huius Guilielmum Tindalum & Milonem Couerdallum sanctissimos & doctissimos homines reos peragat: aut si eorum reprehendat interpretationem: quam etiam Regia Maiestas approbauit, & cuius beneficio Angli in illa temporum caligine plurimum in Christiana doctrina profecerunt: in eo sanè ipse in Apostasiæ seu defectionis à veritate reprehensionem & etiam in vanitatis crimen irruit. Sed quia homo callidus de versione omnem suam abrumpit accusationem, in qua honestè versari non potest, ego plura afferre hoc tempore supersedeo, donec illa integra Gregoriana castigatio in manus veniat.

Con. Heluidium.

Tindallū & Couerdalli & recepta Translatio.

CAMPIANVS.

Facinorosius crimen est ac tetrius, quod nunc persequor: Inuentos esse doctorculos, qui temulento quodam impetu in cœleste chirographum inuolarint: id ipsum pluribus locis, vt maculatum vt mancum, vt falsum, vt surreptitium cõdemnarint: eius partes aliquas correxerint, aliquas corroserint, aliquas euulserint. Hinc omne propugnaculum quo muniebatur, in Lutheranos spiritus, tanquam in valla phantasmatum pictósque parietes commutarint: ne prorsus obmutescerent, quum in scripturas erroribus suis infestas impingerent, quas nihilo commodius expedire, quam sorbere fauillas aut saxa mandere potuissent. Hæc ergo mihi prima ratio vehemens & iusta fuit, qua vbi partes

aduersarias vmbraticas & fractas ostendisset, animum sanè addidit Christiano, & viro, & in his studiis exercitato, pro sempiterni regis diplomate aduersus reliquias profligatorũ hostiũ decertandi.

HVMFREDVS.

Redit ad amplificationẽ prioris nostri sceleris, nisi enim hoc dicat, Heraclitus Scoteinos est, de cuius libris iocosè dicitur, opus esse ad intelligendum natatore Delio: Repetit à doctorculis nescio quibus cęleste chirographum mutilatum & maculatum, partes correctas aut corrosas esse, iocatur in valla phantasmatum, in pictos parietes, secum in vmbra sine hoste digladians ac ventilans, fauillas & saxa rabiosè eiaculans: potentia aduersariorum iam fracta, cum reliquiis profligatorum hominum, pro Regis sui diplomate, pro Papæ Bulla, facile esse sibi in studiis hisce exercitato & veterano scilicet decertare. Hæc est acerba contra nos Epitasis, hæc est glorioſa de sua (qua turgescit) victoria conclusio. Spero tamen vobis nunc innotuisse vtrumque argumentum elumbe esse & eneruatum, neque Canonem sacrum & antiquitatis suffragio receptum, esse à nobis aut à nostris detruncatũ, aut vllã eius particulã abrasam, neque Scripturam sanctam mala fide esse translatã; quia omnia in prima parte falsa probauimus, & totam consequentiam iustè negauimus. Itaque neque vos hanc complexionem triumphali curru dignam iudicaturos confidimus.

Reiectio criminis in aduersarios.

NVNC date veniam, candidissimi lectores, vt in iugulum aduersariorum vtraque ratiocinatio conuertatur. Cui enim obscurum esse potest Scripturæ sacræ Maiestatem ab illis per multos annos

annos & concidendo & perperam vertendo esse violatam? Non sunt accusandi qui aliquam partẽ Antiquitatis approbatione meritò refigunt, sed qui autoritate sua Pseudapostolica totum Dei fœdus proculcant, in suspicionem vocant, aut qui eius supremum & vltimum Testamentum pro sua libidine lancinant: aut ampliando, demendo, mutando superordinant: aut cauillando, calumniando, irridendo deprauant. Ampliant qui verbo scripto suas constitutiones admiscent, ac pari honore atque reuerentia dignantur: & cũ Eckio blasphemè iactant Apostolos plura quàm scripserint docuisse, & ea nunc parem autoritatem habere: & qui Euangeliis quatuor, Euangelium Nicodemi, Euangelium Francisci & aliorũ addunt: Regulam enim Franciscani suam, vocant Euãgelium Christi, idque statuũt esse perfectius, quod tamen cum libertate Euangelica ex diametro pugnat, qui cum Gregorio quatuor Concilia velut Euangelia recipiunt, sicut multis hæreticis in vsu est alia atque alia Euangelia cudere. Præterea visiones, reuelationes, Legendas, Decreta & Decretales Epistolas, Summulas, Lombardi Magistri aureas sententias, Positiuam Theologiã, Thomistas, Scotistas, Casistas, Rationale Diuinorum officiorum, quem librum Ioannes Aloysius Apostolicæ Cameræ auditor pronunciat, inter omnes libros, quos homines sacris initiatos habere oportet, esse præcipuum, cæteros esse vtiles, istum necessarium: quibus magistris vel in scholis apud doctos vel in Ecclesiis apud plebeios vsi sunt: qui tradunt Scripturam sanctam in specie non sufficere, sed opus esse traditione Apostolorum, & Conciliorum posteriorum explicatione: in vniuersali sufficere Scripturam, quia in ea generaliter scriptum

1. Violant & mutilant Dei Testamẽtum.

Con. Trid Eck. c. de Eccle.

2. Addunt

Ad finẽ. l. in Epist. ad D. Petrũ Card.

Sotus.

est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam, Tibi dabo claues: & , Quicquid solueritis : quæ mittunt nos, inquit, ad suscipienda ea quæ ab Ecclesia & patribus tradita sunt. Extra hunc saltare chorum (scilicet Traditionem patrum) est in tenebris Dominicum agrum colere: fidem Catholicam esse non solùm eam quæ sacris literis proditur, sed quicquid (etiam sine sacris literis) sancta mater Ecclesia vniuersali Traditione nobis credendum proponit: fidei nostræ principia esse Christi, Apostolorum, omnium pastorũ, ac Concilij Oecumenici doctrinam, de quibus si iudicemus, omnem fidem tollimus: Brentium & Kemnisium in ciuitate Diaboli seu inter hæreticos numerari, quòd iubent doctrinas doctorum & Conciliorum omnium discernere & iudicare: multa reperiri quæ non ita apertis sacrarum literarum testimoniis demonstrari possunt, quin egeant Ecclesiæ traditionum q́ue subsidio & autoritate: quam si tollamus, illas nutare iam & vacillare. Quorsum hoc tendit argumentum, nisi vt nihil planè sit recipiendum aut credendum, nisi quod Scriptura apertè docet? Sic Colonienses in Censura cõtra Mohemium: Et rursus Andradius, Societas Iesu Scripturæ sacræ Traditiones patrũ vt indiuiduas comites annectendas ducit. De Patrum autoritate nimis elatè Melchior, Sanctorũ Patrum dogmata tãquam legem sanctæ Dei suscipiant Ecclesiæ. Hæc sunt additamenta, Et vt expostulat iustissimè Agrippa, Indies accumulant noua decreta, paleas, Extrauagantes, declarationes, Cancellariæ regulas &c. Quid hinc quæso lucri aut emolumenti accrescit Ecclesiæ Christi? Pergit, Ex horum canonibus didicimus, Christi patrimonium esse regna, castra, donationes, fundationes, Sacerdotum primatum esse imperium, gladium

Canisius in præf. Catech.

Alph. l. 1. c. 2.

Sander. l. 7

Andrad. l. 2.

Ibid.

Canus l. 7. c. 3.

C. de iure Cano.

gladium Christi esse potestatem temporalem, Petram Ecclesiæ fundamentum esse personam Romani Pontificis, ministros esse capita Ecclesiæ, bona Ecclesiæ esse purpuram, mitras, aurum & quæ sequuntur. Hæccine nobis recipienda & credenda sunt? hæccine pari reuerentia honoranda? pari pietatis affectu suscipienda sunt, vt Synodus Tridentina decreuit? Annón hoc est transgredi mandata Dei propter traditiones & doctrinas hominum? An non impletum est quod habet Chrysostomus, Diabolus ad oppugnationem veritatis subornat errorem? Aliter didicimus à Deo patre: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite: aliter à Cypriano, Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ánte nos faciendum putauerit: sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit: aliter à Chrysostomo, Neque dicit (Paulus) Si contraria annunciauerint, aut totum Euangelium subuerterint, verùm si vel paululum Euangelizauerint præter Euãgelium quod accepistis, etiam si quiduis labefactauerint, Anathema sit. Aliter ab Athanasio, Sufficiunt quidem sacræ & diuinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem.

Matth. 15.

In Mat. ca. 7.

Cyp. l. 2. Ep. 3. ad Cæciliũ.

In Gal. 1.

Cõt. Ido.

Iam verò cùm regia & plana via digito diuino nobis monstrata sit, & expressa lege cautum, ne ab ea vel ad dextram vel ad sinistrã declinemus: tamen quemadmodum eorum supplementa multa, & immundas aquas purissimo vino admixtas vidistis, ita nunc in adimendo considerate mecũ istorum hominum sacrilegam audaciam. Non enim vnam aliquam particulam, sicut nostros insimulãt falsò, non vnam Epistolam, sed omnes Dei ad suum populum missiles literas, totum Testamentum detruncarunt, abstulerunt. Siquidem vt

Adimunt

olim Antiochus & Diocletianus, & Maximinus sacros libros concremarunt: ita isti audaculi, non libros solùm Canonicos, sed Lectorum corpora
1.c.1. flammis consumpserunt: vt illud ex Machabæorum libris huc accommodatissimè transferri possit, Apud quemcunque liber fœderis deprehensus fuisset, aut si quis legi fauisset, is edicto regis
Lib.2. interfectus est. Agnoscit etiam nostram accusationem esse iustam Andradius, dum istos esse Pharisæos dicimus, qui clauem Regni cœlorum auferunt, dum eos canes in præsepi vocamus, qui
De expresso Dei verbo. nec ipsi edere, nec alios sinunt gustare: dum conquerimur istos imperitæ multitudini lectione diHosius in Aratore. uinorum codicum interdicere. Ita monet Hosius Sigismundum, Poloniæ regem, Scriptum est, expressum est Dei verbum, Satanæ sunt istæ voces per membra sua loquentis, quas cane peius & angue odisse debes. Et in Dialogo sic docet idem Cardinalis, simplicem Interlocutorem suum, vt præclarè secum actum putet, si vel Dominicã orationem cum articulis fidei, & decalogi præceptis memoria teneat, sicut à pastore suo didicit, etiamsi omnium verborum sensum nõ assequatur: cæteris de rebus si quis velit rationem reposcere, nihil aliud respondeat quàm se Ecclesiam sanctam Catholicam credere. Ita Christianum hominem facit verè Aratorem, aut certè illum, de quo aliàs
Matth. 4. loquuntur, Carbonarium. Quod de Satana dicit, verè est satanicum, quia illa oratio, Scriptum est, vox est etiam filii Dei: simile est illud eorum prouerbium, ab eodem Satana autore natum,

Angelicus iuuenis senibus satanizat in annis.

Quod quid aliud est quàm ex Angelis Satanistas efficere? quàm principum & subditorum esse impostores? quàm duces esse cæcorum? quàm populum Dei tanquam canes & porcos suo Sancto

cto & suis margaritis fraudare? quàm miserãdum in modũ Christi sanguine redemptos sanctos in errorum sempiterna caligine & nocte demergere? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur: quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur, vt scitè Augustinus? Scriptũ est, Vox est omnium Ecclesiæ Doctorum. Et Cyrillus scribit, veluti qui ignem in æreo vase recondit, caliditate ignis non caret, sic qui verba diuina in animo retinet, & ea seruare conatur, virtutis semper ardet amore, SCRIPTVM est enim, Ignitum est eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Auferunt etiam dum in Scholis non Christum non Apostolos prælegerunt, sed multos per annos ingenia sua bona & tempus precio sum in Scholasticæ doctrinæ studio & interpretatione contriuerunt, quæ adeo fœdis Barbarismis conspurcata est, vt nihil minus quàm Latinè eos locutos existimes, Produco testem Trithemium, Stephanus, inquit, Anglicus Gymnasii Parisiensis decus & Rector, primus Scripturam medullitus & moraliter exponere cœpit. Exhinc mos inoleuit, vt Magistri Theologiæ Diuinæ libros suis lecturis in Scholis discipulis lucidius aperirent. Et tamen meminimus omnes hanc ipsam lucem verè fuisse tenebras Cymmerias & doctrinam mixtam, vt alibi Erasmus indicat.

De perfectione Iustitiæ. L.10.c.18. Trith.f. 63. In Epi. ad G. V Varamum Cant. Arch.

Præterea etiam mutare audet Papalis Maiestas diuini verbi Maiestatem. Quod habet in scrinio pectoris sui, id ius est, id scriptum est, Sic volo, sic iubeo &c. Quod Papa approbat vel reprobat, id nos approbare vel reprobare debemus. Hinc tot Christi & Papæ, tot diuinæ & Pontificiæ Scripturæ cõtradictiones seu Antilogiæ, Diuina scriptura ait, Melius est nubere q̃ vri, cui accedit Epi

3. Mutãt. D.19 Antilogiæ Christi & Papæ.

phanius, Melius est lapsum à cursu, palā sibi vxorem accipere secundum legem &c. Scriptura Papalis per Pighium, Melius est scortari quàm vxorem ducere. Scriptura diuina mandat vt omnes integrè Sacramentum sumant, ex eodem poculo omnes sacerdotes & laïci bibāt: hîc Sacerdos à Laïco non differt, vt exposuit Chrysostomus: Scriptura humana est in Concilio Constantiensi, Hoc non obstante, populo sub vna tantùm specie communicandum: si quis aliter senserit, Anathema. Scriptura diuina ait, Non addendum nec detrahendum, hoc solum esse faciendum quod Dominus præceperit. At quantus traditionum & decretorum cumulus accesserit, quàm vastum nouorum scriptorum mare inundarit, Scriptura papalis & leges pseudocanonicæ satis indicabūt. Hinc

Deut. 12.

Agrip. de Van. sciēt.

„ Agrippa, Papa (suorum Canonum præsidio fultus
„ & fretus) potest sine causa Episcopum deponere,
„ rem alienam dare, non potest Simoniam committere, potest dispensare contra votum, contra iuramentum, contra ius, & nemo debet illi dicere, Cur ita facis? Sentiebant etiam graui aliqua de causa dispensare contra Nouum Testamentum.

Gal. 3.

Sic Scripturam Dei Scripturæ pontificorum laxant, stringunt, extendunt, contrahunt, destruūt, ædificant, mutant quadrata rotundis. Quod in hominis Testamento fieri nunquam solere prædicat Apostolus: id in Diuino Testamento faciunt audacter Pontificij, vt rogent, abrogent quæ libet, vt repudient & immutent, innouent vel antiquent. Nec minus illud verum est quod antè posui, eos scilicet deprauare, corrumpere, ludibrio habere. Deprauat Eckius, Oportet alium esse iudicium quàm Scripturam: Christus non scripsit aliquem librū, nec præcepit discipulis vel Apostolis scribere. Sic Antonius Florebellus Italus,

4. Deprauant. C. de Scripturis C. de Ecclesia L. de Autorit. Eccle.

Num

Num Christus Euangelia scripsit? num vt scribe-
tentur ab aliis mandauit? Ille verò nec literam i-
psé vllam reliquit: præcepta enim & instituta sua
in hominū animis inscripsit, vt ab Hieremia præ-
dictum erat, non in tabulis consignauit: neque vt
literis disciplina sua mandaretur, &c. Cùm tamen
Deus tabulis lapideis legem suam inscripserit, &
Mosi præceperit, Nunc scribite vobis Canticum
istud, & doce filios Israël, cùm ipse Christ⁹ Alpha
& Omega, primus & nouissimus dixerit Ioanni,
Quod vides scribe in libro, & mitte septem Eccle
siis: & vsurpans illud, scriptum est, Scripturā con
firmarit. Idem Eckius Achilles pro Catholicis (sic
enim ad marginem libri sui apponitur) egregiè
calumniatur & deprauat, quando ait sine autori-
tate Ecclesiæ Scripturam non esse authenticam:
Ecclesiam sua autoritate Apostolica decretum
mutasse, & contra definitionem illam Scripturæ,
contra placitum Spiritus sancti in Actis Apostolorum hodie vti sanguine & suffocato: quasi præceptum illud Apostolicum non fuerit temporarium, quasi Scriptura in Epistolis Paulinis liberū non fecerit: vbi tamen Eckius impium suum atte
xit Epiphonema, Ecce Ecclesiæ potestas supra
Scripturam. Præterea scripturæ liber, oraculum
Spiritus sancti, verbū vitæ, odor vitæ, gladius, mi-
nisterium spiritus, legatio Christi, Dei potentia
ad salutem, mysterium tempore suo patefactum,
Sermo qui & mundum condidit, & mundum iu-
dicaturus est: hic liber sacrosanctus quem fertur
Alexander Magnus tantùm non adorasse: hic ha-
betur & perhibetur ab Andradio nasus æneus, ab
eodem flexibilis, ab Alphonso, non iudex sed te-
stis: à Melchiore Cano iudex mortuus. Deprauat
Stephanus Paletz, Scriptura sacra est res inani-
mata, per se non loquitur: quæ tamen liber vitæ

Deut. 32.

Apoc. 1.

C. de Ecclesia.

C. 1.

Col. 2.

Gal.

L. 2.

L. 1. c. 18. in resp. Ioa. Hus ad Step. Paletz.

est:Item,Non poterit Scriptura aliquid iudicare: quę tamen & nunc iudicat, & in fine bonos & malos iudicabit. Deprauat Latomus,Scripturam obscuram ambiguam esse,fatentur omnes qui sana mente sunt.Deprauat iterum Florebellus,nullam istos libros explicandi sui causa vocem mittere,mutos enim & elingues esse. Scomma est Eckio dignũ,nostros qui Scripturis adhæresc unt, Atramentales esse Theologos.A Surio Carthusiano Scomma est, nostrum Euangelium dici Euangelium Caluinisticum: A Petro Soto rem parui aut nullius momenti, cui cum Spiritu sancto nihil est negotij:aliàs pertinens ad externam doctrinam, atque ad literam occidentem non tam hominum cordibus aut animis, quàm membranis & tabulis mandatum : Blasphemum est à Sandero & aliis Bibliistas & hæreticos nominari sacræ Scripturæ studiosos. Impietas est cuiusdam insignis Papistæ qui Spiræ fertur pro concione proclamasse ab Euangelio malle se quàm ab Ecclesiæ ceremoniis discedere. Tale esse dicitur in synodo puellarum monialium vulgare diuerbium:Qua in re sita est religio Christiana? In laceris panniculis, inquit quædam ænignatum huiusmodi non ignara, significans Scripturam rem tantùm esse chartaceam,Papyrus enim ex detritis & veteribus pannis solet confici. Istíne sunt qui de Scripturarum autoritate quasi per nos protrita nobiscum rixantur, qui læsæ earum Maiestatis actionem intentant?

Cont.Bucer.

De vno & præsenti & certo Iudice.

In Par. Abb. Vrs. pag 494.

Brętius in Proleg.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Aut Verrem contra furtum,aut Milonem contra homicidium, aut tãquam Curios sobrietatem laudantes qui viuunt Bacchanalia?Imò quia Scriptura est sudes in eorũ oculis : hoc illos malè habet,nos ad hunc regium thronum prouocare ab

hisce despicatissimis hominum subselliis. Hæc est maiestas scripturæ,quam defendimus : quam vos (fratres optimi)ab iniuriis & petulantia,à manibus,à linguis hostium crudelissimorum vindicate.Qui non secundum leges,sed vt ille apud Plutarchum, ipsis legibus imperabunt : qui non vni alicui libro aut epistolio, sed autoritati totius Scripturæ Canonicæ obtrectant. Qui igitur longissimè ab hac meta discesserunt,qui sic immutãdo,subtrahendo,supplendo,blasphemando, omnes rationis & religionis limites transilierunt, quomodo habendi à nobis?quo in loco numerandi sunt?Quia non per ostium intrant, fures & latrones,à Seruatore & Irenæo:quia aliud Euangelizant præter id quod Paulus prædicauit & scripsit,Anathema à Paulo:quia dicunt παρὰ τὰ διατεταγμένα,id est præter ea quæ sunt à Domino ordinata,licet alioqui fide digni,licet ieiunent, licet virgines sint, licet signa edant,licet prophetent, tamen lupi ab Ignatio : quia præter voluntatem Dei præsunt: & præter quod in Scriptura euidenter præcipitur,dicunt & imperant, tanquam falsi Dei testes vel sacrilegi ab Isidoro & Ioanne Hussio habentur & nominantur : Quia legationem malà fide docent, ἀποστασίας crimine arcessendi sunt:quia tabulas publicas corrumpũt, & monetam regiam adulterant, eos tanquam falsarios & perduelles & Diuinæ Maiestatis læsę reos pronuncio : Quia omnis qui transgreditur & non manet in doctrina Christi,Deum non habet:ideò eum nec in domum recipi, nec ei Aue dici vult Ioannes in Catholica. Et in Apocalypsi non culpam modò sed & pœnam ostendit,vna extrema orationis clausula Veteris & Noui Testamenti summã & sententiã cõplectẽs, Si quis adposuerit ad hęc,apponet Deus super illũ plagas scriptas in

Philopœmenes.

Ioann. 10.

Gal. 1.

Ioan. Ep. 2.

C. 22. Ap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

libro isto. Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius auferet Deus partem eius è libro vitæ,& à ciuitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto.

2. Retorsio de Noua Iesuitarum & veteri Translatione.

De versione non dissimilis, nec minus vera est in ipsosmet retorsio. Quantum operæ in Bibliorum elucubratione ab Anglis consumptum fuerit:multi boni viri superstites testari mecum possunt:alii in Christo defuncti optimè nouerunt & senserunt: & ipsa translatio quæ nunc Dei gratia insigni Ecclesiæ commodo in omnium manibus est,satis indicat: quicquid Surius de Senatu Colonienſi garriat, quòd Anglicam versionem im-

Greg Martinus.

primi vetuerit.Itaque Greg.ille noster caueat dũ nimium Gregorianus esse cupit, ne partium studio nimium abreptus,extra ripas veritatis elatus, ipse in syrtes aut vada incurrat,& scandali autor sit populo indoctiori:vnde in eadem naui dux & grex naufragium patiantur.Ab hoc & aliis Rhemensibus Bibliorum versionem adornari audio: & nunc demum Testamẽtum Nouum,ex Authẽtico exemplari Latino translatum, prodiit. Ego verò interea dum illi se ad prelum ac prælium nouum accingunt, Tridentinorum Patrum sententiis singulariter & solummodo orbi Christiano commendatam translationem latinam, cuiusmodi sit,ob oculos proponam. Ex cuius putidissimæ versionis lacuna,omnes ferè errores, omnes superstitiones fluxerunt.In libro Geneseos sic ibi legitur,IPSA conteret caput tuum:Sic enim & in manuscriptis exẽplaribus habetur, & in vetustis Bibliis ordinatis à reuerendo magistro Gabriele Bruno Veneto ordinis Minorum,nec non in Plantiniana Editione inuenietis, & quod ad ipsum semen benedictum Christum referri debebat, Mariæ matri tribuitur: hinc Hyperdulia virginis & ado-

Cap.3. Errores doctrinæ ex erratis Translationis in veteri & Nouo Testamento.

& adoratio. Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore,omne figmentum,&c. Ita ille:at Hebraica veritas sic habet, Omne figmen- Ca.6.
tum cogitationum cordis eius(hominis) dũtaxat malum est,omni die:quæ verborũ omissio & mutilatio,quò spectẽt,nisi vt liberi arbitrii seruitus, & humanæ naturæ vitiositas minus conspiciantur? Rex Salem obtulit panem & vinum: pro eo 14.
quod in Hebraicis & Latinis exemplaribus nuper correctis habetur,PROTVLIT: Hinc confirmatur Missæ sacrificium.Dixit Iacob, Inuocetur nomen meum super eos.Hinc Iacobus & alii sancti sunt inuocandi:at Hebraismus innuit Ephraim & Manassem donandos esse nomine Iacobi,& vocãdos Patriarchas, quos scilicet in numerum filiorum cooptaret. Quò hoc suum impium dogma stabiliant,similis est error apud Iobum, Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere:de quo loco nihil dicam:satis respondet ipsa translatio germana, Clama quæso an sit qui respondeat tibi,& ad quem sanctorum respicies?Quicquid Lyranus de sanctorum inuocatione afferat,esse negationem ipsa verba declarant: nec quẽquam è sanctis produci posse, cuius exẽplo defendatur,aut cuius opere subleuetur. Non enim credo Merceri(Thomæ Stapletoni præceptoris vt ipse ait) & reuera Hebraicæ linguæ peritissimi & Parisiensis testimonium respuent,cuius hæc est sententia, Thomam Aquinatem ineptè hunc locum ad sanctorum inuocationem torquere, his verbis, Quòd quidam magistrorum hunc locum ad Sanctorum mortuorum Inuocationem, quam veteres ne agnouerunt quidem, referunt, quasi hortetur Eliphaz Iobum,vt in hac afflictione sese ad Sanctos conuertat, vt ei opem ferant, merum delirium est: cùm nemo non videat

hîc ironiam esse,& quoquo modo intelligas, eò non posse applicari. Huius generis est, Laudate Dominum in sanctis eius: Error quia est in sacrario,id est,in Ecclesia. Similiter lapsus est Alphõsus, Glorioſus est Deus in Sanctis suis:nam sic debuit reddi, Terribilis es ô Iehoua de Sanctuario tuo,in quo omnia verba sunt dissimillima,nullum simile reponitur:& quæ sequuntur, Deum virtutem & robur dare,Deum esse benedictum & laudandum, hanc opinionem planissimè refutant: Hinc tamen ex hisce omnibus falsis Interpretationibus Sanctorum mortuorum inuocatio concluditur.Rursus quò arguant nemini de sua salute certò sibi constare, Ecclesiastis locus adducitur, Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit,sed omnia in futurum seruantur incerta, pro eo quod Hebraicè legitur,Amorem & odium nõ cognoscit homo sed omnia ante eos:hîc nulla dignitatis mentio, cuius omnes sancti expertes se esse non dissimulant, & errorem hîc suum Alphonsus recognoscit, & propterea ad Olympiodorum eum locum melius enodantem nos remittit.Est autẽ hæc forma eius quasi Retractationis,Quæ verba ego postea diligentius circumspiciens,apertè intellexi vt ingenuè fatear dubium pro nobis in hac causa reddere testimonium. Quamobrem quòd Stapletonus noster hanc doctrinam de speciali fide & certitudine gratiæ nouum & inauditum in Ecclesia Paradoxum ex hoc loco Ecclesiastis colligit,quàm hoc incertum sit, saltem ex Alphonso suo discat,& cum illo modestè suam reuocet sententiam. Ibidem quoque vt meritum astruat, veterem Interpretem secutus, illud Dauidicum sic vertit, Inclinaui cor meum ad custodiendum Iustificationes tuas propter retributionem,& tamẽ ex ambiguo disputat vt. antè,&

Psal.150.

Ca.9.

Lib.7.

Psal.119.

tè,& à magistro suo Mercero dissentit,qui sic trãsferri posse iudicauit, Vel propter mercedem, vel in finem vsque,& id quidem posterius magis propriè,& huic loco conuenientius. Idem Stapletonus assumit ex Prouerbiis Salomonis aliud,nimirum sapiẽtiam immolasse victimas suas,& vinum miscuisse:Itaque debere esse in calice Eucharistico aquæ cum vino commistionem, ex Catholicorum sententia. Relabitur scilicet ad suum dubium principium, ex quo structura omnis Papisticæ Babylonis est coagmentata. Sapientia miscuit vinum, Ergo in Sacramento aqua adhibenda.Annon hic rectè illud Esaię accommodari potest,Vinum aqua mixtum est,id est,Annon ad corrumpendum diuinæ scripturæ textum admiscetur diluta hominum traditio? Primùm Phraseologia Spiritus sancti repugnat: nam miscere vinum est largius infundere: quemadmodum legimus Isaiæ quinto,vbi Væ denunciatur his qui Siceram misceant,qui bibunt meracius. Erat enim Sicera non dilutus potus sed generosus & inebrians. Deinde hac de re consulantur Patres Lyranus, Hieronymus, Glossa ordinaria, qui alium nobis sensum referent: Hæc aliáque sexcenta in veteri Testamento errata si Martinus aliíque Anglorhemenses iterent, & ad idem saxum offendant: quid Deo, quid Ecclesiæ responsuri sint, nescio: mihi certè videntur prudentes & scientes & ipsi impingere, & alios præcipitare. Transeamus ad eam quæ nunc extat N. Testamenti Translationem. Vt suas nobis Traditiones & nouas Constitutiunculas probent, habẽt ad manum argumentum ex vulgata & corrupta translatione, Suggeret vobis Spiritus sanctus omnia quæcunque dixero vobis: vbi Græcus textus, & nostra versio habẽt,sicut & Latini codices nostrorũ,Sub

Ioan.14.

Universidad de Deusto Biblioteca

monebit omnia quæcunque ἔιπον dixi vobis, vt non sit nobis aliqua noua expectanda suggestio aut visio: sed vt repetitio tantùm sit & illustratio eorum quæ Christus prius tradidit. Ad quē ipsum lapidem non modò cæci homines nostrates corruunt: sed etiam in Scholis notant Christum multa prætermisisse, & ea Ecclesiæ docenda reliquisse Meritum vtrique vrgent, & scripturam pessimè à se conuersam testem adducunt, Talibus hostiis promeretur Deus, cùm Græcè sit ἐυαρεστῆται, conciliatur, placatur. Matrimonium, bone Iesu, quomodo Iesuitæ tractant? Nam quod detestantur in multis, id tamen Sacramentum esse contendunt, & quod Græcè est mysterium de Christo & Ecclesia, id isti Sacramentum interpretantur. Quò doctrinam Dæmoniorum fortius & impudentius propinent, Vbicunque licet vndecunque arripiunt quò nuptias prohibeant aut infament. Annon potestatem habemus sororem vxorem circumducendi, vt & reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas? Hanc enim interpretationem & Petri & aliorum in Apostolatu coniugatorum exempla, quæ memorat, & loci circumstantiæ, & ipsa communis honestas & decorum, & vis ipsa Græcæ dictionis probant & euincunt: A nobis stat Tertullianus ipse presbyter & maritus in exhortatione ad Castitatem, Licebat & Apostolis nubere, & vxores circumducere: & tales vxores Mulieres vocat & vertit in libro de Pudicitia: tamen vulgata & Rhemensis mulierem sororem exponunt, & ideo in Annotationibus hæreseos maculam nomini nostro inurunt. Fortasis sororem vxorem eam Paulus hoc loco dixit, quam ad Philippenses σύζυγον γνήσιαν, germanam, id est, fidelem seu Christianam coniugem nominat, vt & Clemens accepit. Certè id mul-

Io.18.

Heb.13.

Ephes 5.

1.Cor.9.

Ca.4.

id multo esse potest vero vicinius, quàm quod Vetus transtulit, Rogo te Germane coniux adiua illas. Vnde lapsus est Lyranus, dum de Germano quodam (proprio viri nomine) Philosophatur. Hoc in suo Lyrano animaduertere noluit ille Defensor Censuræ, qui Hanmerum nostrum taxat, quòd apud Lyranum Gratiam pro Græcia fortè Typographi vitio posuit: ὁμόζυγον coniugem etiã vocat Apostolicæ ætati proximus Ignatius. Ad hæc quandocunque nomen σεμνὸς aut σεμνότης occurrit, id statim erit istis pudicum aut castitas, quod tamen in illis locis grauitatem, reuerentiam vel honestatem significat. Orandum pro Regibus vt trãquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate: vulgata strictius & angustius, Cum omni castitate. Ad Philippenses, Quæcunque pudica, vbi Hieronymus quoque nescio quomodo φεσφιλῆ, amabilia vertit, Ad castitatem pertinentia, tantùm vt suo affectui & odio in Nuptias indulgeant, hic tamen Rhemenses nostri nec suo Interpreti nec Hieronymo adhærent. Ad Timotheum ambo sic vertunt, Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, PVDICVM, quod verbum in Græcis exemplaribus nusquam est, id ex se infarsiunt: filios habentem subditos cum omni castitate, pro honestate seu reuerentia. Oportet Diaconos similiter esse pudicos, Item Mulieres pudicas pro Vxores honestas, graues, modestas, quoniam non de aliis quàm de liberis & vxoribus Episcoporum & Diaconorum loquitur. Fœda corruptela est in fine capitis, qua luculentissimum nostræ Redemptionis per Christum Deum & hominem testimonium aduersus Arrianos nobis è manibus eripiunt, Manifestè, magnum est pietatis Sacramentum, quod

Ecc.hist.5

Defens. Censuræ con.D.Hãmerum.

1.Tim.2.

Ca.4.

1.ca.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manifestatum est in corpore, iustificatum est in Spiritu,&c. quod Græcè est (Mysterium) ab illis transfertur Sacramentum, & Dei nomen prorsus extritum est, & quod de Christo Deo honorificè prædicatur, id omne ad Sacramentum nescio quod perperam accommodatur: quod verè & meritò ab Erasmo notatur,& à Beza liberius reprehenditur,ab vtroque, & à Tigurinis, Geneuensibus, Anglis nostris omnibus sic piè & venustè secundum Græcam veritatẽ redditur: Citra controuersiam, Hoc est magnũ pietatis Arcanum seu mysterium, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, receptus est in gloria. Hæc de quibusdam fidei articulis & controuersiis. Quàm etiã in explicandis nostræ religionis, mysteriis diserti, quàm latini sint Romanenses, quàm fideles, quàm fœlices, in Beatæ Virginis Officio suo Papistico satis declararunt, Cuius Dominus humilitatem respiciens, Angelo nuntiante concepit Redemptorem mundi, Quid? Dominus concepit aut peperit Christũ? sic loquuntur, at monstrosum est. Quid? an virgo concepit? Verum est, at sic verba non sluunt nec hunc sensum fuerunt: non est ergo Latinum non congruum. Hæc in Veteri Interpretatione etiam obtusi homines vident satis crassa esse, quæ ego leuiter admodum & strictim attigi: quem tamen Rhemenses Pontificij nostrates homines nõ tam ingenio hebetes, quàm affectu cæci, ad sydera vehunt laudibus. Quinimò hoc ipsum quod exiit in vulgus nuperrimè Nouũ Testamentum non tam Iesu quàm Iesuitarũ ex hac translatione mendosa in aliã versionem Anglicam transfusum factũ est mendosius: quantũuis in Collegij Rhemensis officina dedolatũ, & censura Petri Remigij, Huberti Mori,

Anglorhemẽsis versio Noui Testamenti.

Mori, Ioannis le Besgnæ, Guilielmi Balmi Archimagistri approbatum videatur: Quid horum nomina præ se ferant, quid sonent, non discutio, sed homines rerum nostrarum & idiomatis Anglici rudes Translationem Anglicanam velle nobis commendare & venditare, indicium est alicuius temeritatis, nõ magnæ certè prudẽtiæ. Nã obiter & in transcursu inspiciens paucula, in præfatione multa Paradoxa, in versione nõ pauca perobscura & vitiosa, in Scholiis nonnulla verè σκολιὰ & contorta esse comperi: & si librum ad manũ prius habuissem, plura annotassem, vt deinceps exteri non temerè quibusuis nostrorũ hominum inuentis subscriberent. Verè enim Noua Translatio Noui Testamenti dici potest, in qua tot nouè fiunt & prodigiosè. Nouum est quod præter morem suorum patrũ, præter expressum aliquod Cõcilij Tridentini decretum nouam in maternum sermonem translationem nunc demum serò pertexere non perhorrescunt. Nec minus nouum est, quod non ex Græco fonte sed ex hac vulgari latina cisterna suam versionem totam hauriunt, quòd Archetypo exemplum secundarium & tralatitium, quòd linguæ parenti & natiuæ exoticam & barbaram anteponunt. Hanc nouitatem damnaret, si reuiuisceret Augustinus, à quo docemur istiusmodi rebus Hebraicum & Græcum exemplar consulere. Damnaret ipsa Glossa, nullum exemplar quamuis authenticum tale aut tanti momenti esse debere, quin in dubiis ad originem sit recurrendum. Sed addit Glossa ex Hieronymi prologo in Pẽtateuchum, Exẽplaria latina esse emendatiora quàm Græca, & Græca quàm Hebræa. Quàm ineptè, quàm corruptè? Erasmus enim in scholiis libri secundi contra Iouinianum, subindicauit hanc esse figuram Hieronymo

Augustin. de doct. Christ. li. 2. c. 11.

Item ep. 8. d. 9.

ep. 10. Glossa Ibid. d 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsitatam,& ridiculè citari ab illo Iuris Pontificij interprete,idem etiam feciſſe illum in Codice & Pandectis, vt verè illud quis exclamare cogatur, οὐδὲν, πρὸς ἔπος, Nihil ad verbum,nihil ad rem. Dã-

In pſ. Præ. ad Sophronium.

naret Hieronymus qui ex lingua Hebraica conuertit, vt ipſe hiſce verbis teſtatur, Certè confi-
"denter dicam, & multos huius operis teſtes cita-
"bo,me nihil duntaxat ſententiæ de Hebraica ve-
"ritate mutaſſe. Sicubi ergo Editio mea à veteri-

In Noua Trãſlatione Anglica quot Nouitates.

bus diſcreparit, interroga quemlibet Hebræorũ, & liquidò peruidebis, me ab æmulis fruſtrà lacerari. Quid? quod Eraſmi in Nouum Teſtamentũ lucubratio, è Græco ſermone in Latinum tradu-
cta, à Veteri Interpretatione multum diſcrepans, à Leone tamen Pontifice Maximo tanquam abſo-
lutiſſima probata eſt, & ea ſe valde delectari, & præterea aliorum calculo eã laudari,non obſcurè ſignificauit. Si Leo Papa bene cenſuit: Poſterio-
res Papiſtæ in Tridentino Concilio malè ſentiũt, qui à Leone diſſentiunt, & ſolam hanc veterem tranſlationem præſcribunt: & Auguſtinus & Hie
ronymus & Leo rectè è prima & originali lingua transferendum iudicant, contrà verò noſtri, qui longè ſecus & planè contrarium faciunt.

Vetus Latina Trãſlatio an ſit Hieronymi.

MIRANDVM & nouum eſt illud, quòd hanc verſionem Hieronymianã eſſe aſſeuerant: de qua emunctiſſimi homines aut longè aliter ſentiunt, aut non ita præcipitanter affirmant. Quid? ánnon Hieronymus modò dixit ſe Hebræos per omnia ſequutum,cùm vetus hæc Tranſlatio ſeptuaginta Interpretum græciſmos non rarò videatur olere? Quid? Hieronymus ipſe veterem hanc pro ſuo fœtu non habet, ſiquidem tum in commentariis reliquis tum in Eccleſiaſte & in Pſalterio maxi-
mam differentiam eſſe reperiet, quiſquis vtram-
que Editionem inter ſe contulerit bona fide & me-

diocri diligentia. Aliter vetus quædam interpretatur, aliter Hieronymus in Hebraicis Quæſtionibus & legit & exponit. Vetus in Eccleſiaſte, Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino car-
nem meam: Hieronymus in commentariis,Con-
ſideraui in corde meo, vt traherem in vino car-
nem meam, ſignificans velle ſe delicatè & lautè viuere. Vetus, Neſcit homo vtrum amore an o-
dio dignus ſit. Hieronymus, Et quidem charita-
tem, & quidem odium non eſt cognoſcens ho-
mo: & alia eiuſdem generis nõ pauca occurrunt legentibus. Quid? Auguſtinus etiam Steuchus, qui huius veteris Interpretis iudicium, pruden-
tiam, Peritiam, explicandi Maieſtatem, ingenij diuinitatem admiratur: Hieronymum alicubi er-
roris, aliàs obſcuritatis,alibi inconſtantiæ, inter-
dum in omittendo negligentiæ, nonnunquam in perperam vertendo cuiuſdam quaſi perfidiæ con
demnat. Nouum eſt, deinde & incredibile eſt, viros politos & eloquentes apertiſſimis. Vetuſtæ Tranſlationis barbariſmis & Solœciſmis, etiam Tertulliani & Auguſtini autoritate, fauere & pa
trocinari. Nouum eſt & Paradoxum quod defen
dunt veterem Tranſlationem eſſe Græco textu veriorem,illam hoc eſſe ſynceriorem. Prô Deum immortalem quid eſſe poteſt nobis tam ſeptum quod non perrumpere,tam ſanctũ quod non pro-
phanare,tam purum quod non commaculare au-
deat hominum procacitas? etiam Iudæos & hæ-
reticos cõtaminaſſe & vitiaſſe ſacratiſſimos Dei libros ſuſpicantur. Sed hæc erat quondam Mani-
chæorum calumnioſa obiectio, quos iſti quia imi
tantur, hoc ex Auguſtino reſponſum auferant: Vſque adeò inuicta ſunt,quæ aduerſus vos de di-
uinis codicibus proferuntur,vt nõ ſit aliud quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Quæ autoritas lite-

Ca. 2.

Eccle. c 5.

In libro Num. & Deute.

rarum reperiri, quis sacer liber euolui; quod documentum cuiuslibet Scripturæ ad cõuincendos errores sciri potest, si hæc vox admittitur, si alicuius ponderis existimatur?

Illa nouitas nõ est nouitas, quòd dum Anglicè Nouum Testamentum suo modo transferunt, tamen ab eius lectione studióque Anglos deterrẽt: quando declamãt hæreses ex sensu Scripturæ oriri, quando obscuritatem, difficultatẽ, profunditatem eius deprædicant: & in hoc Hieronymi, Ambrosii, Augustini & aliorum sententias tanquam catelli panniculos dilacerant.

Cùm verò Hebraica, Græca & Latina vocabula in nostra lingua retinent, & Anglica lingua latinizant, in eo quoque antiquum obtinent, vt populus noster etiam domi peregrinus sit, & vernaculam linguã suam non intelligat, nisi simul illas tres alias calleat. Quæ enim est illa istorum tene-
114. brionũ affectatio, vt non solùm, Amen, Zebaoth, Osianna, quod erat tolerabile, verùm etiam Parasceues, Paschæ, Pentecostes, præputii, Depositi, Euangelizandi, cõuersandi, Paracleti, Neophyti, aliásque multas voces, in Anglicana sua versione passim vsurpent & seruent? Annon videmini vobis aliquem vel antiquum λοξίαν Apollinem requinocè oracula dantem? vel aliquem è Missa sacrificulum sua illa, Kyrie eleeson, Christe eleeson, Agios, Athanatos, Ischyros cantillantem audire, quæ & clericus respondens & sacerdos recitans ignorant? Quanquam enim Amen vox sit in omnibus linguis maximè recepta, & recipi nõ incommodè possit: tamen tantum abest, vt antiquissimi Interpretes rerum perspicuitatẽ verborum obscuritate inuoluere & obnubilare voluerint: vt etiam hoc familiare Epiphonema septuaginta quandoque per γένοιτο, fiat, Aquila πεπλη-

μένως, id est, verè, explicandum sibi existimarint. Abeãt ergo in exteriores tenebras ista sphyngis imò ipsius principis tenebrarum Ænygmata, ad quæ intelligenda & explicanda nõ sufficiet vnus Oedipus. Scilicet Aristotelici hac in re esse possunt. Cùm enim Alexander Magnus indignè ferret Acroamaticas disciplinas, quas ille à suo hoc magistro solus accepisset, iam factas esse communes omnium: rescribit Aristoteles se scripsisse & non scripsisse, edidisse quidem sed legentibus non intelligentibus. Ita isti sic transferẽdo omnino fecerunt, vt nihil transferre videantur. Hoccine est plebem docere an fallere?

Illud etiam infrequens est & insolens, vt ipsi in nostram linguam iam tandem conuertant, & tamen eodem tempore dogmatizent, Translationẽ Bibliorum in prima Ecclesia non fuisse tritam ab omnibus, eam non esse necessariam, neque vtilem, nisi pro ratione temporis, quibuslibet nõ conuenire, ex arbitrio Ecclesiæ solummodo indulgeri posse aliquibus. Vbi ergo illud, Omnis lingua laudet Dominum, & omnis lingua ei confiteatur? Si Basilius, Chrysostomus, alii Orientales potuerunt Græcè suam Liturgiam celebrare: si Armenicè, Ruthenicè, Moscouiticè, Dalmaticè, Gothicè, Italicè, Gallicè preces habere aliquando licuit: si Waldenses, si noster Wicleuus, si alii sua lingua rem diuinam fecerunt, & Biblia transtulerunt, quantumuis Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, & Concilium Oxoniense reclamarint: quod & historiis proditum est, & ipsi non denegant: cur obsecro hanc commoditatem, cur hanc fœlicitatem suis Anglis hodie vel malignè inuidens, vel non benignè impertiunt? Nam quod conantur astruere in prima Ecclesia, neque preces neque Biblia in vulgari lingua

haberi consueuisse: huic & doctrina Pauli ad Co-
1.Cor.14. rinthios & omnium Ecclesiarum consuetudo, &
ipse Lyranus reclamitant.

Postremum est & nouum quoq; est, vertendo
sensus peruersos eliciunt, ex nuda vocula Confi-
Act.19. tendi,& ex publica Ephesiorum Exomologesi,pri
uatam & auricularem cõfessionem, singulorum-
que peccatorum enumerationem , ex impositio-
ne manuum Pauli Sacramentum confirmationis,
Matth.16. ex vnctione temporaria Apostolorum Sacramen
tum Chrismatis,ex verbo resipiscentiæ Sacramẽ-
tum pœnitentiæ , ex sudarijs Pauli reliquias , ex
Petri nomine Romani Pontificis primatum & su-
per Petrum Ecclesiæ exædificationem , ex Pauli
profectione prima Hierosolymam, pòst Romam,
Matth.3. eiusdem Cathedralis eminentiæ ab Hierosolymi-
tanis Episcopis ad Romanos translationẽ,ex ver-
bo Deserti Heremitarum institutum, ex ambigui
Act.19. tate vocis νεὼς, sua sacra scriniola,ex Iouis proles
(vt ex veteri translatione falsò vertunt)Imaginũ
patrocinium , ex magicorum librorum incendio
apud Ephesios, nostrorum codicum condemna-
tionem & concremationem , ex panis fractione
Act.20. illam in Missa tripartitam fractionem, ex illa Pau
lina concione de conuersione ad Dominum& fi-
de in Christum , operum cum fide iustificationẽ
perabsurdè concluduut. Adeo semper ex floscu-
lis Sacrarum literarum non melcum apicula, sed
venenum cum aranea malunt sugere. Quomodo
autem & errores suos & Veteris Interpretis næ-
uos perditè deament:ex eo perspicuum est,quòd
totam orationis dominicæ formam immutare &
truncare voluerunt, potius quàm nobiscum imò
cum Christo verè & fideliter transferre videren-
Matth.6. tur. Apud Matthęum Sanctificãdi vocabulum re-
tinent , ne plebecula intelligat , aut sanè aliquid

de Sanctis suis colligat:Panem ἐπιούσιον supersub-
stantialem vertunt,fortassis propter Transubstan
tiationem suam:in fine totam Doxologiam ampu
tarunt, Quoniam tuum est regnum, potentia &
gloria in secula seculorum, quam tamen in Græ-
co & Syriaco Textu legimus:& minister conclu
dit eandem orationem dominicam hoc ipso Epi-
phonemate in Liturgia quam ipsimet tribuunt
Chrysostomo. Apud Lucam omiserunt has om- Luc.11.
nes Petitiones quæ in illis linguis originalibus
habentur:Fiat voluntas tua,sicut in cœlo , etiam
in terra:ne nos inducas in tentationem : sed libe-
ra nos à malo.Eia nunc credatur illis in aliis igno
tis qui in notissimis audent fallere. Summa sum-
marum hæc est,Hebraicos fontes omittunt, Græ-
cos omnes codices esse corruptos vociferantur:
imò & à vulgata sua interpretatione,si modò ve-
ra fit,recedunt.De primo dixi in locis aliquot ha-
ctenus Veteris Testamenti,de Græco sic crimina-
tur , imò pudendum in modum cauillatur Tho. Stapleto-
Stapletonus. Nec dissimilis est, inquit, corrupte- nus & alii
la quam Omnes hodie Græci codices confor- nec Heb.
miter sequuntur : Non omnes quidem dormiẽ- nec Græc.
mus , sed omnes immutabimur. Quid ita verò, nec suam
nempe vt Veteris sui Interpretis patroni esse pos Latinam,
sint,in Spiritus sancti linguam & sensum blasphe nec Hier.
mi esse volũt, Dum lectionem omnium codicum sequãtur,
suffragio probatam respuunt,& suam quę nullius
libri Græci autoritate nititur, amplexantur, Sic
vertunt Anglorhemenses ex solo Latino exem-
plari,Omnes quidem resurgemus , sed nõ omnes
immutabimur:eámque præferunt omnibus. Qua-
re ? scilicet quia Hieronymus & alij Græci eam
sequuntur. Qui hæc scribunt , quid sibi non per-
mittent?Affingit Hieronymo quod nunquam di-
xit,cuius hæc sunt verba in ea Epistola quæ cita-

tur ad Minerium & Alexandrum, vbi in prima fronte eiusdem sic legit, Non omnes quidem dormiemus: & in fine quod iste probat, improbat. Illud autem breuiter in fine commoneo hoc quod
" in latinis codicibus, Omnes quidem resurgemus,
" &c. in Græcis voluminibus non haberi, sed vel,
" Omnes dormiemus, non autem omnes immutabimur: vel, Non omnes dormiemus, Omnes autem immutabimur. Sic legerunt & exposuerunt Acatius Cæsarienſis Episcopus, Theodorus Heracleotes, Diodorus Tarsensis, & Appollinarius, vt apud eundem cernere est. Exposuisse autem sic Hieronymum etiam ipsemet testis sit in hoc loco Apostoli, inquiens, in aliis Græcis codicibus sic, Omnes enim non dormiemus, omnes autem immutabimur. quod quadrat magis ad sensum Apostoli, quia, hic sermo non de omnibus generaliter dicitur, sed de solis electis. Consentiunt autem huic doctrinæ de sorte sanctorum in hac vita superstitum & abolitione mortalitatis & corruptæ naturę interitum mutandorum, alia loca Pauli 1. Thess. 4. & 2. Cor. 5. nec non ipse Origenes, quem tamen iste producit his verbis. De viuis autem immutandis & à mortuis resurgentibus segregandis, sic scribit (Paulus) & nos immutabimur. Quod autem cum sua versione pugnat, ostendit illud in Actis Apostolicis: Vetus ait, MINISTRANTIBVS illis Domino, &c. Quo verbo publicum ministerium Apostolorum quod in Ecclesia prædicando & docendo obierunt, declaratur, vt Erasmus in Annotationibus explicat, & ex Chrysostomo confirmat: Nouatores autem isti contra manifestam hanc translationem sacrificium suum in Scholiis colligunt, & pro Ministrare Missare conuerti posse contendunt. Longum esset si vellem omnia enumerare: si vellem, in hac

Act. 13.

hoc tempore, & in hoc opusculo non possem. Atque hæc est nostra vera Antilogia, & iustum & duplex onus Iesuitarum, quo nos iniustè Campianus opprimere voluit.

IAM VERO vt in vnum cumulum aggregentur omnia: ad vos Campianistæ prouocant, vestrum iudicium subituros se vocabulo quidem dicunt: Itaque vos, Academici, causæ huius & patronos & arbitros constituimus: vt doctrinarum, cognitionis, sapientiæ vestræ firmissimo præsidio defendatur, non illorum maledicentia, virulẽtia, violẽtia opprimatur. Vobis sedẽtibus & iudicibus eritne hæc prima Cãpiani ratio iusta & vehemens: an nostras partes vmbraticas & fractas esse ostendit? fiẽntne vestris sententiis horum criminum, rei, nostri, qui omnes libros Canonicos approbant, venerantur, exoſculantur? an isti qui è medio tollunt, sub modio abscondunt, nec amore debito, nec honore iusto prosequuntur? nostri qui omnibus Christianis sine dolo & sine inuidia communicant libenter: an isti qui Fragmenta vix legunt ipsi reuerenter, & aliis omnino subtrahunt? nostri qui ad studia omnes inuitant, ducunt, trahunt: an isti qui eorum studios abterrent, affligunt, comburunt? nostri qui eorum dignitatem, Maiestatem, vtilitatem, veribus quibus possunt magnificis ornant? an isti, qui vt papyraceos, caliginosos, imperfectos, mutos magistros, periculorum & hæresẽon causas accusant? nostri qui Apocryphos lectione & Translatione dignantur, Iobum, Iacobi, Petri, Iudæ omnes catholicas Epistolas, Ioannis etiam & Apocalypsim in Canonem referunt, nullos ex suo loco & classe expellunt? an isti qui de Scripturis, de Luthero, Caluino, Beza, & aliis Ecclesiæ Heroibus vanissimè mentiuntur? nostri qui

Conclusio ad Academicos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in omnes linguas thesaurum cœlestem transfundunt,& euulgant:an isti qui solam Romanam seu Tridentinam versionem, neque sat latinam, neque omnino veram, sed tot superstitionum satricem,tot erroribus refertam approbant?Itaque de hac prima Ratione,an cum illis & contra nos faciat,acutè quia potestis, verè quia debetis iudicate.

Vt autem vnde cœpit in eo concludatur oratio, vtque principio finis respondeat: geminum hoc corollarium vobis quicunque ordinis Iesuitici studiosiores & obseruantiores estis,visum est accommodare. Vnum est, Ex hac prima Ratione quam præfixit & præmõstrauit Campianus fidem omnem vestram fundate,conscientias pacate,errores corrigite, vestras omnes semitas dirigite, ne apud vos aliæ Rationes quæ sequuntur humanæ,vlla ratione præponderent. Hæc est doctrina Psalmographi, Lucernam esse verbum pedibus & lumen semitis nostris. Alioqui, attestante Propheta,Si non dixerint iuxta Verbum hoc, non erit illis lux matutina. Hæc est Patrum Catholica admonitio.Tertullianus, Nos pro nostris angustiis vnum inculcamus, bonum atque optimum esse,quod Deus præcepit. Et mox, Ad exhibitionem obsequii,prior est maiestas Diuinæ potestatis. Cyprianus,Quemadmodum si canalis aquam ducens subitò deficiat,ad fontes pergitur: sic sacere oportet Dei sacerdotes,vt si in aliquo nutauerit aut vacillauerit veritas,ad originem Dominicam & Euangelicam,& Apostolicam Traditionem reuertamur.Nam quod est agro cultus,vineę putatio,hortulo riuus,prato imber,hoc est sermo Dei aridis & siticulosis animis Christianorum: hoc cœlesti rore,imbre,pluuia nisi irrigẽtur,breui exaresc̃ent:immò hortus & vinea Domini Sabaoth,

Ad Phiesuitas duo Corollaria.

Psal.119. Ies.8.

De Pœniten.

Epist.74. Ad Pompeium.

baoth,Ecclesia Dei breui tota sylvescet. Hæc est Chrysostomi hortatio,Siquidem fidei dogma pertuertat,etiamsi Angelus sit,obaudire noli:sin verò recta docet, noli vitæ sed verbis intendere. Sed " de Consilio Patrum nostrorum inferius dicetur & susius. S.Epist. 2. Tim.c.1. In Rat. 5.

Iam obsecro vos ad hanc amussim Scripturæ exigite doctrinã Iesuitarum:quos sentes, vepres, quàm horrentia omnia in agro hoc Iesu reperietis?Volunt sanctos inuocari surdos,adorari cęcos, honorari absentes, mutos, mortuos. Quæ lex, quod testimonium?Nos proferimus Deum præcipientem,Inuoca me,& Patrem & Filium iubentem,Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.Exigunt à vobis vt Dei & diuorum simulacra ornamentorum profusione, donariorum oblatione, corporum prostratione, affectuum deuotione, omni denique veneratione dignemini. Quo iure diuino? Nos respondemus in lege Mosaica, in Vaticiniis prophetarum, exemplis Regum & Sanctorum id clarissimè prohiberi. Nectunt illi & induunt laqueos, pios coniuges impiè diuidunt, cælibatus nodo ministros implicãt: Qui Textus?Nos astruimus, Quos Deus coniunxit homo ne separet:Et oportet Episcopum irreprehensibilem esse,vnius vxoris virum: Et interdictionis nuptiarum in Domino castarum doctorem esse Diabolum.Volunt defunctorum animas igne purgari,lustrari,excoqui. Qui locus? Quæ Scriptura aperta? Nos statuimus duas solùm esse vias,duas portas arctam & latam,illam ad salutẽ, hanc ad interitum:duos hominum status vel ouiũ ad dexteram,vel hœdorum ad sinistram:duo solũ præmia post hanc migrationem vel coronam vel condemnationem: duo esse loca tãtùm vel sinum Abrahæ pro Lazaris, vel Infernum pro abiectis

Exod.20. Matt.4. Deut.6. Psal.50. Matth.19. 1.Tim.3.4. Matth.7. 25.

Epulonibus : nihil esse medium, nullum esse tertium : sed aut ex fide expectanda est sempiterna gloria, vel ex incredulitate perennis confusio. Ad hunc modum reliqua eorum dogmata si perpendamus, omnia festucis leuiora & viliora inuenientur. Si dicant Literas Sacras pro se & sua causa
2. Corol. testificari, obiicite illis alterum corollarium, Verbum hoc Dei simplex esse debere, ex purissimis scatebris defecatum, non ex turbida hominum aquula dilutum. Videndum ne pyxides quę pharmaca prima fronte offerunt, in recessu venenum præbeant. Nam Pseudoprophetæ & pseudoapostoli & hæretici, sicut eorum Archididascalus in Angelum lucis transformatur, ita se in ministros Dei & Apostolos Christi transfigurant, & prauas suas opiniones Scripturarum oraculis fucant & colorant : Quemadmodum de Pauli Samosateni, Priscilliani, Eunomii, Iouiniani, aliorúmque opuf culis narrat Vincẽtius. Hoc utili vestitu his vel-
Aduer. Hær. leribus id est, Prophetarum & Apostolorum eloquiis hodie nostri lupi se obuoluunt: hoc quasi aromate suos multos fœtores aspergunt, ne si nudi & simplices exhalarentur, omnium hominum emunctas nares statim offenderent. Quare si pro officina, pro coquina, & foco sui ignis Purgatorii Scripturas depromant, aduertẽdum est an Catholicum sensum aliis Scripturæ locis & pleno
Zach. 9. doctorum Ecclesiæ consensui aptè congruentem
Matth. 5 apponant. Promant loca pro illo igne ex Psalmis,
1. Cor. 3. ex Prophetis, ex Matthæi Euangelio, ex Pauli Epistolis. Foris aroma est, intus fœtor est, quia
Rom. 3. 11. huic sensui nec Scripturæ sententia, nec Catholi-
25. Heb. 1. v. 3. ca Ecclesiastica ue expositio conuenit. Nos enim nullum propitiatorium, nullum purgatorium, nisi Christum Iesum confitemur, sicut Scripturæ & omnis purior antiquitas non in illis solùm sed in aliis

aliis locis edocuerũt. Verùm de hoc optimo interpretãdi genere in sequẽti & Quinta Ratione agetur pluribus. Interim vos hortor, vt obseruetis horum Glossatorum versutiam, ne dum vobis tãquam parulis austera sua pocula temperant, & eorum ora melle circumlinunt, vos incautos hac vana dulcedine fallant & decipiant : vt præclarè hac de re monuit Vincentius, cuius hæc est salubris instructio & præmunitio aduersus tales animarum seductores, Tanto magis cauendi & per- Aduers. timescendi sunt, quanto occultius sub Diuinę le- Hær. gis vmbraculis latitant.

Hæc vna & prima est Ratio de Sacris literis, quæ vna satis firma esse posset, nisi ad alias plures Rationes, neque rationales, neque necessarias, Campiani superuacanea & inconsiderata Diuisio nos vocaret. Concedat Præpotens & misericors Deus vt quod nobis verè Christianum & probatissimum esse meritò videtur, id vobis gratum & persuasissimum esse possit.

DE SACRARVM LITERARVM SENTENTIA

Ratio Secunda.

CAMPIANVS.

ALterum est, quod me quidem ad congressum incitarit, & horum apud me copiolas eleuarit, aduersarij perpetuum in scripturis exponendis ingenium, plenum fraudis, inane prudentiæ. Statim hæc Philosophi tangeretis, Itaque vos auditores expetij.

HVMFREDVS.

Scripturæ à sensu Scripturæ distractio ridicula.

HÆc sectio mihi non videtur noua ratio nec nouum Topicon afferre: sed hoc planè est non diuidere sed frangere, non dispartiri argumenta sed discerpere: vt quæ res natura, ratione, totóque genere cohærent & connectuntur, illæ non necessariò & præter artem distrahantur & diuellantur. Cur enim Scriptura & Scripturæ sententia in vnum communem locum coniici non debeant,

debeant, sed velut diuersæ rationes seorsim ponantur & separatim tractentur, equidem nullam rationem inuenire possum satis grauem aut sanè probabilem: nisi id sit quod suspicor, vt nobis cõfletur & perficiatur numerus denarius. Quisquis enim Scripturæ verum sensum non apponit, is Scripturæ ipsius Maiestatem violat, veritatem tollit, autoritatem infringit, castimoniam adulterat, eiusque fundamentum quodammodo & substantiam labefactat. Estq; vel intolerabilis audaciæ vel stolidæ ruditatis à verbo vitam, à litera spiritum, ab Euãgelio suam virtutem & odorem, à cõcha margaritam, à corpore biblico animam, à Scriptura sensum Scripturæ separare: & pro frumento paleam, vel pro medulla os aridum, vel pro nucleo putamen aut corticem nobis tradere. Si hoc Ecclesia nostra faceret, aut si hoc esset nostrum perpetuum in exponendis aut tractandis Scripturis ingenium, meritò nos pleni fraudis, inanes prudentiæ videremur: meritò ipsi ad congressum incitarentur, & facilius copiolas nostras eleuarent, nec abs re vos, Academici, Auditores expeterent: & nos non modò suos sed & Dei ipsiusq; Sacrosancti verbi hostes & præuaricatores verissimè æstimarent. Sed res secus habet.

Sit igitur nobis hoc imprimis persuasum, Scripturæ sacræ veram & germanam adhibẽdam esse interpretationem, fugienda quæcunque omnium hominum & Angelorum glossemata. Credit Ecclesia nostra, cum Hilario & cum Hieronymo, Scripturam non in legendo sed in intelligendo consistere: cum eodẽ Hieronymo, Grande periculum esse in Ecclesia loqui, ne fortè interpretatione peruersa, de Euãgelio Christi, hominis fiat Euangelium: cum Theodoreto, verbum Dei stultè intellectum, non esse Verbum

Hieron. Cont. Lucif. In 1. c. Gal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei: cum Augustino, non posse errorem oboriri palliatũ nomine Christiano, nisi de Scripturis nõ intellectis. Nec legit quidẽ ille sed negligit qui bene non intelligit. Et receptũ est & certũ est, eũ qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, in legem committere. Sicut Christus contra Diabolum ait, Scriptum est, ita Diabolus contra Christum dixit, Scriptum est: sicut Catholici ita hæretici videri volũt Scripturarum clypeo se protegere. Aiunt viperas Balsami succo ali, vmbra foliorum delectari; ita verbo Dei aluntur Pharisæi qui libros propheticos admiserunt, aluntur & alij prauarum opinionum fautores. Sed vt succus Balsami remedium est contra venenum: vt in viperis pabulum bonum in venenum mutatur, sic idem Dei verbum piis aduersus corruptelas & errores medicamen est, vnde tamen hostes toxicum exugunt. Arrius loca Scripturæ plus minus quadraginta citasse dicitur. De Donatistis Augustinus, Verba legis dicitis: De Manichæis, apud vos sola personat veritatis politi citatio. Quare Orthodoxa semper probanda est interpretatio, prophetię non aspernandæ: & optandum, vt in singulis Ecclesiis lectionem verborum Scripturæ sacræ pia & breuis aliqua expositio excipiat & consequatur.

Iuris Regula.

Cõtra Ep. fundam. c. 4.

Vos autem qui delecti estis propter limatũ iudicium & multiplicẽ cognitionẽ, arbitri honorarij, quãtum à ratione Iesuitarum oratio nostra dissentiat, aduertite. Ea est enim natura & ratio & sententia nostra, qui Scripturæ genuinum sensum non habet, eum Scripturæ nec corpus nec animã habere: nec satis esse affirmare, Scriptũ est: quam & hoc ipsum totũ est & satis est, si homines satis saperẽt: sed obseruatio quarundam regularũ fortassis non obfuerit. Discrimen enim est in hac diuina

diuina & illa Diabolica Scripturarum paraphrasi: Et si mecum recognoscere volueritis, quod vos iam diu antè cognouisse non dubito, animad uertetis longum interuallum, & magnum Chasma inter nos & illos esse interiectum. Duræus hic palmam primam nobis vltrò concedit, & Scripturam seu τὸ ῥητὸν frequenter nobis in ore esse dicit, sed à mentibus abesse διάνοιαν & sententiam: & eam definit esse, vocem Ecclesiæ Catholicæ à Spiritu sancto acceptam & sibi traditã. Bonus quidem istorum verborum tinnitus & sonus, si sana Dianpia & sensus respondaret. Est Petitio principij: quia rectè nos instamus eos non esse Ecclesiam Catholicam, nec veram interpretationem à Spiritu sancto habere. Ergo obseruationes de interpretatione Scripturarum ponamus. Ad intelligentiam veram & spiritualem assequendam prima consideratio est personarum: non esse cuiusuis adire Corinthum, nec ex quouis ligno fingi Mercurios, vt est vulgaribus hominum sermonibus vsurpatum: imò intelligere hæc Diuina, non esse omnium. Nam quæ sunt ex vulgo petita & in triuio posita œconomica, Ethica, Politica, quæ humana sunt, homines optimarum artium scientia perpoliti, aut vsu rerum edocti poterunt fortassis intelligere & ad aliquã hîc notitiã peruenire. De spiritualibus autẽ cùm loquimur, ea animalis nunquã percipiet: Iudæis velamen etiamnum obducitur: eam sapientiam quæ est inter perfectos nemo huius sæculi principum cognouit, quia spiritum qui ex Deo est, non acceperunt. Spirituales quia manent in sermone Dei, & veri sunt Discipuli, veritatem cognoscent. Spirant Scripturæ non omnibus, sed, vt ait Origenes, iis qui habẽt & oculos ad videnda cœlestia, & aures ad audiẽda Diuina, & nares

Definitio Duræi de sẽsu Scripturæ.

De intelligẽtia Scripturarum obseruationes.

Obs. prima, Scripturas intelligi nõ nisi à vèrè spiritualibus.

1. Cor 2. Ioan. 8.

In Hier. Ho. 2.

ad ea quæ sunt plenitudinis sentienda. Spirituales autem non corruptè cum Papistis rasos facerdotes voco, sed omnes vnctione Spiritus sancti delibutos siue clericos siue laicos. Nam sæpe Pharisæi & Scribę foris sunt, quibus Christus parabolicè imò ænigmaticè loquitur: intus discipuli sunt quibus datum est scire regni cœlorum mysteria, & hi quidem piscatores, idiotæ, pauperes.

Matth. 13. Non enim ex personis fidem, sed ex fide personas

Obs. 2. à Deo. æstimare & metiri debemus. Secundus igitur Canon necessariò sequitur, hos omnes sapere ex Deo & ab ipso omnia Diuina cognoscere. Non enim literæ superficies, sed literæ arcana & spiritualis intelligentia perscrutanda est, sicut in legibus humanis dictum est, Ratio legis est anima le-

Iurisconsul. gis. Et Hilarius, omnes Scripturas loquuntur sine sensu, & fidem sine fide prætędunt. Nam qui autor est Scripturarum, earum esse interpres debet. Academię Parisiensis Cancellarius hoc ante

Gerson. De Vnitate Ecclesiastica. L. 8. de armatura spirituali. multos annos sensit & definiuit, Cuius est mandare vel doctrinaliter vel iudicialiter, eius est similiter interpretari. Cur enim Dauid orat, vt Dominus vias suas monstret, Dominus oculos suos reuelet, cur Iacobus præcipit, Siquis vestrũ indiget sapiętia, à Deo postulet, nisi quia omnes hi sanctissimi homines in aliis & in se experiuntur, Christum, qui clauem habet Dauidis & aperit & nemo claudit, & claudit & nemo aperit, qui librum obsignatum solus resignat & explicat, & resuscitatus discipulis adhuc infirmis Mosen & prophetas exposuit, ad hæc intelligenda spiritu suo mentes nostras illustrare, vt & scripturam, quid sibi velit, & Ecclesiam, vbi sit, & legem & Euangelium quid sint, perspectum compertumq; habeamus: sine quo, vt Gersoni placet,

Luc. 24.

In tract. de causis. disputãt de spiritualibus sicut cæci de coloribus.

Ide-

Ideóque hìc multum lucis infunditur, si concurrant oratio & lectio, & studiis adiuncta sit ardens inuocatio. Tertiò, Deus se in Scripturis patefecit, & Origene teste, necesse est nobis Scripturas sacras in testimonium vocare. Sensus enim nostri sine his testibus non habent fidem. Idémque exemplo discipulorum nos pulchrè & prudenter admonuit, qui proposita quæstione de primatu ipsorum, Quis maior esset, ad Iesum tanquam ad Magistrum accesserunt, In his, inquit, imitatores discipulorum Christi esse debemus, si quando dubium quæritur & non inuenitur: vt ad Iesum veniamus, quí, vbicunque duo vel tres in ipsius nomine congregati fuerint, semper præsens est, quíque potens est illuminare corda omnium, qui ex animo parati sunt ab eo solutionem omniũ quæstionum intelligere & discere.

Inuocatio.

3. In verbo. In Matth. tr. 5.

Atque sic Duræus intelligere debuit Vincentium suum, vt propter tantos tam varii erroris anfractus, Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum Euangelici & Catholici sensus normam dirigamur. Hæc norma Catholici sensus requirit, vt Catholicæ fidei symbolo omnia sint consona & analoga: à qua Pseudocatholicorum interpretationes longissimè discedunt. Et verè Tertullianus, Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum. Nec obliuisci debent aduersarii, quod in suis decretis legunt, Sensum alienum & extraneum non esse quærendum: ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet. Hic locum habet collatio Scripturarum, quia Autore Augustino, Vetus Testamentum est occultatio Noui, & Nouum est manifestatio Veteris, & Mosis interpretes sunt prophetæ: legis & prophetarum, Christus & Apostoli. Obluctentur nunc quãtum possunt, tamen vel sua lege iudice

Cont. Hæreses.

Tertul. de Carne Christi. D. 37. Relatum.

4. Ex collatione.

condemnantur, vbi sic videbunt definitum, Quicunque aliter Scripturam intelligit, quàm sensus
24. Q. 3. hæresis. Spiritus sancti flagitat, & quod scriptum est, licet
ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticum posse appellari. Ad hæc non negamus Ecclesiæ mi-
5. Ex patribus. nistris, patribus suam vocem in capitulo, suum
in ferenda sententia suffragium: dummodo ex
verbo pronuncient, & à legis præscripto non re-
6. Linguæ. cedant. Denique linguarum cognitio, varietas
exemplarium, diuersitas translationum Hebraicè,
Græcè, Latinè, Gallicè, Anglicè, extantium multum adiumenti adferent: & hoc in nostra versione diligenter factum esse nouimus. Id nobis de-
L. 11. c. 2. monstrauit Augustinus contra Faustum Manichæum, vt si de fide exemplarium quæstio verteretur, ex aliarum regionum codicibus vel plures paucioribus vel vetustiores recentioribus præferrentur. Etsi adhuc incerta sit varietas, linguam vnde illa interpretatio sumpta est, consulendam:
Lib. 2. de Doctr. Christ. c. 11. 12. & Augustinus attestatur, hanc interpretum varietatem plus adiuuare quàm impedire intelligentiam. Neque ignoramus illud, omnes casus
1. Ad Theod. seu iuris articulos legibus non posse comprehendi, vt & Aristoteli & ipsis Iurisperitis rectè visum est: sed tamen summa totius religionis, & omnia fidei capita illis sacris literis continentur: vnde velut ex fontibus nostra dogmata abundè & plenè hauriantur. Nunc videte quæso, doctissimi viri, quid de hoc articulo aduersarii differant & asserant. Cùm enim in acie stare erecti non possint, & à Scriptura ad sensum Scripturæ se recipere cogantur: vt post principia tanquam Thrasones sibi caueant, & in aliquo angulo lateant: tamen & hîc eos quasi fures per posticum non per ostium intrantes accensa verbi Diuini Lucerna

Lucerna deprehendit: & Cacum è specu Hercules extrahit. Debebant isti grauissimi censores meminisse quod scripsit Iuuenalis,

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Vt prouideant ne dum nos de sensu Scripturæ adulterato, & consensu Ecclesiæ neglecto arguunt, ipsi manifesto scelere ψευδεπιμαρτυρίας constricti teneantur. Quod sanè vobis mox perspicuum & testatum faciam: vt hac eorum claudicatione detecta, omnes vos istiusmodi Romanos quibus nõ modò cauda nigra est, vt habet prouerbium, sed qui quouis Æthiope nigriores sunt, declinetis & caueatis. De his verò Pontificum commentariis & nouis expositionibus pòst dicemus: nunc exẽpla quæ affert Iesuita contra nos examinemus, & vtrum à recta interpretandi regula & ratione deuiemus, vestrum esto iudicium. Diuisio huius Rationis.

Damnat perpetuum nostrum in exponendis Scripturis ingenium fraudis plenum, inane prudentiæ damnat quis? Iesuita neque simplex neque sapiens: Nam simplex & columbinus, felle caret, nec mordet: ad fluenta Scripturarum & ad fontes volitat, non in limo aut luto suarum Traditionum volutatur: Sapiens & serpentinus caput suum Iesum tueturnon ad alia capita sine sensu, sine cerebro, nec ad alios didascalos aut magistros sine causa, sine ratione transfugit, & cùm tutus esse posset, caput suum in voluntarium discrimen non adducit. Serpens quidem esse potest tortuosus, quisquis sic per mille gyros & mæandros & se & alios circumducit & implicat, qui venenum infundit. Damnat verò, sed quare? Rationes eius ordine pertractemus.

CAMPIANVS.

Sciscitemur ab aduersarijs, xẽpli gratia, quidnam sequuti nouam sectam intriuerint, qua Christus excluditur è cœna mystica.

HVMFREDVS.

Interpretatio. De cœna mystica.

Absit vt Christum excludant qui præter Christum nihil sciunt, quibus deiectis Christus vnica spes est, afflictis solatium, perditis salus, naufragis portus, miseris summum bonum, abiectis dulce decus & præsidiũ, qui, si Christus non esset, miserabiliores essent omnibus. Non interunt aut intrudũt nouã sectam, qui præter vnicũ Christianismũ omnes religiones, omnes sectas fugiunt, sed qui alias regulas sibi fingunt, & alium Iesum proprium habent, & Christum à Iesu quodammodo se iungunt. Non auferunt Christum, qui eius solius nomen inuocant, sed qui aliorum nomina & numina implorant: non qui crucem Christi portant, & in ea sola gloriantur, sed qui pro vera cruce materiatam & factam colunt: non qui Christo capiti adhærent, sacerdotem summum & regem venerantur, sed qui aliud caput vicarium, aliud sacerdotium externum, aliud regnum in Ecclesia mundanum & prophanum substituunt. Non excludunt è cœna Christum, qui in cœlo, in cœna, & vbique præsentem dicunt & credunt: qui in Sacramento Christum credendo edunt: & bibunt, qui rem terrenam & cœlestem, qui passionis meritum fructúmque percipiunt: quibus ante oculos totus Christus crucifixus depictus est, qui sedentem ad patris dextram intuentur, qui mente tota assurgentes quæ sursum sunt quærunt: qui corde ceu aquilæ ad Christum ascendunt, vt Christus ad suos vermiculos descendat: qui totum Christum sibi natum & datum in remissionem peccatorum recipiunt & distribuunt: in Sacramento carnem filii hominis manducantes, eius mortem annunciantes donec veniat: hinc facti ossi ex ossibus eius, & caro ex carne eius, videntes & gustantes suauitatem Domini, in illo manentes: qui iam certa suæ professionis testimonia & fidei & charitatis fomenta, & salutis ac immortalitatis, denique resurrectionis pignora habent & possident: qui famelici, sitientes, flentes, onerati accedunt, saturi, refocillati, leuati manipulos suos portantes abeunt. Sed illi potius Christum imò sese excludunt à cœna, qui vocati ad cœnam non veniunt, & alios abigunt, qui populum non ad conuiuium sed ad spectaculum inuitant, quod omnium est commune, proprium sibi faciunt, pro cœna Dominica Missam ficcam, pro salutari alimonia, theatricum ludicrum, pro Christo Deo & homine, neutrum imò nihil supponunt. Excludunt qui totum in elementis includunt, pro signo & sacro pane species inanes, pro signato Christum prodigiosum & quasi phantasticum Marcionis Deum, Christum impanatum, transsubstantiatum. Deum Mauzim adorandum eleuant, non vera fide comedendum proponunt: qui corpus etiam exangue offerunt: vnde nullo Christo vescuntur, nec vllo eius beneficio fruuntur. Annon hoc est cum illis Corinthiis cœnam Dominicam frustrà & inructuosè capere, vbi alius esurit, alius saturatur, nemo satis reficitur, nemo in azymo synceritatis

Iren. l. 4. c. 34. Gal. 3. Colos. 3.

1. Cor. 11.

Qui sint qui Christum à cœna excludant.

1. Cor. 5.

& veritatis epulatur? Quare cœnam nullam habent, sed qualem ille pictor suis apposuit, non vt ille loquitur mysticam, sed verius magicá qualem præstigiatores aut incantatores solent ioculariter effingere. Iudicet ex his pius Censor quo spiritu afflatus sit Duræus, qui nos Dæmonem magis quàm Christum in cœna præsentem habere non dubitauit affirmare.

CAMPIANVS.

Matth. 26. Marc 14. Luc. 22. *Si nominant Euangelium, accurrimus. A nobis verba sunt. Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

HVMFREDVS.

Quid iste quærit, aut quid sibi vult Campianus? Semper aut accurrit aut currit aut properat aut aduolat. Meliùs & longè prudentiùs ab eo factum fuisset, si illud ænigma καλὸν didicisset, Festina lentè, nam sæpe mora est tutior, & festinatio & præpropera & præpostera. Non est Edmundi Campiani propria laus, venire, videre, vincere: sed Iulij Cæsaris, sed alicuius Alex. Magni, qui μηδὲν ἀναβαλλόμενος omnes & omnia expugnauit. An enim forsan somniauit,

Vnus homo nobis currendo restituit rem,

Romanámque Religionem? sicuti Fabius Romanus Rempublicam Romanam olim cunctando restituit? O si reliqui Seminatores & Iesuitæ superstites magis saperent & non ita acres & pugnaces sed paulò considératiores & lentiores essent, calculúmque iam tandem reducerent.

Exhortatio ad Iesuitas.

A nobis verba sunt, inquit, Ab autoritate verbi primò confirmat. Præclare dictum. Quod si hoc in aliis omnibus constanter & solum agerent, minus hallucinarentur: sed nihil minus faciunt aut ferunt. Sanderus verò inter hæreticos & damnatos homines recensuit Heluetios qui illam duntaxat Scripturarum interpretationem orthodoxam & genuinam esse agnoscunt, quæ ex ipsis Scripturis petita est: nec in causis fidei nudis patrum sententiis aut Conciliorum determinationibus vrgeri se patiuntur. Quid? an hìc Campianus erit nobis hæreticus, qui ex verbo argumentũ suum producit? Minimè gentium: Sandero sit, nobis non erit hac quidem de causa hæreticus, sed erit ineptus, qui ex illo loco disputat, de quo controuertitur. Nam cùm hìc à sacrarum literarum sententia ad Scripturæ sacræ literam transcurrit, quia à proposito hoc est alienum, excursio est: quia est Petitio principij, fallacia est: quia in medio immemor est eius quod in tituli inscriptione posuit, obliuio est: & quia reus est horum omnium, vel ignoratio est vel malitia. Verba omnium confessione vera sunt: Sacrarum literarum sententiam eruendam esse, huiusce sui capitis frons edocuit: De verborum enim expositione tota lis & controuersia. Si ageretur dialecticè, multa hìc vitia possẽt statim primo intuitu obseruari. Scisciteмur à Iesuita, qualis est hęc connexio? Panis dicitur Corpus Christi, ergo ita est propriè & necessariò. Similia sunt Deus pater agricola, Deus filius vitis, ostium, lapis: Petrus Satanas, Satanas Leo: tamen nemo dixerit ita hæc esse verè & realiter. Sin verò ita argutentur, ex his verbis colligi Transubstan-

De verbis cœnæ dominicæ.

In Heluetica confess.

Cãpianus an hęreticus.

Universidad de Deusto Biblioteca

De Transubstantiatione quæstiones.

tiationem: facilis est & expedita solutio: sicut chymeræ, sphyngis, Cerberi, Charontis vanæ & calsæ sunt nomenclationes: ita de Transubstantiatione esse otiosorum hominum seu somnolentorum superuacaneam disquisitionem. Et perinde valet acsi quis de lana caprina rixetur: aut de Vtopia inquirat, ad cuius ditionem pertineat: aut de Purgatorio litiget, vbi reuera inanis exoritur Papistarum ex Antro Patricii quæstio. Eius enim, quod non est, nulla est qualitas, vt viris consultissimis placet, nec vlla esse debet de re, quæ in rerum natura non existit, disceptatio: Talis fictio vtopica est Transubstantiatio. Scisciteмur enim rursus, Qualis est hæc cauda huic capiti seu Antecedenti assuta? Panis est corpus, ergo panis non est: sed euanescit, nec remanet sed in corporis Christi substantiam conuertitur? Prima pars affirmat esse panem, secunda negat, & panem extrudit. Sciscitemur iterum ab illo Iesuita quoniam & ipse totus esse solet ἐρωτηματικὸς & Socraticus, Hæc prædicatio cuiusmodi est? Panis est Corpus: Estne propria vel impropria seu tropica? Si propriam esse respondet: in leges dialecticorum impingens meritò vapulabit: quia non iam vulpes vt aiunt sed disiunctissima iungit, & vnum idémque erit, quæ illi disparata seu differentia appellant: quasi hæc vera & regularis esset propositio, Homo est asinus aut bos: Sic enim olim Alphonsus Rex Hispanum quendam, qui Nobilem, Aucupé esse maluit quàm literatum, bouem nominabat. Attamé per ἀκυρολογίαν rectè dicitur, vt habet versiculus exhortans ad patientiam,

Sis asinus, quemcunque asinum fors aspera finxit.

Ergo quia propria esse non potest, erit figurata prædicatio, sicut Amos Israelis tyrannos Vaccas

Cap. 4.

Zepho-

Zephonias proceres Ierusalem leones rugientes, Iudices lupos vespertinos, Christus Herodem vulpem, Ioannes Pharisæos viperarum progeniem schemate non inuenusto vocitant. Hæc dum affero, non paruis magna, nec prophanis sacra compono, sed exemplis vulgaribus, dialecticarum prædicationum diuersitatem ostendo. Si Physicè vel Philosophicè egerit: sciscitemur ab eo, cuiusmodi nobis mutationem concedet? Dicet fortassis esse naturalem & vsitatam, & posse Deum panem in corpus Christi conuertere: quemadmodũ Bernardinus argumentationem texuit, Quicquid facere potest causa secunda, idem multo nobilius & potentius causa prima poterit conficere: causa autem secunda est natura, & ea potest vnam substantiam in aliam transmutare, ergo Deus causa prima & natura naturans, vt loquuntur, seu autor naturæ, hoc præstare queat multo efficaciùs & faciliùs. Quod vt lucidius fiat, exempla apponamus. Naturæ vis & virtus cernitur, cùm alimentum in aliti substãtiam, putà panis in carnis nostræ substantiam, vinum in sanguinis substantiam: calore gallinæ, oui substantia in carnem nostram seu in gallinam conuertitur: cùm terra vilissima multa generat nobilissima, argentum, aurum, lapides pretiosos: & insipida valde sapida & ad gustum delectabilia producit: & immunda & turpissima virtute solis gignit pulcherrima, arbores, herbas, flores, fructus, vnde vinum, oleum, balsamum. Fons in Scotia quicquid immittitur statim in lapidem vertit. Fons est in Hibernia, in quo si palus ligneus ponitur: pars aquam contingens in lapidem, pars reliqua quæ in terra figitur, in ferrum cõcrescit & indurescit. Alcumistæ naturam æris & argenti viui in purum

Cap. 3.

Par. 2. f. 13. Syllogismus Bernardinianus pro Transubstant. Ob. de omnipotentia Dei Arist. de anima.

4. Meteor.

In eius legenda.

argentum transmutant. Ioannes Euangelista virgas ligneas in aurum optimum, lapillos in littore maris lectos in gemmas conuertit. Ergo à fortiori, Christus potuit panem & vinum in corpus & sanguinem suum commutare. Hîc cui non statim patet manifestus Elenchus? Potest Christus: ergo facit: A posse ad facere seu ad esse, non valet argumentum: quia hîc non tam à facultate quàm à voluntate facientis argumentandum est: Quod sanè hæreticorum, qui Monarchiani dicti sunt, fuit deliramentum: potuisse Deum se & patrem facere & filium: quia difficile Deo nihil est: facit & sterilem & virginem parere. Quibus respondet Tertullianus: Planè nihil Deo difficile: sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur: quiduis de Deo poterimus confingere, quasi fecerit, qui facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit: Sed an fecerit, requirendum. Potuit, ita saluus sim, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse: quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxeam & omnes pariter hæreticos statim extinxisse, non tamen quia potuit, extinxit: & mox paucis totum nodum soluens, Dei posse velle est: vt non posse nolle: quod autem voluit, & potuit, & ostendit. Ex quo nobis duo colligenda sunt: cùm Dei potentiam eius voluntas significare debeat: vt illam cognitam habeamus, hanc quæramus & inueniamus: nisi fallí velimus & fallere. Secundò, Si Deus quod vult id potest: & quod vult & potest, id etiam ostendit: in hisce rebus etiam videndum, an ostenderit, an effectu aliquo suam potentiã & volũtatem declararit. In illis mutationibus naturæ, Alcumi-

Solutio obiectionis.

Monarchiani.

Aduersus Praxeam.

starũ, Diui Ioãnis: ita se habere sensus demonstrarunt, & Deus hisce experimẽtis patefecit. Fateri ergo tutò possumus totum Antecedens, sed non potest secum trahere suum consequens: quippe quod nec ipsa natura, nec Deus, nec Christus nobis commonstrant, neque sensibus apparet noua hæc & portentosa carnis & sanguinis Christi substantia. Panem adesse & vinum testantur omnes sensus, at Transubstantiatio ista nulla ratione concipitur, nullo sensu repræsentatur. At, inquient, in re tanta nos sensus & rationem in testimonium aduocabimus? An isti nos & sensibus & ratione omni priuabunt, vt contra rationem & sensus omnes sentiamus, imò insaniamus? Certè argumentum à sensibus ductum etiam in Theologia pondus suum habet, si velint nobiscum theologicè agere. Nam ad hasce quatuor normas omnem veritatem exigendam esse, prudentissimè docuit vir Dei Ioannes Hussius: Si in Scriptura ponatur, vel si ab infallibili ratione concludatur, vel si reuelatione tradatur, vel si à sensu & experientia cognoscatur. Quod extremum dum planum facio, hæc tria principia seu Maximas quæso mecum recogitate. Prima, in miraculis & in Sacramentis nullam esse ludificationem aut impostúram, sed omnia hæc comprobari perceptione & comprehensione sẽsuum. Miraculum esse volunt Sacramentum? Id neque Scriptura neque Patres sic statuunt: nam Sacramenta honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira nõ possunt teste Augustino: tamen si esset, (vt sanè omnia Dei opera mirabilia sunt) hoc firmum est principium, in omnibus eius notæ rebus præter alias rationes sensuum comprobationem non aspernan-

Argumẽtum à sensibus. Demõstratio veritatis quadruplex.

De Sacramentis Maximæ Theologicæ. Prima Max. Aug. de Trin. li. 3. ca. 10.

dam. In sacramento Baptismi Aquam videmus: nec sensus falluntur: In cœna præcipitur vt accipiatur, vt comedatur, vt bibatur, quod non fit sine testificatione illorum sensuum. Et Augustinus, Quod videtis, panis est & calix, quod & vobis etiam oculi renunciant. Idem de miraculis, Ea quæ propriè signa & miracula dicũtur, ad aliquid diuinitus annunciandum sensibus nostris admoueri. Virga in serpentẽ mutata est, Israëlitæ & Ægyptij viderunt. Vinum ex aqua factum est, conuiuæ viderunt & gustarunt. Quod vidimus, inquit ille, testamur. Secunda Maxima est, subuehendas esse cogitationes à sensibus ad cœlestia, Sursum corda, nec tam literę quàm spirituali speculationi inhærescendum, quod Aquilarum est proprium: Panis, vinum in oculos incurrunt: nos Paradisum (vt loquitur Hieronymus) mente deambulemus, cœlum, Christum crucifixum eiusque merita cogitemus. Hinc Chrysostomus vetat „ nos literas, syllabas, voculas aucupari, dũ ita scri„ bit, Attende diligenter quoties tibi dictum ali„ quod apparet obscurum, ne statim addicas te dictioni, sed expecta sententiæ finem. Hinc rursus Chrysostomus, Num panem vides, &c. Non enim in aliquod elementum aspectabile intẽdenda est acies, sed ad Deum & ad superna oculus spiritualis est dirigendus ne occidat litera. Errauit secundum literam tota Iudæorum natio, de Messiæ regno, sacerdotio, officio, nescio quid peruersè somnians. Errauit Nicodemus in summo Regenerationis mysterio: errarunt Capernaitæ in manducatione carnis Christi. Proinde Origenes, Si secũdum literam sequeris id quod dicitur, Nisi manducaueritis, &c. litera illa occidit.

De Trin. l. 3 ca. 10. Exod. 7. Ioan. 2.

Maxima secunda.

Ad Heliodorum.

In Leuit. Ho. 7.

Tertia Maxima.

Tertia maxima Theologica est, omnes eiusmodi locutiones esse verè sacramentales, vbi Metonymicè vel Synecdochicè, signatum pro signo ponitur, propter maiorem Emphasim, & propter arcanam & spiritualem intelligentiam, vt nos ad res signatas non ad signa mentis oculos referamus. Et hanc esse veram regulam aliquot scripturæ sacræ loca docebunt. In Paradiso erat arbor scientiæ & arbor vitæ, quæ veteres duo Sacramẽta vocarunt, alterum probationis, alterum immortalitatis: quod Augustinus ait fuisse sacramẽtum visibile inuisibilis virtutis: & eò respiciens Ioannes, Christum dixit lignum vitæ. Cùm dixisset Deus se fœdus cum Noacho percussurum, & cùm Iridem seu Arcum suum in illius reconcilia tionis signum erigeret, se dilucidè interpretatur, *Zoth, Oth*, hoc est Signum fœderis mei: Et de circumcisionis Sacramento, Circumcidetur in vobis omnis masculus, Hoc est fœdus meum, mox ipse Deus sui interpres est, Circumcidetis carnẽ præputij vestri, & erit in signum fœderis. Nam Duræus qui hoc in vniuersa Scriptura nusquam legi, aut malè intelligi asserit: qui Circumcisionem fœdus esse pernegat, sed conuentionẽ fœdus esse affirmat, quàm balbutit hoc loco, quàm ineptit? In Exodo de Sacramento Paschatis, & de Agno, Hic (est) Pesach vel Trãsitus Domini: quod statim sic reddidit idem Dominus, Erit sanguis hic vobis Signũ: Et de festo, Erit dies hic vobis in memoriam, seu monumentum: quæ diuina paraphrasis hominibus non contentiosis os obstruere deberet. In Nouo Testamento de Baptismi Sacramẽto phraseologia eadem Sacramentaria, & significantissima occurrit: In Baptismo nos Christum induere, quòd eo tanquam Vestimento tegamur: Baptismum esse lauacrum regenerationis cuius tantummodo fuit Sacramentum: & cùm circumcisioni Baptismum succe ssisse

Apoc. 2. & 22.

Gen. 9.

Gen. 17.

C. 12.

Gal. 3. Tit. 3.

doceat Apostolus, & ingens sit vtriusque efficacitas in fidelibus: tamen idem non dubitauit Circumcisionem σημεῖον & σφραγῖδα signum & iustitiæ fidei sigillum nominare. Et Petrus facit illius Baptismum liberationis Noachi & ex diluuio & mortis voragine Antitypum seu figuram, vt sicut ille tum ex vndis in Arca per fidem seruatus est: ita isti emersioni Baptismus quasi viuum exemplar respondeat: in vtroque in Ecclesiæ gremio salus, in vtroque per Christum liberatio, in neutro tamen carnalis sed in vtroq; vera ipsius Christi præsentia existit, extra Christum naufragium & condemnatio. Quemadmodum ergo in Sacramentis Paradisi, in Circumcisione & Paschate & in Baptismo, locutiones emphaticè pro signo rem nobis exprimunt, vt in signo ac sacramento res ipsa verè exhibeatur, & vt Sacramenta nomine signi exponunt: causæ nihil est cur in Sacramento Eucharistiæ, idem loquendi modus, eadem Verbi interpretatio locum non habeat: præsertim cùm istæ loquendi formæ, Panis est corpus Christi, & Christus est Petra, tropicæ sint & nihil differant: cumque Augustinus iamdiu monuerit in principio nobis cauendum esse, ne figuratam locutionem ad literam accipiamus: literam enim occidere, Spiritum viuificare: & eá demum esse miserabilem animæ seruitutem signa pro rebus accipere: & vbicunque Scriptura flagitium iubere videtur, vt est carnis humanæ mãducatio, quod Papistæ Sarcophagi & Hæmopotæ faciunt, esse locutionem figuratam, quæ præcipit passioni Domini communicare, & suauiter atque vtiliter in memoria recondere, quòd pro nobis caro Christi crucifixa & vulnerata sit. Atque hæc de Verbi litera, eiusque vera sententia.

Rom. 4.

L. 3. de Doct. Chr. c. 5.

Ibid.

C. 16.

CAM-

CAMPIANVS.

Qui ferme visus est ipsi Luthero tam potens, vt cùm etiam discuperet fieri Zuinglianus, quod ea re plurimum incommodare pontificiis potuisset: captus tamen & vinctus apertissimo contextu cederet, neque minus inuitus Christum verè præsentem in Sacramento sanctissimo fateretur, quam olim dæmones victi miraculis Christum Dei filium vociferati sunt.

Lut. in Epist. ad Argen. Matth. 8. Mar. 1.

HVMFREDVS.

Ratio alia est, sequendum esse τὸ ῥητὸν ipsam literam, à testimonio Lutheri, illum horum verborum sonitu perculsum Christi veram præsentiam agnouisse: neque nos præsentem esse inficiamur: in modo præsentiæ omnis nostræ quæstionis summa & cardo vertitur: neque interim blasphemũ Caluini spiritum sequimur, neque nobis ipsi vllas compedes iniicimus, vt Duræus conuiciatur. Sed quid hoc rei est? Misero in loco Iesuitarum res ac fortunæ positæ sunt, cùm subsidij causa in hostis castra confugere cogantur, & ab illis quos odio habent testimonium emendicent. Vtinam in aliis quoque doctrinæ salutaris articulis Lutheri sequerẽtur vestigia. Sed ecce homines prodigiosæ impudentiæ, etiam cuius suffragio iuuari se putãt, eundem denigrant ac deformant. Quicquid agat aut dicat Lutherus, benè, malè, pro illis aut contrà, placere nullo modo potest istis hominibus. Sed vltus est egregiè hanc iniuriam, quando non minus iocosè quàm propheticè solebat in istos torquere distichon,

Lutherus de Domini præsentia in Sacramẽto.

Hoc scio pro certo, quòd si cum stercore certo,
Vinco seu vincor, semper ego maculor.

Lutherus paulatim & lentè Papismo renunciat

De Luthero, vt decet, honorificè sentimus: sed quam lētè in notitia Dei profecerit, & quàm gradatim in reformationis negotio processerit, ipse ingenuè confitetur. Sunt enim in cognitione & religione quidā progressus & auctus: est in Theologia Alphabetū vt ab Alpha ad Omega perueniamus, ad illud in via ad hoc in patria: est lac paruulis edentulis, est grandioribus viris cibus solidior: est herba, messis, maturitas: in hac vita pueraſcimus, adolescimus, crescimus teste Apostolo. In confessione Baronum aliorumque Bohemiæ fratrum præfatus Lutherus, testatur se cùm esset Papista, magno Zelo eam religionem sequutum: Picardos fratres ex animo odisse: libros Ioannis Hussij cùm in eos incideret, clausisse: ac nostros Papistas vituperat, qui gloriolæ & lucri causa, frigidè Papizant. At pòst vberiore diuinæ gratiæ rore irrigatus, inquit, Dicent, Constantiæ Ioan. Hus & Hieronymus de Praga exusti sunt: R espondeo, ego de Hæreticis loquor, Nam Ioan. Hussium & Hiero. Pragensem viros Catholicos hæretici ipsi & Apostatæ & Antichristi Discipuli combusserunt: sed de Luthero postea. Initiò Monachus Stoicè & austerè super modum se macerauit ἀφειδίᾳ σώματος, quod Apostolus ad Colos. C 2. senses improbat: initio Tetzelij Quęstoris Romani indulgentiis largissimis & pudendis incitatus, contra illas solùm imposturas & pias, vt ille inquit, fraudes disputat & scribit, parcens interim & nimiùm indulgens Leoni Pontifici, nimiùm Pontificiis, & earum doctrinam ne summo quidem digitulo attingens aut exagitans: Homo fuit, in tenebris lucis aliquam faculam aspiciens, sicut ille Euangelicus cæcus primū arbores instar homi- Sleid. l. 1. Com.

hominum deambulantes, postea homines clarius intuens paulatim visum recuperauit: Sic Lutherus primò quidem operum fiducia fretus, & meritorum suorum aliis monasticè elatus est & subuectus: pòst à sene quodam Erphordiensi melius edoctus, ex illo articulo CREDO REMISSIONEM PECCATORVM: & optimè à D. Paulo hominis gratuitam iustitiam ex fide gratis per Christum perdiscens, & illo Bernardi loco monstrato, Credas & hoc quòd per IPSVM peccata TIBI donantur, in multis confirmatior & eruditior euasit: sed ita euasit, vt quia homo fuit, hominem totum exuere non potuerit: sed talis ac tantus homo fuit, vt hunc hominem LEO ROMANVS cum tota curia semper reformidarit, nunquam lædere potuerit. De aliis articulis eodem modo factum intelligimus, & nominatim in hac infœlici de Cœna Domini concertatione, quæ nostro tempore valde exacerbata est, sed aliqua spes affulgere videtur coëundæ aliquando, Christo auxiliante, concordiæ: Cuius dissensionis origo est Zelus, nō pertinacia: Lutherus literæ & dictioni aliquantulum addictus, in Christi præsentia carnali habitat & eam mordicus apprehensat, Zuinglius & Oecolampadius Christum non docent vmbraticum, aut phantasticum aut absentē, quod Lutherus primò timuit: at manducandam eius carnem censent interiori tantùm affectu, animo, fide, non ore, non corpore, non dentibus: vterque desiderat capere & comedere Christum Seruatorem: sed in modo cōiunctionis & comestionis non cōueniunt. Nobis placet opinio illorū, qui vt corpus Christi habere queant, Christi mentem volunt intelligere & assequi: qui non verba eius tantùm sed & pectus spirāt & referunt. Gerson non malè, In fraudem legis facit, qui saluis Io S. de Annunciatione. Lutheri & Zuinglij sententia. Gerson.

verbis legis eius sententiam circumuenit. Quanquam Lutherus longè rectius tractauit & dexterius iudicauit quàm alii posteri Lutherani vulgo dicti, homines sanè docti sed hyperbolici & Metaphysici, qui superuacaneis quæstionibus de Vbiquitate & aliis pluribus Seraphicis speculationibus totam rem alioqui satis claram obscurant & implicant. Quo fermento tota propemodum pura massa corrumpitur, omnes de Christo eiúsque passione meditationes piæ impediuntur. Bucerus diligenter operam nauauit vt constitueretur inter Saxones & Heluetios concordia, & Philippus Melanchthon non illum solum sed & Caluinum vt fratrem amplexus in eorum descendit sententiam. Caluinum sæpe literis salutauit, & notitia quæ semel in Wormatiensi Synodo intercessit nunquam est intermortua, vt ex scriptis aliquot colligi potest. Quid? quòd Lutherus ab Andradio non laudatur, vt à nostro Campiano, sed persuadet, inquit ille, suis Lutherus, figmentum esse vanitatis plenissimum quòd panis & vini substantiæ, Christo aduentante, loco cedant, atque in Christi corpus & sanguinem immutentur, quinimò panis ac vini substantiam vnà cum Christi corpore & sanguine manere nefariè docuit. Nec valde reluctatur Lutherus in quibusdam literis ad Argentinenses, ad quas Campianus nos remittit, in quibus concordiam ita initam ostendit, vt illi duo Articuli fidei de Ascensu Christi ad cœlos, & de Sessione ad dexteram patris, vtrinque inuiolati & salui retinerentur quos crassa Romanensiũ Artolatria sustulit. Paralipomena Abbatis Vrspergensis tradunt in conuentu Wittembergæ hanc confessionem receptã esse & subscriptã, & de Christi & donorũ eius exhibitione & perceptione sic expressam: vt

Vbiquitarii.

Andradii & Campiani opiniones de Lutherò variãt. Lib. 7. de cœna Do.

Stur. in Antip. 4.

Ann. D. 1537.

vt nec inane mysterium aut vacua symbola relinquantur: nec tamẽ quicquã de Christo indignum aut contra puritatem fidei asseratur. Lutheri verò contra Transubstantiationem sententia in Captiuitate Babylonica aliqua ex parte ab ipsomet ponitur: & licet nonnunquam loquatur in libris Eristicis ardore disputationis durius: tamen dogmaticè cùm suam opinionem proponit: & missæ & monstro Trãsubstantiationis & mutilatæ communioni & Capernaiticæ Glossæ aduersatur: & concludit vim Sacramenti non nisi fide à nobis hauriri & percipi, vt ex libris perspicuum est. In Captiuitate Babylonica de Christo non de Sacramento illud Ioannis sexto interpretatur: Ibidem, Nulla manducatio viuificat, nisi fidei. Hæc est enim verè spiritualis & viua manducatio. Sicut & Augustinus, Vt quid paras ventrem & dentem? Crede & manducasti. & contra Transubstantiationem, Calix non Transubstantiatur iudicio Papistarum: cur non omnia alia pro accidentibus & speciebus ponuntur? Ibidem, Sacramẽtum est Testamentum Christi quod moriens reliquit fidelibus, in quo tria notat consideratione digna: primum est mors testatoris, corpus quod datur, sanguis qui funditur: secundum, hæreditas, in remissionem peccatorum: Tertium, hæredes, pro vobis, pro multis: fides autem hæredes facit. Ibidem, Corpus tradam & sanguinem vtrunque in signum & memoriale eiusdem promissionis relictum: Ibidem, Si Testamentum est promissio, nullis operibus, nullis meritis ad eam acceditur sed sola fide. De Missa priuata abroganda dum loquitur, se pingit ac prodit totum suo penicillo, se multis medicamentis, robusta resina Gilead, potentibus & euidentibus Scripturis suam conscientiã vix dũ stabiliuisse: nec vnũ se ausum esse Papæ

Luth in Cap. Bab.

Lutherus in l. de Cap. B. Zuinglianus.

Luth. in l. de Missa abrog.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõtradicere, aut credere esse eum Antichristum, aut Episcopos eius Apostolos, aut Academias eius lupanaria: tandem verò Christum suis verbis confirmasse, vt iam cor ipsius nec tremeret nec palpitaret sed insultaret nugis Papisticis, non aliter quàm tutissimum littus minaces & tumidas procellas ridere solet. Illud autem Campiani; *Lutherum non minus inuitum Christi præsentiam in Sacramento concessisse, quàm olim Dæmones vilibus miraculis Christum Dei filium vociferati sunt:* à Dæmone aut ab aliquo malo genio prolatum videri posset: Nec est nouum Luthero sic obloqui; cùm de Christo Iudæi olim dixerint, Dæmoniacus est, habet Belzebub &c. Sat beatus est qui cum Christo miser est, & cui cum Christo maledicitur.

CAMPIANVS.

Agedum, pagella scripta superiores sumus, de sententia scripti contenditur. Hanc perueſtigemus ex verbis adiacentibus. Corpus meum quod pro vobis datur. Sanguis meus, qui pro multis effundetur. Adhuc durissimæ partes Caluini sunt, Io.6. Matth.16. Mar 14. Luc.22. 1.Cor.10. 11. *nostræ faciles & explicatæ. Quid amplius? Conferte scripturas, inquiunt. Maximè. Conspirant Euangelia, Paulus adstipulatur. Voces, clausulæ, tota connexio, panem, vinum, insigne miraculum, cœleste pabulum, carnem, corpus, sanguinem vereuerenter ingeminant. Nihil ænigmaticum, nihil offusum caligine loquendi.*

HVMFREDVS.

Probatio tertia ex verbis adiacentibus. Nunc demum

demum ad Te redit Campianus, & suæ inscriptionis memor, à verbo scripto transit ad verbi sententiam. Videre enim potuit aut debuit cum Bernardo, Non debere nos contentos esse literæ palea, non carnis furfure, non Sacramenti cortice. Et quam tandem Scripturæ sententiam accommodat, vt genuinus sensus pateat? Planè nullam: Magnus est & merus verborum sonitus, nulla sub iecta certa interpretatione aut sententia. Hoc EST CORPVS MEVM *quod pro vobis datur: hic est sanguis meus qui pro multis effundetur.* De hac propositione satis: qualis est ista, Ego sum panis: qua significatur, pro nobis descendisse de cœlo, & sic filium hominis & seruum nostra causa factũ esse, se ad mortem vsque crucis exinaniuisse: tanquam ouem ductum fuisse ad occisionẽ: per proprium sanguinem semel in sancta sanctorum introiisse, æterna redemptione inuẽta, ideóque Noui Testaméti sequestrem & mediatorem existere: dilexisse nos & lauisse à peccatis nostris sanguine suo, redemisse nos Deo sanguine suo: ipsum esse nobis panem verum & panem vitæ, ostium salutis, petram refugii, cuius rei arrhabonem & pignus seipsum in hisce symbolis & Sacramẽtis tradidit, & à nobis sic hoc ore fidei accipi iussit: vt idẽ Christus Agnus occisus ab origine mundi in vmbra, in cruce, in Sacramentis, à patribus, à nobis vnus & idem verè, id est, spiritualiter percipiatur: vt in eo omnes Dei promissiones sint Etiã & Amen: vt Christus Iesus heri & hodie idem sit in secula. Sed adiacentia demonstrant corpus quale sit, *Quod pro vobis traditur, &c.* Vnde vnam & eandem carnẽ edi in cœna & in cruce pati cõcludũt. Quod si largiremur, multa absurda cõgeri intelligetis: idem erit comedens & comestus, quod non est possibile: & ipse deuorandum se &

S. Cãt. f. 33.

Verborũ Christi sentẽtia.

Ieſ. 53. Heb. 9.

Apo. 1. Apo. 5.

2. Cor. 1.

Ex adiacentibus verbis interpretatio.

Absurda in reali præsentia Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

epotandum ſuis propinabit,quod eſt mirabile: & Apoſtoli erunt iam Anthropophagi & ſanguiſugæ, quod eſt barbarum: & diſcipuli corpus accumbentis Chriſti dentibus preſſerunt antequam daretur,& ſanguinem combiberunt antequam effunderetur,quod eſt horrendum: & Chriſtus verus homo non ex diua Virgine per Spiritum ſanctum cœleſti operatione ſolummodo naſcetur, ſed ex pane per ſacrificulum magica verborum demurmuratione renaſcetur, quod eſt blaſphemum:& corpus Chriſti ſuis accidentibus, & accidentia panis ſuo ſubiecto ſpoliamus, quod iniurioſum eſt: & nos carnem ſecundum carnem manducabimus, quod eſt inutile & Capernaiti-
Matt.26. cum: & priuabimur eo quod ſequitur, Qvod pro vobis datur in remiſsionem, id eſt,omni fructu & beneficio ſuæ traditionis ac paſsionis, quæ ſola paſcit ac reficit,carebimus, quod eſt miſerrimum: & Sacramentum & Sacramenti rem,literam & ſpiritum, Chriſtum hominem & Deum, cœlum & terram, corpus & ſpiritum, ſenſum fidem,menſam graculorum & aquilarum, mortem & vitam,turpiter ac impiè res omnes commiſcebimus, quæ in hoc ſacro ſympoſio Hieronymus, Ambroſius,Lombardus & alij concinna & aperta methodo diſterminãt,quod eſt monſtroſum:& erunt Domino ſepulchrum diſcipuli,quod eſt inhumanum, & pluſquam Thyeſtæum conuiuium. Aliud ergo dicimus eſſe quod in cœna nobis datur à Chriſto ad ſumendum: aliud quod à Chriſto immolatum eſt pro nobis ad crucifigendum: hîc nos ſpiritualiter capimus, ibi Iudæi corporaliter aſpexerunt: hîc in Sacramento myſterio fruimur:illic ſe in veritate & propria ſubſtantia humanitatis obtulit,hîc nos rei abſentis memoriam colimus: illic res præſens & geſta proponitur.

tur.Hîc tria vitamus incõmoda: Carnẽ Chriſti & panẽ ſimul vno ore non comedimus: quod valde craſſum inuentũ eſt:nec corporis ſacrũ ſignũ abiicimus,quo ſublato Sacramenti ipſius integritas interit: nec teſſeram nudam aut vacuum ſignum aut inane ſpectrũ,vtDurçus obiicit,ponimus,vnde Sacramento ſuus honor debitus ac reuerentia detrahatur:illud nouũ Lutherani & Synthuſiaſtę, alterũ Tranſubſtantiationis Papiſtæ ſeu Methuſiaſtæ,tertiũ Anabaptiſtæ committunt.Ita è contrario hinc tria cõmoda conſequimur:Sacramẽti definitionem tuemur: Sacramenti duas partes retinemus,& Analogiam de ſigno quod corpus,& de ſignato quod animum nutrit conſeruamus, id eſt totũ Chriſtũ cum omni bonorũ affluẽtia poſsidemus. Et hoc nõ eſt,Duræe, Nouũ Euangeliũ à nobis inuectũ,ſed nobis ab initio à Chriſto traditũ. Conferamus Scripturas:conſpirationem Euangeliorum,Pauli aſtipulationem conſideremus. Scriptura dixit,Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis & biberitis ſanguinẽ,nõ habebitis vitã in vobis.Eadem per Chriſtũ interpretatur, ne ab eſu vero veræ carnis abſterreamur, Verba mea ſpiritus ſunt & vita. Scriptura dixit:Ieſus accepit panem,gratiis actis panẽ fregit, panẽ dedit:hunc iubet accipere & comedere: & Paulus, peracta,vt vocatur,cõſecratione, panẽ iterũ atque iterũ nominat,ergo panis ſubſtantia remanſit,nec benedictione ſacerdotali aut vllaverborũ recitatione noua aboletur:Scriptura dicit,Hoc vel hic panis eſt corpus meũ:& Scriptura per Paulũ dixit,Hic panis quẽ frangimus eſt cõmunicatio corporisChriſti: Poculum eſt ſanguis meus Noui Teſtamenti: Scriptura vetus habuit,hic ſanguis eſt fœderis:& tamen erat ſanguis animaliũ qui peccata auferre non potuit. Teſtamentum tamen quod ſanguis

Tria incõmoda vitãtur Cõ. Duræus.
Collatio Scripturarum.
Ioan.6.
Mat 26.
1.Cor.11.
1.Cor.10.
Exo.24.

Christi tum præfiguratus pòst obsignauit. Scriptura etiam dixit, Hoc poculum est Nouum Testamentum in sanguine meo: quæ forma à superiore differt. Itaque in verbis non sic conspirant Euangelistæ vt Campianus voluit, licet re omnes consentiant. Hoc Bonauentura vidit, Attendendum est, quòd Euangelistæ non eodem modo formam hanc exprimunt. Nam Matthæi vicesimo sexto, & Marci decimo quarto dicitur, Hic est sanguis Noui Testamenti qui pro multis effundetur, Apostolus autem dicit, prima Corinthiorum vndecimo, Hic calix Nouum Testamentum est in meo sanguine: Ecclesia autem nulla istarum formarum vtitur, Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei qui pro nobis & pro multis effundetur, &c. Et hæc est deliratio, ne quid dicam amplius, scholasticorum istorum, vt formam suæ consecrationis Christi sacrosanctæ institutioni anteferant. Nũc vtrum voces, clausulæ, connexio tota ab istis sint, vestrum iudicium emunctissimum interponite. Panem, vinum, insigne miraculum, cœleste pabulum, carnem, corpus, sanguinem reuerenter & libenter etiam nos ingeminamus: & si tria tribus, paria paribus reddere, & si cũ carne, corpore, sanguine, panem, vinum, insigne miraculum, cœleste pabulum copulare & coniungere Campianus voluisset: Hieronymi præcepto melius ipse paruisset: & alii omnes totam hanc Euãgelii nostri explanationem non in litera sed in spirituali intelligentia, non in superficie sed in medulla, nõ in sermonum foliis, sed in radice rationis sitam & fundatam existimarent. Euangelista & Paulus iubent facere, edere, scilicet in Christi recordationem: est autem rei absentis memoria, ergo prẽsens est fidei nostrę nõ corpori. Lucas vocat disertè vinum fructum vitis: vt

Luc. 22.

vt non sit necesse vini nescio quam essentiam sacram aut speciem aut accidentia concipere. Hæc clarissima sunt: illorum verò Transubstantiatio ænigmatica est, densissimis tenebris obruta: de qua etiam ipsorum doctorculi hæsitanter sermocinãtur, Gabriel non ille Angelus sed Biel dubitat, Quomodo sit ibi corpus Christi, vtrum per conuersionem alicuius in ipsum, an sine conuersione incipiat esse corpus Christi cum pane, manẽtibus substantia & accidentibus panis, non inuenitur expressum in Canone Bibliæ. Dubitat Magister Sententiarum: Si autem quæritur qualis sit illa cõuersio an formalis an substãtialis vel alterius generis, definire non sufficio, &c. Quibusdam videtur substantialis dicenda, &c. Ecce dubitat Magister: sed clarè videt Campianus discipulus, Gabriele & Magistro cæcutientibus. Nihil ænigmaticum: Gaudeo sanè hanc vocem Iesuitis excidisse: Si in re Sacramentaria nihil est obscuritatis, sed omnia perspicua: de Scripturarum difficultate cur in aliis rebus queruntur, quid causantur?

L. 4. Sent. D 11.

CAMPIANVS.

Tamen perstant aduersarij, neque vllum finem faciunt altercandi, quid agimus? Opinor, audiatur antiquitas, & quod nos alteris alteri suspecti nõ possumus, illud, omniũ seculorum veneranda canicies, Christo propior, ab hac lite remotior decidat arbitrio. Non ferunt, prodi se aiunt, Dei verbum purum putum inclamant, hominum commentarios auersantur insidiosè, ineptè. Dei verbum perurgemus: obscurant: Diuos testamur in-

terpretes:obsistunt. In summa, sic instituunt, nisi reorum iudicio steteris, nullum iudicium fore.

HVMFREDVS.

4. Ab antiquitate.

Est aliud argumentum ab Antiquitatis venerãda canicie & grauissimo testimonio desumptum:quod nos recusare & subterfugere cauillatur:nos reos esse,& simul velle esse iudices. Quod auertat Deus: nec enim Papa in causa sua esse iudex potest. Et tamen hoc Paradoxum de Papæ in Scripturis exponendis autoritate, Duræus infirmè sanè & miserè defendit. Hoc quia nos ei non tribuimus,& quia ad illum vnum hanc summam interpretandi Scripturas potestatem non transferimus,hinc illæ hominis alioqui ingeniosi absurdæ positiones: Nos sublata ex Ecclesia omni forma iudici confusionem plusquam Babylonicam inducere : nos ad res nouandas iuráque omnia diuina & humana sursum deorsum vertenda natos esse:hanc iudicandi autoritatem Romanis Pontificibus diuinitus esse concessam, hoc Christianos semper omnes credidisse : meliorem Mosaicæ olim Synagogæ,quàm Ecclesiæ modo Christianæ gubernandæ formam à Deo fuisse institutam,si nullum in terris iudicem habeat, qui nascentes de rebus magnis controuersias sua autoritate componat: hunc autem esse Petrum , & omnes successores pastores Romanæ Ecclesiæ. Si ita res sese habeat,si ipsa Scriptura eiúsque & autoritas & sensus,si Ecclesiæ regimen,si Concilia, si patres ad hoc vnicum Papæ tribunal referri debeant, quid agimus, Academici?quid nos studiis conficimus, cùm vno Pontifice consulto Theologi

logi consummatissimi esse possimus? Insipiens etiam Campianus , qui tot rationes nobis & sibi perscrutandas reliquit,cùm vna sufficiat , insipiẽs qui nunc præterita hac via compendiosa , nos ad antiquitatem omnem remittit. Sed abeat ille vnus, Nos enim antiquitati veræ & primæ tribuimus plurimum,quæ quò melius nouit omnia,quo longius aberat ab ista degenere corruptorum hominum progenie,hoc multo rectius vera cernere, & synceriùs iudicare,& fideliùs posteros docere poterat. Antiquitatem veneramur:sed distinguimus : laudamus sed examinamus : Antiquitatem admittimus sed definimus. Huc Hieronymianum illud,vt hæc quæ scripta sunt non negamus, ita quæ non sunt scripta renuimus. Est enim antiquitas nostra Christus: Antiquꝰ Deus quia prior est, accedimus,antiquus Satan quia posterior est, abnegamus. Ex Vincentio didicimus,vt cùm dicimus nouè , non dicamus noua : & cum eodem confitemur nouitatem non Arrianorum solùm sed & Romanorum,velut quandam Bellonam aut furiam omnia priuata , publica , sacra , prophana miscuisse. Sed de antiquitate & patribus suo loco. Iesuita nomen Antiquitatis & patrum obtendit,sed autoritatem nullam eorum profert : rationes non affert:ex omnibus eorum Archiuis ne my quidẽ nec gry producit,nec in textu nec in margine. Verba sunt & logi,præterea nihil,nisi illud,

Ignatius.

Proiecit ampullas & sesquipedalia verba.

Nos autem non personas mutas sed loquentes protrahamus in proscenium. Et illud diligenter inquirenti statim occurret,primam antiquitatem per annos plus minus sexcentos corpus Christi vt natum ex Diua Virgine fuit , & sanguinem, vt in cruce effusus fuit , negasse in Cœna

Patrũ de cœna Domini sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corporaliter adesse : pòst de manducatione oris, & de participatione impiorum aliósque errores multos irrepsisse. Antiquitas nostram sententiam confirmauit, non esse dentis sed mentis cibũ Eucharistam, vt Ambrosius: Non corporalem escam esse, sed spiritualé, vt Hieronymus: qui licet Christum nuncupet & conuiuam & conuiuium, qui & comedit & comeditur: vt etiam in versiculis Poëtaster habet.

De mysteriis.

De consec. d 3. in Gl.

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus:

Quod Glossa quoad effectum negat esse verũ: tamen idem apud Matthæum ait Christum repræsentari in veritate corporis sui & sanguinis: sicut in præfiguratione eius Melchisedech panem & vinum offerens fecerat: quæ locutio repræsentationem docet, & illa comparatio vel similitudo nullam realem præsentiam, nullam substantiarum Metamorphosin patitur: Hieronymus etiam eam distinctionem nostram de carne Christi duplici, spirituali & diuina, & illa carne crucifixa apud Ioannem non dissimulat sed agnoscit. Ambrosius à Gratiano citatur in eundem sensum, cœleste esse pabulum, & vt cum Glossa loquar, cibum esse animæ non corporis, Non iste panis est qui vadit in corpus sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam sulcit. Quod ex Cypriano de cœna Domini & ex Pascasio & Gelasio & Cyrillo, Anathematismo vndecimo, Basilio super Psalmum tricesimum tertium & aliis, quisque passim desumat: & ex Chrysostomo primo ca. Timothei secundæ, qui ait, Priusquam baptizaretur Christus, non descendisse Spiritum, neque Ioannẽ ipsum descẽdere fecisse: cur ergo istud fit? vt scias sacerdotem Symbolum implere tantummodo (nam vtriusque sacramenti eadem

In Ep. ad Eph. de Consd. 2.

eadem ratio) qui etiam alibi salutariter admonet hîc nos ad spiritualem mensam accedere, hîc animam lauari. Diximus verba Eucharistica Transubstantiationi reclamitare: Idem nobiscum & patres dixerunt. Agnoscit & Hesychius planeq; affirmat carnem Christi ad comedendũ ineptam fuisse ante passionem: quis enim comedere cupiebat carnem Dei? Ideoque quod asserunt idẽ corpus manducari in Eucharistia quod natum est de Virgine & quod in cruce pependit: siue visibile siue elemento velatum, chymærica est fabula. Diximus coniunctionem esse symbolicam, & metonymicè accipiendam: Hoc dicunt nobiscum diui interpretes. Augustinus de huiusmodi loquendi formis habet generalem Canonem, Ego sum vitis vera, &c. Sic dicitur vitis per similitudinem non per proprietatem: quemadmodum dicitur ouis, agnus, Leo, petra, lapis angularis, &c. Ex eodem Gratianus ipsorum Decretista, Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificat vos. Et idem verba Christi, vt nos superius sic exposuit, Verba quæ locutus sum vobis Spiritus & vita, Spiritualiter intelligite quod locutus sum: Et qui credit in eum manducat eum. Idem in Psalmum tertium cũ Tertulliano figurã corporis sui interpretatur: Et ad Bonifacium, Secundũ quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: & contra Adimantum, signum corporis sui: Theodoretus vocat mystica & visibilia symbola corporis & sanguinis: Macarius Antitypum corporis, & participãtes πνευματικῶς carnem Domini edere ostendit. Ambrosius vt

In Ioan. Tr. 81. c. 15

Ep. 23.

In Dial. 2. c. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aug. de re medio Pœnitentiæ.

Augustini σύγχρονος, sic ὁμόψυχος, appellat mysterium Eucharistiæ, medicinam spiritualem, memoriam nostræ redemptionis, in edendo & potando

1. Cor. 11.

carnis & sanguinis, quæ pro nobis oblata sunt, significationem: vtrunque Testamentum sanguine constitutum: quia diuini beneficij sanguis testis est, & addit, In cuius typum nos calicé mysticum sanguinis ad tuitionem corporis & animæ nostræ

In Leuit. l. 1.

percipimus. Hesychius ait nos sacrificiũ corporis crucifixi nunc comedere, Et comedimus nunc eibum, sumentes eius MEMORIAM passionis, vt

Iustin. cõt. Tryphonem.

ante illum Iustinus, Panẽ Eucharistiæ cõmendari, ad recordationem passionis Christi. Diximus verba Eucharistica omnino transubstantiationis portentũ euertere: quod idẽ Patres Latini & Græci ante nos dixerũt. Cyprianus, Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus & partimur. Theodoretus, Non mutans naturam, sed gratiam naturæ adiiciens. Et Manent in priore natura, & schemate & specie. Theodoreto succinit Chrysostomus ad Cæsarium, Diximus Christum in Baptismo absque vllo transubstãtiationis figmento verè nobis & realiter tradi, cum corpore, sanguine & omnibus passionis fructibus: & quicunque baptizati sumus, Christum induimus: &

De Cœna

In Dial 1.

Gal. 5. De Conf. d. 2.

in eam Epistolã legatur Hieronymus: Tertullianus de Baptismo, In Baptismo tingimur passione Christi. Astipulatur Augustinus, Nulli est aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Dominici tunc esse participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi. Et super Ioannem, Vnde rubet Baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Et Ambrosius eadem loquendi vehemẽtia & epitasi rem expressit, Vide vbi baptizaris, vnde sit

Tr. 11. Li. 2 de Sacr. Ca. 2.

Baptis

Baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi? Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso saluaberis. Ostendimus conuenientiam Sacramentorum & apud Iudæos & in Ecclesia Christiana. Illic res integra percipiebatur, & totus Christus dabatur Iudæis, nec ante incarnationem poterat Christi caro priè & naturaliter comedi: ergo neque hodie potest, siue cum pane, siue sub pane, siue absq; pane loquamur. Hanc cõuenientiam patres confitentur, Nimirum Augustinus passim, rem eandem fuisse, signa diuersa, diuersis temporibus, sed vtrosque per vnum fidei ostium hoc est per Christum videmus ingressos: Rursus, Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur paria sunt: in quo tractatu iubet nos videre panem cœlestem, iubet ore spirituali manducare. Bertramum qui ad Carolum hanc rem ex professo dilucidè & purè tractauit, quid attinet proferre? quem quia totus noster est, Tridentina Synodus legi prohibuit, & in hæreticorum Catalogo recensuit. Basilius, cuius autoritate nititur Duræus, etiam pro nobis facit, & quo animo, fide, timore, ad mensam corporis & sanguinis Christi accedere debeamus, egregiè instruit. Timorem docent verba Apostoli, Qui edit ac bibit indignè, iudiciũ sibi ipse edit ac bibit, Certitudinis perfectionẽ inducit fides verborum Domini qui dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Hoc facite in meam commemorationem. Et illud, Verbum caro factum est, & illud, Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. His & talibus verbis credens, & Maiestatem Dei cognoscit, & acquirit affectum ad dilectionem erga Deum Patrem, qui filio non pepercit, & erga filium qui ad mortem vsq; pro re-

In Ioan. Tr. 45.

Tr. 26.

In quæst. compendio. explicatis. q. 172.

demptione nostra obediuit, Talem affectum ac præparationem habere debet is, qui particeps sit panis & poculi. An ex his verbis colliget Duræus suam carnalem præsentiam, qui istas egregias voces audit, faciendum hoc in commemorationem? & animam verbis & promissionibus huiusmodi esse pascendam? qui audit, tales cogitationes & præparationes adhibendas? qui audit post communionem fieri mentionem panis & poculi? Vtinam omnes se ad sacram synaxim hoc modo præpararét, vt Christi verè participes esse possent. Quod ergo Scriptura docet, nos docemus: cui ipsa canicies piæ vetustatis suffragatur: nimirum, geminam tantùm esse manducationé, Sacramentalem, ipsorum signorum, panis & vini, & spiritualé, signati corporis & sanguinis Christi, illam ore, hanc fide.

CAMPIANVS.

Atque ita se gerunt in omni quam exercemus controuersia. De infusa gratia, de inhærente iustitia, de Ecclesia conspicua, de necessitate baptismatis, de Sacramentis & Sacrificio, de piorum meritis, de spe & timore, de peccatis imparibus, de auctoritate Petri, de clauibus, de votis, de consiliis Euangelicis, de cæteris, scripturas neque paucas, & ponderosas Catholici passim in libris, in colloquiis, in templis, in schola citauimus atque discussimus: eluserunt. Veterum scholia Græcorum & Latinorum admouimus: abnuerunt. Quid tum denique? Doctor Martinus Lutherus, aut verè Philippus, aut certè Zuinglius, aut sine dubio Caluinus & Beza fideliter enarrarunt. Egóne quenquam vestrûm existimem tam esse mucosis naribus qui

qui hoc artificium monitus non persentiscat?

HVMFREDVS.

Alia probatio multa simul coaceruat: sed quia tanquam pharmacopola vel callidus vel pauperculus inanes capsulas ostentat, merces nullas ostendit: potuissent hæc omnia silentio prætermitti: tamen paucis explicabo sententiam. Gratiam quamcunque à Deo esse, ab eo omnes gratiæ thesauros in nos diffundi, asseueramus. Data est gratia communis? Diuina est, quocunque dono, quocunque linguarum, scientiarum, prophetiæ, gubernationis, sanationis charismate ornaris: vnicuique prout vult, diuidit. Operaris bene & diligis? Charitas Dei infusa est cordibus nostris per Spiritum sanctum. Veritatem prædicas? Gratia hæc etiã in impiis non ab ipsis sed à Deo profluit. Veritas à quocunque dicatur, à Spiritu sancto est. Ambrosius, Quoties aliquod verum dicitur, illud est à Spiritu sancto, etiamsi sit à Dæmonibus dictum. Loquemur de gratia aliqua singulari & speciali? A Deo est, qua sola electi seruantur: Siue gratiam intelligant operantem vel præuenientem, siue cooperantem vel subsequentem: Gratia est, Quicquid sum gratia Dei sum quod sum. Augustinus, Quare gratia? quia gratis datur. Quare merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei præuenerunt. Et gratiam omne meritum excludere testis est Apostolus, Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia. Hinc idem Augustinus, Gratia igitur donatur non redditur. Paulus ad Galatas, Gratia vobis, &c. Ibidé Hieronymus, Qua sola estis fide seruati. Idem Paulus, liberè & intrepidè protestatur, Non pudet Euangelij Christi: est enim potentia Dei ad salu-

Obiectio nis de gratia infusa dilutio.

Rom. 5.

In q. Ser.

2. Gen. ad Lit.

1. Cor. 15.

Lib. 3. cõt. Pelag.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 1. tem omni credenti: Et ad Galatas, Contuli cum illis Euangeliũ quod prædico, &c. Et in eundem idem Hieronymus, Per quod gentes sola fide saluantur. Hoc hoc est nostrum Euangelium, ô Fraterculi, quod apud vos malè audit, vnde apud vos infami sed reuera glorioso nomine Euãgelicinũcupamur: hæc est nostra gloriatio in sola Christi cruce, & in hoc auspicatissimo per Christum Euangelio. Quare Tridentini Concilii sessionem paruipendimus, & anathematismum ridemus, Si quis dixerit hominem iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, Anathema sit. Rectè enim dictum est à quocunque dictum est, Quem Deus vult saluare, donando gratiam, si omnes sacerdotes vellent illum damnare, aut excommunicare, adhuc saluaretur ille: Et quẽ Deus vult damnare, si omnes presbyteri, Papa, & alii vellent hunc saluare, adhuc iste damnaretur. Ita Hieronymus, Humilibus dat gratiam: vbi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas, vt impleatur dictum Apostoli, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Gratiæ definitio extat apud Augustinum, Spiritus vbi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit vllo modo, nisi gratuita fuerit omni modo: & ibidem, Gratia, nisi gratuita, non est gratia: quæ quomodo conueniat Iesuitarum infusæ gratiæ, ipsi viderint, ac verẽdum ne Tridentinorum hoc audax Anathema in autorum capita recidat nisi resipiscant: qui Apostolo Paulo Iustificationem & beatitatem nostram peccatorum remissionem

Euangelicorum nomẽ cur glorioſũ.

Cõ. Trid.

Paralip. Ab. Vrsp. pag. 443.

Ad Demetriadem.

Cont. Pelag. & Cæles. lib. 2. 24.

Libr. 1. con. Pelag. & Cæleſt.

sionem esse declaranti, apertè se opponunt: & quid Græcè & Hebraicè nomen Gratiæ sonet, aut nesciunt, aut sciunt nesciunt, vt habet comicum prouerbium.

QVOD de gratia infusa, id DE IVSTITIA INHÆRENTE dicimus ac docemus: in nobis nullum acquisitum habitum, nullam insitam virtutem, nullam qualitatem infusam esse, nõ aliquam iustitiam qua iustificemur coram Deo inhærere in nobis, sed innatam esse & inhærere omnem anomiam, omnem rebellionem carnisque contumaciam: esse illam iustificantem aliunde petendam: ideo ab Apostolo Iustitia Dei appellatur: & Iudæi damnantur, quasi Dei iustitia priuati, qui propriam ac suam quæsiuerunt. Foris est non intus, à Deo non in nobis iustificatio. Ad Romanos, Iustificari nos gratia ipsius: item, Deus est qui iustificat. Apud Hieremiam, Iehoua iustitia nostra. Ad Corinthios, Christus nobis factus est sapiẽtia à Deo & iustitia & sanctificatio & redẽptio sicut scriptũ est, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Sed hic mihi quæso attendite in nouo Testamento Rhemensi nouum commentum, Christus factus est nostra iustitia, quia ille autor est eius quę in nobis inest iustitiæ, vt suam inhærentem iustitiam confirment, & iustitiam per Christum imputatam infirment. Quod neque cum Antecedentibus neque cum consequentibus vllo modo cohæret. Præcedit nostra gratuita vocatio, Dei misericors ignobilium, stultorum, infirmorum electio, ne vlla caro glorietur. Consequitur in nulla alia re, in nulla alia persona, nisi in solo Domino gloriandum. Neque sanè iustitia inhærens magis hic intelligenda est, quàm inhærens redemptio, quemadmodum ad Corinthios passiua iustitia significatur, alio sensu, quàm illi inferunt,

Iuſtitia inhærens.

Rom. 10.

Cap. 23.

1. Cor. 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

1.Cor.c.6. Abluti estis, iustificati estis, sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & in spiritu Dei nostri, quos enim sapientiam docet? insipientes: quos iustificat? impios: quos sanctificat? immundos: quos redemit? captiuos. Quòd autem in hoc loco iustitia sit non aliqua in nobis virtutum inhæsio aut infusio, sed præter omne meritum remissio peccatorum, vt etiam Paulus ipse ad Romanos interpretatus est, apertè ostendit Bernar-

Cant. ser. 22. dus, Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. Sapientia in prædicatione, iustitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus. Vbi ergo hæc à Deo factus est, tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit. Tales Annotationes edunt & condunt nobis Anglorhemenses, vt suos errores foueant. Si etiam credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad iustitiam, certè non est infusa nec inhæret. Et ne quid ex hac Dei gloria

Psal.71. & laude decerpat homuncio, Psalmista diuinam iustitiam pulcherrimè & fortissimè asserit, Memorabor iustitiæ tuæ solius. Hinc Augustinus, Nullam meam agnosco: solius tuæ iustitiæ memorabor. A te habeo quicquid boni habeo. Eat ergo

Fol.890. ad coruos noster Copus cum suo risu insulso, hãc vocem (solam) ad calcearios remittendam, qui ea commodius vterentur. Faceſſat omnis nostra iustitia sicut pannus menstruus, faceſſat iustitia Pharisaica, humana, Philosophica, Iesuitica, iustitia Iesu, & iustitia Christiana sola vincet ac valebit in foro poli, cùm omnis caro contremiscet, & omne os obmutescet, & omnis lingua cum Dauide canet, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuês.

De

De Ecclesia cõspicua docemus, esse ciuitatem in monte positam, esse montem Domini, quo gentes confluent: esse speculam, quam Dominus in edito loco constituit: quę illustribus notis aliquãdo diuino beneficio in terris eminet & splendescit: verbi sonora prædicatione, tanquam cœlesti tuba: Sacramentorum legitima administratione, disciplina, obedientia, charitate, omni excellentissimarum virtutum lumine, vt luceat coram hominibus, & videant opera nostra bona, & glorificent patrem qui in cœlis est. Sed hæc Ecclesia mixta est, in vno reti pisces boni mali, in vna area triticum palea, in vna arca animantes mundæ & immundæ, in vna domo vasa aurea fictilia, & in illa conspicua Ecclesia euenit, vt homines dignitate spectabiles sint, iniquitate notabiles, loco priores, scelere peiores, & vt aliquis sit Cainus Dei sacrificus, & tamen fratris parricida, aliquis Chamus sit arcæ incola, sed pòst tamen patris derisor, scurra & hypocrita: vt in illa sit Christus reus & Caiphas, iudex & Pontifex. Hydropicus dum intus aqua intercute & humoribus abũdat, sanè æger est & ægrotus, quantumuis foris crassitie tumeat & videatur saniſſimus. Hæc de Ecclesiæ externa facie nos sentimus, de qua infrà dicẽdum est copiosius. Ecclesia visibilis.

De Necessitate Baptismatis: Baptismum initiationem & quasi ianuam nostri Christianismi esse docemus: & optamus omnes tenere memoriter dictum Basilii, Oportet nos sicut accepimus baptizari: & sicut baptizamur credere: quo pulcherrimè duo nobis commendantur, Primò, vera regula in Sacramentis & aliis omnibus, vt scilicet ex verbo quod tradidit Christ⁹ omnia metiamur: deinde fidei gnomon est, in Baptismi formula, in Solam Trinitatem. O si Romanistæ, qui dicunt se Baptismus. Basilij regulam omnem Papismum euertit.

eam velle fidē cōplecti in qua initiati sunt, in qua patres eorū regenerati & defuncti sunt, hanc vnicam sententiā alta mēte reponerēt, Omnes superuacaneas Traditiones, & luxuriantem inuentionum humanarum syluam præscinderēt, & omnes illos nouos fidei articulos, de Primatu, de Transubstantiatione, de Inuocatione, &c. Papistis necessariò ad credendum sub Anathemate obtrusos eis εἰς κόρακας ablegarēt, & magnā & laxam superstitionum Papisticarum caudam circumciderent. Nos autem nostram in hoc Sacramento professionem memoria repetentes, credimus iis Ecclesiæ sacris in Christi corpus mysticum nos inseri per lauacrum aquæ & verbum, sanguine Christi nos sanctificari, omnésque maculas nostras abluiri immersione sepeliri, & tamen emergere vt mundo mortui, iustitiæ viuentes in nouitate vitæ ambulemus, noua creatura simus: & vetere homine exuto Christum induamus. Existimamus Baptismum non esse de die in diem temerè & sine causa necessaria ac graui differendum. Sacramentum Anabaptisticè nullo modo aut contemnendum, aut eleuandum: Contemptus enim Sacramenti facit reos non priuatio. Quare si quis Christi gratiam Sacramentis alligari, aut Signatum sine signo dari non posse, aut infantes absque Baptismo decedentes æternæ damnationi subiectos esse credit: næ ille nimis est credulus. Aquinas non ita desipuisse videtur, quādo scripsit, Si aliquis morte præueniatur, articulo necessitatis Sacramentū excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, saluatur: licet id multis additamentis corrumpat & fermentet, dum igne nescio quo & contritione & prelatorum licentia, hanc omissionem vindicandam & resarciendam iudicat. Homines

Parte. 3. q. 68. arti. 3.

mines autem absque Sacramento salutē consequi posse: hæc documento & argumento esse queant: Deum esse agens liberrimum, qui non rarò sine instrumentis & Sacramentis seruat: veteres sine Circuncisione: quia circumcisio est cordis non corporis, in Spiritu non in litera, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo: & Abrahamus iusti tiam assecutus est in præputio: Sic enim in Nouo Testamento Cornelius cum familia accepit Spiritum sanctum: pòst Baptismi Sacramento confirmatus: de quibus ambobus egregius est Augustini locus contra Donatistas: De Valentiniano Ambrosius, qui catechumenus obiit, & licet eum, inquit, quē regeneraturus eram, amiserim: ille tamen gratiam, quam poposcit non amisit. Scimus Hieremiam & Ioannem Baptistam in vtero matris fuisse sanctificatos. Est ergo Baptismus re, est & voto. Qui vtrunque negligit, nec Baptismum suscipit nec desiderat, satis ostendit se Christi corporis societatem non valde expetere, & Ecclesiam Dei pudefacere, & institutionem eius contemnere. Sin autem re desit Baptismus non voto, fœderis Dominus potest cum quocunque paciscī: Spiritus vbi vult spirat: nec Sacramentum per se vnquam sed fides in Christum semper iustificat. Quare qui paruulos ante Baptismum mortuos vel in Inferni vel in limbi carcerem contrudunt, qui ex bonis Scripturæ sententiis malè inferunt, & ex illo Ioannis tertio, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: Baptismum ad salutem necessarium omnibus concludunt: & Ioannis sexto, nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam æternam in vobis: infantibus Eucharistiam porrigendam contendunt, li-

An Sacramenta ne cessaria ad

Rom. 2.

Act. 10.

Li. 4. ca. 24.

cet sit Augustinus, licet Innocentius, profectò humanitus & loquuntur & sapiunt.

Sacramenta.

De Sacramentis loquimur non aliter quàm Scriptura, non aliter quàm purior antiquitas. Nam & in Baptismo & in Eucharistia Christum intuemur: Christi corpus edimus, eiúsque

Prophanationem & abusum Sacramentorum puniri.

sanguinem potamus: & reuerenter de ijs iudicamus & prædicamus: non ignari eius in genere, quod de specie Apostolus enunciauit, Quicúque ederit panem hunc, aut biberit hûc calicem Domini indignè, reum fore corporis & sanguinis

1.Cor.11. Domini. Et rectè expositit Ambrosius, Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quàm ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quàm ab eo traditum est. Sic in Veteri Testamento, sic in Nouo

Gen 17. fœdere constitutum est: Deus enim hoc de circumcisione Abrahæ iniunxit, Pactum meum seruabis, & semen tuum post te. Et Christus in Nouo

Luc.22. discipulis de Eucharistia: Hoc facite. Qui igitur à præscripto recedunt, spirituali acie in Christum oculos fidei non conuertunt, siue patres nostri Iu-

Ioan.6. Tr.26. dæi, siue patres nostri Christiani, moriuntur: De illis patribus Christus ipse, Patres vestri manducauerunt Manna & mortui sunt: Itémque Augustinus de patribus ritè sumentibus, Manducauit Manna & Moyses, manducauit & Aaron: manducauit Manna & Phinees, manducaueruet ibi multi, qui Domino placuerunt & mortui non sunt. Quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierũt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. De patribus nostris Christianis & Corinthiis Paulus Dei iudicium pronunciauit: Propterea inter vos multi sunt infirmi & inualidi, & dormiũt multi. Quid

1.Cor.11. ita? quia non discernunt nec dijudicant corpus & sangui-

sanguinem Domini, quia ad Sacramenta animo impuro, iudicio corrupto, fide vaga accedunt, cuiusmodi hodie Romanistæ sunt, qui vel addendo vel detrahendo Sacramentis, ea prophanant, qui in Baptismo ceremonias inutiles coaceruant, qui in Sacramẽto Eucharistiæ alteram partem in idolum vertunt, alteram scilicet sanguinem Dei clero, ac laicis, præter fas, contra ius diuinum & humanum, adimunt. Caro enim Saluatoris pro sa- 1.Cor.12.
lute corporis, sanguis verò pro anima nostra effusus est, inquit Ambrosius, quicquid de toto Christo in toto vel in quauis particula, vel de sanguine in corpore sumendo Pontificij oblaterent. Ecquis bonus & fidelis homuncionem temerè & Chrys. 1.Cor.
contemptim vestem principis attingentem, aut Hom.24.
picturam deformantem, aut purpuram audacter decurtantem, aut aliquid insolenter assuentem, æquo animo ferre, vel placido vultu aspicere poterit? Quot autem assumenta Sacramentis Christi apposuerint Romani sutores & consarcinatores: repetere odiosum est & hoc loco superuacaneum. Quod autem nos duobus ab ipso Christo indubiè institutis acquiescimus & illi hæc nostra suis ritibus, ineptiis, imò blasphemiis conspurcant, & his plura Sacramenta adijciunt, in eo facilè potestis vos Romanorum Patrum conscriptorum siue potius circumscriptorum perfictam frontem animaduertere. Quisnam Scripturæ locus, aut quæ Scholia Græcorum & Latinorum adducuntur à Catholicis? Scripturas enim neque paucas neque ponderosas, neque in libris, neque in templis, neque in Schola citare possunt: nec vlla causa est cur eludamus aut abnuamus, dum nihil afferunt. Leo non expaueſcet, quantũuis rana Romana cõtra eum intumescat: nec Martinus Lutherus nec Philippus Melanchthon, nec Zuinglius, nec Calui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus,nec Beza fideles Scripturæ sacræ enarratores hanc inflationem pertimescent. Nam & Lutheri patrocinium in hoc numero Sacramentorum binario nobis adesse nõ dubito: qui in libro de Captiuitate Babylonica,ait,Si rigidè loqui voluerimus, tantùm duo sunt in Ecclesia Dei Sacramenta,Baptismus & Panis,cùm in his solis,& institutum diuinitus signum & promissionem remissionis peccatorum videamus.Quare qui septem Sacramenta supponunt,ac duobus nostris non contenti Ecclesiam nostram propterea ne à limine quidem salutant: audiant quàm fideliter à magistris ipsorum Scriptura enarretur, imò quàm fœdum in modum cum Magistris & à Deo & ab Ecclesia,& à sensu Scripturæ defecerint: Quod ex legibus & conditionibus Sacramenti potest obseruari.Quis enim Sacramẽtorum autor erit? An Ecclesia?Minimè,nam quæ promissionem gratiæ dare non potest,nec signum instituere debet. Nõ sanat aqua,nisi Spiritus sanctus descenderit & aquam illam consecrauerit,teste Ambrosio. Num Apostoli Sacramentorum inuentores dicendi sunt?Ipsi negant,Paulus negauit,qui ingenuè dixit, Quod accepi à Domino, tradidi vobis: Imò nec Angeli,eodem attestante, Si vel Paulus vel Angelus aliud annunciaret præter id quod acceperunt Euangeliũ,fore Anathema.Quin & Chrysostomus ait, Angeli (in illa scilicet inenarrabili per Baptismum generatione) adfuerunt duntaxat & viderunt, nihil tamen operati sunt,sed Pater tantùm,& Filius & Spiritus sanctus.Non ergo improbanda est illa Lutheri sententia, quam tamen fortassis inter Paradoxa numerabunt aduersarii,etiamsi illa esset Epistola Iacobi,nõ licere tamen vel Apostolo Sacramẽtum instituere: id est, diuinam promissionem cum adiuncto signo dare: hoc

Sacramẽta 2.

Leges in Sacramẽtis obseruandæ.

Institutor Sacramenti Christus Li 1.de Sacra. Ca.5.

Gal.1.

In Io.Ho. 24.Ca.3.

De Cap. Bab.

hoc enim ad Christum solum pertinere: & Paulum à Domino accepisse Sacramentũ Eucharistię, & missum nõ vt baptizet,sed vt Euãgelizet. Quare meritò etiam extremam Vnctionem è numero Sacramentorum exemit, quod in Euangelio nusquam legitur.Nec hoc voluit Iacobus, sed nouit optimè illã Vnctionem nõ fuisse perpetuum omnium sacrificulorũ munus,sed temporariam Apostolorum prærogatiuã:nec extremã fuisse vnctionem moriẽtium, sed ægrotorum singularẽ medicinam:nec mortis viaticũ, sed à morte & morbo remedium:ideóque non Sacramentum fuisse sed miraculum:nec incertum euentum,sed effectũ sanitatis certissimum cõsequutum,nec ab Apostolo primum inuentum, sed ex Euangelio ab eo rectè depromptum, Vngebant Apostoli oleo ægrotos multos, & SANABANT: & Iacobus, Oratio fidei SERVABIT,quod rasi Romanistę nũquam prȩstare poterũt.Nec Lutherus solus,nec Caluinus hoc nostrum Axioma probarunt, sed & nobiscũ facit ipsorũ Scotus,Iacobum Signa hæc sacra non potuisse instituere, non fuisse illi autoritatem obligãdi totam Ecclesiam,cùm esset tãtùm Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ:Nam principalẽ fuisse Episcopum Romani non concedent.

Extrema vnctio ex Iac.5.

Mar.6.

Quod de Sacramento Vnctionis dicitur, idem nobis de Pœnitentia,de Confirmatione, de Matrimonio,de Ordine respondeãt: an ista Christus vspiam tanquam Sacramenta ordinarit: sicut Baptismum & Eucharistiam. Nam quod ex Veteri Translatione in Epistolam ad Ephesios Matrimonium Sacramentum esse colligunt, triplex error existit: primùm Græcè est mysterium: deinde illud mysterium non est in carnali coniugio sed in spirituali copula Christi & Ecclesiæ, quod ipsa verba docent & Augustinus consentit: tertiò

C.5.

in Ioan. Tr.9.c 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alia lex, vt Sacramẽta sint in Nouo Testamẽto instituta.

adhuc non aliquam Christi institutionem sed tantummodo Apostoli testimonium proferunt. Ratio alia est in Sacramentis quoque non negligenda, vt Sacramenta Ecclesiæ hodie sint non solùm diuinitus, sed etiam in Noua lege à Christo instituta. At Matrimonium, Pœnitentiam, Ordinem Sacerdotalem siue ministerium, & Confirmationem si rectè intelligantur, patres in veteri lege habuisse, quis nisi mentis inops non confitebitur? Baptismum & Eucharistiam Circuncisioni & Paschali Agno successisse, & sola esse à Christo Ecclesiæ tradita quis nisi effrons inficiabitur.

Alia lex verbum annexũ, præcipiẽs & promittens. In Ió. Tr. 80.

Tertia ratio est & Patrum & nostrorum Enarratorum, Sacramenta nulla esse, vbi verbum non accedit, tum institutionem testificans, tum institutioni promissionem annectẽs. Quod etiam Axioma Augustinianum esse inuenietis. Non dixit Christus, Vos mundi estis, propter Baptismum
" quo loti estis, sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis, tum quia & in aqua verbum
" mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Verbum mandans est in Eucharistia, Dixit, Hoc est corpus meum, Accipite, Hoc facite & reliqua: Verbum promittens est, dari corpus, fundi sanguinem in remissionem peccatorum: Verbum præceptionis in Baptismo est, Ite, prædicate &c. Baptizantes, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: quam formam Baptismi ipsi notant. Verbum promissionis est, Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit. Quorum neutrum in illis fictitiis & adulterinis Sacramẽtis clarè apponi videbimus. Nam quòd benedictiones quædam & promissiones siue de matrimonio siue de pœnitentia legũtur: eædem ad omnes vocationes & ad omnia opera pertinẽt. Quartò Patres & nostri cũ verbo signum & elementum in omni legitimo Sacra-

Signũ seu Elementum.

Sacramento exigunt: Vt enim Noh̃ dedit arcum in nubibus, Abrahæ Circumcisionis signaculum, Gedeoni vellus aridum & humidum: Achazo signum per Iesaiam: & apud homines fœdera & pacta signis, pignoribus, testibus confirmantur: si verbis promittunt, stipulantur manibus, si literis, sigilla apponunt, vt promissa robur habeant: sic in Sacramentis in Baptismo aquam, in Eucharistia panem & vinum quasi promissionum signa, & Diuini fauoris pignora Dominus addidit. Non hoc aut nouum est aut nostrum: sed vetus est & diuinum: atque etiam Patrum. Augustinus, Sacramenta sunt signa rerum aliud existentia, aliud significantia: Et in Ioannem, Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum: Ioannes Chrysostomus, Est aqua Catholica &c. Hæc aqua primatum tenet in elementis: sed cùm istud elementum acceperit Spiritum Sanctum, fit Sacramentum: & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis, non erit aqua communis, sed refectionis. Ex quo loco intelligimus duo, signum vel elementum esse necessarium ad Sacramentum constituendum: sed vt nobis fiat vtile, opus esse designatore Spiritu. In Ordine, in Confirmatione, in Matrimonio quod signum diuinum est? quod elementũ in Scriptura præscriptum? Nam si librum, si calicem & patinam, si annulum, si crucem ipsi adhibeant, characteres diuini non sunt, sed humana signa, & per homines mutari & deleri possunt & debent.

Lutherus in Cap. Bab. In l. de abrogan-da Missa.

Con. Maximi. l. 3. ca. 2. Tr. 80. In. Psa. 22.

Atque hæc ratio visa est ipsi Luthero tam potens, vt licet antea generali significatione Pœnitentiam Sacramentum nominarit, tamen reuocat & se explanat, in Captiuitate Babylonica, & non vult ea verè Sacramenta dici, quæ signis alligata non sunt, sed nuda tantùm promissa existimat,

Pœnitentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam, inquit, Pœnitentiæ Sacramẽtum, quod ego his duobus accensui, signo visibili & diuinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ad Baptismũ. Sed nec Scholastici dicere possunt suam definitionem conuenire posse Pœnitentiæ, qui & ipsi Sacramento signum visibile ascribunt, quòd formam ingerat sensibus eius rei quam inuisibiliter operatur. At Pœnitentia seu absolutio, tale signum nullum habet, quare & ipsi cogẽtur propria definitione, aut negare Pœnitentiam esse Sacramentum, & sic numerum eorum imminuere, aut aliam Sacramentorũ afferre definitionem. Num hìc patrum calculos expectabunt? Sẽtentiarum magister, qui septem Sacramenta excudit, à quo patre vnam de hoc septenario numero sententiam producit? A quo patre seu doctore veteris Ecclesiæ habet, Confirmationem esse Sacramentum, & perficiendum non esse nisi à summis Sacerdotibus & tempore Apostolorum non nisi ab Apostolis fuisse peractũ? & licere presbyteris Baptizatos tangere in pectore, & non licere chrismate in fronte signare? Et hoc Sacramẽtum maiore veneratione prosequendũ, & maius augmentum virtutum præstare, quàm Baptisma? Hìc certè Marginalis illa nota toties contra Magistrũ repetita rectè interseri poterat, NOTA quòd hìc communiter Magister non tenetur. Si à patribus numerus petendus est: Bernardus lotionem pedũ numerabit: Dionysius matrimonio dempto, sex, Augustinus laxiore significatu forrassis nouẽ: strictiore & Augustinus & alij duo: Septem ista, neque plura istis neque pauciora, antiquorum nemo, quantum hactenus legere aut intelligere potui: imò quia sanguis & aqua ex latere Christi fluxerunt, duo inde Sacramenta statuunt. Hunc numerum nos tenemus, quia horum rationem reddere

De numero septenario Sacramentorum.

Confirmatio.

Aug. de doct. Chr. l. 3. c. 9.

dere possumus: alia verò quia Christum autorem non videmus: nec in noua lege ad vsum totius Ecclesiæ eorum prima institutio fuit: nec signum diuinitus annectitur: nec verbi præcepto, nec promisso nituntur: nec materiam debitam, nec formã iustam, nec vllam definitionẽ certam veri Sacramenti habent, inter res bonas aut status vitæ vtiles, sed non inter Sacramenta Christi reponimus. Nisi verò, inquit Origenes, Circũcisionis reddatur ratio, nutus est & opus mutũ: pascha & aliæ solẽnitates nutus magis sũt quã veritas. Pergit Cãp.

Cyril. in Io l. 6. Ambros. Hier. ad Oce. In Luc. H. 5.

ET DE SACRIFICIO. Sacrificiorum genera duo ex Scripturis tenet Ecclesia nostra, Christi proprium, Christianorum commune: illud salutare & expians, hoc officiosum: vtrumque ex ore Christi non hominum sumendum est. Nam vt bene Cyprianus, si in sacrificio quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, vtique id nos audire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit. Itaque Christus mandauit, vt se vnicum Noui Testamenti Sacerdotem, suum sacrificium & iuge & solum propitiatorium esse credamus: quod Satan tollere conatus est: & Antichristus eius Archiepiscopus ferè abrogauit cum toto Dei cultu, cum verbi & Sacramentorum ministerio, iuxta Danielis Prophetiam, & nouum Deum Mauzim, precio- Dan. 8. 9. 11.
sa veste & auro ornatum populo obtrusit. Non omnia sacrificia placent Domino: alioqui Cainum sacrificum non despexisset, nec per Iesaiam dixisset, Quorsum multitudo sacrificiorũ vestrorum? Nec per eundem, Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum quasi canem occidit: nec per Parœmiastẽ, Abominabiles Domino impiorũ victimæ: nec per Ecclesiasten, Obedire & audire præstãtius esse stultorum victimis. Quod est ergo sacrificiũ quo

Sacrificiũ

Ep. ad Cęcilium.

Iesr. Iesr. 66. Pro. 15. Eccle. 4.

sanguines & sordes nostrorum peccatorum abluuntur? Quod aliud quàm Iesu Christi, qui solus Deo gratus est, & filius eius dilectus, in quo patri complacitũ est? Respicite Sacerdotis personam. Loco & dignitate summus est Põtifex, qui Noui Testaměti sacerdos est, qui in Sancta Sanctorũ ascendit, qui sedet ad dextrã patris, Christus solus est: ordine est secundum Melchisedech: quod Christo soli conuenire ostendit ad Hebræos Epistola. Cõditione patiens est & ærumnosus, agnus occisus, pellicanus sanguine pullos vitæ restituens: hircus sanguine frangens Adamantinos: Ioseph venditus, Ionas in ventre terræ absconditus, serpens exaltatus, id est, Christus Pascha nostrum immolatus est: Christus hoc torcular calcauit solus: Vita & moribus, debet esse innocens, impollutus, à peccatoribus segregatus: Quis nisi Christus audet illam vocem vsurpare, Quis ex vobis arguet me de peccato? Tempore, æternus est hic sacerdos, quod de vno Christo dictum est, Tu es sacerdos in æternum: persona & officio talem esse oportet, qui nec vitulos, nec alia, nec aliorum corpora, sed seipsum, nec semper sed semel offert: cuius perfecto sacrificio velut præsentissimo, vt ait Chrysostomus, medicamento omnes nostri morbi, vulnera, infirmitates sanantur. Vnica enim oblatione perfectos effecit imperpetuum eos qui sanctificantur. Hæ sunt qualitates nostri Sacerdotis: hic effectus & virtus sacerdotij. Discimus ab eodem Christo aliud sacrificium quod nostrum est: illudque potissimum triplex. Primum Pietatis erga Deũ, laudis & labiorum scilicet, vt ab ortu solis vsque ad occasum magnum fiat nomẽ Dei in Gentibus, & vitulos labiorũ offeramus, maximè in Sacraměto Eucharistię, Deo gratias agam⁹ pro impẽso nobis filij

1. Christi sacrificiũ propit.

Heb. 2. 3. Psal. 110. ca. 7.

Io. 3. 1. Cor. 5. Iesa. 63.

Ioan. 8.

Ad Heb.

2. Sacrificiũ Christianorũ triplex. Mali.

filij sui sanguine. Secundum, Pietatis in nobis vt nõ corpus Christi sed corpora nostra exhibeamus hostiam viuentem, sanctam, acceptam Deo, vt sacrificium sit spiritus noster contritus & afflictus quod Deus non despicit. Tertium, Pietatis seu iustitiæ seu charitatis erga alios est sacrificium: vt bona illis nostra offeramus, quia eleemosynæ sunt suauis odor & fragrantia Deo gratissima. Hanc misericordiam vult nõ sacrificium. In hunc enim finem facti sumus Dei domus, sacerdotium sanctum, vt offeramus hasce spirituales hostias. Nam quòd isti Missam nouo & exotico vocabulo insignierũt, & pro viuis ac defunctis propitiatorium sacrificium sceleratè fecerunt: Christi crucis inimicos se ostendunt, dum quod semel fieri debuit, semper iterant: dum quod ab ipso factum est, sibi sumunt: dum medelam quæ satis in cruce efficax fuit, in missatica pompa vulneribus nostris quotidie admouent: dum quod Sacramentum propriè ab omnibus, metaphoricè à nonnullis patribus Sacrificium nuncupatur, in verum sacrificium vinificum transformant: dum offerendo opus & officium esse volunt, quod reuera beneficium est quod non dari sed accipi debet. Sed de Missa meritoria quid dicam? Quid enim est aliud quàm idolum execrabile propter adorationem? Helena meretrix propter histrionicum apparatum? Pandora propter ceremoniarum farraginem? Cornix Æsopica per multos annos à tot Romanis Pontificibus ascititiis coloribus picta? quid aliud quàm iugum plusquam Iudaicum propter onera præsumptionũ, vt dixit Augustinus: vbi animulæ astantium tanquam in cœna ac conuiuio non pascũtur, sed oculi velut in spectaculo aut simiarũ ludo saturantur? vbi frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stant ad altare, Nemo est qui simul

Rom. 12. Psal. 52.

Philip. 4.

1. Pet. 2. Missa.

Act. 15. Aug. ad Ian.

Universidad de Deusto
Biblioteca

participet, vel qui ad participandum inuitet, vbi non edant sed miserrimè esuriant, cùm tamen Christi Testamentum sit ac fœdus initum cum Christianis omnibus. Nec in mensa quidem prophana vnus pro alio comedit, nec Iudæus vllus pro alio circumcisus est, nec in Baptismo quisquam pro aliis baptismum suscipit: nec alius pro alio aut credit aut alium conseruat. Econtrà si missificis personam cum Christi persona, & sacrificuli vilitatem cum Christi sublimitate, illius inordinationem cum huius ordine, illius luxum & securitatem cum huius cruce, illius improbitatem cum huius integritate, illius mutabilitatem & mortalitatem cum huius constantia & æternitate conferrem: longa esset sed vera oratio: quæ illius superbiam & in sacrificando arrogantiam refutaret, & huius ἀπιράβατον & sempiternum sacerdotium demonstraret. De illo sacrifico & Missifice verum est Gregorianum illud, Cùm is qui indignus est ad deprecandum mittitur, animus iudicis ad deterius prouocatur.

Chryſ. ad Eph.

De meritis & iustificatione. Hiero. in Iesc. 64. Ber.

De piorvm meritis: Quod esse potest meritũ hominis miseri, nisi aut, vt ille dixit, hominis desperatio, aut, vt ait alter, Dei miseratio? Si nostras maculas & merita respicimus: de omni spe salutis deturbemur, & animum planè abiiciamus necessum est: si ad Christi merita oculos reserimus: noua consolationis lux oborietur. Nec quicquam sanè vtilius est Christianæ scholæ nouitiis, quàm naturæ suæ vitiatę recognitio & peccatorum confessio. E cœlo descendit, Nosce teipsum: Sapiens in prouerbiis monuit, Iustum esse sui accusatorem. Cyprianus ad Cornelium, Primus fœlicitatis gradus est, non delinquere, secundus, delicta cognoscere: illic currit innocentia integra & illibata quæ seruet, hîc succedit medela, quæ sanet. Quare nostra hæc Catholica est doctrina, vt naturæ turpificatæ consideratione deiecti & strati peccata nostra Deo confiteamur, potius quàm de bonis meritis quæ nulla sunt, gloriemur. De meritis non est mirandum Iesuitas sibi blandiri, quandoquidem, vt fertur, hac fiducia in Angliam regredi, & propter Papæ confessionem mori, si necesse esset, non dubitarunt, vt mortui Romæ in Martyrologio Pseudomartyrum scriberentur, & à Pontifice Romano in Sanctorum canonem referri mererentur: sed illi nouitij quicunque fuerunt si sapuissent, alia ratione fauorem emereri studuissent. Nam qui sic sub Papa militare & merere volunt, annon congruum & condignum meritum erit mors? Quomodo vos potestis credere, cùm gloriam alij ab aliis captetis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæratis? Nos autem neque actionibus, neque passionibus, nec vllo merito nostro ingressum, vel in Ecclesiam Christi, vel in cœlum nobis patefieri nisi solo Christi merito credimus. Quis enim, quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Num infans? Is licet vulgo innocens perhibeatur, in vtero matris cum boni nihil sciuerit, nihil mereri potuerit, natus in iniquitate & in peccato conceptus est. Quis dabit mundum ex immundo semine? Ne vnus quidem dari potest. Num adultus? vt sunt annorum sic vitiorum auctus & gradus sunt: ac vitia vitiis quotidie accumulantur. Et illi adulti vel sunt homines à virtute remoti & à fide alieni: vel renati & fideles. Nunquid natura iræ filius syluester & oleaster, de congruo mereri dicetur? Nec Camillus pius, nec Scipio fortis, nec Fabritius tẽperans, nec Socrates sanctus, nec Aristides iustus, nec Lucretia

Epist 3.

Iesuitarũ meritum est Martyrium Romæ pro rebellione in patriam.

Ioan. 5.

Pro 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

casta, nec quisquam mas aut fœmina: non Saulus, non Cornelius ille Centurio aliquo bono motu suo viam sibi ad Dei aut Christi notitiam præmunire potuerunt. Nam Paulus ante squamas depulsas spirabat minas & Ecclesiam vastabat: Cornelius, quãdo eleemosynæ preces opera Deo placebant, iam in gratiam erat receptus, & Pius dicitur: nec sine fide, vt rectè Augustinus, aliqua donabat vel orabat. Nunquid iustus ex se iustus est? Daniel negat, Tua est iustitia, nobis confusio faciei & infamia. Si cum Dauide sinum nostrum inspexerimus, clamabimus, Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Petrus tanquam superbus pauo dum suarum pennarum aspicit pulchritudinem, erigit cristas: sed admonitus à Christo, pedes illotos videns, non modò pedes sed totum se lauandum offert. Iesu discipuli agnoscunt dictum Iesu: Cùm omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. Omnis enim nostra obedientia non nobiscum nascitur, sed à Deo proficiscitur: & quantacunque est, inchoata est: & ea ipsa debiti est non satisfactionis, officii non meriti: Cum Paulo seruo Iesu Christi propter Christũ omnia sua splendidissima facta arbitrabuntur stercora, vt illum lucrifaciant, & inueniantur in eo non suam habentes iustitiam, quæ ex lege est, sed per fidem Christi, quæ est ex Deo iustitia: cum eodem dicet vnusquisque, Nullius mihi conscius sum, nec tamen ideo iustificatus sum: Orabunt fideles cum fideli Isaia: Non est qui inuocet nomen tuum, &c. Abscondisti faciem tuam à nobis, &c. Et nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum: Et confitebuntur iusti cum Hieronymo in eundem Isaiam: Si nostra consideremus merita, desperandum est. Augustini quoque ratio contra iustitiam

Act. 10.
De Præd. Sancto. c. 7.
Daniel. 9
Psal. 31.
Luc. 17.
Phil. 3.
1. Cor. 4. C 64.

iustitiam nostram efficax est: A Deo habemus quòd homines sumus, à nobis ipsis autem quòd iusti sumus? Vbi ergo nostrum meritum? Misericordia Domini: vt Bernardus non erubescit confiteri: quando etiam ait, Hoc totum est hominis meritum, si totam spem suam ponat in Domino. Nam duplex gratiæ Christi effectum esse, Augustinus testis est, contra Iulianum Pelagianum, prima qua nos nõ à malis omnibus sed à peccatis liberat: secũda, qua nos hîc perficit & manuducit, vt ad immortalitatem perducant. Quod autem in via peregrinationis nostræ honestè ambulamus, & tandem ad patriam peruenimus: id ex εὐδοκίᾳ, beneuolentia, & sola bona voluntate Dei profectum est: quæ & eorum quæ ad finem destinata sunt & finis ipsius causa est, id est, & operum & vitæ æternæ sola causa est & effectrix vnica. Deus est in hac vita qui nos pascit, & nihil nobis deest: vt pascat cibos suppeditat: cibos ministerio & cultura terræ producit, vt producat eam fœcundat, vt fœcunda sit pluuiam emittit, ac ei benedicit. Ita in negotio salutis Dei Paterna voluntas & misericordia in vinea conducit imò extrudit operarios: Nam quos præsciuit, eosdẽ præfiniuit, quos præfiniuit vocauit, quos vocauit iustificauit, quos iustificauit glorificauit, nimirum Euangelij operariis os aperit vt prędicent, nobis aures purgat, vt Euãgelii prædicationẽ verè audiamus, audientes credamus, credentes iustificemur, iustificati tandem eodẽ donante, regno cœlorũ potiamur. Ergo si Deus misericors nobis prima, media, vltima concedit, & solo gratiæ afflatu & secunda velificatione per hæc media ad finem prouehit, Quid est, cur meritorum nostrorum alis tanquam Icari audaces ad cœlum subuolare tentemus? Et si dixerimus nos operari non fallimur: sed Eze-

In Io. Tr. 81.
S. Ps. Qui habitat.
L. 6. c. 5.
Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

chiel reſpondet:Faciam vt in præceptis meis ambuletis: Si dixerimus, Nos volumus: reſpondet Apoſtolus,Deus dat velle:Si dixerimus, Nos
Io.15. facimus: At vt facias Deus facit, qui dat & velle & perficere: ſine quo nihil poſſumus facere:Si enim verum eſt,quicquid eſt cauſa cauſæ, cauſa eſt etiam omnium effectuũ qui ex illa ſecunda oriuntur:certè Deus qui per verbum vocat,& cauſa eſt quòd credimus,& quòd laboramus:Ab illo radix eſt fides:ab illo etiam opera fidei ſcilicet fructus & effectus ſunt. A radice omnis humor in herbas in arbores aſcendit: abſque illa emarceſcunt & exareſcunt: ita operum vita fides eſt:ſine qua aridi ſumus & exucci,& palmites inutiles. Qui ergo,vt loquitur Baſilius,ſuis rectè factis non fidit,
S.Pſ.32. nec operibus iuſtificari expectat: SOLAM habet ſpem ſalutis miſericordias Domini.Siue ergo bonis operibus ornatus,ſiue iiſdem nudatus ad Dominum accedas,non opus,ſed operis radicem Dominus attendit,quod exemplis probari & illuſtrari poteſt.De Abrahamo patre credentium non eſt dictum,quia exiuit è terra Canaan:quia familiam piè inſtituit, quia hoſpitalis fuit in Angelos: ſed quia credidit, imputatum eſt illi ad iuſtitiam.
In Pſa.31. Auguſtinus, Abrahamus filium ſuum immolandũ Deo obtulit,magnum opus ex miſericordia
"iudicis,ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem o-
"peris,ſed video fidei fundamentum. De latrone
"ſimiliter dictum eſt,qui nihil operis fecit,qui nullum meritum niſi malum habuit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Nam confeſsio quæcunque fuit, fidei fructus non ſalutis cauſa fuit. Annon ſic Patres in Latina & Græca Eccleſia crediderunt & aliis tradiderunt?Latinus Auguſtinus ille: Quanuis latro ex latrocinio,ductus ſit ad iudicem,à iudice in crucem, tamen in ipſa cruce iuſtificatus eſt.

eſt. Idem, Nemo dicat meritis operum ſuorum, vel meritis orationum ſuarum vel meritis fidei ſuæ ſibi traditam Dei gratiam. Chryſoſtomus Græcus,Latro credidit duntaxat & iuſtificatus eſt à miſericordiſsimo Deo:& obiicienti defuiſſe tẽpus reſpondet,illud ſe aſſeuerare, quòd Sola FIDES ſaluum fecerit. Quamuis autem in veterum Scriptis meriti nomen reperiri poſsit: id tamen καταχρηστικῶς dicitur, & ex trita loquendi conſuetudine per relationem ad vnicum Chriſti meritum vſurpatur. Vt de agendo ſic de patiendo ſtatuimus,regnum cœlorum,theſaurum eſſe in æſtimabilem,vt quod nullo martyrio, nulla cruce noſtra,ſed ſola cruce Chriſti comparatur. Non ſunt condignæ paſsiones noſtræ ad futuram gloriam quę reuelabitur. Et Ignatius pulchrè ὁ παρὼν πόνος Rom.8.
ἐλαφρὸς πρὸς τὴν δοκιμὴν τὴν μελλοῦσαν πολιτ. Quamobrẽ cùm merito noſtro inniti tutò nõ poſſimus: cùm hac via non ſuccedat:alia aggrediamur,& ad meritum Ieſu Chriſti eiúſque patris miſericordiam confugiamus.Si Chriſti velut agni ſanguine poEx.12.
ſtes conſcientiæ noſtræ tremefactæ aſperſi fuerint: ſi eius innocentia tanquam veſte obtecti & amicti fuerimus, non percuſſorem Angelum timebimus, ſed perrumpemus omnia diabolorum agmina. Vnde ſcelera noſtra licet inſtar coccini & purpuræ rubuerint: niue candidiora,lana omIeſ.1.
ni albiora erunt, vt pote quæ Deus miſericors Pſal.51.
Hyſſopo mundauit,& aſpergine ſanguinis filii ſui perpurgauit.

DE SPE ET TIMORE. Hoc notatu dignum De Timo
eſt,Campianum vno verbo aliquid inſinuare: ſed re & Spe.
nihil explicare.Quo factũ eſt vt ex illo toto libello neque Lector vllã doctrinę ſalutaris micam accipere,neque nos vllum certum ſcopũ quo collimemus,habere poſſimus.Quid ſibi velit,diuinare

fortasse possumus, exploratè cognoscere non possumus. Nostræ doctrinæ hæc summa est, quam veteres & neoterici, Græci & Latini, Lutherus, Philippus, Zuinglius, Caluinus & Beza nobis cõmẽdãt & ex Scripturis sacris cõfirmant, timorem esse omnis modestię, pudoris, ac aliarum virtutum custodem, sed timorem esse non terrorem: timorem esse non humanum sed diuinum, non superstitiosum sed religiosum, nõ vanum sed verum: hũc timorem Domini omnẽm veram religionem cultúmque Dei complecti, esse initiũ sapientiæ, esse timorem filiorum castigantem patrem amãtium, nõ seruorum dominum flagellantem exhorrescẽtium: Timorem hunc cum spe coniungendum: sic timeamus, vt non aufugiamus quia iustus est, sic speremus, vt non tamen nimis præfidamus quia est misericors. In Psalmis hominis pii sic timentis Deum & sic sperãtis imago sæpissimè exhibetur: Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Pertimuit, Sed adiecta est consolatio, Spera in Deo. Iterum, In Deo speraui non timebo quid faciat mihi homo. Iterum, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montem sicut passer? Iterum, Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo? Hinc nos fœlices iudicamus si quod fides offert, ad id solida spe suspiremus & anhelemus. Hinc si timemus simul & speramus ad hunc modum, Deo placere non dubitamus, quia beneplacitum est Domino in timentibus seu colentibus se, & in iis qui sperant scilicet non operibus suis sed secundum misericordiam eius. Sit ergo animus vniuscuiusque ita constitutus, vt nec metu demittatur aut contrahatur, nec spe impunitatis exultet aut insolescat, sed vtrobique verbo Dei regatur & refrenetur. Est autem aduersariorum doctrina de Spe & Ti-

Prou. 1.

Ps. 41.

Ps. 56. Ps. 11.

Ps. 27.

& Timore, omnino nec ad veritatem firma, nec ad animi tranquillitatem constituendam mẽtémque componendam satis accommoda. Illorum enim timor horror est, spes desperatio: nec quid timeant aut sperent, in eorum libris satis constitutum est. Itaque tripliciter eos errare hîc existimo: in timoris ac spei subiecto, in modo, in fine. Quid enim non timent? In quo spem suam fixam habent? An illud Dauidicum certò & solùm credunt? Tu Domine Spes mea? Imò timuerunt, vt alibi canitur, vbi non erat timor. Timent lemures & vmbras omnes: timent & honorant Sanctos, quos etiam spei suæ fulcimenta & tutelares habent. Iubent Mariam saluere, tanquam vitam suam, dulcedinem, spem suam, ac matrem misericordiæ: Ad eam in versu Rosarii sic preces dirigunt, In omni tribulatione & angustia nostra, succurre nobis piissima virgo Maria. Nonnunquam etiam, quod & vetus prouerbium comprobat, coram Diabolo candelas accenderunt, ne noceret, & ad eum profligandum aquam lustralem & crucem aliáque carnis suę inuenta adhibuerunt. Sanctos verò dum colunt, obseruant, inuocant, eos vt timeant & reuereantur necessum est. Timent etiam brachium carneum? Papæ excommunicationibus & Bullis tanquam fulminibus isti expauescunt, si oua die Veneris fortè comederint, si omnes Papæ sanctiones plusquam verbum Dei non receperint, si ad omnes eius nutus non procubuerint, eúmque, prouoluti, non osculati fuerint, & si non prostrati adorarint, quasi non modò in eius pectore sed etiam in pedibus insit sanctitas, quasi talis honos seruis impensus Domino placere possit, qui suum honorem alteri non dabit. Dominus ipse apud Iesaiam reprehendit, Timuerunt me mandato & doctrinis hominum.

Triplex error aduersatorũ. 1. Quid timent.

Sãctorum timor & veneratio.

Timor Cacodæmonum.

Timor Papalis fulminis.

Ies. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non ita docuit Augustinus, Time Dominum qui
S. Cant. S. 20. super omnes est, & hominem non formidabis:
Nec ita ex Bernardo suo didicerunt, Deum time
& mandata eius obserua: hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est
2. Error in modo. homo. Erratur deinde in modo timendi: Sic enim volunt suos timere, vt timor ille sit magister diffidentiæ & desperationis plenissimus, & pro hac dubitatione etiam argumenta congerunt ex nono Ecclesiastis, Homo nescit vtrum sit amore an odio dignus, de qua deprauata translatione superius dictum est: & locus ille non de vita futura loquitur, sed tantùm de fauore Dei in hoc mundo, qui colligi non potest ex hisce mundanis casibus & externis euentibus qui bonis & malis communes sunt: Ex Syracide, De propitiato peccato non sis securus, quod etiam perperam à Veteri Interprete vertitur: περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου, &c. & facit tantùm contra præsumptionis & securitatis præcipitium, ne gratia Dei abutamur: & de eius misericordia non simus securi supra modum, vt scelus sceleri addamus: Si fidei comes & ancilla spes sit, atque sit inter ea relatio, vt quod certò fides de Deo eiúsque misericordia, de Christo & per eum, de peccatorum remissione, déque hæreditate regni cœlestis adeunda credit & concipit, id etiam certò spes expectet: non potest esse vlla spes nisi perfecta sit &
Heb. 6. indubitata rerum earum expectatio, nisi firma sit animæ anchora, quæ nos mergi non permittat: sed
Anathema Con. Tridētini quæ in omnibus Satanæ insultibus incōcussa persistat. Ergo anathematizetur ille Canon Tridentini Concilij: Si quis dixerit omni homini ad
Anathematizandum. remissionem peccatorum assequēdam necessarium esse vt credat certò & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & dispositionis peccata sibi esse

esse remissa, Anathema sit. Anathematizetur etiam illa Andradii desperans spes & conditionalis fides, Credo & nulla ratione dubito, mihi ad iustitiam aditum patere, si syncera fide verá-
Andradius l. 6. de Fide. que pœnitentia ad diuinæ gratiæ thronum accessero: sed an id verè ac integrè aliquando præstiterim, constare mihi certè nunquam potuit. O pectora cæca, ô homines omni vero timore & Christiana spe vacuos, qui dulcem hanc doctrinam ne primoribus quidem labris degustarunt: qui nec spei naturam, nec fidei definitionem, nec se, nec Christum norunt: qui in sua fide syncera, & sua vera pœnitentia, & in sua integra ac perfecta obedientia, & non in Christi merito & Dei beneficentia omnem suæ salutis rationem constituunt. Nunquam nunquam Andradi hoc integrè & verè præstabit in hac vita sanctissimus homo, vt ad amussim ex præscripto diuinæ legis aut credat aut viuat quomodo oportuit: ergo nunquam seruabitur. Nostra fiducia certa est ex diuina promissione non ex nostra vel dispositione vel actione vel confisione. Dicimus, Credo Domine sed adiuua incredulitatem. Hæres & fi-
Rom. 4. lius Abrahæ nunquam erit, qui non præter spem sub spe credit: Successor Petri nunquam erit, qui Petro non obtemperat, Perfectè sperate (non in vestra fide aut operibus) sed perfectè sperate in
3. Error meritum. eam quæ ad vos defertur gratiam. Est & alius istorum error in fine: nam in timore suo & spe sua aliquod meritum collocant. Beatus, inquiunt, est, qui semper est pauidus: vnde & pauere nos volūt non sperare non credere & eius pauoris meritum esse beatitudinem: Imò verò sic delirauit Alphō-
Fol. 25. sus, vt seruilem hunc timorem, modò sit animi aliqua charitate copulatus, mereri dixerit, cùm tamē
Rom 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic seruilis timor sit valde noxius & conscientiis horribiles pauores incutiat: & spiritum huius timoris & seruitutis in his qui filij sunt adoptionis explodit Apostolus. Pij, inquit, debent in timore & tremore operari suam salutem: at ille agit de liberali filiorum timore, qui cum diuinæ gratiæ fiducia coniunctus est, nec agit de causa iustificationis sed de effectu, vt timeant scilicet & operentur hj, qui iam sunt eam adepti singularem iustificationis gratiam: sicuti Petrus hortatur, Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Est enim salutis nostræ per Christum partæ quasi arra & obsignatio, & coram hominibus euidens demonstratio vitæ probitas, quæ in iustificatis debet relucere. Hunc tamen Petri locum huc detorsit etiam Canisius Iesuitarum magnus Homerus, qui etiam in eadem operum arena nostræ spei & iustificationis fundamentum ædificat, hisce verbis,

Philip. 2.

Canisius.

„ Quibus bonæ conscientiæ testimonium aut melioris vitæ propositum deest, hi spem quâ oportet „ non adferunt, sed præsumptionem potius & vanã „ omnino fiduciam temerè iactant, quantumuis de Christi meritis Deique gratia glorientur. Absit vt nos aliam vllam spem afferamus quàm Christum: absit nobis gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: absit vt aliter credamus quàm spei fundamentum esse hanc fidem, & fidei huius obiectum esse Christi meritum, & Dei promissionem: sequelam autem & fructum fidei & iustificationis esse pacem & bonam conscientiam, quæ est iuge conuiuium. Totus hic locus elegantissimis verbis & suauissima consolatione à Bernardo concluditur, qui certitudinem nostræ salutis, & spei suæ verum subiectũ, eiúsque suæ cõfisionis causas optimas absque vllo suæ perfectionis vel imperfectionis intuitu assignauit: & omnes obiectiunculas Antagonistarum solida responsione infirmauit. Tria cõsidero, in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens, Quis es tu? aut quãta est illa gloria, quibúsue meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio cui credidi & CERTVS SVM, quia in charitate nimia adoptauit me: quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione. Nihil perfectioni aut sanctitati aut pœnitentiæ aut cucullis aut merito ordinis sui, aut regulis & obseruationibus vitæ suæ monasticæ, sed omnia Christo eiusque merito, omnia Deo amantissimo, verissimo, potentissimo tribuit. Atque hanc Catholicam doctrinam, moriens confirmauit: omnibus suis votis & religionibus fictis valedicens, Tempus perdidi quia perditè vixi: Hanc fiduciam certam esse Catholicæ Ecclesiæ notam etiam alio in loco ostendit, Ecclesia non prę sumit de suis meritis sed de Dei misericordia: Et alibi, Beneplacito voluntatis innititur.

Rom. 5.

Prou. 15.

De 7 frag mentis S. 3.

Tria fiduciæ nostrę fulcra ex Bern.

S. Cant. Ser. 6. Ser. 11.

DE PECCATIS IMPARIBVS. Quæ apud Theologos nostros & Philosophos in eorum libris dispersa sunt, si in vnum aceruum colligere, aut sub vno aspectu ponere conarer: & inutiliter & infinitè laborarem. Illud ingenuè fateor nostrorum hominum sententiam mihi quàm aduersariorum placita magis placere. Nam de peccato dum contra nos digladiantur, quod ad rei terrorem exaggerari ab illis & amplificari debuit, id oratione verbísque extenuant & eleuant. Quod planè nihil aliud est, quàm aperire scholã omnis licentiæ, & ad peccandum fenestram patefacere.

Peccata imparia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alphons. 2. Cor 5. Cõ. Trid. Quid enim agunt aliud, cùm tradunt concupiscentiam non esse peccatum sed fomitem? vel abusiuè dici peccatum sicut Christus? vel sic Metonymicè denominari quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat? Cùm tradunt definitionem 1. Io 3. peccati à Diuo Ioanne positam non esse plenam? cùm tradunt opera infidelium non esse peccata? cùm tradunt singula peccata in aures sacerdotis immurmuranda? cùm subdolè & iniquâ trutina peccati grauitatem aut leuitatem ex suo capite metiuntur & ponderant? Cùm tradunt peccata esse venialia, quæ vel aquulæ benedictæ aspergine, vel sacrificî opere operato, vel diuitis eleemosynarij pecuniola, vel Papæ indulgentia, vel leuissima Purgatorij tortura & vstura, vel pœnitentiæ iniunctione, vel aliquo confitendi voto, vel illis aliis modis in omnium Pseudocatholicorum opusculis apertè nominatis expiëtur? Leuia sunt Canisius in Catec. Canisio mentis euagatio, verbum otiosum, risus immoderatus & alia consimilia: quas tamen animæ sordes & labes existimat acerbis Purgatorij ignis pœnis eluendas nisi in hac vita diluantur. Adeo sunt illorum omnia phantasmata, anilia & plena superstitionis atq; adeo vanitatis. Ad quæstionem verò quod attinet respondemus: Primò nos neque Stoicis philosophis, neque Iouiniano Monacho fauere, sed illis aduersari, qui omnia peccata voluerunt esse æqualia; quanquam de Iouiniano Augustini narratio non satis liquida, certè meo iudicio suspecta est. Ita Hieronymus in illum propter virginitatis argumentum, ita de illo absque certo autore scripsit incerta Augusti Rationes pro inæqualitate peccatorũ nus. De Iouiniano postea: de re dicimus peccata esse inæqualia, & rationes afferimus, primam quòd ipsa peccata, scelera, flagitia vt nominibus ita reipsa vel Cicerone teste, distinguũtur, Scelus est

est verberare, &c. Nec idẽ est per incuriam, ignorantiam, incogitantiam delinquere: & scienter & prudenter & libenter peccare: Alterã propter pœnarum diuersitatẽ, quas Dominus iustissimus pro mẽsura & qualitate culpę, æquabili & moderatissimo iudicio suo irrogat: vt alij grauius alij leuius plectantur: vt terra Sodomorũ & Tyrus quàm Iudæi, Pilatus quàm Iudas tolerabilius sup- Matth. 5. pliciũ subeant: vt alij concilio, alij iudicio, alij gehennæ incẽdio obnoxij sint, vt seruus nescius paucioribus, sciens pluribus plagis corripiatur. Differẽtias ergo dicimus & docemus, in genere seu specie culparũ, dein iudicij diuini varietate, præterea ex personis, pòst à modo, postremò ex numero & frequentatione peccatorum. Cordis, Matth. 5. oris, operis peccata disterminantur, & gradus seu discrimina apud Matthæum ponuntur: nec sumus ita stolidi Stoici, vt idem esse putemus nauem Cic. in auro & paleis onustam submergere. Iudiciorum Parad. item ibidem varij processus ostenduntur, vt in hi Ios. 7. Ezech 16. storia quoque Achan, & apud Ezechielem licet De Summo Bono cernere. Ex personis oritur aliqua discrepantia: l. 2. c. 18. Isidorus, Tanto magis cognoscitur esse peccatũ, quanto maior qui peccat, habetur. Nec solùm persona quæ offendit consideratur, sed etiam quæ offenditur, Deus homo, magistratus priuatus, pater alienus, quæ circumstantiæ crimen exaggerãt vel minuunt. Modus non est vniusmodi, quia prima quæ impetu quodam animi seu vento fiunt, non tam grauia & atrocia cẽsentur, quàm ea quæ consulto & ex industria committuntur. Ad extremum multa licet sint iudicio humano leuicula, sæpe iterata maiora & grauiora habentur & numero increscunt. Isidorus, multa leuia vnum grande efficiunt, sicut solent ex minimis

guttis immensa flumina crescere. Idem Augustini similia clarissimè demonstrant, ista minuta fieri magna. Non est, inquit, bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerunque minutæ multæ necant. Si proiiciatur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi, &c. Quàm minuta sunt grana arenæ? Si arenę amplius in nauim mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? nónne flumina implent, & domos deiiciunt? ergo ista nolite contemnere. Nec dissimilia sunt quæ scripsit in Ioannem, Minuta plura peccata si negligantur, occidunt.

De 10. chor. ca. 11.

In Io. Tr. 12.

Peccata quomodo paria dici possint. 1-Io 3. Gal 3.

Hæc qui de inęqualitate peccatorum docemus & disputamus: dicimus etiam alia ratione posse vocari paria: & quoad legis transgressionem & quoad Iudicis exactam sententiam: Legis quæcunque præuaricatio est peccatum. Et maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt. Qui offenderit in vno reus est omnium: Illud veniale Canisij delictum, otiosum verbum, Christo iudici non ita videtur, de quo rationem reddent non in Purgatorio sed in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Et quæ sunt ista minima, quæ isti homines minimi faciunt? Nónne scriptum est,

Matth. 5.

Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum? Ex istis locis & transgressionis & pœnæ aliqua conspici potest generalis æqualitas, quia etiam omnis peccati autoramentum seu

Rom. 6. Ezech. 18.

stipendium mors est: quia anima quæ peccauerit ipsa morietur, quia pomi esus, & ligńorũ in Sabbatho collectio, propter inobedientiam grauissimè puniuntur; quia etiam, qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Non enim debemus

stare vel cadere nostro iudicio sed Iudicis. Augustinus, Quæ sint leuia, & quæ grauia peccata, non humano sed diuino sunt pensanda iudicio. Idémque alibi, In æstimandis peccatis non affe-

In Ench. c. 78. De Bapt. con. Don. 2. c. 6.

ramus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quod volumus pro arbitrio nostro dicentes, Hoc graue hoc leue est, sed afferamus stateram diuinam de Scripturis sacris tanquam de thesauris dominicis. Hac statera Iustitiæ nostræ erunt instar panni menstrui: Et iuxta Augustinum, Væ vniuersæ iustitiæ nostræ, si remota iustitia iudicetur: Hac statera tolletur vanissima illa distinctio venialium & mortalium, sensu papistico prorsus insipida: quia omne peccatum sua natura est mortale, nullum veniale: nisi quatenus Dei misericordia veniam consequimur, nisi quatenus sanguis Iesu Christi nos emundat non à venialibus, vt isti vocant, sed ab omni peccato. Atque hæc est nostra & nostrorum atque adeò catholicorum doctorum de peccatis sententia.

De avtoritate petri, de clavibvs.

De primatu Petri & Papæ.

Quid ex hac Petri autoritate & ex hisce clauibus fabricet Campianus, non me latet. Quanuis enim tectè & callidè omnia verborum inuolucro occultet: & propter legis apud nos latæ periculum apertè non loquatur, sed aliqua circuitione vtatur: reuera tamen hinc Anglos suos Romanæ sedis super omnes Ecclesias eminentiam, & Romanorum Pontificum super omnes reges & potestates Monarchiam & Hierarchiam docere voluit, vt hîc excussa omni debita obedientia erga Regiam Maiestatem in subditorum loculis iterum atque adeo in conscientiis dominentur. Sic enim illis ratiocinari placuit: Petro Vniuersalis Ecclesia commissa est à Christo: ergo vniuersalis Episcopus est Romanus Pontifex: Petro dati sunt

duo gladij, ergo ſucceſſori ſuo Papæ. Quod argumentandi genus verè papale eſt non ſcholaſticum: Papa Nicolaus primus ſic ratiocinatus

Ad Mich. Imp. eſt, Animaduertendum eſt, quia non Nicena, non denique vlla ſynodus quicquam Romanæ contulit Eccleſiæ priuilegij, quæ in Petro nouerat eam totius iura poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ouium regimen accepiſſe. Papiſta etiam in Concilio Baſilienſi Panormitanus eodem filo contexuit rationem, vbi Gnatonicè Papam Eccleſiæ Dominum appellauit: cui tamen eo tempore Ioannes Sigonius, vir habitus Theologiæ peritiſſimus reſpondit, primò, Auto-

Matt. 20. ritate Chriſti, Scitis quòd principes gentium dominentur illis, & qui magni ſunt poteſtatē exerceant in eas, vos autem non ſic. Dein verbis Petri

1. Pet. 5. ipſius, Paſcite quantum in vobis eſt gregem Dei, &c. nō dominātes: qua vera Petri autoritate hæc

Clauis Petri referat & claudit omnia. vſurpata Petri autoritas peruellitur. Sed ex iſtis clauibus quid non cōflarunt? Mitras, gladios, Iubilæi malleos aureos, collationes omniū Eccleſiaſticorum redituum, diſtributiones & deuaſtationes regnorū, mercaturam animarum, claues cæli, Purgatorij, inferni, omnia denique præter vnicum quod verarum clauium poteſtas requirit, quippe Regnum Dei nec Euangelio referare, nec lege claudere aut voluerunt aut potuerunt. Petri nomine quo non ſunt abuſi ad omnia? Petro ſuccedunt in cathedra in qua ille nunquam ſedit: Petri claue peccata remittunt, indulgentias largiuntur, Petri nomine Apoſtolicas benedictiones & maledictiones impertiuntur regibus & a-

Naucl. Gen. 39. liis. Adrianus Friderico, Admiramur quòd Beato Petro & Sacræ Romanæ Eccleſiæ, non quantam deberes reuerentiam, exhibere videris, quòd in literis ad nos tuis nomen tuum noſtro præponis.

At Adriano Papæ Fridericus Cæſar pro ſe & Petro reſpondet, Chriſtus cenſum Cæſari perſoluit, & exemplum vobis dedit, vt idem faciatis. Alex. Tertius Fridericum pedibus calcās, dixit, hoc eum facere debere, Et ſibi & Petro. Petri nomine Bonifacius Octauus Henricū Quartum omnibus diris deuouit. Papæ faſtus & Pompa & Gazę pluſquam Perſicę Petri ſunt Patrimonium. Petri annulus piſcatorius aureus omnes iniquiſſimas & impias literas obſignat: Petri claue & nomine nouos characteres Beſtiæ ſuis imprimit, nouos Ieſuitarum ordines in orbem abſegat. A Petro habent quod tamen nec habuit Petrus, nec vnquam exercuit, neque aliis communicare vel debuit, vel potuit, imò nec voluit. Ipſi Pontifices hoc neque Petro nec Apoſtolis vllis acceptum ferunt, ſed omnia ad Chriſtum referunt, & iure diuino ſe putant iura hæc ſua papalia & regalia obtinere. Stephanus Pontifex, Romana Eccleſia eſt ſpeculum & exēplum, cui nos Chriſtus præeſſe voluit. Anacletus, Romana Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias. In quo ſuperbiæ ſpiritu & arrogantiſſima phantaſia mihi perſimiles videntur cuidam Oxonienſi Brittanno, qui ſe Georgij Clarentiæ ducis filiū ſplendidè mentitus Edouardum ſe falſò dictitauit, vnde pòſt in Hiberniam profugit & in Britanniam traiecit, ab Henrico Septimo captus, culinæ ſeruitio relegatus eſt. Dignū tali viro præmium. Et dignus Pontifex Romanus qui in culina ſeruiat, qui per fas nefaſque in Aula regnat tyrannicè. At quaſnā diuinas tabulas proferūt? Tu es Petrus &c. Sic enim Scholiaſtæ Anglorhemenſes in eo Matthæi loco argutantur. At in genere ſcribens

Summa decret.

Papa ambitioſus Oxoniēſi cuidam militis.

Obiectio de primatu Matth. 16. retunditur ex Patribus.

de omnibus Hieronymus, simpliciter negat eos vllo iure diuino occupare, Nouerint Episcopi, se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores. Negant etiam nominatim Patres, & quod Romanistæ Petri esse cupiunt proprium, id profectò ad omnes ex æquo pertinere iudicant. Origenes, An soli
In Matt. S. Ioan. Petro dantur claues regni cœlorum? Augustinus
diserte Christum Petram nominat: Tu es Petrus, &c. Super hanc petram quam confessus es, ædifi-
L. 4. Epi. 32. cabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse est ædificatus Petrus. Vniuersale Episcopi nomen displicet etiam Gregorio. Ecce Petrus claues regni accipit, & potestas ei ligandi soluendique tribuitur, & cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, tamen vniuersalis Episcopus non vocatur. Et Petrum non posse esse Ecclesiæ Petram hoc argumento planum facit, Aduersus quem portæ prævalebunt inferorum, ille neque petra dicêdus est, supra quam Christus ædificat Ecclesiam, neque Ecclesia, neque pars Ecclesiæ. Quæ Minor esse possit, omnes vidêt. Quis enim nescit portas inferorum valuisse, contra Petrum hominem tamen, cùm à Christo dictus esset Satanas, & cùm ea quæ carnis sunt saperet, non quæ sunt Dei? Cùm eum Satan tentaret & sæpe cribraret, adeò vt Iesum Magistrum suum & Seruatorem negaret? Quòd autem reliqui claues habeant, ex Matthæi c. decimo & decimo sexto & Ioannis vicesimo manifestum est, quando Dominus omnibus soluendi & ligandi claues tradidit & cre-
De potest. Cur. Ar. 6. didit. Quamuis autem impudenter Petrus de Palude asserat Papam eligi secundum ius diuinum, alios verò Episcopos secundum ius humanum: tamen æqualem eorum in ministerio sortem fuisse

tem fuisse abundè iam monstrauimus, & Petrum sic de se humiliter & modestè sensisse, ex illa eius Concione In Actis Apostolicis sapienter colle-
" git Chrysostomus, Considera quàm Petrus egit
" omnia ex communi Discipulorum sententia, ni-
" hil autoritate sua, nihil cum imperio.

Videtis ex his, Academici, quid possint claues, & quæ sit Petri autoritas: quę si esset maxima, eam tamen Papa iure diuino obtinere nõ posit. Nam illud alterum Cardinalis Poli argumentum non satis Cardinale Augustinus & ex eo Bernardinus Pontificius refutant, Cuilibet prælato dicit Domi-
Io. 20. nus, Pasce oues meas. Concludam ergo hac Plati-
In vita Cœlest. 1. næ historia, vt exemplo simili nostros simplicio-
res admoneam. Ferunt Diabolum Mosis personam induta, multos Iudæos decepisse, qui dum eos ex Creta in terram promissionis sicco pede per mare pollicetur deducere, in mari omnes demergit. Falsus Moses tunc impostor fuit: & fictus Petrus nunc magnus seductor multa magnificè promittit: sed ei fidem nolite habere, ne præcipitet.

Opinio pontificiorum de votis.

De votis. Quid de his tradunt Pontificij? Si de numero quæritis, multiplicant: si de modo, aggrauant: si de personis, neminem sacris ordinibus suis initiatum eximunt: si de fructu, meritoria esse dicunt barbarè & blasphemè: si de tempore, perpetua esse volunt. Numerant enim tria suæ professionis vota principalia, castitatis, paupertatis, obedientiæ, vt ex Thoma, Bernardino & aliis constat. De castitatis, & continentiæ voto nunc dicendum: pòst de aliis suo loco: Id verò tam rigidè exigunt, vt vinculum durissimum sit, & iugum quod nec ipsi nec patres ipsorum ferre potuerunt. Apostolus nemini voluit laqueum inicere. Apostolus disertè ait, De virginibus præceptũ Domini non habeo: illi tamen quod vocant

Tho. 22. q. 186. Ber. Ser. 27. Votum continentiæ. 1. Cor. 7.

consilium,id reuera præceptum faciunt,quod pugnat cũ verbis & mente Apostoli.Eckius expressè,Constat iam,iure diuino licitum esse vouere, & præceptum exequi de continendo. Et præceptum esse illis,Pauli cõsilium, ex eo liquet,quòd lege cautum est,vt qui ad hos ordines assumuntur,castitatis prius voto se constringant. Dial.3. Personas recenset Censura Colonienſis, non modò virgines,puellas & pueros,& religiosos , verumetiã Ministros & Sacerdotes idem votum debere nuncupare.Citatur præterea Calixti quoddam decretum,Presbyteris,Diaconis & subdiaconis & Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus: vbi hæc propemodum formula in Hypodiaconorum ordinatione extat,cum tali execrabili coronide , Hæc secum expendant Christi sacerdotes, qui Sardanapalicã vitam traducunt,cum propriæ salutis , ac totmyriadum animarum periculo.Honesta & honoratissima vitæ coniugalis traductio,& lectus impollutus à Iesuitis Sardanapalismus, Monachatus verò & immundus scortantium nidus & Epicureismus Castitas perhibetur?Hieronymus quãtumuis monachorum patronus habeatur,tamen & ipse confessione sua prolapsus & aliorum cernens flagitia,Quid facit,inquit , monachus in cellis fœminarum?quid sibi volunt priuata & sola colloquia? & arbitros fugientes oculi ? Ex istis præceptis & interdictionibus colligite,ornatissimi fratres,Romanæ sellæ leges non Apostolicas sed tyrannicas. Eos autem hoc votiuo & coacto virginitatis instituto meritum astruere,nõ est obscurum,legenti Thomam,qui ait religiosum in sua professione,plenam omnium peccatorum à pœna & culpa indulgentiam consequi:vel intuenti Bernardinum in Tractatu de Religione,vbi inquit , Maius

Ad Heliodorum.

22.q.6. art.3.

est

est meritum facere aliquid boni ex voto sicut faciunt Religiosi,quàm sine voto sicut faciunt seculares: vel inspicienti scriptorem Neotericum Iesuitam Canisium grauiter denunciantem,Si sibi salutique consultum velint, non credant aliud docentibus. Et rursus ex Dauide , Vouete & reddite Domino Deo vestro , suadet vt voueamus , quo nos omnes ad maioris meriti incrementum & gloriæ æternæ splendidiorem coronam inuitet. Tempus verò exeundi ex hoc carcere & ex his votorum compedibus non est finitum, idem & vnus est manumissionis huiusce & vitæ terminus:nisi fortè Rom. Pontifex dispensare & relaxare possit , (de quo tamen ipsimet Pontificii dubitant)nisi à Monasterio ad Monarchiam , ex clausstro ad Pontificatum euocati fuerint:quam absolutam potestatem sibi nescio quo iure semper Romanæ Curiæ præsul vendicauit. Hæc Pontificii. Quid nos? Vtimur statu Inficiationis:& hæc ab illis vota inconsideratè emissa damnamus & refellimus : Primò , quoniam ea vouere non debent: secundò , quoniam præstare nequeunt.Quod enim nobis testimonium vel ex Veteri Testamento vel ex Nouo proferẽt, ex quo nouas istas cælibatus constitutiones nobis probent? Imò votorum lex à Mose posita est : scilicet,at quid promittebant? quod in eorum potestate erat,agros, domos,& cætera. Atqui lex de Eunuchismo nulla data est:Et hæc ipsa quę facilia & possibilia sunt quo pacto vouebant,liberè & ita licitè. Vir siue mulier cùm fecerint votum vt sanctificentur , & se Volverint Domino consecrare &c.Ita in seueriſſima Nazaræorum disciplina libertas conceditur.Displicet ei infidelis & stulta promissio,sed quodcũq; voueris redde:multòq; melius est nõ vouere,quàm post votũ promissa

Canisius.

De coniugio ministrorum & de votis sententia rectior.

1.Non esse vota eiusmodi licita.

Obiectio. Deut.23. Solut.

Numer.6.

Eccle.5

23. non reddere. Et in Deuteronomio, vbi reddi iubetur quod sponte ab hominibus promittitur: tamen hæc indulgentiæ cautio apponitur, Si nolueris polliceri, absque peccato eris. At totum Dauidis Psalterium fœcundum est votorum prædicatione & commendatione, Vota mea reddam in

Obiectio. Psal. 21. 65. 115. conspectu omnium timentium. Et reddam tibi vota mea quę distinxerunt labia mea, Et vota mea reddam coram omni populo. Hæc enim & similia sunt in Censura Colonienſi Iesuitarum argu-

Solutio. menta. At quàm longè à proposito remota? Dauid rex & laicus vouet: at isti vouent sacerdotes: Da-

Psal 49. uidicum votum est laudis & gratiarum actionis: at istorum vota sunt de cælibatu perpetuo, quem Dauid neque vnquam promisit nec seruauit. Nam cùm de voto labiorum agat Dauid, cùm Chrysostomus illa verba Psalmi, Redde altissimo vota tua, sic interpretetur, Suadet Propheta, vt

Eckius ex 1. Cor. 7. Obiectio. Solut. in oratione assiduè perseueremus, & quæ professi fuerimus, cum celeritate reddamus: clarum est Iesuitam hisce locis à loco communi proposito de cælibatu diuagari. At bonum est si sic man-

Obiect. ex Dial. 3. Censuræ. serint sicut & ego? At qui bonum & vtile siue expediens dicit, necessitatem nō imponit, imò eam suam opinionem duriusculam emollit & modificat, Si se non continent, nubant. Melius est nubere quàm vri. Hic inuenta est mirabilis solutio nodi, in dialogo contra Monhemium in Censura, referri ista ad solutos non ad homines voto aliquo obstrictos. Ita lubrici homines ex omni-

Solut. bus Scripturæ locis elabuntur, dum quod est vniuersale in aliquod particulare cōmutant, sicuti commune est omnium effugium Papistarū aliqua

In Epist. ad Nic. P. acuta distinctio. Hoc artificiū vidit Hulderichus Episcopus, & id hisce verbis indicat, Paulo propter fornicationem dicente, Vnusquisque suam

suam vxorem habeat, specialiter ad laicos pertinere mentiuntur hypocritæ. Quid? subscribe-rétne Apostolus Iesuitarum distinctioni, qui nullam legem de votis tulit, sed ista omnia ignorauit, qui nouit Magistrum Christum prædicasse, Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: qui Canonem alium constituit, Oportere Episcopum esse vnius vxoris virum, qui nun- 1. Tim. 3. quam scripsit tale cōiugium impudicitiæ ianuam aperire, ac omnes libidinis faces submini-stra-re, aut adulterium esse, aut cum sanctimoniali nuptias sacrilegium esse, sicut in hac Censura confidentissimè dicitur? Nunquid Apostolus diceret si in viuis esset, temerè hoc tentari à spuriis Lutheranis, vt impuro ore bacchatur Eckius, cùm olim in omnibus matrimonium honorabile esse pronuntiauerit? Atqui in Nouo Testamento fortassis aliquod votum castitatis inuenient? Heb. 13. Obiect. Nimirum sic est, ex hoc Paulo ad Timotheum, 1. Tim. 5. qui monet eum iuniores viduas recusare, quæ postquam lasciuire cœperint contra Christum nubere volunt, habentes condemnationem quòd primam fidem reiecerint. Nunquid hîc aliquid de voto virginitatis inseritur? Loquitur de vi- Solut. duis quæ antea nupserant, loquitur de his quæ sponte, sua ad ministerium & subsidium Ecclesiæ se obtulerunt, quę non ad aliquam cælibatus conditionem adstrictæ fuerunt: quæ nisi solæ & solutæ admitti ad ordinem Diaconatus non potuerunt, ne oneri essent Ecclesiæ. Arcet tales ab hoc officio ministrandi sanctis, non à nuptiis, de quibus, inquit, Volo iuniores nubere, liberos gignere: cùm Papa non spirituali sed materiali gladio Pauli superbus contrarium edicat, Volo esse castas virgines, sanctimoniales, Nonnas, quantumuis sint iuuenculæ & adolescentulæ im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Obiect. peritæ rerum omnium. Et quale nobis dant argumentum? condemnantur, primam fidem reiicientes, ergo damnandi quotquot vota de cœlibatu

Solut. infringunt. Ex loco ambiguo qui variè exponitur, semper petunt suas rationes, qui causæ diffidunt. Primum non est κατάκρισις cõdemnatio sed κρῖσις iudicium: Deinde prima fides est quæ in Baptismo datur, quam violant, dum otiosè viuunt, aduersum Christum luxuriant, garriunt, libidinãtur, vocationem à presbyteris designatam negligunt. Nam si condemnationis sententiæ subiacerent, quicunque illicita virginitatis vota nõ seruant, non scripturæ modò autoritas labasceret, sed etiam Ecclesiæ antiquioris & purioris suffragia parum valerent, quæ omni votorum obseruationi Dei mandatum & vitæ honestatem & corporis atque animæ mundiciem anteponit. Anti-

Epist con. Apostol. cos. quitas dixit, Quidam, quòd pudeat eos coram hominibus iungi matrimonio, occultè fornicationem committũt, professi apud homines solitudinem vel continentiam, sed apud Deum noti sunt.

Gelasius. Antiquitas sensit licere viduis peracto voto cœlibatus nuptias repetere, vt Gelasius, Nos nullum

L.1. Ep. 11. talibus laqueum debemus inijcere: vt Cyprianus, Si perseuerare nolunt vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem deliciis cadant, nostram generalem interpretationem confirmans, & particulare Censuræ Colonienſis Glossam, qua votarios excipere voluit, euertens. Quæcunque enim vota vel contra fidem, vel contra charitatem, vel contra vllam Dei legem, vel cõtra Euãgelii Christianam libertatem facta sunt, debent esse irrita.

L. 1. de Off. & Con. Tolet. c. 8. De hoc Ambrosius, Est contra officium nonnunquam soluere promissum, iuramentum & sacramentum custodire vt Herodes. De hoc Augusti. Quòd

Quòd Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non adimpleuit, maior pietas fuit. De hoc Hieronymus tractans illud, Votum vouit, In vouendo fuit stultus, qui discretionem non adhibuit, & in reddendo impius. De hoc Isidorus, 2. de Syn. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. De hoc Bernardus, Ego non arbitror minora vota De præc. & dispens. impedire debere, nec Deum exigere quodcunque sibi promissum bonum, si pro eo melius aliquid fuerit persolutum. Ex quibus verbis efficitur, in quacunque vocatione Dei gloriam magis euehere, Ecclesiæ commodius inseruire poterimus, in ea nobis standum esse & permanendum, siue inquam coniugati simus, siue cœlibes. Iam verò stulta, impia, illicita esse vota papistica & monastica inde liquidò patet, quòd nunc abrogata sunt, quæ in Veteri Testamento nuncupata sunt, & noui Nazaræi esse, credo, nolunt, si vellẽt, esse non possunt, nisi simul Templum Iudaicum cum omnibus suis sacrificiis ac ceremoniis instaurare in animum induxerint. Quod ergo lex diuina nulla requirit, id suscipere stultum est: quod in eo meritum aliquod constituitur, impium: quod verbo Dei non est consentaneum, illicitum: in quo nunc à Ministris cœlibatus non magis quàm ab aliis exigitur, in quo nulla votorum seruitus imponitur, in quo potius summa & sancta libertas relinquitur. Nisi fortè cum Eckio delirare malint & Mariæ exemplum Nonnis suis propo- Obiect. Eckii de Mariæ voto. nere. Maria, inquit, vouit castitatem, quomodo fiet hoc, quia virum non cognosco? id est virginitatem seruare propono. O nouam Eckij grammaticam, ô Theologicam constructionem! Solut. Interim tamen ibidem ingenua extat eius

Universidad de Deusto Biblioteca

confessio de Græcis & Calabris, quos fatetur vxo-
res habere & nullo se continentiæ huiusmodi vo-
Obiect. De 10.cō. ta obligare. Caput huius orationis perplacet, sed
cauda displicet. Nullus sacerdos apud Græcos du-
cit vxorem, & c, Coniugatus itaque efficitur sacer-
dos, sed sacerdos nunquam efficitur coniugatus.
Vnde à morte saluatoris nunquam est auditum, sa-
Cēs. Col. Dial. 3. Bar. Lat. con. Buc. Solut. cerdotem duxisse vxorem. Eadem chorda oberrant Censuræ Colonienses scriptores, Latomus & alij Pontificij, Sed à morte Saluatoris & le-
ctum est & auditum, semper Græcos vsos esse sua
libertate, sine vllo votorum seruilium obstaculo:
Lectum est de Spyridione Cypri Episcopo, eum
vxorem habuisse & liberos, nec ob id fuisse ad
res diuinas obeundas deteriorem. Lectum est de
Eupsychio. Lectum est in Manipulo Curatorum,
in primitiua Ecclesia licitum fuisse, ordinatos v-
nam habere vxorem, dummodo virginem. Le-
ctum est votorum istorum solennium quæ nunc à
Papistis emittuntur, nullam fuisse mentionem
Etas. in Schol. s. Hieron. In Apol. aduers. Paris. Hieronymi tempore. Lectum & auditum est Ve-
netiis, Sacerdotem Græcum vxorem duxisse virgi-
nem post susceptum ordinem, quod Erasmus se i-
bi vidisse contestatur. Lectum est & auditum
VVormatiæ fuisse Græcos, qui idem confirmarūt,
referente VV. Musculo non esse prohibitum vxo-
res ducere. Ergo sequitur licitum esse & verbo
Dei & exemplis probatissimorum hominum, Mi-
nistris Dei in Domino matrimonium inire: Sed
vota extorqueri debere ab illis vel à religiosis
Obiectio Siricij. nec dictum est nec auditum, nisi in Occidentali
Romanensium Ecclesia, in qua Siricius detonat,
Qui sic ducunt vxores in carne esse & Deo pla-
cere non posse: in qua Colonienses quidam effu-
tiuit tolerabilius & melius esse, sacerdotem vnū,
si non queat castè & continenter viuere, centum habe-

habere concubinas cautè & successiuè, quàm
vnam legitimam coniugem: Et tamen Iesaias
Propheta & diuinus concionator, atque cœle-
stium Seraphim spectator cum coniugio commer-
cium habuit, nec tamen extinxit gratiam, & Deo
placuit: vxorem & Filium habuit, vt intelliga-
mus non esse in quoquam Dei Ministro malas nu-
ptias, sed malam esse scortationem, vt contrario
spiritu scripsit diuinitus & castissimè Ioannes
Chrysostomus. Sed videamus iam an quam tan-
topere verbis iactitant castitatem, opere comple-
ant. Nisi enim quæ in manu sua sunt voueāt, quia
vltra vires promittunt, Dominum tentant, & nō
tam sanctitatis laudem merentur, quàm superbiæ
culpam conscisc unt. Spiritus Sanctus loquitur,
Nemo potest continere nisi Dominus dederit. Spi-
ritus Sanctus loquitur, Non omnes capiunt ver-
bum hoc. Augustinus loquitur, Castitatis certa-
mina esse maxima & difficillima. Hieronymus
loquitur in quadam Epistola, & de se confitetur,
Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo &
ego lapsus sum. Labi hîc facile esse iudicauit
Epiphanius, ideóque suadet etiam professos vir-
ginitatem matrimonij remedio suas vstiones sa-
nare & depellere, Melius est lapsum à cursu pa-
lam sibi vxorem accipere secundum legē. Dele-
cti illi in Concilio ad Paulum tertium scribunt:
Alius abusus in ordinibus religiosorum, quòd a-
deo multi deformati sunt, vt magno sint scanda-
lo secularibus, exemploque plurimum noceant.
Sed prostibula eorum & lupanaria non aperiam
ne Censores Colonienses obiiciant nobis sicut
olim Monhemio: qui tamen abusus Catholicorū
quorundam irrepsisse confitentur, quos non pos-
sunt commendare, sed putant esse cōsultius, Ma-
iorū verenda tegere, quàm omnibus inspicienda

Solut. 1. De verb. D. vidi D. H. 4.
2. Nō pos-se præsta-re quæ vouent.
Cōt. Apo-stolicos.
Dial. 3. f. 81 Iesuitarū palliūquo tegūt im-puritatē.

atque ridenda exponere: aiunt, Hoc nihil aliud esse, quàm frigidam suffundere, & populum alioqui obstreperum concitare. Attamen illud velim nostros votarios considerare & seriò meditari hanc Monasticam & castratam viuēdi professionem non semper matrē virtutis, sed non rarò omnis pudicitiæ nouercam fuisse: & illius coacti cœlibatus exitum atque euētum sæpissimè vt irritum sic infœlicem contigisse. Synodus Nicena stultè & superstitiosè hoc consilium iniit, & de illicito coniugatorum Ministrorum diuortio aliquid molita est, at sapientissimo Paphnutio intercedente & reclamitante, Deus illos conatus fregit & dissipauit. Gregorius Magnus cœlibatus legem decreuit: quid sequutum? Pòst è viuario allata inde plusquam sex millia infantium capita videt: intima mox ductus pœnitentia ingemiscit, suo decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudat, Melius est nubere quàm vri, imò addit ex suo, Melius est nubere quàm mortis occasionem præbere. Hinc illud quoque emersit, Sacerdotibus magna ratione ademptum connubium, sed maiore quadam restituendum. Hildebrandus idem egit frequentibus synodis cum Italis atque Germanis, & Moguntino Archiepiscopo eandem demandat prouinciam. Illi conuocati execrabilem sententiam esse vociferantur, ipsum potius cathedra Episcopali deturbandum censent: itaque difficultate rei superatus & metu perculsus, statuit sibi deinceps hac quæstione supersedendum, eámque Romano Pontifici relinquendam, vt suam ipse causam ageret & peroraret. Prætereo multa eorum fœdissima facta, sed ex vno plura cognoscere & colligere potestis. Vdo Archiepiscopus Magdeburgensis, diu voluptatibus indulsit, & cum Abbatissa quadam in valle liliorum

In Paral. Ab. Vrsp. In Epist. Huld. Episc.

Naucl.

liliorum rem habuisse dicitur: tādem noctu quadam voce intonante admonitus est, Vdo, cessa de ludo: sed ille totus deliciis & veneri deditus nec monita curauit, nec vitam correxit, vt idem Nauclerus prodidit in suis Generationibus. Ita vel ex illo doctorum hominum fremitu in Germania & in aliis locis, vel ex ipsa legislatorum confessione, vel ex decretorum fine infausto, vel ex hac votariorum turpitudine documentum capite, quomodo sit istius nouæ & humanæ legis inauspicatus successus, & quomodo Deus talia consilia confundat & frustretur. Quamobrem incorrupta & illibata virginitas quæ esse debet animæ & corporis ornamentum, Gemma quædam est: sed vt preciosa sic rara: nec in hac fece & turba sacerdotum facilè reperitur: ideóque sicut olim Bonifacius Edoaldo cuidam, sic ego huic gregi votariorum respondeo, Quòd legitimum spernis matrimonium, & cum sanctimonialibus voluptuaris, vituperamus.

Gen. 34.

Naucl. Gen. 26.

De Consiliis Evangelicis Et Cæteris. Consilia Euangelica vocāt quæ in Euangelio non præcipiuntur. Quod autem vel de Eunuchis Christus habet, vel de Virginitate Paulus, in eo non magnopere obnitimur: Consilium sit his quibus datum est: modò præceptum omnibus non esse consentiant: voluntarium sit, modò non necessarium: spontaneum sit, modò nec coactum, nec lege votaria, nec cuiquam obtrusum. Sint vera quæ ex Augustino afferuntur, Aliud est consilium, aliud præceptum. Consilium datur vt virginitas conseruetur. Et aliud de viduis, Itaque non imponitur, sed præponitur, Iugum enim Christi suaue est, onus leue est. Christus suadet, Paulus consulit, Papicolæ autem mandant, cogunt, imperant. Sunt & alia nescio

Consilia de Virginitate. Mat. 19. 1. Cor. 7.

S. 61. de Temp.

cuius perfectionis egregia munera, humi cubare, peregrinari, Monastico cucullo indui, vesci piscibus, horas canonicas & preculas ignota lingua recitare, vbi hæc scripta sunt? in quo Euangelio? in qua Epistola Canonica? in quo capite? quibus tamen ex rebus se reliquis perfectiores statuunt. Perfectiones Papisticæ.

Scio apud Matthæum scriptum esse, istiusmodi homines duces cæcos esse, excolare culicem, & camelum glutire: Et apud Lucam, Pharisæum stantẽ hæc apud se orare, Deus gratias tibi ago q̃ non sum sicut cæteri: Ieiuno bis in Hebdomada. Contrà Mat. 23. 18.

Scio hæc Paulo nõ ita placuisse ad Galatas, Sic & nos cùm essem⁹ pueri, sub elemẽtis mũdi eramus in seruitutẽ redacti. Et quomodo cõuertimini ad infirma & egena elemẽta? Dies obseruatis, & mẽses & tẽpora & annos. Et ad Colossenses, Itaq; si mortui estis cum Christo, liberi ab elemẽtis mundi, quid vt viuentes in mundo, δογματίζεσθε, noua decreta componitis? Ne tangas, ne gustes, ne contrectes: quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominũ: quæ quidem habent speciem sapientiæ per Ethelothrescian superstitionem ac humilitatem ac læsionem corporis. Et apud Hieronymum, Sugillat ergo Pharisæos, qui contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones. Hæc, scio, scripta sunt & his illorum religionis vanitas ad viuum descripta est: qua profectò omnis syncera religio suffocata est. Ca. 4. Cap. 2. In Mat. 5.

Alia restant Consilia, & primum quidem Paupertas voluntaria, scilicet noua quædam & sordida sed & superba mendicitas, Et hoc scriptũ est. Vbi tandem? Matthæi decimo nono, Vade & vende quæ habes, & da pauperibus. Hìc primum aduertite illam fallaciẽ monasticẽ speciem quam modò annotaui, quæ omnibus hominũ ordinibus in Paupertas voluntaria in Papismo & Anabaptismo.

in vniuersum iubentur, sibi & suo religioso ac perfectissimo scilicet ordini consuli fingunt.

Nam quòd Monachi relicto mundo solitariam & vmbratilem vitam agunt, & in claustris degunt, hanc perfectionem suam esse, nec ad alios mundi ciues quicquam pertinere contẽdunt. Ita Meffretz quidam in Hortulo Reginæ illa Christi verba ad omnes enunciata, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum: religiosis nominatim & disertè applicat, inquiens: Ad multa enim obligantur religiosi ad quæ non tenentur seculares: videlicet primò ad abdicationem proprietatis, ad renunciationem propriæ voluntatis, ad perpetuam obseruationem castitatis: & horum trium votorum principalium transgressio obligat ad peccatum mortale religiosos non seculares. Similiter hic locus Matthæi decimo nono & ille alter Matthæi decimo sexto, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me: violenter & miserè torquetur à Petro Busæo Societatis Iesu Theologo. Similiter & ille Actorum quarto de communione bonorum & abdicatione facultatum, ita vt nulla proprietas retineatur quod vtrũ Anabaptismum redoleat, prudentibus iudicandum relinquimus. Hæc est ista Iesuitarum Anaxagorica Theologia, vt quiduis in quoduis transubstantient, commune in proprium, vniuersale in particulare, consilium in præceptum, præcepta in consilia, mandata Christianorum omnium in cõsilia peculiaria solis monachis priuatis hominibus. Hoccine est consulere, in modo imperãdi, Vade, Vende, Da? Hoccine monacho alicui aut Antonio soli, & non potius seculari adolescenti præceptũ fuit? Certè Hieronymus inter præcepta Hortulus Reginæ. Matth. 5. Dominic. 6. post Trinit. S. 52.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reputat: dum ait, Si enim hoc quod positum est in
Matt.19. MANDATIS, Diliges proximum tuum sicut teipsum, opere complesset, quomodo postea audiés, "Vade & vende, tristis recessit, quia habebat possessiones multas? Est enim hæc Christi admonitio quædam Decalogi paraphrasis, vt qui Christi gratia omnia erogat pauperibus, & Deum toto corde dilexisse, & proximum tanquam seipsum amauisse iudicetur. Et cur hunc statum perfectionis "vocitant? Hieronymus præclarè, Hoc ad perfe"ctionem non sufficit, nisi post contemptas diui"tias, Saluatorem sequatur: relictis malis faciat "bona. Facilius enim sacculus contemnitur quàm "voluptas. Multi diuitias contemnunt, Dominum non sequuntur. At Iesuitæ se aiunt Iesum sequi. Quibus vestigiis? Paupertate, quia ille, vt est in Catechismo Iesuitico, huius Euangelicæ perfectionis absolutum exemplar fuit: qui vulpibus & volucribus infelicior, non foueam, non nidum, non locum habuit vbi caput reclinaret, Sed Iesus
Ioan.6. voluntati suæ non est obsequutus, voluntarios cultus non adhibuit vt isti, sed, Descendi de "Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed vo"luntatem eius qui misit me. Quid est autem sequi Iesum? Declarat idem Hieronymus, Sequitur autem Dominum, qui imitator eius est, & per vestigia illius graditur. Cæterùm nec adolescens ille hanc perfectionem attigit, nam de eo Hiero"nymus non falsò, Mentiris adolescens: nec huius præceptores Pharisæi, nec horum imitatores Iesuitæ ad eum quem somniant, absolutionis gradum vnquam aspirabunt. Tantum enim abest vt perfecti in hac vita esse possint, vt nec bonorum nomine donandi sint. Quod palam fit ex Christi
Matt.19. verbis, hoc loco, Vnus est bonus Deus: & ibidem
Hieron. idem Pater de adolescente, qui Christum magistrum

strum bonum vocauerat & non Deum vel Dei filium confessus erat, discit quemuis sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum.

At quomodo vel quando ad hanc perfectionem ascenderunt? Quid vendiderunt homuncionnes nudiores Liberide? quid dederũt pauperibus ipsi mendici & Iro pauperiores? Aut quæ retia, quas piscaturas cum Petro reliquerũt, qui aureo hamo & aureis retibus prouentus amplissimos, monasteria speciosissima, solum feracissimum occuparunt? Non sine causa senes nostri solent narrare Charthusianos pisculentis epulis se pulchrè saginantes, esse cæteris hominibus corpulentiores, pinguiores, succulentiores, candidiores, pulchriores. Quæ illa perfecta paupertas istorum? cùm in suis claustris belliſſimè se habeant, & inde pòst ad sedes altissimas perueharntur? Nam vt est apud Marianum Scotum, ex solis Benedictinis "Pontifices plus minus octodecim, Cardinales "plusquam ducenti, præter Archiepiscopos, Epi"scopos, Abbates, ante multos annos extiterunt; "Omnia captantes vt muscæ mel, vt formicæ frumenta, vt vultures cadauera. Si verè pauperes esse velint, alienum quod rapuerunt, restituant: Hospitalem domum Anglorum à Maioribus nostris fundatam in subsidium pauperum Romæ ne inuadant, nec Testamentum Principis violent, & domi ex sudore vultus sui, non foris ex labore alieno victitent. Perfecti tamen pauperes & Chri- 2.Cor.6.
sti vnici, (si Christo placet) mendici sunt, videlicet, nihil habentes, omnia tamen possidentes. At Christus, Beati pauperes spiritu: Hi Matth 5.
sunt pauperes spiritu, interprete Augustino, qui quando faciunt aliquod bonum, Deum De verb. D.
laudant, quando aliquid mali, se accusant.

Carthusiani pauperes & pingues.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si paupertas sit coacta, est egestas: si voluntaria, est frugalitas: si in spiritu, illa demum erit perfecta & aurea. Augustinus iterum, Pauper Dei est in animo, non in sacculo. Casiodorus, Si Pauper superbiat, non est Dei pauper. Nunc vtrũ isti gloriosi sint, an superbi, consideremus. Dicunt cum adolescente, Omnia hæc seruaui à iuuentute mea: Dicunt se non modò omne Iota & omnes legis diuinæ apices custodiuisse: verumetiam alia perficere, quæ Consilia sunt, & nunquam præcepta diuinitus, & hæc magnificè prædicant esse opera indebita, solius Monachatus dona singularia, esse iustitias, esse perfectiones, satisfactiones, opera supererogationis: hinc se & sibi & aliis vitam æternam promereri: Hæc est spiritus paupertas in istis mendicantibus. Ad hæc in Bernardino, Ideo in vita patrum dicitur, quòd professio religionis habet vim Baptismi. Et in eodem, Maius meritum acquirit religiosus per quæcunque opera sua, quàm secularis faciens eadem opera. Nec Canisius Iesuita dissentit, vt parandæ salutis ratio expeditior habeatur, hæc à Christo proponuntur ac consuluntur, Et præter alia commoda, ad æternæ vitæ mercedem ac gloriam in cœlo plenioré consequendam conferunt.

S Ps.31.
S.Ps.71.

Paradoxa monastica.

Par.2. Rosarij S. 27.

Est & aliud votum obedientiæ, qua tenentur Religiosi prælato & idiotæ & vili morem gerere eique subiici, cõtra eius correctiones neutiquam murmurare: imò verò omnia mandata obseruare, vt omnibus modis obseruantissimi esse videãtur. Sic enim Bernardinus, & in sua regula Franciscus informat. Nos autem septa obedientiæ constituimus, diuini verbi regulas: quæ quàm sint differentes, videre potestis in libris Conformitatum, ex quibus ridicula & perabsurda referrem, nisi quòd hactenus video me nimis prolixum in hac

3. votum obedientiæ.

S.27. par.2

Liber conformitatũ

tanta Campiani reticentia. Alia sunt consilia Papistarum, inimicos diligere, benefacere his qui oderunt nos, & alia eiusmodi, quemadmodum est illud opus Samaritani in obligandis saucij viatoris vulneribus: Curam illius habe, & quodcunque præterea insumpseris, ego cùm rediero reddam tibi. In Catechismo Iesuitico transfertur, Quodcunque supererogaueris, vt scilicet, vndecunque doctrinam suæ supererogationis constabilirent. Malè etiam Bonauentura, Quod licet de necessitate salutis teneamur optare bonum æternum, secundum beatitudinem inimicis nostris, tamen eis bonum temporale & transitoriam prosperitatem optare non est necessitatis sed perfectionis & supererogationis: vt etiam ex illo citat Bernardinus, Nunquid hoc est plenè & simpliciter benedicere & benefacere inimicis? Iterúmne generalem & largissimam interpretationem beneficentiæ & charitatis coarctabunt, & angusta & exili distinctiuncula eludent? Itáne quod verbis clarissimis imperauit Christus, id dicetur consuluisse & suasisse, tanquam Adiaphoron quod omitti posset? Temporale fuit bonum, esurientem inimicum pascere, sitienti potum dare, bene precari infectantibus, necessitatibus sanctorum communicare, hospitalitatem sectari, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, nulli malum pro malo reddere, asinum inimici sub onere iacentem subleuare: Hæc in Veteri Testamento Solomon & Moses, In nouo Christus & Christi optimus enarrator Paulus ad Romanos præceperunt. Hæc sic exposuerunt Augustinus, Chrysostomus in Homiliis, Hilarius, atque adeo ipse Gregorius, & has leges de beneficentia, & de vltione remittenda, pro manifestis præceptis habuerunt.

Dilectio inimicorum.

In 3.d. 30.q.1.

S.34.

Prou.25. Exo.23. Matth.5. In S.de monte.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præterea quòd gratuitam verbi prædicationem inter Consilia numerant, non minus impudenter quàm imprudenter faciunt, & Paulus ipse in eo capite denegat, Nam etsi Euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas quippe incumbit. Atque Hieronymus, Cùm omnia feceritis præcepta, debita vos dicite persoluisse. Satis superque de Cõsilijs, vnde tria colligitis, primùm quomodo Dei præcepta impiè quasi abrogent & obliterẽt: deinde, quomodo suos nouitios in officio pietatis & charitatis nefariè catechizent, vt suum monasticum & meritorium viuendi genus & superarrogantem perfectionem fulciant: postremò quàm mala fide Scripturam sanctam tractent, quàm parum catholicè enarrent. Quod scelus neque Caluinus neque Beza neque Lutherus, neque Philippus vnquam cõmisissent: de quibus omnibus clarissimis viris, id demum nos pronunciamus quod olim Ioannes Hussius de nostro VVicleuo, Ego enim fateor, quòd sententias veras, quas magister Ioannes VVicleff, sacræ Theologiæ professor posuit, teneo, non quia ipse dicit, sed quia diuina scriptura, vel ratio infallibilis dicit. Si autem aliquem errorem posuerit, nec ipsum nec quemcunque alium intendo in errore, quantumlibet modicè imitari.

1. Cor. 9.

Hussij de VVicleuo iudicium. In respõs. ad Steph. Paletz.

CAMPIANVS.

Quare fateor ne scholas Academicas cupidè requirere, vt inspectantibus vobis, calamistratos istos milites in solem & puluerem è suis umbraculis euocatos, non meis viribus, qui cum nostris, centesima parte, non sum conferendus, sed valentissima causa, &

fa, & certissima veritate debilitem.

HVMFREDVS.

ITERVM cupidè ad scholas, iterum ad vos, Academici, currit Iesuita: qui tamẽ nisi prorsus desipuisset, festinasset lentius,

ὁ γὰρ βελτὶς ταυτὸ ἡ δρόμε τέλος. Non est cõsilii & cursus idem exitus. In cursu vincit qui est celerrimus: in consilio autem capiendo quisquis est cunctantior, est tutior. Campianus vir dedidicit, quod in schola puer didicit, Antequam incipias, consulto opus est. Ἐν νυκτὶ βελὴ, aiunt: Si paululum vel vna nocte super hac re indormiuisset, si noctu aliquanto diutius secum quietè & vigilanter de suo puluere & sole meditatus fuisset: non alios in agmen, in lucem euocasset, non se non suos in periculum coniecisset, sed potius sese in suo vmbraculo continuisset. Milites scilicet Calamistratos vocat nostros, homo comptus & vnctus & planè Tyrũculus Cæsarianis & veteranis & Triariis insultat: quasi clauam extorquere Herculi posset misellus & pusillus Pigmæus: quasi ex vnguibus Accipitris luscinia; quæ nihil aliud est quàm vox, posset euadere: Lingua carpere facile est, sed manu capere est difficile. Facile est cicadæ κελαδεῖν & stridere. Ignauus est Gallus, vt Plato dixit, qui canit ante victoriam. Canes timidi reliquis molossis latrant vehementius. Quibus sine causa vociferantibus nostri facillimè ictu vno crura suffringerent, vt discant silere, qui frustra bonis oblatrare consueuerunt. Quomodo sæpe cum aduersariis fortissimis dimicarint, nec sine puluere, nec sine sanguine, dictũ est à nobis superius, quos cẽtum Campiani nõ potuissent

Plut. de Garrulitate.

Salust. Cãpianus ad certamen prouocat.

Hesiodus. In Theæteto.

debilitare. Quàm autem valida fuerit eorum causa, quàm certa apud eos veritas, ex hac nostra collatione, vos Academici, quos spectatores & iudices elegit, discernite.

Recrimination contra Pontificios de corrupta sententia Scripturæ.

Ego nũc verum crimen regeram, & quàm perueriè sensum Scripturæ reddant & quàm impudenter sensa capitum suorum immisceant, paucis declarabo, vt appareat omnibus mediocri iudicio præditis, hanc secundam Rationem, nostram tueri, illorum labefactare sententiam. A capite ipso seu à Monarchia papistarum ordiatur nostra oratio: pro eo quem in omnes Monarchas vendicat Pontifex Romanus, principatu. Citatur ex Psalmo, Scriptum est, Super aspidem & Basiliscum ambulabis, cõculcabis leonem & draconem. Hoc

91

Pro Papatu Rob 19 Barnes in vita Alex. 3. 1. Part. d. 12.

textu vel potius fastu Alexander Tertius Fridericum Cæsarem, pedibus ceruici impositis, conculcare non erubuit: Citatur à Calixto, Non decet à capite membra discedere, sed iuxta SCRIPTVRAE testimonium omnia membra sequantur, &c. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem patris sui, sic & vos implete voluntatem matris vestræ quæ est Ecclesia, cuius caput Romana consistit Ecclesia. Pro duplici gladio adducitur à Bonifacio Octauo, Ecce duo gladii hic: & pro temporali gladio Petri, Conuerte gladium tuum in vaginam. Citatur ex Psalmo, subiici omnia sub pedibus Papæ oues & boues, vniuersa insuper pecora campi: volucres cœli, pisces maris qui perambulant semitas maris, id est, illum potestatem ac dominium habere in cœlo, in terra, in Purgatorio. Ioannes Zacharias Doctor vt probet in Concilio Constantiensi contra Ioan. Hus Pontificem Rom. à nemine neque posse neque debere argui, ex Propheta Ezechiele disputat, Ecce ego ipse super pastores, & non populus, tamen nec Latinè, nec Græ-

Extrauag c. Vnam. Litt. 22. Psal 8. Antoninus.

Ca. 34.

Græcè, nec Hebraicè illæ voces, Et non populus, habentur, vt rectè Hus respondit: & nihilominus à Concilio ille indoctus Doctor donatus est Rosa, itaque passim in monasteriis ornatus pingitur. Sed D. Staupitio Andreas Proles, cùm intelligeret hoc verbum in emendatis Bibliis nec excusis nec manu scriptis reperiri: liberè dicebat, Nolle se hanc Rosam in suo pileo hac infami conditione circumferre. Hoc verè est Scripturas efficere mutabiles, versatiles, nasum cereum, eósque ex nutu Papæ & Ecclesiæ praxi in omnes sensus torquere & vertere. Deinde vt huic Scripturæ diuinissimæ labem aliquam aspergant, & suæ Ecclesiæ autoritatem euehant, & populo Dei detrimentum inferant, quod suprà attigi, id hìc verissimum esse obseruate. Epistolam ad Corinthios ad nos pertinere omnes nouimus, & quicquid scriptum est, ad nostram doctrinam scriptum est: tamen Italus quidam frater Cremonensis ait, locum illum de vtraque specie ad Corinthiorum particularem Ecclesiam spectare non ad vniuersalem: Rursus bibite ex eo omnes, non omnes, inquiunt, sed tantummodo omnes Sacerdotes. Christus illis non est in vniuersum noster Mediator, sed Redemptionis: Sancti mediatores intercessionis esse possunt. Erratis nescientes Scripturas, replicant non de nostrorum sed tantùm Sadducæorum ignorantia. Non facies Sculptile, scilicet, idola gentium. Hinc Gregorius Martinus contendit non esse Eidolõ Græcè, Latinè vel Anglicè transferendum imaginem, vel simulacrum: & tamen proprietas linguę id exposcit, & Patres idola simulacra interpretantur, & vetus eorum Interpres in Bibliis centies repetit: & reuera Deus Zelotypus qui illa Dæmonio rum & deastrorum idola detestatur, etiam

Rosa in pileo Doctoris.

In Præf. Luth. in Tomos Io. Hus.

Pighius. Cusanus.

Pro suis Ecclesiasticis con. Laicos.

Luth. in Capt. Babyl. 1. Cor. 11.

Pro Sanctorum mediatione. Io. 5.

Pro imaginibus. Greg. Martinus.

Corrupta Translatio.

aliarum creaturarum quantumuis sanctarum imagines, simulacra, eiconas ferre non potest. Qui idolum prohibet, idem vetat omne ὁμοίωμα, vt legunt Septuaginta, & in libro Numerorum, qui mandat suis omnia gentium simulacra vel idola perdere, idem iubet omnes earum imagines confringere, Nã Heb. Vox Danielis 3. à Græcis Eicon, & à Chrys. ad populum Antiochenum imago transfertur, Et in libro Sapientiæ vocatur insidiosum inuentum, in errorem inducens, labor infructuosus, mortuæ imaginis forma stultis mouens concupiscentiam, vbi vetus translatio εἰκόνα vertit imaginem. Et in antiqua Christi Ecclesia Epiphanius Velũ scidit, in quo imago Christi vel sancti alicuius depicta est: & putat esse rem illicitam, scrupulositatem autoritati Scripturarum & religioni nostræ contrariam, & è Græco Hieronymus Latinè reddidit non idolum sed imaginẽ; & tamen nihil grauius contra idola ipsa dici potuit. Cur ergo sic isti ab ea voce abhorrent? an vt populus non intelligat sed vt decipiatur? cùm in Scripturis, in Veteri Translatione sua, in patribus vsurpata sit, tam de Christianis quàm de Ethnicis imaginibus? quibus eadem materia, argentum, aurum: quibus similiter os est sine oratione, oculi sine visu, aures sine auditu, nares sine olfactu, manus sine tactu, pedes sine incessu: quibus in tẽplo Dei nullus locus ex verbo Dei conceditur? Quę enim consensio templo Dei cum simulacris, siue gentilium siue pseudochristianorum? Quò alluxit quodammodo Lactantius, Non est dubium quin religio nulla sit vbicunque simulacrum est. Non delectatur hisce ludicris corporeis Deus spirituum: nec colores nec cauillationes diu valere possunt. Quæ Deus generatim & simpliciter expressit, in gyros & cancellos humanarũ captionum

Exo. 20.

Ca. 33.

Ho. 4.

Ca 15.

Psa. 135.

Li. 2. Inst. ca. 19.

num & particularium considerationum redigi & contrahi non debent: Præterea sic ineptiunt, Qui vos audit, me audit: Item, Quicquid ligaueris, erit ligatum, hæc & eius generis alia ad personam Petri, ad Cathedram Prælatorum Romanorum restringunt; quæ Dei gratia nos iamdudum intelleximus esse toti Apostolorum choro & omnibus in docendi munere succedentibus ministris applicanda, vt antè expositum est. In genere dicta sunt ista, nec vniuersale in particulare commutandum est. O Timothee depositũ custodi: deuitans prophanas vocum nouitates: Et, Habe formam sanorum verborum, inquit Paulus ad Timotheum. Hinc Angloiesuitæ inquiunt, ad suos Catholicos in Scholiis, Nolite cum Protestantibus nouas phrases vsurpare, sed retinete antiquas voces, Dominicæ Palmarum, Hostiæ, Quadragesimæ: Nolite vocare Superintendentem, Ministrum, sed Prælatum aut Presbyterum aut sacerdotem, id est sacrificum: non cum illis preces matutinas, non vespertinas, sed simpliciter, matutinum officium, vesperas, Completorium: non cũ illis dicite, Laus Deo, sed, Deo Gratias & reliqua. Hæccine est Paulina Hypotyposis sanorum verborum? O zelum cæcum, nobis tamen hactenus imitandum, vt, sicut illi formam nostrarum imò sacrarum locutionum fugiunt, sic nos magis ac magis ab illorum Liturgiæ cultusque similitudine, ab ipsa rituum specie, quãtum possumus, abhorreamus. Alia est pro Traditionibus concertatio anceps & vehemens, ex Epistola Pauli ad Thessalonicenses, Tenete Traditiones quas didicistis, siue per Sermonem siue per Epistolam nostram. Nam hîc iterum nos adoritur Greg. Martinus, quòd alius παράδοσιν vertit in-

1. Tim. 6.

Matt. 16.

2. Tim. 1.

Phrases Catholicę

Aug. in Ps. 132.

Pro Traditionibus. 2. Thess. 2. 2. Thess. 3. G. Martin

stitutionem, alius institutum, alius ordinationem seu institutionem, alius doctrinam traditam conuertit: & certat pro Traditionis vocula, sicuti etiam Angloiesuitæ Noui in sua noua Translatione Scholiastæ, quæ pugna verborum gignit inutiles & inextricabiles quæstiones. Cùm verò illæ voces à nostris appositæ eandem rem declarent, quid opus est de verbis contendere? Non possumus, inquiunt, voce sublata, Traditiones nostras conseruare. Nec expedit: & quamuis ipsi Traditionum nomine fas esse existiment quascunque Traditiones populo venditare, nobis tamen Christianis fucum facere non licet: & propterea nostri fortassis ab ea versione abstinuerunt, ne de papisticis traditiunculis nimis honorificè conciperent. Quòd autem Martinus è loco Pauli ad Colossenses, ansam calumniandi arripit, suæ causæ pessimè consulit. Nostra Translatio est Anglicè, Quid oneramini Traditionibus: Hanc mirabilem & impudentissimam translationem esse exclamant Scholiastæ: Quid ipsi noui Aristarchi? Sequuntur veterem, & habent, Quid decernitis? vtra verior translatio? Nos passiuè, illi actiuè exponunt. A nobis stant Scholia Græca: Non dixit δογματίζεσθε, id est, decreta statuitis, decernitis: non sic: ἀλλὰ δογματίζεσθε, quid decretis oneramini? vtpote qui discipuli in ordine sint, & aliorum decretis & legibus subiiciantur? Itaque in eo cũ suo duce cæco in foueam prolapsi sunt. Suã verò causam quomodo hinc promouerunt? Nos vt Traditiones eorum dãnamus: sic in decreta, decretalia, constitutiones, sic ciborum delectu, de feriarum numero, de sacrificii noui impietate inuehimur. Quid decernitis? Cur tot decreta coaceruatis indies? Nam quę sunt hominũ placita, ea sacrę literę dog-

Angloie suitæ.

Ca. 2.

dogmata appellant, vt Iustinus quoque Martyr Platonis & Aristotelis decreta nominat. Eodem ergo recidunt ista, quæ ambo nos onus esse humanum, non iugum Christianum constituimus. Sed relicta Martini Grammatica, veniamus ad Dialecticam, redeamus ad Pauli locum in Epistola ad Thessal. Tenendæ sunt omnes Pauli Traditiones: ergo etiam omnes & Apostolicæ, & Papales, & Ecclesiasticæ Traditiones. Nunquid hoc Paulus dixit? An de Calixti, Telesphori, Anacleti Epistolis decretalibus Apostolus loquutus est, is qui scripsit, Tenete Traditiones, siue per sermonem siue per EPISTOLAM MEAM? In hoc ipso loco consentit Hieronymus: Quandò sua vult teneri, non vult extranea superaddi. Apostolica autem Traditio est, quæ in toto mundo prædicatur, vt Baptismi Sacramentum. Deinde Pauli sermones & Epistolæ congruebant: Tradidit quod accepit à Domino. Tradidit secundum Scripturas. Traditiones eas reliquit, de cœna, de resurrectione, de mulierum & virorum habitu, quas omnes expresè posuit. Eadem Paulum scribere, dicere, repetere non piguit: omnibus modis oratione, scriptione cum suis egit: vt ipse testatur ad Philippẽses, Quæ & didicistis & accepistis & audiuistis & vidistis in me, hæc facite & Deus pacis erit vobiscum. Eandem verò doctrinam & voce traditã & scripto proditam fuisse, iamdudũ cognoscere potuissent ex Luca Euangelista, & ex Theophylacto in eundem: ex Paulo & Theodoreto eum sic explicante, Habetis doctrinæ regulam, sermones quos vobis tradidimus, Qvos & præsentes vobis prædicauimus, & absentes scripsimus. Traditiones autem Apostolicas ἀγεγράφως & ἐγγράφως, sine scripto & scripto commendari, & vtraque hoc modo, (quoniam eadem sunt)

Grammatica & Dialectica Martini noua.

2. Thess. 2.

1. Cor. 11.
1 Cor. 15.

Phil. 3.
Phil. 4.

Ca. 1.
2. Thess. 2

2. Thess. 2. ἀξιοφύλακτα digna obseruatione esse, ex Scholiis Græcis perspicuum est. Cæterùm hîc, Fratres optimi, descendite mecum in considerationem

Ex Traditionũ voce quãtus cumulus errorum. Act. 1.

summæ illorum temeritatis & audaciæ: quàm longum ex vno hoc Traditionum vocabulo funem protrahant. Imagines quoniam ex scripturis fundari non possunt, Traditionum Apostolicarum & Patriarum titulo faciunt vendibiles. In Synodo Niceno secunda, Inprimis pseudosyllogus ille, qui sine Apostolica sede enormiter, nequiter, irrationabiliter contra sanctorum patrum Traditionem de sacris imaginibus actus est, anathematizetur. Ibidem Tharasius Patriarcha, Adriano Papæ subscribit, & esse declarat Catholicæ Ecclesiæ antiquam Traditionem, & secundum patrum Traditionem imaginum picturas recipit & adorat. Nam Scripturæ loca quibus suas imagines patres illi fulciunt, irrisione digniora sunt quàm refutatione. Sancti colendi sunt: quia per sanctorum ossa morbi fugantur & miracula fiunt: quia Mirabilis Deus in sanctis suis; quia sanctis in terra illius mirificas fecit omnes voluntates eius in ipsis. Vetus Scriptura habuit Cherubim, & nos quoque imagines Christi, Mariæ, sanctorumque habebimus. Ita enim disputauit ibi sanctissimus Patriarcha, & eum sequutus noster Martinus. Primum à Veteri Testamento ad Nouum argumentari alienum est: figuris, typis, imaginibus, vmbris, rerum aliarum signis locus tum fuit, nunc esse desiit: Deinde Moses & Salomon nullas imagines posuerunt in templo aut tabernaculo, non Dei, non hominis, non Adæ, non Abrahæ, non sancti cuiusquam, ornamenta duntaxat quædam idque ex Dei mandato singulari collocarunt. Et quis idiota Iudæus vnquam Cherubinos, aut leones aut boues adorare

Act. 2.

Pro sanctorũ cultu scripturæ detortæ. Psal. 67. Psal. 16. Pro Imaginibus.

rare voluit? Quis illis thus adolere aut genua incurvare, aut vllo cultus genere honorare dignat? est? Imò qui hodie ad muta idola in templis pseudocatholicorum procumbunt, & ad statuas Deiparæ virginis aut ante pictum crucifixum preculas immurmurant, à Iudæis habentur pro Idololatris: quæ sanè non minima causa est, cur à nostra religione alieniores euadant. Ad hęc, Sanctorum Inuocatio agnoscenda à nobis quia est Traditio. Nam cùm Monhemius doceret, Sanctorũ auxilia non esse imploranda, quòd Scriptura sancta nusquam talem inuocationem probaret: deputati à sacra Theologica facultate vniuersitatis Colonienſis, Quorsum, inquiunt, tendit hoc argumentum: nisi vt nihil planè sit recipiendum aut credendum, nisi quod Spiritus sanctus apertè docet? Atque hac ianua patefacta, erumpunt & euagantur in hanc amplissimam Traditionũ confirmationem: ex Epistola Pauli ad Thessal. de qua diximus, ex aliis Scripturis, ex Irenæo, Polycarpo, Tertulliano, qui nihil de Traditionibus Pontificiorum cogitarunt: ex Origene & Athanasio Græcis, & ex Latino Ambrosio. Sed in his prudentiæ vestræ erit, eorum luculentam vanitatem obseruare. Ex Origene habẽt, Sola veritas illa credẽda est, quæ in nullo ab Ecclesiastica Traditione dissentit: in quo & verba immutarunt, & quæ totam rem illustrant, execuerunt, & à sensu germano deuiarunt. Verus enim Origenes ita loquitur: Sicut nullis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant: posteaquam credidimus filium Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: ita cùm multi sint qui se putẽt sentire quæ Christi sint, & nonnulli eorum diuersa à

Pro Inuocatione.

In Cens. Col. Diæt. 6.

Origenes mutilatus De principiis.

prioribus sentiant, seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesiis permanens: ILLA sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione. Loquatur nunc Origenes, non Iesuitæ, Quid est veritas quæ sola credenda est? Ecclesiastica prædicatio ab Apostolis tradita, & quæ ab ipso Christo discenda est, & Ecclesiasticæ prædicationis quaedam species de Deo, de Christo, de Resurrectione subiicit. Taceant iterum Iesuitæ, & loquatur Origenes, quæ est illa Traditio Apostolica? Regula & disciplina, quam ab IESV CHRISTO traditam sibi Apostoli, per successionem posteris quoque suis sanctam Ecclesiam docentibus tradiderunt. Rursus loquatur, Quid veritas? Omnes qui credunt & certi sunt quòd gratia & veritas per Iesum Christum facta sit, & CHRISTVM VERITATEM esse norunt, secũdum quod ipse dixit, Ego sum veritas, scientiã quæ prouocat homines ad bene beateq; viuendum nõ ALIVNDE quàm ab ipsis verbis CHRISTI doctrinaq; suscipiunt. Quid ex Athanasio, pro suis non scriptis Traditionibus afferunt? Hos fidem nostram vsque adeo commendare, vt Diuus Athanasius in oratione ad Adelphium dicat, Nostra fides recta est & doctrina Apostolica, & ex Traditione Apostolica, & Patrum Traditione. Itáne verò Iesuitæ non solùm diuinas literas sed etiam suos Patres mutilabunt? Agat suam causam Athanasius verus ad illũ Adelphium Fratrem & Confessorem, & quæ sit Ecclesiastica Traditio, nobis enucleet. Nostra fides recta est, & ex doctrina Apostolica & Traditione Patrum CONFIRMATA EX VETERI ET NOVO TESTAMENTO, & eas cõfirmationes subiungit ex Prophetis, ex Apostolica Traditione scilicet ex Petri & Pauli scriptis Epistolis. Quid hæc ad non scripta? O fraudulentos falsarios, ô Diabolicos plagiarios! Sic enim eos vocat meritò idem Athanasius in alia oratione. Plagiarius, inquit, cùm auertere cupit alienos liberos, longè à parentibus suis peregrè agentes, assimulat speciem vultúmque parentum, quos vbi desiderio sui captos deceptósque longius abduxerit, iugulat & occidit. Eadem quoque ratione sinuosus ille Diabolus, nihil sibi fidens, vtpote qui sciat humani generis ad veritatem amores, veritatis speciem vultúmque prætendit, suum tamen interim virus comitibus suis & assectis inspergit. Ita profectò Iesuitis abutitur, in quorum ore iactitat veritates nõ scriptas, Ecclesiasticas Traditiones, apostolica decreta, Patres maiores, vt hac veritatis simulatione & specie ab ipsa veritate Dei filios insigni quodam plagio per istos administros suos abducat & abstrahat. Quid ex Ambrosio? Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus. Cur hîc obmutescunt, cur non pergunt? cur verum Ambrosium, eúmque totum recitare reformidãt? Librum sighatum illum propheticum, non seniores, non potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt: Soli Christo explanandi eius prærogatiua est seruata. Quæ sunt ergo nostra hæreditaria signacula? Liber signatus in Apocalypsi. Quis interpres verus & fidelis? Non patres, non Maiores, non Traditionarii, non Iesuitæ, sed Iesus solus. Et quos ibi quæso citat Maiores? nónne Mosen & Dauidem? Et quæ est illa, quam tractat, Traditio? Nónne fides Christiana contra Arrianos, contra quos etiam scripsit expressè Athanasius? Eritne Iesuitarum iudicio fides in Christum Deum & hominem Traditio non scripta?

Li. 4. ca. 2.

Athanasius corruptus.

Cont. Arrianos orat 5.

Cont. Ar. orat. 1.

Ambrosius detruncatus

L. 3. de Fi de c. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibidem. Quorsum ista, Fratres, nisi vt vos perfidiæ laqueo capiant? Quare exhortor eiusdem Ambrosij verProuer.14 bis, Innocens credit omni verbo, Audierunt „ergo & crediderunt, primo decepti sono: ac ve„lut aues intenti ad escam fidei, extentum sibi la„queum non cauerunt. Ita dum fidem sequuntur, „hamum nefandæ fraudis attrectauerunt. Et ideo, Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: præmittitur astutia vt sit tuta simplicitas. Hæc ille: & hæc ad omnes infirmiores & simplices pertinent, vt in hac Iesuitarum malitia serpentes Euangelici esse tandem aliquando incipiant. Nam & eædem plagæ positæ sunt in aliis patribus,& ex Polycarpo Traditiones confirmare studeant, cùm tamen sciant illum ipsum Eusebium quem citant tradere,eum omnia Ioannis Acta obseruasse, Sermones quos de Domino audierat memorasse,& cuncta Sacris Scripturis consona recensuisse. Est & aliud quod præterire nullo modo possum, quomodo etiam Pauli sententiam dilatent, ad omnes Traditiones extendant. Sic vt suprà vniuersalia in particularia contraxerunt, sic contrà ex particulari nobis vniuersale diffiarunt: Sic ex tenui tela quam breuiter & simpliciter texunt Apostoli,norunt isti longum stamen deducere. Locus est ad Corinthios: Cætera cùm venero disponam. Quæ sunt illa cætera? Quę adhuc circa venerabilis Sacramenti administrationem iampridem seruat sancta Ecclesia. Quæ tandem illa? Quæ Apostolus tacuit, isti dicent: Missa, eius nomen, totus apparatus, circunstantiæ, substantia, lumiTest. Anglo Rhemens in Sch. 1.Cor.11. num in meridie accensio, altarium ornatus, ipso in introitu confessio ad Mariam virginem & ad omnes sanctos: linguæ exoticæ & Romanæ vsus: Canon secretus, pro defunctis precatio, mutus gestus

Ex Polycarpo. Euseb. H. Eccl. l.5. ca.20.

Ex Paulo Traditionũ nouus aceruus. 1.Cor.11.

Cæs. Col. Dial.6.

gestus, ritus simiarum, Corporis Christi eleuatio, consecratio, Transubstantiatio, Circungestatio, adoratio: Sacramenti mutilatio, aquæ cum vino commixtio, sacrificij pro viuis & mortuis propitiatio, & quęcunque hodie in Missa papistica obseruantur: Hæc Apostolica sunt, hęc ex Pauli loco colliguntur, hęc disposuit aduenies, hæc ordinauit. Quis Endymion, aut quis Epimenides in specu per multos annos obdormiscens ista vnquam somniasset? Sunt autem reuera leuiora, quę pòst ordinauit: quę ad decorum externum, ad particulares circũstantias loci & temporis in publicis cõuentibus, ad casus quosdam dubios qui oboriri poterant, tollendos pertinebat. Nam quo ad essentiam Sacramenti nihil constituit Apostolus, vt ipse testis est, sed à Domino accepit, accepta Ecclesiæ tradidit, nec quidem Sacramento hac in re quicquam addere poterat. Nam vt Ie- ca 33. saias scripsit, Vnus est legislator. Non potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quàm datum est ab autore, vt est apud Ambrosium. Concludit ergo ille fuisse aliqua minutiora, quæ tamen spectabant ad politiam & ædificationem Ecclesię. Cur isti sic in altum, vltrò citrò volitant sine alis Scripturę? sine patrum adminiculo, atque pennis? Theodoretus putauit ista minus necessaria, Cùm scripsisset, inquit, de magis necessariis, reliqua præsentiæ reseruauit. Chrysostomi eadem est Paraphrasis, Si quicquam aliud dicendum est, in meum aduentum reseruetur. Itaque vel de hac eadem re loquitur, & idem ipsum significat quod commemorauerat, vel de aliis non multum vrgentibus. Respondeant ergo mihi Iesuitæ, Cætera quæ disposuit, fuerúntne leuicula, aut necessaria & grauia? Si leuia, non ergo

erant hæc Missatica, quia Pontificiorum iudicio illa sunt magni ponderis & medulla religionis. Si necessaria, illa prius tractauerat, si patribus credimus. Et quæcunque vel ad fidem in Deum, vel ad charitatem in proximos, vel ad communicantium probationem, vel ad Sacramenti administrationem, totámque materiam & formam pertinebant, quæ à Domino accepit bona fide & dextra manu tradidit. Hoccine est rectè sermonem Dei secare? Hoccine est funiculum lapidi admouere, aut potius vti plumbea regula? Ita alius quidam Glossator, Accepi à Domino, permissum est à Domino, Tradidi, id est, permisi, vt vtriusque speciei participatio esset permissio aliqua non præceptio. Sed quid mirum si Scripturas sic dilacerent, cùm suorum Constitutiones incorruptas & antiquas nouo Glossemate corrumpant? Calixtus iubet omnes peracta consecratione communicare: Marginalis nota est, communicent, qui corpus & sanguinem ministrant, nam Laici ter in anno tantùm: vel hoc antiquum est. Nam hoc videtur relictum arbitrio cuiuslibet. Communio igitur sub vtraque specie non est danda Laicis. Melchior habet Scripturam & Ecclesiæ sensum scilicet Apostolos non potuisse nec debuisse formas Sacramentorum vulgo tradere, nisi aduersus Christi legem, sanctum dare canibus, & inter porcos spargere margaritas voluissent. Ita Christiani huic Cano canes sunt, Cur non audiunt potius suum Iodocum Clitouæum non insulsè quidem, sed tamen contra ipsos allegoricè disputantem, qui ex Psalmo quarto, A fructu frumenti vini & olei multiplicati sunt: probat Sacramentum Eucharistiæ duabus partibus constare & per oleum spiritualem inde gratiam colligit. Lesbiam regulam adhibuit Eckius, Missa est Sa-

Corrupte læ pro vna specie.

Consec. d. 2.

L. 3. Loc. com. p. 97.

est Sacrificium: quoniam dixit Apostolus. Hoc facite, id est sacrificate, vt Virg.

Cùm faciam vitula pro frugibus ipse venito.

Beza & alii reprehenduntur à nostro Martino, quòd sua quædam testimonia interdum ex Virgilio, Homero, Cicerone, Plutarcho depromant: Cur hic non flagellat suum Eckium? Vnctio extrema est sacramentum, à dæmonum insultibus ægrotos subleuat, leuia peccata si quæ adhuc purganda superfint, delet: sic enim Diuus Iacobus Ecclesiæ tradidit: vt falsò Censura Colonienſis, Non enim vnctio, sed oratio Iusti efficax est. Septem sunt Sacramenta: nam septem surit candelabra: Ita Ioan. de Combis, Non licet ministris contrahere matrimonium: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: ita argumentatur Papa Siricius: Status virginalis perfectissimus est, quippe consequitur fructum Centesimum: ita Papaliter Gregorius. Paulus Hierosolymam se contulit ad Petrum, ergo peregrinatus est Religionis causa. Circuli corona in raso vertice sacerdotis figura est regni & sacerdotii: Nam scriptum est, vos estis regale sacerdotium. Non est futura omnium mortuorum resurrectio, Non enim resurgunt impij in iudicio. Atque hîc Vetus Translatio fefellit quendam Gallum presbyterum, Cùm sit Hebraicè verius & planius, Non consistent, & iter eorũ peribit. Sic enim impij resurgent in iudicio, non vt absoluantur, sed vt iudicentur. Purgatorius ignis etiam habet suos sufflatores ex hac falsa Scripturarum interpretatione: sed nisi luculentius accẽderint, procul dubio in fauillas & fumũ abibit, ac quidem certè extinguetur. Eckius, Purgatorium est, Dies enim Domini declarabit qui in igne declarabitur: Et ipse saluus erit sic quasi per ignem: Et nostri in Iesuitico Testamento

Pro Missa. c. 1. detectionis hæreticarum Translationum

Pro vnctione extrema.

Pro septẽ Sacramentis.

Pro cœlibatu. Greg. Matth. 13.

In peregr. Christiana noua.

Rab. Maurus de Instit. Cler. l. 1. c. 3.

Psal. 1.

Gloss. pro Purgatorio.

1. Cor. 3.

Scholiastæ eodem tendunt, & vt suum Purgatorium suffulciant, pro eo quod in Paulo est, Dies declarabit, Veteri Interpreti adhærentes de suo, DOMINI, adiiciunt, sed videāt quid sit verbo Dei addere, vt sua commenta stabiliant: Et quid est absurdius, quàm cùm de doctrinarum probatione & doctorum examine, & ædificio Ecclesiæ agatur, ad animarum lustrationem in altera vita trāsuertere? Quid impudentius, quàm purgatorii focos excitare, cùm Textus ille totus de Purgatorio nihil dicat, & Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Græci, Latini hoc in loco aliter interpretentur? Imò Purgatorium erit ex loco Zachariæ, Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Imò ex hoc contextu non erit, sed amplissimum est de Christo vaticinium, vt & Euangelista exposuit, quod ab istis nefariè obscuratur, & ad Christū est Apostrophe, quòd ille in sanguine Testamenti suī nos vinctos de lacu in quo non est aqua, de INFERNI carcere in quo nulla est misericordia, bonitate & clementia sua liberarit: Sic enim Hieronymus: Imò certè Purgatorium inuenitur in Psalterio, Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Imò nec hìc inuenitur: Totus Psalmus calamitosam sortem sanctorum in hac vita ostendit, quos Dominus ignè tentat, & sicut argentum in fornace examinat, quos in laqueum quodammodo inducit, & in carceres compingi finit, quorum dorsa oneribus premit, quorum ceruicibus tyrannos imponit, vt non-nisi per ignes & aquas ad refrigerium transeant: Augustinus per ignem afflictiones quæ vrunt, per aquas res prosperas quæ corrumpunt, intelligit, & ex vtroque periculo pios Deus liberat, vt non sit opus post hanc vitam alio igne, qui

c. 9.
Obiect.
Solut.

Matth. 21.

Obiect.
Psal. 66.

Solutio.

qui emundet aut manes eorum expiet. Sed quò nunc se propipiunt isti? ex veteri Testamento corradunt testimonia pro Purgatorio, & tamen ante Christum nullum fuisse Purgatorium apud eos antiquitus & communiter recepta est opinio. Sed quale tandem Purgatorium isti fabri constructerunt? Primò erit non ignis sed tanquam ignis: sic Paulus tum erit ignis & aqua, sic Dauid: pòst erit lacus & non aqua: sic Zacharias: Postremò esse volunt aliquid: sed hoc aliquid sua subtilitate in nihil redigunt. Qui hoc modo Purgatorij officinam ædificant, ipsi certè purgatione Hellebori indigent. Aliud est istorum generale perfugium quo se recipiunt, Spiritus sanctus, qui omnium illorum Cōciliorum comes est & pedissequus. Latomus: Spiritus sanctus deducet in omnē veritatē, ergo & hoc magistro licet plebi calicem auferre, ergo quæcunque in Conciliis decreta sunt, seruari debent, ergo nec Romanus Pontifex nec eius Catholici errare possunt. Manipulus Curatorum Scripturas sic tractat, Serui obedite per omnia præpositis vestris. Ipsi enim peruigilant quasi reddant rationem pro animabus vestris. Si ergo ille qui habet cūrā, tenetur reddere rationem pro anima subditi, videtur necessariò quòd sciat statum ipsius animæ subditi: quod fieri non potest nisi audiat Confessionem illius: quare oportet quemlibet subditum confiteri Curato suo. Ita semper ex speciali mandato veræ obedientiæ quæ suos habet limites in verbo Dei præscriptos, suam Catholicam obedientiam erga suos prælatos in omnibus ipsorum præceptis colligunt. Sed & illud iterum videtis in hoc ipso argumento vniuersale fieri istorum dialectico artificio particulare. Quod enim Græcè legitur, parendum omnibus τοῖς ἡγουμένοις, ducibus, prin-

Spiritus Sanctus seruus Pastorum.

Heb. 13.

Pro cōfessione auricularī.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipibus,prefectis,Rectoribus,& de ciuili quoque magistratu rectè intelligitur,qui etiam nostri curam habent & pro animabus nostris vigilāt,vt in vera religione instituamur:id ad prælatos Ecclesiasticos solummodo rapitur. Quod valde placuit nouis Translatoribus Testamenti, & in scholiis
Heb.13. declarant,Prælatos esse sanctos Patres,Doctores, GLORIOSOS Episcopos:& ex hoc principio nobis duas alias nouas applicationes & nouos Scripturæ sensus extruunt: vt & illis tanquam legitimis nostris pastoribus credamus , & sanctorum quoque memorias atque festa solenniter & religiosè seruemus. Ita in prælatos & in Papas tan-
In Paral. quam in cloacam omnia deuoluuntur.Quod pul-
Abb.Vrsp chrè ex Luthero refertur , qui ad Nobilitatem
3. Papista Germaniæ scribit,tres esse Papistarum muros : v-
rum muri nus est,cleri immunitas & priuilegium,quòd magistratus prophanus cùm sit, in prælatos spirituales nihil habeat potestatis,sed ipsis potius subsit: alter est,si vrgentur Scriptura , dicunt nemini licere præterquam Papæ eam exponere. Tertiò,si ad Concilium vocantur,habent suffugium, Concilium à nullo posse nisi à solo Romano Pontifice iudici. Quæ omnia apertè in hac tota nostra tra-
De Cōs. ctatione conspicietis. Quàm verò castè in hoc
D.3. interpretandi munere versentur Papæ & eorum
assecłæ,partim ex his perspicuum esse potest,par-
Pro Aqua tim ex illis aliis, videlicet , Aquam sale conspe-
lustrali. rsam in populis benedicimus : vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.Lex est A-
" lexandri Papæ,vt fingunt:ex qua Scriptura? Nam
" si cinis vituli aspersus populum sanctificabat at-
" que mundabat:multo magis aqua sale aspersa, di-
" uinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Etsi sale aspersa per Elisæum prophe tam

tam sterilitas aquæ sanata est: quanto magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum , & coinquinatos sanctificat & purgat,& cætera bona multiplicat & insidias Diaboli auertit,& à phantasmatis ac versutiis homines defendit? Hic est scilicet catholicus Scripturæ sensus: vt ceremonias legales & figuras antiquatas nobis restituant,vt in conclusione insulciant, quæ in præmissis non confirmantur , vt ex temporalibus beneficiis spiritualia colligant , vt legibus & verbo Creatoris,creaturarum,Paparum, hominum constitutiunculas æquiparent. Quàm etiam futiliter in suo Rationali Durandus ratiocinatur? Solus Episcopus vel sacerdos aquam vino commiscet in calice , quod nulli inferiori facere licet, quoniam solus Christus populos sanguine suo redemit:Missæ Canon deuotè dicitur per solum sacerdotem , quoniam secundum Matthæum Christus solus orauit. Idem quia post luctum sequitur consolatio, Nam beati qui lugent , quoniam ipsi consolabuntur:ideo post Graduale cantatur Alleluia. Et ne quæ sit verbi Alleluia significatio latina ignoremus , expediuit: ex Innocentio,Laudate pueri Dominum : ex Augustino, Saluum fac Domine : ex Hieronymo,Alle, cantate,Lu,laudem,Ia,ad Dominum : ex Gregorio,Pater,Filius,Spiritus sanctus,vel lux, vita , salus : ex Magistro Petro Antisiodorensi, Al, altissimus , leuatus est in cruce, Lu, lugebant Apostoli , Ia, iam surrexit. Quid multis? Bernardinus affirmat beatam Virginem esse Dominam & imperatricem totius orbis & omnium creaturarum: probat ex Scriptura,Primò,Regina est cœli & Angelorum,Gyrum cœli circumiui sola, scilicet tāquā Domina. Dominatur inferno,Profundū abyssi penetraui.Dominatur mūdo & hominib⁹ in eo

L.4.Pro sacerdotū Priuilegio.Ibidē. Pro secreto Missæ.

Alleluia quid?

Scripturæ pro D.Maria.Part. prima S.5. De Concep.Ma. Eccle.24. Ibidem.

habitantibus : nam subditur, Et in omni populo & gente primatum tenui. Episcopus quidam Landinus in Concilio Constantiensi Textum inuenit ex Epistola ad Romanos , Ioannem Hussium esse comburendum. Sic enim compellat Sigismundum Cæsarem : Vetus homo noster simul crucifixus est , vt destruatur corpus peccati , &c. Æquum est igitur , Imperator inuictissime , vt hæreticum hunc in sua malitia rigidum extinguas. Has Grammaticas istorum virorum expositiones etiam pueri nostri ridebunt , nec Gregorius Martinus siue viuus siue mortuus , nec alii qui tot linguas se nosse profitentur , credo , laudabunt : certè M. Humfrenus , M. Fulco , M. VVhitakerus , quos illic sic nominare placuit , non probabunt. Nolo plura : quisquiliarum plus satis : Ex quibus quantæ fuerint temporum illorum plusquam Cymmeriæ tenebræ perspicitis : quantus Scripturæ sacræ contemptus & fastidium intelligitis. Atque hic memini quod scriptum prodidit Ioan. Tritthemius de monachorum affectata ignorantia. Quum enim in Fuldensi Monasterio Rab. Maurus diu prælegisset : & viginti quatuor annos verbo & exemplo præfuisset : Monachi qui studiosi Scripturarum & grati in professorem esse debebant , eum tanquam nimium intentum Scripturis temporalia neglexisse calumniantur : qua improbitate offensus , monasterio relicto ad Ludouicum Imperatorem Caroli filium transmigrauit , nec postea vllis precibus reuocari potuit. Si nostri Iesuitæ hanc insignem Monachatus labem eluerint , bene est: quòd autem eodem modo Scripturas deprauent, & dilutis interpretationibus omnia vitient , quo scien-

C.6. In secunda part. volum. Io. Huss. Textus cont. Io. Huss.

Grego. Mart. sua Detect. C.17.

In vita Rab. Mauri.

scientiores serui sunt , eo pluribus plagis, Deo iudicante , vapulabunt. An ita sit, ex hac comparatione , vos quibus iudicandi dexteritas à Deo , & ab ipsis aduersariis facultas data est , diiudicate , iudicet Deus , iudicet Dei Ecclesia, de qua nunc , Deo docente, & Campiano nos docente, paulò vberius differemus.

DE ECCLESIAE NATVRA:

Tertia Ratio.

CAMPIANVS.

Audito Ecclesiæ nomine hostis expalluit.

HVMFREDVS.

1. Amabile Ecclesiæ nomẽ, extra quã gehenna.

ECclesiæ nomen dulce est: & non modò non odiosum, sed omnium Christianorum auribus gratissimum: nec quenquam esse nostrorum arbitror qui illo audito vel expaueſcat vel expalleſcat.

Hîc murus aheneus esto.

Nil conscire sibi, nulla palleſcere culpa.

Ecclesiæ veræ inseri, & in ea versari, hoc summum bonum, Paradisum, regnum cœlorum esse putamus: ab ea segregari, eius finibus eiici, Satanæ tradi, hoc ipsum inferorum hiatum, & orci fauces esse credimus. Nam quod hostes nostri crebris vsurpant sermonibus, Extra Ecclesiam nullam esse salutem, ei nos libenter accedimus, id prædicamus, ac cõfitemur, actum esse de illo, quisquis ab hoc iucundissimo Ecclesiæ consortio & communione separatur. Extra Arcã Nohæ quid aliud

nisi pontus & aer? imò quàm aeris & lucis & vitæ priuatio? ita extra Dei Ecclesiam quid aliud quàm sempiternus horror, esus vermium, stridor dentium? Si Dauid, manufacta Dei Tabernacula tam amabilia esse duxerit, vt cùm ad tempus ab his abesset & exularet, turturibus & passeribus qui in illis nidos cõstruebant, se lõgè infœliciorem iudicaret: quid de æterna à viuo & vero Dei Templo abdicatione concipere oportet, quando nullus Christus, nulla pax, aut tranquillitas animorum, nulla remissio aut leuatio peccatorum, sed contrà, desperatio, & rubor & pallor, terrores & pauores, & cordis palpitationes, mugitus conscientiæ, & gehennæ abyssus mentis luminibus solummodo obuersantur? quando nulla sacrificia, nulla sacramenta, nullæ preces nostræ, nulla opera, nulla fides nostra Deo placere, eúmue placare possunt? Oua enim ponenda sunt in nido Ecclesiæ, vt præclarè August. In ista fide pone pullos tuos, in isto nido operare opera tua: nec quicquã fit rectè, iustè, fideliter, nisi à Dei filiis. Hoc senserunt in semetipsis omnes fideles, hoc ipsa experientia patrum nostrorum satis superque nos edocuit, delectabile esse in hoc Ecclesiæ sinu à Deo gestari, eius verbo foueri, in eius communione summa cum voluptate conquiescere: extrudi verò, expelli, exterminari, esse miserandum. Dauid sensit, Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis, replebimur bonis domus tuæ: Sanctum est templum tuum. Vnum petij à te, hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meę. Contrà, in vastitate Ecclesiæ, Memor esto congregationis tuæ. Et, Signa nostra non vidimus, non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Augustinus, Bona vox, gaudenda vox, eligẽda vox, Elegi, abiici in domo

Psal. 84.

Deut. 28.

S. Psal. 83.

Ies 46.

Psal. 65. 27

Psal. 74.

„ Domini, magis quàm habitare in Tabernaculis
„ peccatorum. Gregorius Nazianzenus,

Σπεῦσῶ Νῶε Κιβωτὸν ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.

Quæro Nohæ nauem mortis quò famina vitem.

C.24 q.1. Quoniam Vetus. Hieronymus ad Damasum, Super illam Petram (Christum) fundatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est: si quis in arca Noæ non fuerit, peribit regnante diluuio. Quæ autem eo tempore Damasi fides de Petra Christo fuerit, testificabitur Concilium Romanum ab ipso & Alexãdro Episcopo celebratum, in qua decernitur, Si quis filiũ Dei, verè Deum & verè hominem fuisse negaret, vel humanitatis aliquid, vel Deitatis minus diceret habuisse, alienus ab Ecclesia iudicaretur. Cyprianus, In Ecclesia sancta, &c. & remissio peccatorum & carnis resurrectio prædicatur. Idemque, Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: nec pertinet „ ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi: Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. In hoc gremio matris huiusce nos pietatis Christianæ alumnos, huius vitis nos palmites, in his pascuis nos oues, huius Ecclesiastici corporis nos membra esse impensè gaudemus & liberè profitemur: nec hinc expallescere vel erubescere, vel extimescere solemus: quoniam in hac arce omnes nostros thesauros, omnes opes & spes salutis nostrę recondi nouimus. Miramur autem & dolemus ab hac societate nostra Iesuitas nostros & seminatores sese audacter diuellere: & eorum exemplo & instigatione complures alios inconsultò secedere: quibus illud Bernardi rectè cõuenit: Falleris Thoma sanctè, falleris, si videre Dominũ speras ab Apostolorũ collegio separatus: Non

Cõtra Recusantes. In expos. Symb.

De simpl. Prælatorum.

Bernard. in S. de ascens. 6.

Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. Fallũtur & isti qui Ecclesiam Christi deserunt, & diuerticula quærunt.

CAMPIANVS.

Sed tamen excogitauit quiddam, quod à vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam & inopiam cognoscatis.

HVMFREDVS.

Quæ nostri palloris causa affertur? Nomine, inquit, Ecclesiæ audito, illico falsi ruinam & inopiam cognoscemus. Hoc vno Ecclesiæ ariete tota nostra causa, credo, proteretur. Sed profectò nimium creduli sunt, & quauis beta insipientiores. Nondum intelligunt hanc Ecclesiæ laruam despicabilem esse, quam etiam nostri Catechumeni iam norunt, deridẽt, contemnunt? Proinde Ratio hæc quid virium quid neruorum habeat, excutiatur, Esse nobis hoc Ecclesiæ nomen formidabile, quo statim audito omne propugnaculũ nostræ religionis concidat. Nos verò opponimus, ab Ecclesiæ autoritate argumentum ductum simpliciter in Academia nostra parum valere, nihil efficere. Non enim valet, Dixit illa, tanquam Domina, sed dixit ille, Dominus. Maneat mihi fides „ in verbum, & manebo domesticus Dei, & hæres „ regni cœlestis, vt Hagnon. Non est pax sed bellũ, nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur, ita Cyprianus. Vbi nõ de Dominis, sed de creaturis ac mysteriis sermo est: In, præpositio non additur, vt dicatur, In sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credẽdam esse: non vt in Deum,

Arg. ab Ecclesia simpliciter ductũ nõ valet.

S. 5 de lapsis.

sed vt Ecclesiam Deo congregatam vt est apud eundem. Qui vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sic Chrysostomus, Si videris hominem Christianum, statim considera, si confessio eius conueniat cum Scripturis, verus est Christianus, si autem non est quemadmodum Christus mandauerit, falsus est, quemadmodum idem scripsit. Non ergo absolutè audienda est omnis Ecclesia, nisi quæ simplicè verbi & veritatis confessionem ediderit. Quæ tandem causa? Quia cùm Ecclesię nomen sit ambiguum, distinguenda est vera ab ea quæ falso Ecclesiæ nomine ac titulo palliatur: quoniam ψευδώνυμος Ecclesia verè & propriè nō potest dici Ecclesia, non magis quàm cadauer dicimus hominem, cùm omni vita & spiritu destituatur. Esse autem nomen μέσον, sic liquet, quia est cœtus quidam mixtus, & magnæ atque profundæ sunt latebræ dissimulationis. Scriptura dixit esse aliam Ecclesiam magnam in qua laus Dei à Dauide canitur, & esse aliam malignam, quam odio habet, esse atria Dei & impiorum tentoria: esse Bethel & Bethauen domū Dei & domum iniquitatis, inter bonos conuiuas esse qui sine veste nuptiali in Regis discumbit nuptiis: ciuitatem fidelem esse meretricem, domum orationis speluncam esse latronum. Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Quemadmodum sunt Catholicorum conuentus, ita sunt hæreticorum conuenticula, & schismaticorum diuerticula: quemadmodum omnes sunt verè Christiani: ita non inuenustè Chrysostomus, loqui Christum de hæreticis, qui foris in schemate Christiani videntur, intus autē confessionis efficacitate sunt Gentiles. Et rursus, Omnes species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate

In oper. Imper. H. 49.

In Mat. c. 7. H. 19.

Ecclesiæ nomen ambiguū.

Psal. 21.

Iesa. 1. Hier. 11.

In Matth. ca. 7.

veritate, possunt habere & serui Diaboli in similitudine. Et Augustinus, Habent quidam domum Dei, sed non pertinent ad decorem domus Dei, &c. scilicet qui in se non in Domino gloriantur. Et alibi, Prope est palea tritico. Multi hypocritæ labiis appropinquant non corde, & vt habet Glossa, Nomine non numine, corpore non mente, numero non merito. Facile deinde est & familiare hæreticis Ecclesiæ titulo se venditare, eumque factioni suæ tribuere. An enim quia Iulianus Pelagianorum quidam dux imò princeps se ex ordine & agmine Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum fuisse iactitabat: an quia Petilianus dicebat totum mundum apostasia quadam defecisse, se autem & suos in Ecclesia tanquam duas tribus in populo Dei permansisse: an quia Donatistæ gloriabantur Christianum nomen de tot gentibus in orbe terrarum periisse, & in Africa sola remansisse: an quia Nouatus simiarum more (quæ cùm homines non sint, homines imitantur) volebat & audebat homo Ecclesiæ rebellis, Ecclesiæ tamen Catholicæ autoritatem vsurpare, idcirco nomine Ecclesiæ contra Ecclesiam armari, & titulo nudo aduersus Catholicos, Cyprianum, Augustinum, & alios pugnare debuerunt? an potuerunt? Non omnes Israelitę ex Israel sunt, Multi in nomine Christi prophetant, sed non omnes qui dicunt, Domine, Domine, intrabunt. Chrysostomus enim pulchrè, In nomine Christi multi ambulant, qui non habent Spiritum Christi seducendi causa. Quamobrem cùm sint Ecclesiæ aliquæ particulares, quę multis sæpe erroribus circumactæ tegantur: cùm omnis Ecclesia conspicua in hoc mundo sit ex diuersis hominum & nationum generibus coagmentata, & ex bonis & malis commixta: cùm rete sit Ecclesia, & aliquot

Psal. 25.

In Psalm. 54.

Aug.

Con. Par. l. 2. c. 1.

Rom. 9.

Matth. 7.

sordes trahat aut pisces habeat putridos: cùm sit ager dominicus & zizania recipiat: ab illa Ecclesia oberrante in hoc seculo & peregrinãte nulla ratio firma & irrefragabilis colligi poterit. Quid, inquit Duræus? Si matrem quæ vos genuit non deseritis, si eo quo dicitis loco Ecclesiam habetis, cur ad illam non confugitis? Cur in disputationibus aduersus nos vestris, illius autoritate vos nunquam defenditis? Quis enim aliquando Lutheranus, quis Caluinianus, cum Catholicis disputans, Ecclesiæ autoritate vel se tueri atque defendere, vel aduersarios oppugnare est ausus? Quærunt & alii, nullane firmamenta doctrinæ, nulla argumẽta fidei Ecclesia suppeditabit? Nulla, quatenus est hominum conuocatio, quandoquidem vt omnis homo mendax est: ita hominum multitudo, id est, Ecclesia errauit & in errorem incurrere poterit. Quid ergo? Consecutio argumenti tenet solummodo in eo si Ecclesia famuletur, & diuinæ voluntatis dictata sequatur, si ancilla sit & non imperet. Breuiter à nulla Ecclesia argumentum vllũ validum & solidum trahitur nisi sit Apostolica. Huc pertinẽt omnia Patrum testimonia, Irenæi, Tertulliani, aliorúmque, qui ab isto & aliis citari solent, quippe omnes hi de hac sola loquuntur, non de illa quæ ex suppositione & fictione cerebri humani ratiocinatur. Si huc tela sua dirigit Campianus, vicit: si de alia quapiam Ecclesia his nouissimis temporibus subornata in toto hoc capite differit, victus est, & Ecclesiæ naturam, id est, scopum suum ipse non attigit. Hoc quî sciri potest? Tertullianus sic delineauit Apostolicas Ecclesias, & suis quasi terminis ita circumscripsit, vt non iam anceps sed nota & simplex sit Ecclesiæ significatio. Nam Apostolicas vocat, primùm Iudaicas, quoniã ex Zion exiuit

Duræus contra VVhitakerum.

Ecclesia verè Catholica est Apostolica.

Lib. de Præscrip.

Iesa. 2.

exiuit lex & verbũ Domini de Hierusalem, deinde quæ fuerunt inter gentes disseminatæ ab Apostolis, A quibus, inquit, cæteræ Traducem fidei & semina doctrinæ acceperunt: Et vt certò liqueat Apostolicas Ecclesias esse non à loco Roma, nõ à persona aut cathedra Petri, non à nomine alicuius Apostoli, Petri vel Pauli deriuatas, sed purissimo semine veræ Apostolorum doctrinæ satas, euidenter demonstrat, Cõstat omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputãdam, id sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit, reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorũ & Christi & Dei. Nõ ergo satis est in ore habere, Credo Apostolicam Ecclesiam, nisi illa copula & catena annectatur, vt Apostolica sit, quæ habeat veritatem Apostolicam, quam à Christo & à Deo edocti sunt, & quam aliis quas fundarũt Ecclesiis oretenus, pòst calamo commendarunt: quam expositionem verborum & sententiæ Tertulliani egregius cauponator Duræus in medio & in fine callidè reticuit, & fraudulenter præteriit. De hac Apostolica Ecclesia & non de alia intellexit Hieronymus super illa verba Psalmi, Dominus narrabit in scripturis populorum, &c. Ideóque quod de Nouatiano Cyprianus, id de Papa Romano aptè dicetur, In Ecclesia nõ est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini succedens, à seipso ordinatus est. Quod sanè quomodo conueniat ei, qui in sede fortassis Apostolica, non in Euangelica & Apostolica Traditione succedit Apostolis, piis Academicis considerandum & determinandum relinquo, qui satis, qua sunt spirituali intelligentia,

Ibidem.

perſpexerunt eum ad hoc ſublime, nouũ ſacrilegum Sacerdotii genus, ad papatum, ad iſtas claues, mitras, gladios, coronas, faſces non à Domino Ieſu, ſed à ſeipſo eſſe euocatum. Exiſtimabunt etiam ſpero, non eſſe cauſam, cur vel expalleſcamus, qui ad hanc primam, antiquam, Apoſtolicam & Chriſtianam Eccleſiam appellamus, neque vllam aliam fidei noſtræ petram agnoſcimus: vel cur hanc talem cauſam inopem eſſe aut ruinoſam credamus: quæ Chriſto fundamento nititur, & e-
Pſ.126. gregiis Euangelii & Epiſtolarum Apoſtolicarum fulcimentis ſuſtentatur. Et cum Hilario reſpondemus, Hæc (domus Dei) ita à Deo, id eſt, doctrinis eius ædificanda, non concidet. De pallore hoſtis, de falſi ruina, quod fuerit Campiani præludium intelligitis. Sed meminiſſe debẽt pugnaces iſti & feroces homunculi dictum eſſe à Pindaro,

ἐσὶ δ' ἀφάνεια τύχας,
ἢ μαραινθέων, πρὶν τέλος ἄκρον ἰκέσθ.

Incertam eſſe fortunam pugnãtium, antequam ad ſummum finem perueniatur.

In Iſthmijs. Nunc quid ſit illud quod à vobis animaduerti vult, & quod hoſtem ſuum excogitaſſe imaginatur, perſpicite.

CAMPIANVS.

Apoc.2. Pſal.9. Iſa.2.& 35. Cant.6. Mat.13. *Senſerat in Scripturis tum Propheticis tum Apoſtolicis, vbique honorificam Eccleſiæ fieri mentionem: vocari ciuitatem ſanctam, fructiferam vineam, montem excelſum, directam viam, columbam vnicam, regnum cœli, ſponſam & corpus Chriſti, firmamentum veri, multitudinem illam cui ſpiritus promiſſus inſtillet omnia ſalutaria: illam, in*

in quam vniuerſam, nullæ ſint vnquam fauces diaboli morſum lætiferum impacturæ: illam, cui quicunque repugnet, quantumuis Chriſtum ore prædicet, non magis Chriſto, quàm publicanus aut ethnicus potiatur.

Ephe.5. 1.Cor.12. 1.Tim.3. Io.14. Matth.16. Matth.18.

HVMFREDVS.

Si hoſtis ille quem ſibi fingit, cuius vmbram oppugnat, hoc ſenſerat: hominis non inſenſati ſed cordati & prouidi eſt argumentum: Si in Scripturis ſacris propheticis & Apoſtolicis hanc honorificam Eccleſiæ mentionem fieri deprehenderat: in eo ingenui & diligentis & pij viri ſpecimen elucet. Nam hic honos ſolis libris Canonicis habendus eſt: vt hinc omnia probemus & quod bonum eſt teneamus, vt virtute multa verbum Euangelizemus, vt in Scripturis diſcamus Chriſtum, in Scripturis diſcamus Eccleſiam: vt renunciemus proprio ſenſui, & cæteris ita demum credamus, ſi vera & Scripturis conſentientia decernant. Alioqui quiſquis alibi collegerit, ſpargit, adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum quodcunque humano furore inſtituitur, vt diſpoſitio diuina violetur: vt optimè Cyprianus. Quemadmodum ergo certa quædam doctrinæ formula cœlitus Eccleſiam Iſraeliticam gubernauit, ne in huius vitæ deſerto ad varia hominum inuenta nimis excurreret: ita hanc ſuam Eccleſiam Chriſtus cœleſti voce regere & moderari voluit. Moſes enim ait, De cœlo te fecit audire vocem ſuam, vt doceret te. Hunc in modum inſtituenda eſt omnis Eccleſia. Diſcutiam antè & quidem libenter quæ ex his Scripturis depromuntur præconia, & tamen cautè, ne vel Eccleſiæ vera laus detracta,

Cypr. l.1. Epiſt.epi.6 Deut.4.

vel falsa affícta esse videatur: & discutiam pressius ea quæ leuiter Cãpiani peruolitauit oratio. Hinc enim aliquot Ecclesiæ illustrissimas descriptiones habebimus, vt eius natura ad viuum pingatur, eritque hæc nostra examinatio ad Ecclesiæ definitionem aliqua paræsceue & prolusio.

Nomina Ecclesiæ usque descriptio. Ciuitas qualis. Apo.16. Apo 3.21.

Vocatur Ecclesia CIVITAS sancta: verissimè, licet ille locus ex capite secundo Apocalypseos non verè citetur. Est quidem ciuitas & sanè Magna, eáque in tres partes diuisa: Est ciuitas Dei cui ianua Christus, cuius fundamenta secundariò per Christum sunt Apostoli, ciuitas noua Hierusalem, quæ à Deo de cœlo descendit. Dicitur autem descendisse de cœlo, inquit Aquinas, quòd quicquid habet boni sancta Ecclesia, cognoscit se accepisse à diuina gratia. Est ciuitas, in

Apo.22. quam non canes, non Idololatræ, non mendaces ingredientur. Præclarè Augustinus, Dicitur ciuitas quasi ciuium vnitas, in qua rex est veritas.

In Matth. c 5. Druthmatus, Ciuitatem, Ecclesiam dicit ædificatam super Dominum. Habetur etiam apud eundem Augustinum, duas esse Ciuitates, quas duo

De ciuit. D. li. 15. & f. Psal 64. Amores constituunt: Hierusalem amor Dei, Babyloniam amor seculi: & duæ ciuitates sunt, Dei,

De ciuit. Dei 6. ca. 3 Diaboli, illa cœlestis, alia terrestris. Iterum idem Augustinus & religionem & conditionem & institutionem huius Ciuitatis sic descripsit, Vera

" Religio non à terrena aliqua ciuitate instituta est,
" sed planè cœlestem ipsa instituit ciuitatem. Eam
" verò inspirat & docet verus Deus, dator vitæ æ-
" ternæ, veris cultoribus suis. Itaque non aliqua ter-
rena sed cœlestis, non Babylonica sed Hierosolymitana, non Diabolica sed diuina ciuitas concipienda est nobis & consideranda.

Iam si Romanæ ciuitatis non ea sit porta, non idem fundamentum, non vnus & idem dominus sed,

sed domini multi super quos ædificatur: non eadem gratiæ diuinæ doctrina, non ea veritas, non eadem origo & religio: vtrum hæc prima attributio ei adaptari possit, vtrum illi Pseudocatholici ciuitatis sanctæ ciues, an Babylonis incolæ sint: cùm etiam hanc ciuitatem sanctam calcare audeant & soleant, vos qui censores estis, ferte iudicium.

Vocatur fructifera VINEA: meritò: vera autem vinea à Domino plantata est, in solo vbere: & palmites fælices esse nõ possunt, nisi in Vite Christo inserantur: nisi cœlestis agricola subinde curet & excolat, nisi pluuiam è supernis demittat. Augustinus pulchrè, Terra Domini est Ecclesia eius, ipse rigat, ipsam colit, ille agricola pater. Vera Vinea, id est, Ecclesia, ait Bernardus, non præsumit de suis meritis, sed de Dei misericordia, vt suprà diximus. Idem quoque, Hæc vinea Domini Sabaoth, plantata est in fide. Ex hac tam excellẽti plantatione, cura & cultura, duæ res præstantes & eximiæ existunt, vt est bene à Ioanne de Turre Cremata dictum, amplissima & continua propagatio palmitum: secundò vinum spirituale & mustum. Quid si vinea sit in potestate malorum colonorum, qui absente Domino vineam negligunt, eam non putant, superflua sarmenta non resecant? quid si etiam seruos ad eam missos cædant & diuexent? quid si etiam ipsæ nubes non sint bonæ, sed violentæ & turbidæ, & vinea temporaneis imbribus non irrigetur? Exclamat iterum Bernardus, Væ nubibus pluentibus istiusmodi imbres super eas (animas) qui lutum faciãt, fructum non afferant. Malos deinde imbres clarissimè designat & denominat Traditiones Pharisæorum, & ipsos Pharisæos malas nubes, ex quibus tribuli & spinę quędam succrescunt, videlicet

2. Vinea. Apo.13. Ies.5. Ioan.15. f. Ps. 36. f. Cãt. s. 6. f. Cãt. ser. 58.

obſeruationes Sabbathi,ritus,ſacrificia, & diſertè ſignificat,nolle ſe, vt hæc pluuia ex illa nube in agrum vel hortum ſuum deſcendat. Auguſtinus præclarè, Paulus volebat prædicare Iudæis, & inuenit ibi non vuam ſed ſpinas. Et iterum, Ipſe Chriſtus queritur, labruſcas protuliſſe,ideóque mandauit nubibus ne amplius eam compluãt. Id quod de Vineæ Romanæ cultoribus & dominis verè queat prædicari: nimirum quia Vineam ab initio ſuam Dominus illis colonis tradidit: ea vuas aliquot ſalutares fidei, ſuaues & ſucci plenas diu protulit, ſed poſtea labruſcas omnibus Iudaicis traditionibus ſuperſtitioſiores & hominum conſcientiis magis oneroſas produxit, imò vineam ex Ægypto, è ſeruitute Satanæ, ex opaca caligine,è fornace eductam aper Romanus ferus & agreſtis vaſtauit. Eritne hæc vinea,quæ ſic deformata,& tot errorum & lapparum & ſpinarum nutrix eſt, eritne inquam vera Dei Eccleſia? Imò verò repudiabit Deus, ſicuti olim Templum ſuum Iudaicum, Ego te generoſa vite, veróque ſemine conſeui: quomodo mihi facta es vitis degener & aliena?Reſpuet ac reiiciet Chriſtus,Omnis plantatio quam non plãtauit pater meus cœleſtis,eradicabitur.

ſ.Pſ.35.

Ieſ.5.

Hier.2.

Matth.15.

3. Mons.

Vocatur Eccleſia MONS excelſus:Nec ſine cauſa:quia è monte in valles,ab Eccleſia eiúſque vertice Chriſto in humiles cœleſtis aqua diffunditur & mons ſpecula eſt, vnde alii commonefiant: & ſuper hunc montem Zion Agnus ſtat:quinimò hæc Eccleſia Ciuitas eſt, ſupra montem collocata:id eſt,ſuper Chriſtum,noménque ſortitur à fertilitate & plenitudine gratiarum. Sed alii montes ſunt,mons Seir,montes Amorrhçorum,& Roma ſepticollis eſt.Nunquid ad hunc montem gẽtes confluunt?nunquid purpuratus ſenatus & clerus

Gloſſ. Matth.5.

rus Romanus huc vocant populum & pauperes Chriſtianos,vt alacriter aſcendant,quo Dominus eos doceat vias ſuas, & in eius ſemitis ambulent? Annon potius ab hoc diſcendi ſtudio & feruore deterrent?annon legibus ſeueriſſimis abarcent?ideo ferient tales ſummos mõtes Iehouę fulmina.

Vocatur deinde, inquit Campianus, directa VIA? vbinam quæſo directa via dicitur Eccleſia? Ieſaiæ triceſimo quinto. In Veteri quidem Interprete ſic habet:at in Hebraico contextu longè aliter & legitur & intelligitur. Sed ſit ita:Hieronymus tamen alium ſenſum reddit,& ad Chriſtũ refert. Ego ſum via,per quam, qui pollutus eſt, tranſire non poterit. Vnde & in Pſalmo dicitur, Beati immaculati in via. Et hæc via erit nobis,id eſt,Deus noſter,tam recta & plana atque campeſtris, vt nullum habeat errorem: atque ſtulti atque vecordes per eam ingredi valeant,quibus in Prouerbiis loquitur Sapientia, Si quis eſt paruulus veniat ad me. Hæc eſt Hieronymi doctiſſimi patris expoſitio: hæc Dauidis patris & Salomonis filii exhortatio, qua etiã paruulos & ſimpliciter ſtultos ad Scripturę lectionem inuitãt,quę illã Romanenſis Eccleſię obiectionem de obſcuritate & via imperuia Scripturarum prorſus euertit.His ſuffragatur Epiphanius, Eſt via regia ſancta Dei Eccleſia,& iter veritatis.Scio quò tendant,putant ſe directam viam eſſe,rectam ſemitam tenere,nos à via errare,ſe deuiare nõ poſſe:quia Eccleſiæ Catholicæ titulum ſibi per aliquot annorum Centurias ſine titulo vllo Iuris diuini aut humani vẽdicarunt. Quid?Illíne ſic in tuto loco fixi & plãtati ſunt, vt eradicari nequeant? Quorſum ergo illa Hormiſdæ Romani Pontificis ad Epiſcopos Hiſpaniæ hortatio,vt precentur Deum,ne vnquã ab illa via quæ Chriſtus eſt,deuio tramite decli-

4. Via directa.

Prou.9.

Ier.2.Tom. 1.H.59.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concil. Bas. sess. 34

nent, ne ab eo quem impiè reliquerint, iustè deserantur? Quorsum spectãt illa de Eugenio Papa esse contemptorem sacrorum Canonum, &c. esse schismaticum, à fide DEVIVM, pertinacem hæreticum?

Cant. 6. 5. Colũba. Matth. 3.

Vocatur columba vnica, estque Illustris Ecclesiæ consignatio, & propterea sæpe in Scripturis obuia: sed non omnes qui nominę gloriantur, reipsa fruuntur. Itaque nominis causa attexenda, & contentio atque comparatio iustè, ritè, æquabiliter facienda. In specie columbæ apparuit Spiritus sanctus: In specie Bubonis ferialis visus est Romanæ Ecclesiæ Spiritus in Concilio Romano.

Nic. de Cleming. Matth. to. L. Valla.

Estote simplices sicut columbæ: At iurare, peierare, dissimulare, mentiri, Romæ familiare est: In

Cant. Ser. 45.

Canticis laudantur oculi columbarum: Apertè adhuc commendatur humilitas, inquit Bernardus, & his insignibus ornat Ecclesiam, esse Columbam, contentam simplicioribus, nidificare in foraminibus Petræ, Christi vulneribus immorari, libenter ea quæ sunt de Christo duntaxat incarnato & passo oculo intueri columbino. Atqui Romanensis Ecclesiæ superbia & supercilium quantum sit, testis sit doctrina suorum meritorum. Cu-

L. 1. c. 32.

ius execrandi dogmatis testis erit Ioannes de Turre Cremata, Ecclesia nauis dicitur: Quare? quòd virtutum mercibus & MERITORVM Thesauris amplissimis atque preciosissimis onusta est, quibus filij sui mercari possunt Regnum cœlorum. Testis item sit flatus & fastus vitæ. Nam de

S. Cant. ser. 77.

huius Ecclesiæ superbis pastoribus loquitur idem Bernardus, Intuere quomodo incedunt nitidi &

In Apo. ad Guili. Abb.

ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Notat hanc Romanensium hypocrisin idem, Væ semel, & væ iterum pauperibus superbis, Et mox, Quid facit superbia

bia sub pannis humilitatis Iesu? Sapienter monuit Augustinus in quadam Homilia, Non omnis qui dicit vobis Pax, quasi colũba est audiendus. Corui de morte pascuntur. Hoc colũba nõ habet: imò de fructibus terrę viuit: innocens est victus eius. Ex quibus verbis columbæ & corui differen-

Caus. 2. q. 7 c. Non omnis.

tia aliqua cernitur. Vox Romanæ Ecclesiæ esse potest columbina, pacem prædicat, charitatem sonat: facta verò non consonant, eius diæta non satis medica, quippe morticiniis, oblationibus anniuersariis, imò Martyrum sanguine pascitur. Ex-

Columbina Ecclesia.

tant autem alia quædam discrimina & columbarum & coruorum. Columbæ enim proprietates his versiculis continentur,

Est sine felle, gemit, rostro non lædit, & vngues
Possidet innocuos, puráque grana legit.
Gaudet aquis, quæritque greges, celerique volatu
Tuta petit: fœtus educat alterius.
Masculus ipse fouet fœtus, ac incubat ouis,
Conugij seruant fœdera casta simul.

Coruis in ipso Iure Pontificio mali presbyteri

c. 7. q. 7. Coruina Eccl. sia.

comparantur, & ex Glossa patet, propter nigredinem vitiorum, propter raucedinem vocis, propter voracitatem mortuorum & oblationum, propter fœtorem spiritus, propter garrulitatem, & postremò propter furtum. Comparationes & applicationes odiosæ sunt, & hoc vlcus non tangam: sed de Columbina & Coruina Ecclesia facilis est diiudicatio, homini qui omnes vtrinque qualitates in æquilibrio pependerit. Quicquid de Ecclesia disputatur, finis & conclusio hæc est: Remanent foris cum voce coruina, qui noluerunt habere gemitum columbi-

Aug.

num. Quod autem dicitur, *Columba mea vnica*: talis significatur Vnitas vbi simul comes imò

dux est veritas. Cyprianus, Vna est columba mea,&c. Nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Et in Cantico Cant. dicitur, Vna columba mea: nullam aliam esse constat, nisi quæ in Apostolica radice est fundata, à quibus ipsam fidem vniuerso orbe propagatam esse nō potest dubitari. Sic enim in ore Pelagii Papæ loquitur Dominus: Quæ sit illa fides, Ioannes de Turre Crem. ex Hieronymo declarat, Vbi fides vera est, ibi Ecclesia est.

c.24.q.1. Pudenda. l.1.c.27.

6. Regnū cœli.

Vocatur Regnvm Cœli. Aptissimè. Est enim Ecclesia, Regnum & Dei & Christi & cœlorum: Dei, quia in Ecclesia sceptro verbi sui dominatur: Christi, quia eius ipse Rex est & vnicum Caput: Cœlorum, quia solus ille rex & Dominus cœlestis ibi colitur, & quia regnum non est terrenum aut mūdanum, sed verè cœleste & spirituale quo & fideles tegunturr & reguntur, præfracti edomantur, mortis aculeus retunditur, peccati regnum eliditur, Satanæ tyrannis reprimitur, vbi Dominus ipse tanquam supremus monarcha suæ Ecclesiæ tutelam suscipit. Paucis rem totam perstrinxit Ioan. de Tur. Cremata, Vocatur Regnum cœlorum, quia in ea Christus Rex regum & Dominus Dominantium per fidem regnat. Nunc vtra Ecclesia, nostráne an Romana plus verbo Dei, plus fidei doctrinæ, plus regno spirituali, plus Christo Regi tribuat, dispicite: quandoquidem pro verbo diuino aliud sceptrum Traditionariū, pro fide vera alios fidei articulos, pro regno spirituali aliud carnale surrogarunt. Quod Regnum Papale vnico Clementis exemplo patefaciam: ad cuius coronationem cùm vndique concursus fieret & omnia plusquam Persica magnificentia gererentur: iusto Dei iudicio, ad perpetuam rei infamiam, Ioannes Britanniæ rex muri ruina oppressus cum aliis multis occidit, Philippus rex Franciæ debilitatus est, Pontifex ex equo deiectus, carbunculum ex Tiara precio aureorum sex millium amisit. O Regni Pontificij cruentum & inauspicatum exordium! O inclemẽtem Clementem, ò gemmeum Pontificem nō carbunculo ornandum, sed alio quodam carbunculo potius affligendum!

L.1 c.34. de Eccl.

Plat in vit Clē.5.

Vocatur Sponsa & Corpus Christi. Dignissimè. Nam sponsa est vt suum sponsum & maritum reuereatur, eiusque dicto sit audiens: vt vni viro Christo se virginem castam exhibeat. Quod optimè explanauit Cyprianus, Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica, vnam domum nouit, vnius cubiculi castitatem casto pudore custodit. Sponsa ergo quæ se multis prostituit, quæ vagos & promiscuos concubitus sequitur, non tam sponsa est quàm adultera. Sponsa Antichristi superba est & insolens & procax, sua narrat merita, sua iactat facinora, de suis præuenientibus & prequisis operibus gloriatur. Spōsa Christi rectius, vt scripsit Bernardus, locuta est, non prætendens meritum, sed præmittens beneficium, & se prequentam dilecti gratia confitens: & paulo pòst: Deest gratiæ, quicquid meritis deputas. Nolo meritum quod gratiam excludat. Hanc sponsam sibi in fide despondit, nec illa eum elegit, sed is elegit illam, nec vt eligeret, illius merita inuenit sed præuenit. Quare quod ibidem Bernardus de Synagoga, id nos appositè dicamus de Romana meritoria Ecclesia, O fatuā sponsam, quæ contemnens Dei iustitiam, id est, gratiam sponsi sui, & suam volens constituere, iustitiæ Dei non est subiecta! De sponsæ nouis Paranymphis aut riualibus aut insidiatoribus scitè & nimium verè idem autor: Nū omnes sunt

7. Sponsa & corpus Christi. Eph.5. De Simpl. Præl.

Ezech. 16

S. Cant. s.67.

Osz. Ioan.15.

Romani riuales sponsæ. S. Caut. s.77.

Universidad de Deusto
Biblioteca

amici sponsi, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui vt vulgo aiunt, eam quasi addextrare videntur: Et infrà: de sui temporis malitia liberè declamitans, Non est hoc tempore ornare sponsam sed spoliare, non est custodire sed perdere, non est defendere sed exponere, non est instituere sed prostituere, non est pascere gregem sed mactare & deuorare. CORPVS *est etiam Christi:* sed vbi quæremus? non Romæ, non in scrinio pectoris aut in Cathedra Pontificis non in hominum libris sed in Scripturis, quemadmodum Augustinus Donatistæ Petiliano aliquando respondit, In Dei verbis scilicet, quærere oportere, qui optimè nouit corpus suum. Hoc Corpus non abiicit caput suum: nec alterum ministeriale aut vicariũ ascisit, ne biceps monstri instar habeatur, sed vno vitali capite contentum est: vt ex Augustino didicit, Ecclesia catholica sola corpus Christi est, cuius ille caput est, Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus. Hoc caueat Roma πολυκέφαλος, & obseruent Romanenses, se non esse corpus Christi, nisi Christo capiti vni & soli & semper adhæreant.

Epist 50.

1. Tim. 3.

FIRMAMENTVM VERI. Hic quoque inter nos conuenit. Quandiu enim in ea locum & sedẽ habet veritatis: tandiu eã Ecclesię nomine dignabimur. Nam vt ab Apostolo Ecclesia vocatur columna & firmamentum veritatis: ita à patribus non inscitè inuertitur: veritatem esse columnam & basim Ecclesię, cui illa inniti, & super quã fundari debeat. Primus sit Irenæus, Apostolos in Ecclesiam quasi in diues aliquod depositoriũ, omnia quę sunt veritatis pleniſſimè cõtulisse. Noui quid posset obiici: suam Ecclesiam & fidei & veritatis esse firmamentum. Sed Irenæus occurrit, non veritates aliunde traditas aut agrapha, sed scripturã, id

3. Firmamentum veritatis quomodo

l. 3. c. 4.

id est, fidem & veritatẽ ab Apostolis traditam, & scripto cõmendatam esse tanquam columnam & firmamẽtum fidei nostræ futurã. Nec enim Ecclesia potest esse columna aut firmamẽtum veri, nisi ex scripturis & secundum veritatem suas expositiones conformet, Eodem patre sic dicente, Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquæ Ecclesiæ status, secundum scripturas expositio legitima & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia. Non dissentit Hieronymus, Columna & firmamentum veritatis est Ecclesia, in qua nunc sola veritas stat firmata. Nec discordat Ambrosius, Fides ergo est fundamentum Ecclesiæ. Nec non Chrysostomus, in hunc locum, Ecclesia est firmamẽtum veritatis, Non quemadmodum illud Iudaicum templum. Hoc enim est quod fidẽ continet ac prædicationem: quippe VERITAS Ecclesiæ & columna & firmamentum est.

l. 4. c. 63.

In 1. Tim. 3. De Incar. Domin. c. 5.

Hanc Christianam consociationem, hanc Ecclesiam, confitemur esse MVLTITVDINEM, cui spiritus promissus instillat omnia salutaria, omnia quæ Christus præcepit, non enim salutaria sunt, quæ scripto iam ab illis ad nos transmissa non sunt. Quid ergo sibi volunt in Noui Testamenti sui Scholiis Anglorhemenses, qui vndecunque argumenta pro suis nescio cuius spiritus dictatis cõuerrunt? Ad Corinthios scriptum est, eos omni sermone, & omni cognitione ditatos fuisse: Hinc annotãt absq; Scriptura hac Pauli eos ditatos fuisse, quòd nondũ Epistola hęc diuulgata fuerat. Nisi planè in sole caligarent, potuissent videre & hãc priorem Epistolam scriptam esse antequam è Philippis vel ex Epheso ad eos mitteretur, & eius scribendę occasionem fuisse Corinthiorũ rixas & schismata, & Paulum multos Corinthiorum conuertisse, dum illis annũ & sex menses DEI sermo-

Io. 14.

Anglorhemenses in Scholiis. 1. Cor. 1.

Athan in Synop.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act 18. Rom.15. Act 8. Act.17.

nem id est Scripturas exponeret. Scriptura tum fuit Vetus Testamentum: ex Scripturis & Romani & Corinthij eruditi sunt: Scripturam legit Eunuchus, exposuit Philippus. Scripturas Berrheenses scrutati sunt, conferentes an quæ à Paulo dicta sunt, ita reuera se haberent. Etsi Ecclesia Corinthiaca fuerit ex illis scriptis quę tum extabant sic instructa, vt omni sermone & sapientia locupletaretur, adeò vt Testimonium Christi in illa confirmatum fuerit, nec vllo dono destitueretur, & hæc omnia sine Conciliis tot posterioribus, sine istis traditionum accessionibus cumulatissimè haberent & obtinerent, cur non multo magis nos hodie & ditiores & fęliciores simus, qui præter Vetus Testamentum & Euangelia, etiam has Epistolas Canonicas scriptis mandatas legimus & euoluimus?

An Eccl. Rō. errare possit.

Credimus etiam aduersus hanc Ecclesiā PORTAS inferorum non posse præualere, quia super hanc petram ædificata est. Sed euellendus est ex animis hominum hic error, fauces diaboli morsum lętiferum Romanæ Ecclesię non impacturas: Romani Sancti, Corinthij sancti, vtrique membra fuerunt Ecclesiæ: sed quemadmodum Corinthus nunc Ecclesia aut esse prorsus aut omnino florere desiit, & Galatæ rursus non solùm insensati & infatuati sed dementati sunt ac prorsus à fide desciuerunt: ita nulla rupes Romano, nulla ratio Campianica efficiet, quo minus & illa in errorem impellī, & ad idem religionis naufragiū allidi possit. Damus Catholicam Ecclesiam non in finem errare, non ad mortem peccare: sed particularis Ecclesia quæcunque, cuiusmodi est Romana, & quę eius autoritati & iurisdictioni subiacent, in errorem abduci & seduci poterunt. Spiritus sanctus prædicit septē Ecclesiis Asiæ futurū aliquan-

aliquando vt abiiciantur, nisi fidem suam retineant. Nec desunt grauissimi scriptores qui probant luculentis testimoniis Babylonem in Apocalypsi Romam esse, & domicilium dæmoniorum. Ingrata sunt & dura illa Sibyllæ folia De Rege candido galero seu infula insigni. Quæ num verè de mitrato & infulato Pontifice Romano dicta sint, iudicium esto penes Academias. Quàm potenter valuerint inferorum portæ contra Pontifices multos Apostatas, iamdudum Lyranus indicauit: Et in Ioan. vicesimo secundo indicauit Funct. Cuius error de Anima vt fœdus erat, ita publicè Lutetiæ à duobus Papæ Angelis, Prædicatore vno, & Minorita altero sparsus: quibus postquam Anglus quidam Thomas pro concione restitisset, à Papa coniectus est in carcerem: sed hæresis in Synodo à Rege Gallorum damnata est, & Pontifex requisitus vel adactus ad Palinodiam. Sed quorsum ista? Nō opus est, vt ego probem, quod est manifestum & confessum. Non credo, inquit Alphonsus, aliquem esse adeò impudentem Papæ assentatorem, vt ei tribuere hoc velit, vt nec errare, nec interpretatione sacrarum literarum hallucinari possit. Nec sanè potest R. Pont. labi solus, sed caput tantum membra secum trahet in eandem errorum voraginem. Impudens certè est qui negabit Pontifices Romanos fundamento multum straminis, multum stipularum, multum fœni superstruxisse & in Ecclesia Christi accumulasse, quæ ignis exuret & consumet: vtinam nunc demum ipsi euadāt salui per ignem. Qui sunt in ea Ecclesia paulò æquiores & acutiores, fatētur hanc infinitam stramineam supra Petram exædificationem, quam nos ignito Dei eloquio purgare & abstergere conamur, omnes turbas inter nos & illos concitasse. Etiam Ferus in

Tertul & Hier cap. 17.

In Mat. 1. 16. Chron. 22. Ioan. Papa.

Con. Hæt. l. 1. c. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Matt. 16. hanc cõfessionem irrumpit, Illud ingenuè fateor, „si successores Petri eo modo potestate sua vsi essent, quo Petrus: nemo Christianus eam potestatem impugnasset. Quia autem PLERIQVE HAC „POTESTATE ABVSI SVNT, QVEMADMODVM „NEMO EST QVI NESCIAT, hæc causa est & seminarium huius tumultus: neque spes aliqua est „tumultum hunc cessaturum nisi tollatur causa. „Et nobiscum in sensum eius loci consentit his „verbis, Ex hoc claret quòd Christus Ecclesiam „suam non super Petrum (tanquam primarium „fundamentum, nam superædificati sumus super „fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo) aut „quemcunque alium HOMINEM ædificauit: NVLLVS enim HOMO tam firmus & constans qui „non possit moueri, id quod etiam in PETRO videmus. Quid? Erítne Petrus de loco & gradu constantiæ suæ saltem ad tempus dimotus: & Romani successores erunt Petræ immobiles? Imò morsus lætiferos illi fedi Diabolus sæpenumero impegit, vt aliàs ostendimus. Quare dum hanc Babylonicam ad cœlum vsque exaggeratam Romanæ structuræ molem oppugnamus, dum repugnamus: non *Publicani aut Ethnici* habendi sumus: nec Christi communione priuabimur, sed ipso propter ipsius meritum, per misericordiam cœlestis nostri patris, infinitis ætatibus potiemur. Nam Hieronymus loquens de hac domo Dei in firma Petra Christo eiúsque verbo ædificata, inquit, Hanc Domum si quis corrigentem corripientémque contempserit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Hinc duæ Conclusiones Pontificiorum ex hisce Ecclesiæ magnificis Elogiis haustæ reuelluntur: Prima, Ecclesia est corpus Christi: ergo est Romana Ecclesia sola, nam est inconsequens, vt iam diximus, Altera est Eckii & aliorum: Ecclesia est sponsa Christi, columba, &c. ergo Ecclesia Romana non potest errare. Hæc suprà refutata sunt: quibus hoc addimus: Nominalis Ecclesia non est semper realis Ecclesia. Nam Hierusalem se putauit vnicam esse columbam & vineam dilectam: at nunc sentimus esse reiectam Sardicensis Ecclesia, Nomen habet quòd viuat sed erat mortua, dicebatur spiritualis, erat carnalis. Apud eundem Ioannem, Ecce sunt de Synagoga Satanæ qui dicunt se Iudæos & tamen non sunt, sed mentiuntur: Iesabel mulier se dicit Prophetam, tamen seducit seruos Christi, vt scortentur, & edant de his quæ idolis aut simulacris immolantur. Hieronymus ait contra Luciferianos Ecclesiam esse lupanar. Augustinus ait, Hæretici & schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Lactantius ait, Singuli quique cœtus Hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam Ecclesiam Catholicam esse putant. Ne verò tergiuersationibus rima pateat, de Catholicæ Romanæ Ecclesiæ statu corruptissimo simplicissimè effatus est Bernardus, Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quò latius eò desperatius, eóque periculosius quo interius. Et in eodem Sermone paulò superius mihi videtur quibusdam lineamentis Iesuiticam siue Ecclesiam siue conspirationem quasi prophetiscè nobis præmonstrasse: Sunt quidem & alii pastores qui dicunt se esse sodales tuos & non sunt, habentes greges suos & fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum nec per te. Itaque cùm generales istæ propositiones, erraticæ & vagæ & tanquam in aere circumuolitantes, ad certum scopum non dirigantur, cùm omnino imprudenter seipsi suis sagittis

Apoc. 3.

Apoc. 2.

De fide & Sym. c 10.

De vera Sap. l. 4. c. 30.

S. Cant. ser. 33.

Sodales vel socii Iesu.

Ibid.

conficiant: non dubito quin secundum ea quæ allegaui & probaui, æquam sitis laturi sententiam.

CAMPIANVS.

Non est ausus contrauenire sonitu, videri noluit Ecclesiæ quam toties Scripturæ commemorant refragari, nomen callidè retinuit, rem ipsam funditus definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineauit Ecclesiam, quæ penitus ipsam occultant, & dimotam à sensibus, tanquam ideam Platonicam secretis obtutibus hominũ perpaucorum subijciant, eorum tantummodo qui singulariter afflati, corpus hoc aereum intelligentia comprehenderent, & huiusce sodalitatis participes subtili quodam oculo lustrarent, vbi candor? vbi simplicitas?

Cal. Inst. l. 4. c. 1. nu. 2. & 3.

HVMFREDVS.

In hac συναγωγὴ pergit ludere Iesuita: & de hoste suo fictitio & imaginario quæ in calamum venerunt, effutire: Prudentiam eius laudat, quòd non apertè cõtrauenerit, quòd Ecclesię nomen calidè retinuerit: sed impietatis alicuius notam videtur inurere, quòd vitiosè Ecclesiam definierit, eiúsque totam naturam atque substantiam funditus sustulerit. Hîc mihi quęso spectate hominis importunitatem ne dicam an imperitiam. D. Caluinum in Margine notare, illius definitionem conuellere videtur. Sed tota hæc oratio me-

De Ecclesia inuisibili & occulta.

Caluini defensio.

ra fictio est. Nec enim ignota esse potest clarissimi viri sententia his qui tanquam apiculæ mel dulcissimæ doctrinæ ipsius exugent. Sed aranea semper est aranea, venenum vel ex optimis floscúlis colliget. Caluinus his proprietatibus delineauit Ecclesiam, nõ quæ illam occultant, sed quæ veram ostendant & illustrent, non ideam Platonicam, sed Dei domum & sanctam eius ciuitatẽ descripsit: non secretis perpaucorum hominum obtutibus, sed Dei hominúmque omnium oculis subiecit: nec corpus aliquod aerium cõfinxit, sed corpus Christi & terrenum & cœleste, militans, & triumphans constituit: quod non solùm homines singulariter afflati, aut nostræ sodalitatis com prehendant, sed omnes fideles diuinæ ciuitatis & societatis Iesu participes lustrare & peruidere possent. Aliam enim inuisibilem facit, quam nos quotquot Christiani sumus in Symbolo credimus, non modò paucis illis Caluinianis perspectam, sed multo magis vni Deo cognitam, quam non exterior noster sensus, sed intus fides nostra apprehendit: cuius vocatio est interior, cuius electio est arcana, cuius sigillum manet. Dominus nouit qui sint sui: cuius politeuma & conuersatio iam in cœlis est, cuius vita abscondita est cum Christo quæ nunc nõ viuit, sed in qua viuit Christus, quæ non per speciem sed per fidem ambulat. Hoc est secretum secretorum, hoc dimotum est à sensibus. Hoc Iesu societati nouæ noua est & commentitia Platonis ciuitas. Hoc verum Iesu sodalitium & Christi collegium nouit, intelligit, credit. Non enim dicitur, video, sed, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Non credent hanc Papistæ nisi viderint: Beati qui non vident sed credunt. Opus est oculis Angelicis quos habuisse cæcum Didymum aiebat Antonius: oculis enim

2. Tim. 2.

Ruff. in H. Eccl. l. 2. c. 7.

carneis quos mures & lacertæ habent, nec Deus videtur nec Dei Ecclesia. Nam sic Magi Christum paruulum in stabulo vagientem Regem suum agnoscunt & auro honorant: sicut eundem latro in patibulo pendentem confessus est, Me-
Matth. 26 mento cùm veneris in regnum tuum: & Centurio in morte filium Dei cognouit, Verè hic homo filius Dei erat: sic oculi fideles Christum despicabilem vident, eiusque oberrantem & latentem Ecclesiam aspiciunt. Quamobrem affabor
S. 2. de magis. omnes verbis Bernardi, Mira res & omni admiratione digna: Propterea rogo vos intuemini & videte quàm occulta sit fides: quàm lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Hæc est idea non Platonis, sed Christi & Christianæ Ecclesiæ. Cæterùm stuporem & crassitiem istius Iesuitæ contemplamini, quod in viro grauissimo Caluini leuissimus homo deridet, id ipse imprudens confi-
In l. 4. c. 1. Sect. 2. tetur. Caluinus tradidit esse Ecclesiam aliquam verissimè & propriè dictam, quæ sit ab aspectu nostro & obtutu remotior: cuius cognitio Deo soli permittenda est: quoniam exiguus iste fidelium numerus sub ingenti turba latere, & pauca tritici grana immensa palearum congerie occultari facilè possunt. Quid aliud hactenus egit, licet incogitans & oscitãs Campianus? Nam cuiusmodi nobis Ecclesiam depinxit? annon inuisibilem? Ecclesia, inquit, est corpus Christi, colũba vnica, sponsa Christi, at ista attributa sunt Ecclesiæ sanctorum. Sancti verò & electi & prædestinati qui sunt? quis nobis hunc vel illum electum certò pronunciabit? Certè nostra fides electos esse credit: sed digito hunc vel illum monstrare non audet. Religio porrò Papistica tantum abest vt aliquem hominem nobis prædestinatum designet aut

aut nominet, vt etiam vnumquemque doceat de sua salute dubitare. Si ergo electi videri à nobis & cerni non possint, Electorum autem cœtus sit vera, quam hactenus incautus tractauit, Ecclesia: sequitur non Caluini tantùm iudicio sed Campiani etiam tacita confessione veram Ecclesiam illam esse inconspicuam. Esse autem illud Corpus Christi pro quo corpus suum tradidit, quod ipsi Christo suo altero corpore quodammodo est charius, quod Deus magis amat quàm Cœlum vt Chrysostomus loquitur: esse illam sponsam Christi quàm sibi despondit in seculà: esse illam dilectam & electam: esse illam columbam vnicam quàm egregiè charam habet, quam suo redemit sanguine, ab ommi æternitate ad salutem sempiternam destinatam, quis obtusus, quis mucosus non odoratur? Suprà probatum est hoc regnum esse in quo Christus per fidem regnat, & esse regnum spirituale, & Templum Dei in quo Spiritus habitat, & vineam in fide plantatam. Et Campianus firmamentũ veritatis, & multitudinem à Spiritu sancto edoctam fatetur: aduersus quã fauces Diaboli nullum mortsum lætiferum possent impingere: & adhuc dubitabimus esse occultum illud & secretũ & sanctũ electorum contubernium? Qui autem electi sunt, boni sunt, & Deo optimo placent, sic vt nunquam perire, nunquam de manu Dei Patris vel Christi pastoris eripi possint. Consolatione etiam plenissima est Cypriani sententia, Nemo æstimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit: Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Et non erunt prædestinati, quos

Hos 3.

Electi nũ pereunt.

in carne hac nemo aſpicere, nemo aliis oſtendere poterit, aut dicere, HIC EST? Eccleſia, inquit Campianus, eſt Regnum cœlorum: Si regnũ cœlorum ſit, non eſt regnum inferorum: ſi regnum cœlorum, eſt regnum Dei: ſi regnum Dei, eſt regnum Chriſti: ſi regnum Chriſti & Dei, non eſt regnum vel Antichriſti vel Diaboli: ſi Chriſti, eſt regnum Chriſtianorum: ſi Chriſtianorum, fidelium & electorum: itaque iam regnum eſt Deo nõ nobis viſibile.

Eſt vinea non ſolùm florida ſed fructuoſa: In Canticis dicitur, Vineæ florentes odorem dederunt. Quis iſte odor ſit, à Bernardo ſcribitur, Hic S.Cant. ſer.60.
„odor ſerpentes fugat: nam vinea floreſcẽte omne
„reptile venenatũ cedere: vnde cogitãdum docet
„qualem ſpiritum acceperit Eccleſia, cuius primi-
„tias dæmones nõ ſuſtinent. Si ſic nouitius feruor, quid erit abſoluta perfectio perpendatur, ex flore fructus, & ſaporis virtus ex vi æſtimetur odoris. Hãc vineam fructiferam vocant, & tamen electorum congregationem eſſe non concedent? Sponſam dixit Campianus & ſponſam Chriſti, pro qua Chriſtus animam poſuit, quam per lauacrum regenerationis & verbo ſanctificauit: & non erit Cant.2. prædeſtinata? Sponſa ipſa aliter ſenſit & aliter locuta eſt in Canticis, Diuinam Maieſtatem quæ omnes alias creaturas nouit, gubernat, generali ſua prouidentia complectitur, ſibi ſeorſim & ſingulariter intendere. Ibi Bernardus, Ipſa eſt enim Eccleſia electorum, & mox, Ergo prouidentiam cæ- Ser.68.
„teris creaturis non negamus: curam ſponſa vendi-
„cat ſibi. De Sponſa ſic æquiſſimè iudicauit Cypria-
„nus, Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit, aſſignat. Tales nimirum ſunt Sponſæ omnes filii. Itaque eſſe aliquam Electorum Eccleſiam à nobis non cognitam ſed creditam, eſſe corpus

corpus non in aëre pendens, ſed in terra repens & in cœlo regnans, & Scripturæ & Caluini & aduerſariorum etiam calculo iam didicimus.

Vbi veſter, ô Ieſuitæ, candor? Vbi ſimplicitas? quod vobis per imprudentiam excidit, id in altero velle carpere & cauillari? Dicam amplius, Caluino iniuriam facitis. Nam qui Eccleſiam inaſpectabilem quam Deus ſolus nouit, quam homines omnes fide introſpiciunt & perluſtrant, conſtituit: idem Eccleſiam ſcripſit eſſe aſpectabilem, & vt definit, ſic diuidit, hæc enim eius verba ſunt, Diximus bifariam de Eccleſia ſacros libros loqui: Interdum quando Eccleſiam nominant, eam intelligunt, quæ reuera eſt coram Deo: in quam nulli recipiuntur, niſi qui & adoptionis gratia filij Dei ſunt, & ſpiritus ſanctificatione vera Chriſti membra. Ac tunc quidem non tantùm ſanctos qui in terra habitant comprehendit, ſed electos omnes, qui ab origine mundi fuerunt. Deinde aliam viſibilem eſſe dicit quæ ſub cognitionem noſtram cadit: quæ per vniuerſum orbem fuſa, vnum ſe Deum & Chriſtum colere profitetur, Baptiſmo in eius fidem initiatur, Cœnæ participatione vnitatem in vera doctrina & Charitate teſtatur: quæ & miniſtris viſibilibus vtitur, & illuſtribus ſymbolis atque notis ſic inſignitur, vt ad eam accedere, eam videre & audire liceat. Qui vtramque Eccleſiam poſuit, ille vniuerſam definiendo ſuſtuliſſe dicendus eſt? Hac ſanè diſtinctione tanquam cuneo omnes nodi & friuolæ obiectiones, probationes, ſermocinationes, tractationes, illuſiones Campiani quæ ſequuntur prorſum tolluntur. Si iſta legit Campianus, cur diſſimulat? ſi non legit, cur ſic ſcripſit? cur ea quæ neſciuit, ſciens impugnauit? Cur Caluin. L.4.c.1. ſect.7.

iterum in suo vmbraculo, de corpore aereo philosophatur? imò cur nugatur? imò cur rixatur? Hoc non est candidè & simpliciter agere: quod tamen ipse ab aliis exigit. Sed non est hoc nouum, antiquum obtinent Pontificii, & Patrizat Campianus. Nam sicut Caluinum suggillat Campianus: ita Ioannem Hussium Patres Constantiensis Concilii ob eundem articulum damnarunt: Ecclesia est vniuersitas Prædestinatorum: & eadē simul opera ipsum articulum fidei prudentes vel imprudentes condemnarunt, Credo Ecclesiā Catholicam. Et sicut Campianus Sarcasticè ideam hanc Platonicam dixit: ita Alphonsus de Castro hanc nostram Ecclesiam nostris sensibus minus subiectam appellat Mathematicam, & VVicleuistarum hæresim.

CAMPIANVS.

Quæ Scripturæ, quæ sensa, qui patres hoc penicillo depingunt Ecclesiam?

HVMFREDVS.

Probatio Ecclesiæ latentis è Scripturis.

QVÆ SCRIPTVRÆ? Quærit de Scripturis, quas ipse tamen pro hac inconspicua Electorum Ecclesia ex Apocalypsi, ex Psalmis, ex Prophetia Iesaiæ, ex Canticis Salomonis, ex Euangelio Matthæi & Ioannis, ex Epistolis Pauli ad Ephesios, ad Corinthios, ad Timotheum produxit, Et nunc scisciatur, QVÆ SCRIPTVRÆ? QVÆ SENSA? Qui sic in re seria leuis est, aut valde obliuiosum esse oportet aut admodū improbum.

QVÆ SCRIPTVRÆ? Quæcunque de cruce sanctorum, de crudelitate persecutorum, de sorte misera pusilli gregis Christiani, de Prædestinationis diuinæ Arcano concionantur, hæ omnes infuscatam & obscuratam Ecclesiæ faciem nobis proponunt. Fusca sum & nigra, inquit ipsa de se Ecclesia. Cant. 1. Ecclesia granum sinapis est, quod specie mi- Matth. 13. nimum est, opinione vilissimum: nec colore nec odore acceptum: solùm vtile postquam contusum fuerit. Ecclesia palma est, durissimè pressa, sed non oppressa. arca Nohæ est, in qua nulla magnificentia, nullus splendor, nulla lux aut claritas, imò aëris, solis, & lunæ amissio est. Ecclesia corpus est, capiti suo respondens: Nam vt caput ab Esaia describitur virgultum contemptibile abiectum, cuius nulla est forma, decor, pul- Iesa. 35. chritudo: sic mysticum eius corpus populus est e- Soph. 3. genus & pauper, non ex nobilibus multis, non 1. Cor. 1. ex sapientibus multis, non ex potentibus multis compositum: sed ex ignobilibus membris infirmis, stultis coagmentatum: sic tamen vt ea ipsa omnem huius mundi nobilitatem, potentiam, sapientiam euertant & destruant, non armis visibilibus aut carnalibus, sed sola verbi vi quæ omnes Babylonicas & Papisticas machinas demolietur. Rom. 11. Inconspicua certè Eliæ etiam fideli fuit Ecclesia, cùm septem millia virorum in antris delitescerent: alioqui se relictum solum non dixisset. Inconspicua deinde Ecclesia semper fuit mundo. Mundus enim non cognoscit, nec amat, sed odit & persequitur Ecclesiam, vt Paulus ignorans 1. Tim. 1. fecit in incredulitate. Mundo ignotæ fuerunt oues illæ, quas oportebat Christum adducere, quæ vocem Christi auditurę essent, quas lupi persequuturi sunt: quas tamen nemo de manibus

Christi rapere potuit. Quis vnquam mundanus nouit, quis credidit aut Abelum interfectum, aut Enochum ab iniquis translatum, aut Noachum a-quis iactatum, aut Abrahamum peregrinum, aut Israelitas in Ægypto, aut Prophetas, aut ipsum Christum, Christiue Apostolos fuisse Ecclesiam? Nam si cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Si ergo neque omni fideli neque vlli infideli conspicua est, quomodo tandem erit visibilis?

Præterea hæc est Ecclesiæ dos, vt quicquid habeat eximium aut præstabile, illud internum sit ornamentum. Omnis enim gloria filiæ regis intrinsecus. Non enim qui est in manifesto, Iudæus est, sed circumcisio cordis in spiritu, non in litera, cuius laus non ab hominibus sed à Deo est. Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque quia semen sunt Abrahæ omnes filii. Quis potuisset aut ausus fuisset nominare templum Domini speluncam latronum, nisi Dominus? Quis ab Ecclesiæ Communione segregasset eos qui dixerunt Domine, Domine, qui in nomine Domini eiecerunt Dæmonia, in nomine eius virtutes multas præstiterunt, in nomine eius prophetarunt, quis? nisi ille qui corda & renes introspexit, nisi ille qui respondit, Non noui vos. Nec facile est eos Pseudoprophetas dicere, qui ad nos veniunt vestimento ouium, etiamsi intus lupi rapaces sint: quandoquidem intus lupi sunt, quod nemo scire potest nisi qui interiores hominis latebras peruidet. Neque statim omnes ex fructibus cognoscunt, teste Chrysostomo dicente, Nullam rem magis perdidisse Christianos quàm hanc, quia quoscunque viderant dici Christianos, quasi Christianos eos æstimarunt. Adhæc quia multi sunt recessus & hypocritici sinus animorum de

Io.19.

Psa.49. Rom.2.

Rom.9.

Hier.7.

Matth.7.

Ibidem.

ibidem.

de vera Ecclesia quæ prædestinata est, certò iudicare, ad solum Deum pertinet. Firmum stat fundamentum hoc, habens hoc sigillum, Dominus nouit qui sint sui: Domini ergo solius est de lupis & ouibus, de Iuda in paropside cum Christo tingente & prodituro, & de Nathaniele sub ficu viso, & verè Israelita futuro, iudicium disertè proferre.

Atqui pergit molestus esse perconctator: Qv Æ SENSA? Scripturarum hæc collatio, scripturæ sensum affert secum. Quæ sensa? Quæ ratio huius occultæ congregationis aut angularis Ecclesiæ? Dicam, & aliquot causas producam, quæ homini sensuum omnium nō experti satisfacere poterūt. Prima est arcana Dei electio, qui solus quos creauit certò cognouit, solus potest agnos suos ab hœdis etiam in hoc seculo, & duos populos etiā in vtero Rebeccæ, id est, Ecclesiæ, antequam nati sunt, discernere: nimirum teste Petro Rauen. Hic cum Hierosolymitanis habitat Iebusæus, hic in horto patrisfamilias simul sunt saliunca & abies, vrtica & myrtus: in grege Iacobi animalia alba & nigra, agni & hœdi, in reti Petri pisces boni & mali, in Arca Noe animalia munda & immunda, in agro Domini lilia inter spinas, Zizania inter spicas, in arca Domini granum cum palea, in cella Christi vinum cum agresta, oleum cum amurca. Nostrum non est quenquam iudicare. Nouit enim Dominus qui sunt eius, quique futuri sunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Illos enim præcedere potest ad vitam, quē nouissimum reputamus. Eleganter Tertullianus, Tu vt homo extrinsecus vnumquemque nosti: putas quod vides. Vides autem quousque oculos habes. Sed oculi, inquit, Domini alti: homo in faciem, Deus in præcordia intuetur. Et ideo cognoscit Domi-

Causę cur Ecclesia inconspicua.

r.

De Præscrip.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus qui sunt eius, & plantam quam nõ plantauit Pater, eradicat: & de primis nouissimos ostendit: & ventilabrũ in manu portat ad purgandam aream suam. Auolent quantum volent paleæ leuis fidei, quocunque flatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur.

2. Secũda est, Ecclesiç vniuersitas, quę vt verè est, ita dicitur & creditur Ecclesia Catholica, temporibus æterna, personis innũmera, locis infinita, in terra militans, in cœlo triumphãs, ex viuis omnibus & mortuis cõstituta, quam totam nullus vel Argus vel lynceus vel oculatissimus vnquam vidit, sed eam inaspectabilem omni ex parte, liberè & tutò & necessariò pronunciabit.

3. Tertia est mutabilitas, sicut Lunæ crescentis, decrescentis, ita Ecclesiæ in hoc mundo, nunc vagantis, nunc consistentis, nunc florescentis, nunc marcescentis, nunc valentis, nunc patientis, alibi comparentis, alibi latitantis, aliquando lætantis, aliquando lugentis, qua vicissitudine & varietate, fluxu & refluxu, aliqua diuinatio, nulla certitudo, aliqua obscura adumbratio, nulla illustris effigies esse potest Ecclesiæ: non magis quàm priscos viros Ecclesiæ nomine eos donauit antiqtas, qui ludibria & verba, vincula & carceres experti sunt, qui lapidibus obruti, secti, afflicti, gladio occisi fuerunt, qui in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiis constricti, in solitudine, in cauernis, in montibus, aut speluncis errarunt, qui sanè omnes sunt habiti tum ab hominibus nõ pro Ecclesia Dei, sed tractati velut excrementa mundi & catharmata. Hæc est opaca & obscura huius lunæ, huius Ecclesiæ facies. Cur enim hãc similitudinẽ à Whitakero nostro vsurpatam velut duram & inusitatã explodit Io. Duræus Iesuita, quam tamen meminisse debuit Augustinum

Heb. 11.

Durei in confutat. resp. V Whitak.

stinum in multis locis & alios eius notæ scriptores sæpe adhibuisse? His enim verbis agnoscit hãc comparationem Augustinus, Ipsa est quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcũ vt sagittent in obscura luna rectos corde. Et lunam conuenienter significare Ecclesiam ostendit duplici ratione: & quia suum lumen non habet, sed ab vnigenito Dei filio verissimo Sole illustratur: & quia sua incrementa & complemẽta & decrementa seu detrimenta sentit: & cùm menstruis casibus finitur, & cùm eius fulgor nubilo interpolatur, & cùm plena deficit. Scribit quoque Ambrosius, Ecclesiam sicut lunam defectus habere & ortus frequentes.

Aug. ad Vincent. Et in Apo. ca. 6.

In Psa. 9.

Hex. 4. ca 8.

Quarta ratio est, Symbolũ Apostolicũ: in quo nos credere Ecclesiam Catholicam profitemur, Fides autem est rerum quæ non videntur argumentum. Et vt habet Theodoretus, Fides sola cathalogum eorum sanctorum qui olim fuerunt, quos videre nunquam potuimus, clarissimè ostendit. Quinta, est mixtio bonorum & malorum idẽ profitentium, in eadem domo agnum paschalem comedentium, similiter orantium, similiter agentium, vt iudicium sit difficillimum, imò nullo modo homini peruium aut penetrabile. Quemadmodum in Parabola docuit Hieronymus, dum inquit, Inter triticum & Zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla aut perdifficilis distãtia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quod ambiguũ est citò sententiam proferamus, sed Deo Iudici terminũ reseruemus: vt cùm dies iudicij venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestũ reatum de sanctorum cœtu eiiciat. Sexta, Interna

4. Heb. 11.

5.

In Mat. 13.

6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dona, quæ cùm foras se non exerunt, omnibus hominibus non innotescunt, vt iam de interno Reginæ amictu dictum est. Quis enim videt, cuius simus spiritus? quis videt qua simus fide præditi? quis videt quæ sit nostra insimulata & syncera charitas, qua Deum qua proximũ diligimus? Nã tres istas interiores notas seu characteres habet

7. omnis veræ Ecclesiæ filius. Septima, est nostrum caput, quod nunc in cœlo est, nec palpari manibus, nec spectari oculis, nec percipi auribus à nobis potest: si ergo domus sit Ecclesia, fundamentum subsit necesse est: si corpus sit, caput habere oportet, quod quodammodo conforme sit: si illud est inaspectabile sine decore, sine pulchri

Ies.53. tudine, (cui enim brachium Domini est reuelatum?) est etiam & alterum.

QVI PATRES? Omnes qui norunt quid sit fides, & quid catholicum & quid sanctum & quid sit credere talem Ecclesiam. Pater Augustinus, Videntur intus esse cùm foras sint. Idem pater, Secundum istam Dei præscientiam & Prædestinationem quàm multę oues foris, quàm multi lupi intus. Idem rursus, Intus pulchram (regis Filiam Ecclesiam) nouit qui speciem eius amauit. Idem Sermone de verbis Apostoli, Quare illum & illum, quare non illum atque illum, nolo à me quæras. Pater Chrysostomus, Simia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur, nunquid propterea dicenda est homo? sic & hæresis omnia Ecclesiæ habet & imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ. Præterea cùm sit Ecclesia mutationibus subiecta, & multis calamitatum tenebris denigrata, & cruce deformata, qui potest

Cont. Donatist. De Bapt. l. 6. c. 2. In Ioan. 43. Tr. & Ps. 45 Patrum testimonia.

S. L. Reg. esse conspicua? Gregorius Pater dixit, Ecclesiam Christus crucis hæredem constituit. Cùm etiam nulla res spiritualis cerni possit, Ecclesia autem sit

sit mysticum & spirituale imò & angelicum corpus: num ad hanc Ecclesiam catholicam tam ex Angelis quàm ex hominibus constantem, oculi humani acies queat penetrare? Pater Irenæus, Vbi spiritus Dei, illic Ecclesiã. Hier. Pater, Ecclesia Christi non ab Academia & Lycæo, sed de vili plebecula congregata est. Itaque cùm Scripturæ sacrę, & sensa salutaria, & patres grauissimi Ecclesiæ hanc deformem formam, & inaspectabilem speciem agnoscant: cùm sit Ecclesia vniuersalis, & Vniuersale sit, dum intelligitur, & singulare dum sentitur: cur sic ab hac denominatione refugiant tantopere & abhorreant Campianus & Stapletonus, fateor me nondum posse assequi: nec sanè adhuc ei sententiæ velle assentiri.

Li 3. cont. Valentin. cap. 4. In proem. 3. li. com. Eccl. Boetius.

CAMPIANVS.

Sunt Christi ad Asiaticas Ecclesias, sunt Petri, Pauli, Ioannis, aliorum ad diuersas Epistolæ: frequentes in Actis Apostolicis inchoantur & propagantur Ecclesiæ. Quid istæ? num soli Deo & sanctis hominibus, an Christianis etiam cuiuscunque generis manifestæ?

Apo. 1. 2. 3. Act. 8. 10. 11. & seq.

HVMFREDVS.

QVO PENICILLO Ecclesiã depinxerint scripturæ & patres, diximus: & omnia ex genuino sensu quoad licuit, deduximus. Nunc ab inaspectabili Ecclesia transilit Iesuita ad aspectabilem. Sed cur in re non necessaria operam perdit? Declaratum est nos Ecclesiam non in aere collocare, sed in terra: nos Ecclesiam confiteri esse oppidum

Ecclesia cõspicua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 5. supra montem positum quod abscondi non potest: montẽ excelsum domus Dei, in vertice montium, cunctis collibus editiorem, ad quẽ omnes
Psal. 76. gentes confluent: Deum in Iudæa olim notum,
Isa. 2. & in Israele magnum fuisse nomen eius, Ex Zion demum legem exiisse, & verbum Domini ab Hierosolymis egressum: Ecclesiam semper & vbique sedem suam qualemcunque & domicilium habuisse: in summa D. Caluinum & nostras Ecclesias non solùm illam inconspicuam statuere, sed etiam hanc conspicuam & suis notis spectabilem constituere. Hoc dictum, edictum, actum, transactum, scriptum, rescriptum, ac repetitum fuit: cur ergo aerem frustra verberant? cur in re confessa longam & odiosam ponunt orationem? cur anxiè & curiosè probant, quod est à nobis nunquam negatum?

Rationes cur Ecclesia visibilis dici possit.

Cvr autem visibilis dicatur, causæ aliquot recenseantur: tum ad ipsius argumenti neruum veniemus. Visibilis est propter homines qui sunt
1. membra & ciues Ecclesiæ, qui nobiscum agunt
2. & degunt, quos aspicimus, alloquimur & salutamus. Visibilis est propter exercitia pietatis, quæ videtur ab omnibus in Ecclesia. Nam dum ministri docent, alii discunt, illi Sacramenta administrant, hi communicant, omnes Deum inuocant, & fidem suam profitentur: qui ista non videt, talpa est cæcior. Visibilis est, quia notæ sunt insignes
3. Signa Ecclesiæ. & conspicuæ, quibus ab omni infidelium contubernio distinguitur. Nam præter alia illa animi bona, de quibus antè dixi, quæ sunt viuæ & certissimæ designationes & tesseræ Ecclesiæ Christi, eminent quædam insignia: verbi diuini prædicatio syncera, rectus vsus sacramentorum, fidelis & simplex in Christo obedientia. Nam vbicunque verbum sonat, ibi virgo Ecclesia: vbi aliæ voces

voces humanę audiũtur, signum est adulteratę Ecclesiæ. Nam sicut à corpore viuo anima non separatur: ita nec ab Ecclesia vera animæ nostræ vita Dei verbum. Pepigit hoc fœdus ab omni vetusta- Ca. 59.
te Deus cum sua Ecclesia, apud Iesaiam, Spiritus "
meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore "
tuo, non recedẽt de ore tuo, & de ore seminis tui, "
& de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, hinc "
in sempiternum. Hoc verbum semẽ est in quo ge- 1. Cor. 4.
nuit Apostolus Ecclesiam Corinthiacam: hoc ver- 1. Pet. 2.
bum lac est illud doli nescium & innocuum, quo
in salutem vsque crescunt. Est enim mater Eccle- Aug in
sia, & vbera eius duo Testamẽta scripturarum di- Ioã. Epist.
uinarum: si quæ sit ergo Ecclesia quæ tertiam mã- tr. 3.
mam adiicit: & verbis hominum, lacte alieno &
corrupto suos fœtus alit, vel meretrix vel certè
monstrosa mulier censenda est. Ecclesiæ item ex- 1. Cor. 14.
cellẽs insigne est sacramentorum administratio. Act. 2.
Nam etsi Chrysostomus alicubi verè dixit, Fidelẽ Matth. 28
signo opus non habere: sed doctrina solùm & institutione, tamen sacramenta percipere cõuenit,
videlicet, vt vnusquisque baptizetur & resipiscat,
vt corpore Dominico & sanguine reficiatur. Nisi
enim in fide Iesu Christi intret per ostium, & in Contra
fide panem Domini edat: nisi his sacramentis vbi occultos
licitum & commodum est ab omnibus ethnicis cœtus.
& impiis conuenticulis semotus & secretus, & in familiam Christi hac aperta professione ascitus fuerit, tanquam ethnicus & publicanus habebitur, quantumuis alioqui sanctè & integrè vitam coram hominibus traducere videatur. Non enim clancularii secessus, non seuocationes papisticæ conuocationes sunt Christianæ: nec aquæ furtiuæ quantumuis istis dulces in die illo sufficient, non satiabunt, non sitim restringuent. Quoniam hæc sanctorum communio euidens est

Christianitatis testificatio, & Deus in Sacris coll
2.Cor.6. uentibus operatur, & ibi per verbū & sacramenta nostram salutem procurat, ibiq; quasi habitat. Damascenus, Dicitur in loco esse Deus, & dicitur locus Dei, ἔνθα ἐκδηλος ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ γίνεται, vbi manifesta est eius efficacitas & operatio. Postremum est signum aut potius comes & effectus vitæ honestas & obedientia in Christo. Non enim possunt esse oues Christi quæ vocem non audiunt: & nequaquam audiunt qui vtiliter nō audiunt, & audientes non obsequuntur. Ecclesia enim est cœtus & concessus piorum, in quo piè agitur, & viuitur, in quo nomen Dei illustratur, eius laudes prædicantur, & in quo diuina præcepta reuerenter discuntur, & verè obseruantur.
Io.14. Requirit hoc Dominus Iesus, Si quis diligit me,
2.Tim.2. sermonem meum seruabit. Recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Et in eo loco Chrysostomus, Igitur cùm quis fuerit iniustus, alienus à fundamento est, cùm & hoc proprium
Aug. Io.8. »sigilli sit, iniqua non agere. Non enim fictoribus »aut pictoribus, sed factoribus, inquit ille pater, »delectatur Deus. Si filij Abrahæ essetis, faceretis opera patris vestri. Omnes hasce Ecclesiæ notas complexus est Apostolus Ephesiorum quinto, quando scribit Ecclesiam mundatam esse lauacro aquæ per verbum, vt eam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam aut rugam, sed vt esset sancta & inculpata. Sed enim hæc omnia id spectāt, vt in Christo fiant, in Christo prædicetur, in Christo Sacramenta celebrentur & sumantur, in Christo viuatur. Augustinus in Ioan.
Tr.45. de Paganis, Bene viuimus, Si per ostium non intrant, quid prodest eis, vnde gloriantur? Multi sunt, qui secundum quandam vitæ huius similitudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœmin-

fœminæ, &c. & quæ lege mandata sunt obseruantes, Christiani tamen non sunt, & plerumque iactant se quomodo isti, Nunquid & nos cæci sumus? Talis Ecclesia mihi videtur papistica Synagoga, simillima mulieri apud Chrysostomum, quę Ioan.8. fœlicitate veteri excidit, & symbola hæc & scrinia & arcas rerum precioſarum tenet & occupat, omni interim thesauro destituta. Signa quædam ostentat sed inania. Itaque licet signa sua gloriosè erigant in Ecclesia: licet magna quadam pompa & luxu & fastu omnia oculis simplicium prostituant & venditent: tamen vt Christus inter fasbros libentiùs viuit quàm inter Scribas: ita Ecclesiam pauperculam hisce spiritualibus exercitiis deditam, magis quàm ceremoniarum magnificētia & splendore coruscantem amplexatur.

Nūc Campiani argumentum discutiatur. Quæ- Solutio dam Epistolæ scriptæ ad diuersas Ecclesias, item argumenaliæ propagatæ ab Apostolis Ecclesiæ fuerūt ma- ti Camp. nifestæ, ergo nulla Ecclesia est non manifesta. Nō sunt Iesuitæ satis memores regularum dialecticę. Non cohærent hæc membra, ex particulari enim illatio generalis, non est dialectica & firma consecutio. Antecedens damus esse verum & confitemur: Consecutionem argumenti hiulcam infringimus, tanquam falsam inficiamur. An enim quia illæ aliquot poterant conspici, ergo sequetur, vniuersalem & veram Ecclesiam similiter esse conspicuam? Sunt Christi ad Asiaticas Ecclesias Epistolæ? Nimirum ea ratione quam adduximus, nam doctrinæ prædicatio, sacramentorum celebratio, diligens quædam & externa disciplina seu obedientia in ijs Ecclesijs vigebant, sicut in illis ad quas scripserunt Apostoli, sicut etiam in Actis Apostolicis, vbi congregatæ & propagatæ sunt Ecclesiæ. Triplex latet an-

Universidad de Deusto
Biblioteca

guis in herba. Primùm enim, particulares sunt istæ Ecclesiæ omnes: nos Catholicam ostendimus esse incõspicuam: Prẹterea illæ Ecclesiæ sunt mixtæ, in qua boni sunt commixti cum malis, & solummodo hominum iudicio sunt Ecclesiæ: nos loquimur de Ecclesia Electorum in omnem perennitatem quæ nunquam excidit, & Dei voce & acclamatione erit beata Ecclesia. Adhæc, vbi nunc sunt illæ Ecclesiæ? quantumuis Apostolicæ, quantumuis antiquæ, vbi nunc antiquus fulgor? vbi successio Episcoporum? vbi nomen Ecclesiæ? vbi veritas? Christi hospitium commutatum est
Apo.2. in Turcicum stabulum. Ephesina Ecclesia candelabrum fuit sanè aureum: sed in eam irrepserunt tentatores, qui se dixerunt Apostolos, tamen non fuerunt, sed inuenti sunt mendaces: & Dominus obiicit se habere aliquid aduersus eam, quod primam charitatem reliquerit. Ecclesia Smyrnensis celebratur, sed eam Synagoga Satanæ turbauit: Ecclesia Pergamẽsis habitauit quidem, sed vbi sedem habuit Satanas: vbi insinuarunt se tenentes doctrinam Balaam & Nicolaitarum, quod odit Dominus, & puniet nisi resipuerint. Ecclesia Thyairensis summopere laudatur, sed permisit Iesabelem Dei seruos seducere, scor-
Ap.3. tari, & vesci idolothytis. Ecclesia Sardensis vocabulo quidem viua est, re mortua: Ecclesia Philadelphiensis pura non fuit: sed à pseudoiudæis mendacibus vexata est. Ecclesia Laodicensium neque frigida fuit neque feruida sed tepida, quam Dominus minatur se ex ore suo euomiturum. Annon ille Bartimæus quando maximè cæcus erat, videre potuisset, hìc de Ecclesiis certis ac peculiaribus & corruptis scribere Apostolum? quas extitisse & apparuisse tum quis ambigit? Quod de reliquis omnibus verum est.

Quid

Quid? quod Campianus videre potuisset etiam in illis Epistolis inuisibilem Ecclesiam: quandoquidem Paulus de quibusdam germanis in fide suis filiis loquitur. Et Petrus scribit nominatim ad quosdam prædestinatos, ad incolas Ponti, Galatiæ, &c. aduenas, & quidem latentes, imò verò electos, iuxta prẹscientiam Dei Patris per sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. Ioannes Epistolas suas electæ Dominæ, dilecto Gaio & charissimis filiis suis inscribit: quos tamen seductores ad Arrianismum solicitarunt, & tanquam hostes non amicos Ecclesiæ Diotrephes ex Ecclesia eiecit. Quid istæ? an erant hominum iudicio Ecclesiæ? quos tanquam ab Ecclesia extorres homines insectati sunt? an non soli Deo & Dei homini Apostolo notæ sunt? Ibidem in Actis Apostolicis quædam Ecclesiç leguntur prima tæ, particulares & mixtæ, quibus Nicolaus, & Simon Magus, & Ananias, & Sapphira, & alii hypocritę se immiscuerũt, quos omnes ferè Christiani Ecclesiæ sanam & bonam partem existimarunt, nisi Spiritus sanctus in ore Apostolorum suorum contrarium elocutus fuisset. Adeo subtile & secretum virus est hypocrisis, vt inter Cainũ & Abelum nullus Adam, inter Esaum & Iacobum nullus Isaac facilè posset diiudicare. Sed ad hanc Ecclesiam visibilem tractandam reuocabit nos noua Campiani Sermocinatio.

1.Tim.1. 1.Tit. 1.Pet.1. Epist.2. Epist.3.

CAMPIANVS.

Sed profectò, durum telum necessitas est. Ignoscite: Nam qui seculis omnino quindecim, nõ oppi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, non villam, non domum reperiunt imbutam doctrina sua, donec infelix Monachus incesto con-
Lutherus Zuinglius Caluinus *nubio votã Deo virginẽ funestasset, aut Heluetus gladiator in patriã cõiurasset, aut stigmaticus per-fuga Geneuam occupasset: Ii coguntur Ecclesiam si quam volent, in latebris vẽditare, & eos parentes asserere, quos nec ipsi nouerint, neque mortalium quisquam aspexerit. Nisi fortè gaudent maioribus*
Henr. Pantal. in Chron. *illis quos hæreticos fuisse liquet, vt Aerio, Iouiniano, Vigilantio, Heluidio, Iconomachis, Berengario, VValdensibus, Lolhardo, VViclefo, Hussio, à quibus pestifera quædam fragmenta dogmatum emendicarint.*

HVMFREDVS.

Argumentũ à multitudine infirmum

Non opus est venia cuiusquam, ô Iesuita, non ignoscentia aliqua tua vel tuorum, non papæ tui indulgentia. Non enim hoc telum tuum durum, sed leue: non acutum, sed obtusum est: è triuiis, à faucibus macelli, à Iudæis, ab hæreticis corrogatum. Vulgus enim numerat suffragia sua, non ponderat: Vulgus multitudine certat non ratione. Pessimum & vulgare est genus argumentandi, quia optimum est, non quod placet pluribus sed quod opitmis. Multò pars maior est, inquit Hieronymus, Milesias fabellas reuoluentium quàm Platonis libros. Sed quid huic populari argumento respondet Hieronymus? Luscius Lauinius fruatur testibus imò fautoribus suis, vincátque multitudine, &c. Mihi sufficit paucorum testimoniũ. Iudaicum est, Templum suum vẽditare: quemadmodum

In Iesl. Com. 12. in proœm

Act. 19.

modum & Demetrius apud alios suos opifices pro concione dixit, Periculum esse ne Magnæ Dianæ templum pro nihilo habeatur, eiúsque maiestas destruatur: quam tota Asia & Orbis colit. Argumentum ab vniuersalitate & à visibili Templo excudit hic Faber Argentarius. Sed quomodo occurrit Apostolica Ecclesia? Deus cœli & terræ Dominus, non in manufactis Templis habitat nec manibus humanis colitur. Ecclesia Iudaica ostendi potuit, lege astricta, loco affixa, ceremoniis insignita: Ecclesia Christiana diffusa est vbique locorum, nullis externis sacerdotii ritibus, nulla sacrificiorum celebritate illustrata, sed quæ Deum in spiritu & veritate adorat, quæ Dei nomen in omni loco ab Oriente ad Occidentem prædicat, vbi in quauis gente qui eum timet, est acceptus. Hoc argumentum est Arianicum. Ita enim Constantius contra Catholicos disputauit, Hoc Orbis terrarum comprobauit, Quota pars tu es orbis terrarum, qui Solvs facis cum homine scelerato & Orbis terrarum mundique pacem dissoluis? Hæc contra Athanasium Arianus Imperator Liberio tum Catholico exprobrat. Sed quid ille? Suam solitudinem contra illorum multitudinem defendit, Non diminuitur solitudine mea verbum fidei. *Ignoscite durum telum necessitas.* Solus fuit, non oppidum, non villam, non domum sua doctrina imbutam, sed verbum fidei producit. Contra eandem sectam Arianorum sic insurgit validissimè Gregorius Nazian. Vbi tandem sunt qui paupertatem nobis exprobrabãt, diuitiásque iactitabant? qui multitudine Ecclesiã definiebant, ac pusillum ouile contemnebãt? Aitque hoc planè esse viles colligere lapillos, margaritas spernere, harenam honorare, stellas & luminaria iniuria afficere. Adeo

Act. 17.

Act. 10.

Theod. l. 2. c. 16.

Con. Arianos & de seipso.

semper rerum vilissimarum magna est copia, optimarum inopia, vt gemmæ raræ sint & non vbique vendibiles, lapides passim obuij & parabiles, vt plures sint vrticæ & lappæ quàm rosæ aut violæ, plures sylvestres quàm salutares herbæ, plures tribuli & spinæ quàm vites & oliuæ, & vt Augustinus dixit, Paleæ multæ grana pauca. Vt non omne solum gignit aurum: sed quæ cara, rara, & preciosa, numerosa non sunt: Ita in Vinea Domini inutilia sarmenta & propagines improborum excrescunt, & numero vincunt fructuosos palmites. An quia Ecclesiæ ædificia splendida, oppida speciosa, villæ multæ demonstrari non possunt, ideo Ecclesia nulla erit? Spiritus sanctus nunquam docuit hanc dialecticam, qui nobis aliter adumbrauit obscuram Ecclesiæ solitariæ imaginem, qui formauit eam tanquam semen exiguum, paucas reliquias, tanquam in vinea tugu-riolum, tanquam diuersoriolum nocturnũ in Cucumerario: tanquam granum in botro, aut racemos aut baccas, aut titionem ex igne ereptum, aut vermiculum Iacob, aut gregem pusillum, & non pusillum solùm sed misellum, nõ in villis aut oppidis aut ædificiis spectabilem, sed in latibulis, in desertum, in latebras detrusum.

Ecclesia vidua in mundo pauper-cula.

Ies. 1.

Luc. 12.

Deforment nobis Iesuitæ veram Ecclesiam in Regnis, in Ciuitatibus, in pagis frequentem ab exordio mundi ad consummationem vsque: quando audiunt Ecclesiã constare in Paradiso ex duobus, in diluuio ex octo imò nec octo: in Sodoma non ex decem, sed ex tribus ferè: ex duobus Iosue & Calebo qui ex illis multis millibus per annos viginti natis soli terram Canaan ingressi sunt: in igne ex tribus pueris: in collegio Christi ex discipulis vix duodecim: in quadruplici illo solo ex vnica parte terræ bonæ: quando legunt apud Dauidem

uidem ex ore infantium & lactantium: apud Paulum ex ignobilibus stultis, infirmis: apud Matthæum angustam esse portam, arctam viam, paucos inuenire, multos esse vocatos, paucos electos, Ecclesiam esse vbi duo aut tres in nomine Christi congregantur: quando intelligunt Ecclesiam esse in domo Aquilæ & Priscillæ, vnam domum Mariæ Ioannis matris omnes Christianos cepisse & pro Petro ad Dominum preces fudisse: domum Philemonis fuisse Ecclesiam: Sardensem Ecclesiam pauca habuisse nomina, Philadelphiẽsem exiguam potentiam: Sed & vbi tres sunt, esse Ecclesiam, licet laicos, Tertulliano Iudice. Ostendant Iesuitæ vrbes, oppida, magnificas Ecclesiæ domos, cùm Ecclesia in Ægypto peregrinaretur, in eremo erraret, in cryptis & angulis lateret, in custodia, in vinculis detineretur: nunquam comparere, nunquam consistere auderet: Demonstrẽt si possint Ecclesiam vel in domibus celebrem & conspicuam: cùm discipulus Magistro, seruus Domino non sit maior aut melior, cùm Christus caput sit abiectum, aridum quasi virgultum, cùm ille filius hominis vulpibus & volucribus deterior demum non habeat vbi caput reclinet: cùm corpus etiam per omnia conforme semper fuerit incertis sedibus vagans & ἄοικον: Cùm Augustinus asserat in solo Abelo, in solo Enocho, in solo Noacho, in solo Abrahamo fuisse Ecclesiam, Cùm in expugnatione Ierico sola Rhaab, temporibus Iezabelis, solus Elias Ecclesia visibilis esset (nam occulta illa millia hominum Baali genu non incuruantium mortales non aspexerunt, solus Deus sibi relinquit:) Cùm Panormitanus sentiat, Ecclesiam nec errare nec deficere, si remaneat fides in vno solo: cùm Ioannes de Turre Cremata, censeat de Concilio sententiáque Iurisarum, Ius

Psal. 8. 1. Cor. 1. Rom. 15. Act. 12. Phil. 1. Apoc. 3. In Exhor. ad castit. Ies. 53. 1. Cor. 4. S. psi. 118. Extra. de Elect. Significa. l. 1 c. 27. de Eccle.

vniuersitatis rectè posse manere in vno solo,& in SOLA MARIA, (in qua integra & imperturbata mansit per triduum fides Christiana) fuisse Ecclesiam: cùm solus Ioseph Arimathiensis in Concilio Iudæorũ pro Christo, solus Gamaliel in synodo Pharisæorum pro Apostolis, solus Paphnutius in Niceno concilio pro coniugatis Episcopis dixerit sententiam. Ergo etiamsi nostra Ecclesia suos lares certos, suam certam sedem non potuisset vestris nocturnis oculis ostendere: tamen si duodecim,si vndecim,si tres,si duo,si vnum solum protestantem pium,religionis verę studiosum,nominare & in medium proferre poterimus: exhibuimus vobis Iesu Christi Ecclesiam:qualem patres interdum sub lege Naturæ,qualem Prophetæ nonnunquam sub Mose,qualem sub gratia Christus,Apostoli,primi Christiani tot seculis non semel habuerunt.

Conclusio sequitur hæc mea,vanum esse vestrę multitudinis argumentum,vt & olim Chrysostomus.Ne quis miretur Ecclesiam propter multitudinem,sed eam ipsam probatam reddere studeamus:vt etiam Basilii fuit consilium,Docuerũt nos & pueri in Babylonia,etiamsi nemo sit,qui suffragetur,tamen per nos ipsos quod ad nos pertinet, facere, qui sanè ex media flamma Deum collaudauerunt, non considerantes multitudinem reprobantium veritatem,sed seipsis contenti, cùm tres essent.

Ad pop. Antioc. Hom. 4. De spiritu sãcto c. 30.

Ante Lutherum, Zuinglium, Caluinum nusquam emersit nostra Ecclesia? Hoc à spiritu vanitatis & vertiginis profectum esse mox docebo, Sed illam maledicendi petulantiam à quo spiritu acceperunt? LVTHERVS INFŒLIX MONACHVS, QVI INCESTO CONNVBIO VOTAM DEO VIRGINEM FVNESTAVIT, &c.

Petulãtia Campiani con. Lutherum.

Fortas-

Fortassis à Therstia Homerico fœdissimo & loquacissimo omnium eorum qui ad Troiam venerunt, edocti & inspirati sunt. Liceat enim mihi hoc vnum cum Vlysse verè dicere, cùm illis omnia liceant.

Θερσίτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς
Ἴσχεο, μηδ' ἔθελε ἔριζέμεναι βασιλεῦσιν. Iliad. 2.

Cur enim licebit impunè istis hasce tres non infimas Christiani orbis gemmas procaci oratione deformare & deturpare? Equidem in Lutherũ, Zuinglium, Caluinum à Papisticis scriptoribus Staphylo,Lindano,Claudio Sãctesio,Pratęolo,Cochlæo, & maximè à Surio Carthusiano tot vbique probra & maledicta diuulgantur,vt illis vehendis vnum plaustrum non suffecerit. Fraterculos autem istos & Monachos petulantissimos,optimè notauit quoddam verissimum distichon,

Monachatus.

Non audet Stygius Pluto tentare,quod audent
Effrænis monachus plenáque fraudis anus.

Infœlix monachus,inquit Iesuita, homo eiusdem notæ & ordinis:Infœlix sanè fuit Monachus: sed tum demum ter quatérque fœlix,qui illum cucullum monasticum abiecit, & Antichristianum iugũ excussit. Hic monachus profectò monachorũ magnus fuit malleus: Monachus hic excitatus primùm Dominicani monachi Tecelij venalibus Indulgentiis,quas impudentissimus rabula circũtulit,pòst vt facetè dixit, in Conuentu Colonien si,Friderico Electori Erasmus, Duo maxima peccata commisit, quia & ventres monachorum & coronam Papæ auferre studuit. Hic monachus rectius informatus in articulis Smalcaldicis dixit ac docuit,monachos & papam vitandos esse, sicut naturaliter abhorremus à Diabolo. De illo nõ malè Pomeranus,

Erasmus de Luthero.

Pestis eram viuus,moriens tua mors ero Papa.

Nuptiæ.

" Sed virginem duxit vxorem? Non est hoc virgi
nem polluere aut incesto connubio funestare, sed
Dei vocem audire, & præceptum iam olim in le
ge traditum obseruare, Sacerdos virginem de po
Leuit. 21. pulis suis ducet vxorem. Intellexit in Domino li
cere matrimonium contrahere: idque Scripturæ
veteri & nouæ, & Conciliis, & Patrum scriptis
Ad Phila delph. congruere. Nouit Paulinum esse Canonem, Vt v
nius vxoris vir sit Episcopus: Ignatium optasse, vt
illorum hominum vestigiis ingredi, & ad tantam
in Dei regno dignitatem prouehi aliquando pos
set, ad quantam peruenerunt Abrahamus, Isaacus
Iacobus, Iosephus, Esaias, aliique prophetæ, Pe
trus, Paulus, cæteriq; Apostoli, quos omnes vsos
Ibidem. matrimonio fuisse contestatur. Nouit Ignatium i
storum impuram hanc damnasse opinionem. " Si
" quis cæterailla omnia rectè sentiat, legitimã tamẽ
" id est, cõiugalem permixtionem liberorũque pro
" creationem, à naturæ corruptione, contaminatio
néque profectam dictitet, hic nidus est hospesque
draconis illius Apostatæ. Non ergo Lutherus apo
stata qui è seruitute in libertatem Christianam
& sẽ & virginem aliósque complures qui mona
steria, audito Dei verbo, deseruerunt, vindicaut,
sed apostatæ sunt, qui licitas nuptias, tanquam rẽ
funestam abominãtur, qui castum matrimonium
incestum, bonum malum vocant, cui à vate Iesaia
C. 5. nota Væ præfigitur. Incestas nuptias appellamus,
Nuptiæ incestæ. quasi non castas, non legitimas, quæ legitimę non
sunt, quæ legi Diuinæ non consonant. Atqui in cõ
cilio Niceno, Paphnutius edixit, cui omnes alij
patres acclamauerunt, coniugium hoc Episcopo
Soer. Ecc. Hist. L. uc c. 11. rum & congressum cum propria vxore esse casti
tatem. Ergo qua ratione incestum & funestum le
gitima nominat, quod à Concilio castum perhibe
tur? His adde ipsorum hostiũ suffragationem, in

Manipulo Curatorum, vbi confitetur fuisse olim
in prima Ecclesia presbyteras, & ordinatis mini
stris licuisse vnã habere vxorem: modò eam habe
rent Virginem. Scilicet, virginem, inquient, at nõ
votam Deo virginem. Votam Deo fortassis eã es- Votum.
se vult quæ vouit perpetuam virginitatem. At o
mnis homo, siue mulier, siue vir, esse debet virgo
Deo deuota & consecrata, vni viro Christo castè 2. Cor. 11.
desponsa, & solis virginibus regnũ cœlorum re- Apo. 4.
seratur. An enim votum Deo est, quod Deus nus
quam iniunxit? aut erit votum papale votis Chri
stianis vel arctius vel sanctius? Illud commune est
votum & Christianum, & requiritur, illud iugum
est Antichristianum, & exploditur. Concilium
Gangrense hoc non tulit, sed eos qui nuptias vi
tuperant, & fœminam cum viro suo dormientem
fidelẽ & religiosam detestãtur, aut culpabilẽ æsti
mãt, anathemate percutit. Humanum autem esse
vouere cælibatum ostendunt acta Gregorij, Siri
cij, & aliorum Pontificum: at de coniugio præce
ptum diuinum esse docet Apostolus, Coniugatis 1. Cor. 7.
præcipio non ego sed Dominus. Si autem non sit
humani arbitrij, nunquam ausi fuissent autores In
terim votiuis sacerdotibus coniugij libertatem Interim.
cõcedere. Sic enim ipse Surius Monachus in libel In appẽd.
lo quẽ diximus iussu Cæsaris cõscriptum, inter cę ad Naucl.
tera pacis tuẽdę causa permittebatur, vt qui apud Chron.
protestantes ex sacerdotum ordine vxores duxis
sent, vsque ad Concilij determinationem non co
gerentur eas relinquere. Neque enim quæ diuina
mandata sunt, Carolus Cæsar, nec Leo Papa mu
tare debuerunt: nec quæ mala aut incesta sunt,
permittere vel ad horulam potuerunt. Ius Pontifi C. 27. q. 1.
cium virginem votam, abiecto castitatis proposi
to nuptam à sacra tantummodo communione
detrudere videtur: & in Margine versiculos

Universidad de Deusto
Biblioteca

istos interpretentur nobis qui Marianis temporibus eiusmodi sacerdotes coniugatos iniquissimè separarunt,& in eo speculo suam impietatem & in diuinis legibus confringendis audaciam contemplentur.

Incestus,raptus & natus fonte leuatus,
Mórsque sacerdotis,& mors propriæ mulieris,
Vel si solennem pœnam geris,aut Monialem
Ducis,te prohibent hæc coniugium celebrare.
Si tamen istud agas,nequeunt te DISSOCIARE.

Quare bene sanè meo iudicio responderunt in Conuentu Noribergensi Argentinēses legati,Senatum commodissimè tum de puniendis sacerdotibus ipsorum qui matrimonium cōtraxerunt deliberaturum & acturum,cùm Episcopus qui apud Laurentium Campegium Apostolicum nuncium de illorum nuptiis conquestus est, grauiter & acriter,in reliquos sacerdotes scortatores & adulteros animaduerterit. ZVINGLIVS HELVETVS GLADIATOR IN PATRIAM CONIVRAVIT?Hęc quoque est alicuius Tantali calumnia, qui ἀκέλευστον ἔχει γλῶσσαν αἰχίστου νόσου. Egregius & fortis cōcionator habitus est D.Zuinglius: gladiator nunquam fuit.Poterat Lutherus scribere , hanc esse Euangelij naturam mouere seditionem: poterat Zuinglius dicere,Euangelium vult sanguinem,vt Copus ex Erasmo citauit: sed tamen nec Lutherus seditiosus,nec Zuinglius bellator vnquam extitit,non magis quàm Christus qui ignem misit in terram vt arderet, nec magis quàm Elias qui perturbator Israelis à rege Achabo nuncupatur. In bello quidem fuit Zuing.cum Heluetiis , contra Quinquepagicos,qui omnes pacis conditiones à rege Galliæ,à Glareanis,à Friburgiis, à Soluturiis,& aliis intercessoribus oblatas repudiarunt:in eo clarissimus Ecclesiæ Tigurinæ Ecclesiastes

Procacitas Campiani cōt. D.Zuinglium.

Adfratres inferioris Germa.

siastes occubuit,cùm subito eos imparatos adorti fuissent,nec dum reliqui confœderati auxiliares suas copias summisissent. De qua immanitate non est cur Pontificij glorientur, qui in hominē mortuum adeò crudeliter sæuierunt:sed erat causa cur ringantur & rumpantur, qui sanguine viri sanctissimi effuso,& corpore combusto,religionē tamen Christi ab ipso summa fide & magnis laboribus accēsam nequiuerunt extinguere.Si quę ratur cur pacificus pastor in aciem cum suis ouibus prodierit, duas causas discat à Ioanne Sleida Com. Lz.
no,quia Tigurinorum consuetudo id officij ab ipso primario vrbis ministro exegit,& homo gregis sui amantissimus,& verè Heluetius,& à legitima autoritate vocatus , & in religionis causa quam ipse plātauerat , suis in hoc articulo deesse noluit. Munus esse hoc ministrorum apparet ex Mosis Deuteronomio, vt suos hortentur , ne paueant,nec timeant,sed vt Deum pugnare cum ipsis intelligant.Quoniam autem Pontificij multa vanissimè affinxerunt,& trophæa stultissimè erexerunt:ex Paralipom. Abbatis Vrspergensis quædam adscribam,In hoc primo conflictu Tigurini De conflictu Tigurinorū cā
vltra quadringentos viros non amiserunt, sed illos præstantes & incomparabiles.Inter quos fuit Quinquepagicis.
Vlrichus Zuinglius.De cuius viri interitu clarissimus vir Hēricus Bullingerus sic scribit in libro
De functione prophetica:In hoc homine ardens “
fuit amor iustitiæ,flagrans æquitatis studium, & “
inexplebilis patriæ fœlicitatis cupiditas , contrà “
verò,summum in flagitiosos, & extremum in fla- “
gitia odium. Nemo enim facilè explicarit,quan- “
tis sudoribus luxum inertem,sanguinolentas lar- “
gitiones & multorum sæuam expugnarit Oligar- “
chiam,& rursus quanta cura auitam frugalitatē, “

» probitatem & sanctum (Ioiadæ ad morẽ) studue-
» rit restituere imperium, quas ob res vir Dei san-
» ctus, pulchram tandem oppetiit mortem. Ab iis
» enim cæsus est, quibus ipse sese tota impenderat
» vita, vt illos à largitionibus, bellis, luxu, pessimis
» quoque suis studiis in viã reduceret iustitiæ. Hæc
» autem mortis viri iustissimi verissima est causa, vt
» vt alii alias necis iactitent causas. Huc facit quod
» Zuinglium non animi libido ad pugnam anima-
» uit, sed sanctum magistratus edictũ armauit. Hoc
Bullingeri, qui ei in ministerio successit luculen-
tum & graue testimonium, omniũ Cochlæorum,
Cop. Dia. 6. Coporum, Campianorum incertissimis narratio-
nibus est anteponendum. In bello cecidit Iosaias
optimus Iudaicę religionis instaurator: & omniũ
reformationũ initia dura sunt: Nam & Christus
Noui Testamenti conditor tanquam blasphemus
crucẽ passus est: & Apostoli eius nouæ doctrinæ
buccinatores pessimè tractati sunt: Et in Refor-
matione Euangelii nostris tẽporibus totus mun-
dus obfremuit: in Argẽtinensi repurgatione cle-
rus Papisticus de inueterata sua religione mutata
conquestus est. Et quidã Heluetiorum pagi vicini
Com. l. 4. apud Tigurinos & alios nouã religionis formam
inuectã fuisse, teste Sleidano, ægerrimè tulerunt.

Sed quo ore audent isti de Zuinglio gladiatore
quicquam dicere, cùm Romæ tot Pontificios gla-
Gladiato- diatores fuisse non ignorent? Quàm enim cruen-
res Ro- ta bella propter suum papatum, suas immunita-
mani. tes, sua latifundia gesserint, totus orbis Christia-
Barnes in nus multorum sanguine redundans testari potest.
vita Da- Qualis gladiator Vrsinus non solùm suffragiis sed
masi. armis pro pontificatu decertans? Qualis gladia-
tor Gregorius sextus, qui à clero & à populo, Ho-
micida, Simoniacus, sanguinarius iudicatus est?
Qualis gladiator Bonifacius Octauus vtroque gladio

gladio per vrbem vectus ac triumphans? terror
principum, regnãs vt lupus, die Cinerum in Por- Naucl.
chetum Geneuensem Archiepiscopum Cineres Gen. 44.
proiiciens, vt se esse Cinerem recordaretur & in
cinerem reuerteretur? Quales gladiatores illi Plat. in
cùm Romæ tanta seditio orta sit, vt multi tum vita Sym-
clerici, tum populares passim cæderentur, & ne ma.
sacris quidem suis virginibus parcerent? Qualis
gladiator Iulius secundus, qui in acie sæpe stetit,
& claues Petri in Tyberim proiecit, & gladio
Pauli pugnauit? Quales gladiatores extitisse cre-
demus eos, quorum schismata plurima & horren
da Ioan. de Turre Crem. enumerauit? An putatis L. 4. p. 2.
istas Aquilas Romanas tremulas progenuisse co- c. 9.
lumbas? Gladiator fuit Episcopus Argentinensis,
qui pluribus bellis, cum vrbe Argentina, sed in-
fæliciter conflixit. Gladiator fuit alius ibidem E-
piscopus, Gualterus, qui propria manu tanquam
miles, duobus equis quibus insederat interemptis
strenuè dimicauit. Gladiator Hatto Archiepisco- Ab. Vrsp.
pus Moguntinus, à Conrado Imperatore contra
Henricum solicitatus, quem torque collo eius
iniecta mira arte vt aperiri & dissolui non posset,
miserabiliter fame contabescere coegerit. Infæ-
lix gladiator fuit Iulianus Cardinalis in Boëmia
contra pios bella gerens, contra Turcas perfidio-
sè bellum redintegrans, & turpiter fugiens, à la- Naucl.
trunculis pòst interfectus. Hos Martis pullos gi- vol. 3.
gnit & alit Roma, quorum ius vis est, ἐν χερσὶ δίκη, Gen. 49.
cuius exempla hodie videmus, non Zuinglios pro
patria arma ferentes, sed nescio quos Emissarios
in patriam coniurantes: non vocatu aut iussu
principis in hostem armatos, sed inuito & inscio
magistratu in omnem rebellionis occasionem Campia-
intentos. CALVINVS STIGMATICVS ni dica-
PERFVGA GENEVAM OCCVPAVIT? citas con. Caluinũ.

Videtis in istis tribus Ecclesiæ luminibus quomodo suum mentiendi artificium Diabolus impudentissimè exerceat. Caluinus dum vixit, causam suam ita egit, vt omnibus sycophantis os obturauerit, omnibus bonis se probarit, vt de istiusmodi criminibus ne mutire quisquam ausus fuerit. Sed quàm facile est petulantibus linguis homini mortuo & muto maledicere? Eousque audax fuit spiritus mendax in ore Papistarum, vt non stigmaticum solũ, sed homicidam etiã fuisse Caluinum dictitent. Sic enim in suo Elencho Pratçolus etiam literarum monumẽtis prodidit. Sed quem profert testem? Seruetum hæreticum qui in beatam Trinitatem & Filium Dei horrendas blasphemias euomuit, qui se vnicum prophetam iactitauit, qui non Christianismum sed Mahumetismum inuehere studuit, qui à suo Hosio, à suo Lindano, à suis aliis non paucis scriptoribus in Catalogum hæreticorum relatus est: qui à Philippo Melanćthone, à Tigurinis, à protestantibus multis olim damnatus, & postremò Geneuæ comprehensus, non à Caluino, (vt isti spargunt) sed à Synodo & senatu & Syndicis Ecclesiæ Geneuensis conuictus est, & digniſſimo supplicio affectus.

Caluinus homicida Seruetо teste.

Hosius.

Stigmaticus nunc à nostro Iesuita notatur. Quo teste? nullo, quem quidẽ Textus vel Margo Campiani nominat. Nunquámne desinent calumniari & perbacchari? An semper erunt in re grauissima leuissimi sycophantæ? quibus certè in magnum malum cedet aliquando hæc canina mordacitas. Exiliit in Theatrum alius nouus Actor ex tenebris non micans, sed Andabatarũ more pugnans, qui totum hoc vanitatis mysterium, Anglicè nostris hominibus prodidit: & quod iste Campianus verbo vno & ænygmate perstrinxit, ille plenis, quod aiunt, buccis effutit, & expuit. Sed

Autor anonymus, Cẽs. Defensor.

Sed vt rectè Augustinus, Veritas nec falli potest nec fallere: ita non minus verum est, Pseudoprophetæ doctore Satana, non mentiri non possunt. Caueant autem ne sicut Diogenis discipuli nimium Cynici & mordaces canes esse volunt, ipsi tanquam Luciani à canibus deuorentur, qui ruptis omnibus verecundiæ & modestiæ repagulis, in quemuis Dei hominem dente Theonino incurrunt eúmque arrodunt. Sed quodnam illud Caluini stigma est, quod iste nouus Campiani interpres deprehendit? Non, inquit, stigmaticus fuit Caluinus, sicuti Paulus, qui in corpore suo portauit Iesu Christi stigmata: & propterea VVhitakerum nostrum lapsum esse asseuerat: stigma fuit ei inustum propter abominabile illud vitium quo Sodomitæ conflagrarunt. O scelus, ô flagitiũ non nominandum, non tolerandum: in homine fœdum, in Christiano fœdius, in ministro fœdissimum, in tali Doctore mille mortibus pianduml At credibile non est, nec probabile videtur nobis qui Caluini sanctimoniam, castimoniam, & censoriam in se & in alios seueritatem nouimus. In qua parte corporis? In humero. Oculatissimos esse oportuit, qui sic Caluinum intus & in cute norunt. Hìc verè accidit quod est in prouerbio, Magistros nostros scire quid sit in sacro antequam videant. Sed cuiusmodi tandem erat cauterium? Lilij impressio: exprompta memoria atque astutia: non mirum omnia eos meditata habere, qui tanto tempore studuerunt, & tot capita contulerunt. Erat alius proculdubio non Caluinus, sed de Casa, qui de Sodomiæ laudibus scripsit, aut alius ex illa cohorte, ex illa Petri domo, quã scurris, Cynedis, Ganymedibus patuisse reuelat Mantuanus: qua sacerdotes Priapi habitare dixit Holcotus, in qua illud Secretũ tritum fuit, Si non castè

Prouerbium.

Diui Petri domus Romę immunda.

In L. Sapiẽtia.

tamen cautè: De qua Bernardus, Si nobis semen sanctum Dominus Sabaoth non reliquisset, olim iã sicut Sodoma subuersi essemus, & sicut Sodoma similiter periissemus, &c. De qua in Epistola Hulderichi Episcopi extat, pro falsa specie cõtinentiæ placere volentes grauiora vides cõmittere, Patrũ scilicet vxores subagitari, masculorum, &c. amplexus non abhorrere. *Imò verò, inquit, Caluinus iuuenis sic hac nota insignitus est.* Quî constat? Ita in libello & in quadam historiola de moribus & doctrina Caluini nobis retulit quidam Reuerendus D. Doctor Medicus Hieronymus Hermes Bolsecus. Hîc mihi venit in mentem Oliuarii Hispani quondam Magdalenensis disciplinarum Mathematicarum professoris serius iocus, qui inuitatus à quodam ad conuiuium & propter longitudinem nominis repulsus solebat dicere, Magnum nomen suum perdidisse magnum prandium, quoniam famulus audiens Petrum Ioannem Oliuarium Valentinum præ foribus stetisse, hero suo renunciauit tot conuiuas venisse quot audiebat nomina. Certè Hieronymus iste quantumuis Trionymus adhuc nobis ignotus est & nullius nominis: nec potest obscurus medicus Caluinum Theologum clarissimum Ecclesiæ iubar obnubilare. *Imò, inquit, Geneuæ Caluinum familiarissimum habuit, & intimè nouit.* Tanto pestilentior medicus, quanto in amicum dicacior fabula. Hoc etiam vanitatem sapit: quia Geneua suum habet proprium medicum, & in nostro exilio nullus talis Hermes seu Mercurius tum locum illum tenuit, quantum ego intelligere potui. Ciuitas verò illa tanti fecit tum Caluinum, vt medicum Caluino inimicum nullum voluerit admittere. Sed quicquid sit, hominis leuissimi testimonium

De conuersione ad Clericos c. 29. In Parali. Ab. Vrsp.

Bolsecus.

Petri Oliuarii Iocus.

monium graue esse quî potest? qualis fuerit, in Epistolis Caluini, ad ministros Helueticos & Basiliẽses videre est. Sic enim depingitur, qui abiecta monachi cuculla, vnus ex circũforaneis medicis factus, qui fallendo & frustrãdo tãtum sibi impudentiæ acquirũt, vt ad quiduis audiendũ prompti sint ac parati: in multis locis astutè dissidii ansas captans, Ecclesias implicans: doctrinam de gratuita Dei ẽlectione & fide nos iustificante labefactans: impostor prophanus, nugator proteruus, & malè seriatus & ferreæ frõtis homo, impius & perfidus nebulo, qui quòd multa errorum mõstra aleret, & iudicia Ecclesiarũ, quibus staturũ se rece perat cõtumaciter sperneret, in exilium actus est. Atque hæc probata sunt idoneis testibus. Præterea accepi medicum quendã (Bolsecum enim hũc fuisse non ausim dicere) vitã Caluini Gallicè descripsisse vel potius Sycophãticè traduxisse: eum tamẽ hoc execrabile facinus in toto libello quãtumuis infami nõ attigisse. Sed quãdo hic medici libellus exiit? Respondet fortassis breui proditurum: sic enim sonant verba: sensum alium nõdum assequimur. Respõdeo, de futuris contingentibus nulla est determinata veritas, imò suspecta sunt omnia. At affirmat hunc Apocryphum libellũ anno Do. 1577. fuisse scriptum & cuidam tã Archiepiscopo quàm Comiti Lugdunẽsi inscriptum. Idẽ Archiepiscop⁹, & Comes, idẽ D. spiritualis & D. secularis? Nõ examino, nõ discutio: nec de magnifico titulo, nec de nobili archiepiscopo Comite hoc tẽpore disputo. Vetus tamen est in Germania dicteriũ de alio quodã nõ dissimili amphibio animali, Cùm Dominus Archiepiscopus descẽderit ad inferos, quid fiet de Domino Comite? Certè nõ approbo finẽ scriptionis, vt ex professo D. Bezę se obiiciat, eiúsq; de Caluino historiam cõfuet,

Epist. 113, 134. 135.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aliquid latet in hac herba, quod Deus suo tempore reuelabit,& homines non obtusi subodorari possunt.Sed cur medicus post obitũ Caluini scripsit? Cur mortuo demum oblatrat? Nam obiit Caluinus anno Dom.1564.Indicium est & significatio alicuius & vanitatis,& impudentiæ. Quis enim vnquã Caluinum viuũ ausus est in ius vocare,aut istius criminis arcessere? Non Pighius non alii veteres Pontificii tum superstites, soli nostri quia soli esse volunt nostrorum seductores hæc despumant conuicia in manes sanctissimi Præsulis. Si fallor,mecum fallitur tota bonorum hominum,qui illum norunt, congregatio:nec tamen errare me putabo, nisi illud Geneuense Sigillum quod ostentat, & acta publica quæ commemorat, & nullius medici autographum quod iactitat,videro.Postremò si hoc nefarium scelus patrasset, homo tum religionis nomine inuisus, quomodo tandem capitalem pœnam effugere poterat?Episcopus,inquit, Nouiodunensis misertus hominis impetrauit, vt alio leuiori supplicio afficeretur. O planè hominem perhumanum,suã forta ssis agnouit infirmitatem, humani nihil à se alienum existimauit. Hæccine scilicet est Papistarum iniusta & crudelis misericordia, Cœlio, Aeschyni, multa condonare, etiam Sodomitis propter lubricum adolescentiæ iter parcere, indulgere,remittere?

Perfugam etiam ipse perfuga non dubitat nominare, scilicet eum, qui sæuiente persecutione in Gallia, Euangelii causa coactus est solum vertere:(quod tum præcepto Christi, tum exemplis multorum,Athanasio licitum fuisse probatur, in Ecclesiastica Socratis historia:) eum qui Argentinæ exulantis Ecclesiæ Gallicæ fundator & concionator fuit: eum qui Geneuæ reformationem in pa-

L.3.c.8.

in pane cõmuni,in Baptisterio, in quibusdam ritibus,in disciplina Ecclesiastica instituens,decreto quorundam maleuolorum exire vrbe intra triduũ iussus est:quem pòst Argentinæ Theologiam prælegentem tota ciuitas legatione solenni,intercedentibus etiam Tigurinis, multis literis, & amplis pollicitationibus & æquissimis conditionibus,omnium ciuium summo gaudio, non sine dolore Argentinensium honorificè reuocauit, Vbi Dominus ipse hostes suos exilii autores mirabiliter vltus est, cùm vnus seditionis reus ex præcipitio per fenestram mortuus est, alter homicida capite plexus est, Duo alii facinorosi absentes condemnantur,dum exilio voluntario scilicet, tanquam sorices indicio suo produnt se alicuius mali conscios. In hac Ecclesia docuit, prælegit, scripsit, vixit, obiit, & magna senatorum, theologorum, studiosorum, oppidanorum caterua, non sine lachrymarum flumine, eius funus prosequente honorificè sepultus est. At quid ego hæc de Caluino, cuius vitam & mortem D. Beza ei perfamiliaris & intimus diligenter & fideliter descripsit, nec tamen hanc stigmatis notam cùm cætera refutarit delere tũ opus habuit? Vos autem obseruate nouam aduersariorum calliditatem,dum sua commenta scripturis nequeũt solidè confirmare, nostrámque doctrinam labefactare, à re ad personas delabuntur, illic toti habitant & commorantur. Sed cur tres hosce delegit Campianus, an vt suos falsò doceret nostram Ecclesiam è ternario numero Doctorum cõstare? quam nouit in omnibus locis fusam, & cuneum atque exercitum esse Domini, ex innumerabilibus & eruditissimis triariis collectum & conflatum?Neque verò filii quos isti aliique in Euangelio genuerunt aut tales fuerunt, vt in ignoratio-

Beza in vita Cal.

Campiani actio personalis nõ realis.

ne iacuerint,vel tam obscuri vt in latebras se abdiderint, aut ita pauci vt à Romanæ Ecclesiæ heroibus istis contemni debeant. Non sic sensit Adrianus Pontifex, dum in sua ad Cheregatum in Germania legatum instructione, suum maximum dolorem ostendit, quem ex prospero successu Lutheranorum cõcepit,qua occasione multos à sua fide ac religione auersos,idque in ea natione ex qua secundum carnem originem traxerat,animaduertit.Parentes deinde hosce nostros & Maiores tanquam Antiquarius aliquis in tabella depingit : vt nos Catholicus scilicet hæreseos reos perageret. Vt etiam concinit Stapletonus,Maiores protestantium non alios esse quàm Hæreticos:in quo & illis iniuriam & conuicium facit,& nos illo odioso Hæresis nomine in odium adducit. De illis veris patribus nostris suo loco. Quod ad nos attinet, isti Catholici intelligant, eos Catholicos Gratiani Imperatoris edicto haberi,qui Triadem pari honore colunt: hæreticos contrà,quicunque sentirent & tuerentur contrarium. Cùm ergo nos Patrem, Filium & Spiritum sanctum eodem modo catholicè honoremus & diuino cultu dignemur,cur odiosè nos illis quos hæreticos vocat, annumerat? Quicquid enim Aerivs hæreticum vel pestiferum Ecclesiæ propinauit,vel cum Ario,vel cum Encratitis faciens,nos penitus damnamus atque detestamur. Ingenuè tamen profitemur quæcunque scripturæ sacræ conuenientia dixit,ea nos recipere & comprobare.Possunt enim quædam in loco afferri etiam ab hæreticis quæ orthodoxam fidem respiant,vt se potest in Angelum lucis transformare Diabolus. Non improbamus nos quod sensit Aerius,& Augustinus retulit, non oportere nos orare vel oblationem offerre pro mortuis, quia nullo

Li 13.c.2.

Catholici olim qui. Sozo.7. c.4.

Aerii opinio de oblatione pro mortuis.

Aug.de Cura pro mortuis.

nullo scripturæ præcepto continetur,quod & Augustinus significare videtur,quando hanc cõmendationem mortuorum dicit veterem esse Ecclesiæ consuetudinem.Hanc memoriam,commendationem & commemorationem Martyrum & sanctorum in patribus sæpe legimus,& eundem morem nos in Academiis & Collegiis nostris obseruamus. Sed quæ hæc stupida impietas, vt homines defuncti à viuentium meritis, à monachorum cucullis, ocreis,à sacerdotum missis,precibus, ab amicorum ieiuniis, aliisue operibus dependeant? Agnoscit Augustinus veram esse Pauli sententiã, Ibidem. nisi hic nos seramus & in vera fide è viuis decedamus,aliorum suffragiis aut sacrificiis nihil posse nos metere:Omnes nos sisti oportere ad tribunal Christi,vt referat vnusquisque in suo corpore prout gesit siue bonum siue malum. Deplorat 2.Cor.5. hanc insaniam Ioannes Bromyardus,Heu nonnulli per aduocatum Deo seruire volunt, dicentes, Ora pro me,ieiuna pro me,& huiusmodi.Nec illud Aerij inter hæreses reputandum est, quando ait,Presbyterum ab Episcopo in sacris literis nulla ratione distingui, quia idõ sensit Hieronymus. Ad Tit.& Quòd autem à carnium esu abstinere eos scripsit ad Euag. Philaster,inter impostoras falsorum spirituũ cum Apostolo numeramus, & inter alios errores Papisticos reponimus.

Iovinianvs producitur. Quid ille? Omnia Peccata. peccata esse paria? Nos quoque omne peccatum ex se mortem gignere sine Christo suprà ostendimus. Docuit coniugium virginitati aliquo De coniu modo esse adæquandum? Hypocriticam fortasis gio. quorundam virginitatem qua tumebant & alios despiciebant sanctuli,perstrinxit: & Siricii error tum natus esse videtur , qui sacrum matrimonium opus carnale illoto ore nominauit:& æqua-

litatem in eo posuit, quod eiusdem esset vtrunque meriti. Neque enim vllum est tale meritũ ex eo quòd incõiugati vel coniugati viuimus, quippe res sunt mediæ,& vitæ status indifferentes,qui per se neque malos neque bonos efficiãt. Si assentimur,quid inde vel scandali vel incommodi? Nã quòd in eum grauiter & stomachosè inuehitur Hieronymus,antiquum obtinet, & choleræ suæ indulsit,nuptiis iniquior:& tamen nihil erat causæ cur vnum Iouinianum obiiceret,habebat quippe ille suæ causæ fautores multos Episcopos: nec id dissimulauit Hieronymus, dum inquit, Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia:Iouinianus autem ipse cœlebs fuit, fortassis non vt sanctius sed vt solutius viueret:in quo si errauit, Iesuitis quàm nostris est similior. Damus etiam verum esse quod de Iouinianistis & nostris habet Sanderus,Ieiunia vel à cibis aliquibus abstinentiam nõ prodesse:hoc idem ait, Protestantes quoad animæ salutem,affirmare.

Eras.in argumento li. 1 aduersus Iouinianum.

Li.7.

Vigilantius. VIGILANTIVM Antecessorem habere nos dicit:quem tamen nos non immeritò multis præferimus Dormitantiis,à quibus Papistæ ducũt suam originem. Pantaleon quem in Margine citat Cãpianus, hominẽ doctissimum,Gennadius linguæ politum vocat. Et quanquam Hieronymus eum acerbè insectatur,tamen sicut Lutherus in causa Iouiniani, ita ego pro Vigilantio respondere possum,Hieronymum nimio feruore & impetu sæpe abreptum, sæpe amicis & Eustochio amicæ suæ se nimium dedisse, eum autoritate non solida eruditione premere,omnia congrua incõgrua corradere. Statuit enim Vigilantius non esse sanctorum reliquias adorandas: Et nos. Statuit non esse opus cereos accendere, vel sic ad sepulcra Martyrum vigilare. Quidni idem & nos

nos & multo quidẽ magis statuamus? Nam quid ineptius, quàm sole fulgente lucernis ac lampade sanctos adorare, imò ipsos & cereos exorcismis quibusdam sanctificare? O rem ridiculam! Quis Lychnum suum adorat? Statuit Sanctos nõ esse venerandos,nec ad eorum Memoriam superstitiosè cursitandum. Nos idem constituimus, quoniam nec Dei verbo tales solennes vigiliæ fundatę sunt: nec placuerunt Ecclesiasticis viris, quorum autoritas omnes illas reliquias sustulit, solo nomine superstite. Non miror Iesuitas de sanctorum exuuiis & reliquiis digladiari contra Vigilantios: Nam si è cœnobiis reliquias dempseris,quid erit quæso reliquum præter ventres pingues & pictos parietes? Festiuum est dictum tria Romæ esse quæ vetitum est inde exportare, lapides grandes quos deportare nemo facilè posset, pietatem quæ ibi nulla est, Reliquias quæ cuiusmodi sint, est incertum.

Chrys.ad Eph.c.4.

Eras.in Argu.

Vadiscus.

DE HELVIDIO quidem quid est quod nobis calumniosè litem intendat, cùm sciat nos perpetuam Diuæ Mariæ virginitatem asseruisse, eamq; nos vt Dei matrem,vt Domini ancillam,vt Abrahæ filiam semper beatam prædicasse? Nec Anti-dicomariani nec Heluidiani sumus: Dein obiter quæso hæc annotate, Hunc Heluidium patres quosdam in testimonij dictionem ad suam opinionem corroborandam vocasse, (Adeo semper procliue fuit in quauis causa cuiuis hæretico patres citare:) ieiunas etiam & alienas Romanensium pro Virginitate Mariæ probationes virga censoria corrigendas nobis videri, ne alius quispiam Heluidianæ inscitię hæres & affinis eas non refutatione sed risu dignas censeat. Quale est illud argumentum Alphonsi Castrensis & Ioannis Feri contra Heluidium, Scriptum est, Non est re-

Heluidius con. virginitatẽ Mariæ.

Hier.aduersus Heluidiũ.

Cont.hęr. l.10. In Matt. c.1. Heluidij rationes cõfutatę.

Gen.8. uersus coruus in arcam, donec siccarentur aquę: id est, nunquam rediit: ergo eodem modo intelli

Ca.1. gendus est locus Matthæi de Ioseph o, Non cognouit eam, donec peperit filium, id est, nunquam cognouit. Nam in antecedenti fefellit eos vulgata translatio, quandoquidem Hebraicè ita legitur affirmatè, continenter eorum vsque ad exiccationem aquarum iuisse & rediisse, nec est vlla negatio. Fateor particulam Donec nō semper tempus determinatum, at sæpe infinitum designare, vt probat Hieronymus aliis exēplis, vt in hoc Matthæi capite & alibi, veruntamen deprauata & falsa interpretatione non sunt diluendæ hæreses, non defendenda veritas.

Aduers. Heluidiū. Matth. 5.

Præterea ICONOMACHIS nos accenset: quod libenter admittimus. Statuas enim è templis abstulerunt, quod & nos fecimus: & gaudemus nostrum factum exemplo niti: nec nouum esse aut singulare. Nec verè Iudæi nec bene Christiani vnquam ferre potuerunt, in Ecclesia idiotarum mutos libros, scilicet pictas & fictas imagines. De Iudæis confessum est, ideóque hodie à Christiana religione alieniores sunt quod vident in Templis papisticis ad cultum prostare sculptilia. Illud etiam eorum odium inueteratum esse testis esse potest Ambrosius. Christianorum Zelum videmus in Epiphanio, vt dictum est, & in Imperatore Leone Isauro, qui eas statuas omnes aboleuit & incendit, propterea ab istis cognominatus Iconomachus, seu expugnator Imaginum. Hinc inter Gregorium & illum contentio effertbuit, Pontifex Imperatori tributum denegat, Imperator Pontifici irascitur, ac patrimonia Petri & Pauli antea Romam delata iubet deferri in publicum ærarium. Si nec à Iudæis nec à Christianis tolle-

De Iconomachis & Imaginibus.

Epist. 29. li. 5.

Prateolus

Cedremus in Compendio Histo.

tolerantur: vbi locū habent? aut vnde nostri pseudocatholici hanc Iconolatriam suam acceperūt? Narrat Epiphanius, Carpocratianos habuisse imagines quales nostri Iesuitæ habent, alias coloribus depictas, alias ex auro & argēto formatas, quas Iesu Imagines esse, & à Pontio Pilato factas fuisse dictitabant. Li. 1. h. 27

In hac linea maiorum nostrorum ponitur à Campiano BERENGARIVS: vnde nostro generi amplam gloriæ segetem, suis grandem dedecoris maculam, suæ verò causæ vulnus, imò necem attulit. Fuit Berengarius, confitente Alphonso, Ecclesiæ Sancti Mauritij Andegauensis in Gallia Diacon°, dialecticis argutiis valde deditus. Quid docuit? Verum Christi corpus in Sacramento sub panis speciebus, sanguinem sub vini speciebus realiter non contineri. Quod ex Lanfranco & Guidmundo colligi potest, sensisse nimirum Berengarium in verbis Cœnæ dominicæ Panem corpus Christi demonstrare, non in corpus Christi mutari, sed in sua manere substantia: Corpus quidem & sanguinem Christi post consecrationem vocari panem & vinum: quod in memoriam crucifixæ carnis & de latere effusi sanguinis in Ecclesia celebratur, vt inde passionis dominicæ recolamus memoriam. Nec hoc nudè proposuit, nec arroganter asseruit, sed validè & solidè confirmauit hāc Eucharistiam duobus cōstare, Sacramēto & re sacraméti: sicuti Irenæus & Augustinus aliique patres edocuerunt, nō igitur panis aut vini naturā exui: Oportere cœlos Christum Iesum capere vsque ad tempus restitutionis omnium: non ergo inde nutu sacrificorum in omnes aras carnali præsentia desilire: Sacramenta similitudinem quandam habuere cum rebus quarum sacramenta sunt, ideo hæc

Berengarius de Sacramento Euchar.

Aduersus hæres. libr. 6. ex Guidmundo.

1. à materia seu partibus subiecti.

2. ex dicto Petri Act. 3.

3. ex Aug. ad Bonif.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen rerum ipsarum susçipere, sicq; sacramentum corporis Christi secundum quendam modũ esse corpus Christi. Nam hæc rationum fragmenta in libris eorum reperiuntur qui hanc eius oppugnarunt sententiam. Quid enim aduersus hũc optimum virum tentatum nõ est? Primùm à Leone Nono in Vercellensi Concilio, vbi Papa mortuus est, Berengarius adhuc in sua fide constans perstitit: tum à Victore secundo in synodo Turonensi, illo illo Hildebrando Cardinali, pòst Diabolico Pontifice ibi præsidente, nec tamen adhuc ad Palinodiam cogi potuit, quantumuis Lanfrancus noster Cantuariensis Archiepiscopus, Papæ gratificaturus, eiq́ue succenturiaturus libellum de illa re ederet, vt veritatem suæ assertionis de reali Christi præsentia tanquam aliquis Marcus præstigiator orbi commendaret, ac refert sacerdotem Italum missantem in altari veram carnem & cruorem Christi in altari inuenisse, horruisse: re ad Episcopos relata, calicem, & corpus & sanguinem in medio altari tanquam venerandas reliquias operiri, obsignari, perpetuò asseruari. Quid multis? Tertius Papa Nicolaus 2. verè Victor populi Romani, in Concilio vi hominem vincit, & mortis periculo intentato ad reuocationẽ adigit: oblitus bonus Pontifex Chrysostomianæ modestiæ: Doleo quippe ac plango, lamentorq́ue & in intimis visceribus meis concutior, non secus quàm si proprio quodam membro meo pr̃uari contingat. Non dominamur fidei vestræ, charissimi, neque imperij aut dominij iure ista pr̃cipimus. Sermonis doctrina nobis commẽdata est, non principatus, nec potestatis autoritas. Quam quam hæc Berengarij coacta vox, post reditum in patriam libera facta aliud cecinit, aliud expressit, hanc suam palinodiam per vim extortam esse: ideoq́ue scribit hanc Romanam Ecclesiam non esse sanctam, sed Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, nec Apostolicam sed sedem Satanæ. Cæterùm crassam Ecclesiæ Romanæ de hoc spirituali conuiuio delirationem operæpretium est considerare. Sic enim in suis decretis, vna cum Berengarii recantatione Papæ Capernaiticum iudicium, & totius Ecclesiæ illius Romanæ non Christianam, sed Thyestæam cœnam nobis gustandam credendámque propinant. EGO « BERENGARIVS indignus Ecclesiæ sancti Mauricii Andegauensis Ecclesiæ diaconus, &c. Con- « sentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam dominus & venerabilis papa Nicolaus & hæc sancta synodus autoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq́ue firmauit scilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur post consecrationem non solum sacramẽtum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter non solum sacramẽtum sed in veritate manibus sacerdotum tractari: frangi: fidelium dentibus atteri: iurãs per sanctam & homousion Trinitatem: & per hæc sacrosancta Christi Euangelia, eos qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & consecratoribus suis æterno anathemate dignos esse pronũcio: quod si ego ipse aliquando cõtra hoc aliquid sentire, aut prędicare præsumpsero: Canonum seueritati subiaceam, &c.

Vtra confessio vobis esse videtur sanior? Berengariine prima & postrema, quæ veritate, quæ ratione, quæ autoritate fulcitur? an Romanensium quæ impia, absurda & nuper reperta est. Hoc Paradoxum non Magistro Sententiarum, non

Lãfrãcus. Guidmundus.

Guidmũd. li. 2. Iren.

Ad Eph. ser. 11.

Lanfranc. & Guidmund. l. 3. Ego Berengd. 2.

Fides Papistarum fides Dei Papæ.

L. 4. d. 12.

Thomæ, non Ioan. de Turre Cremata, non Bonauenturæ, non aliis scholasticis satisfacere potuit: sed coacti sunt alias glossas de accidentium & specierum manducatione excogitare, ne sarcophagi aut Anthropophagi viderentur. Horrendum hoc visum est Auerrois interpreti, quando dixit, Omnes se regiones circuiuisse, & Christiana secta deteriorem non inuenisse, quippe qui Deum quem colant, dentibus deuorent. Quod immane & crudele commentum vt aliquo velo obtegatur, videte obsecro in hac Berengariana vel Romana confessione quot sunt interpretationum mæandri & flexiones. In Glossa, Ego Berengarius, In sacramento altaris non solùm est Sacramentum, sed verum corpus & verus sanguis: sed quia illa veritas non apparet, nec in sensus cadit: idcirco alia inuenta est cauillatio, sub speciebus panis & vini esse opertum, tamen erit omnino illud inconspicuum & velatum corpus idem quod natum est de Virgine. Ibi panis est species panis, frangere panem est species frangere: & tamen totum ac integrum corpus manducatur & sumitur. Iam verò quando ad lacerationem, fractionem & attritionem dentium ventum est: Glossator simpliciter fatetur, Nisi sanè intelligamus verba Berengarii, in maiorem nos hæresim illapsuros quàm vnquam Berengarius, itaque referenda omnia ad species ipsas, nec vllam esse corporis Christi partitionem aut mutilationem concedendam. Quod verò Alphonsus contra hanc Berengarii primam & liberam sententiam producit Ioannis locum, vt nobis suam realem præsentiam carnis Christi probet: animaduertite quæso pontificiorum manifestam, vt in aliis sic hac in re contradictionem. Alphonsus, Ecce iam eandem sententiam Christus repetit,

Ioan. 6.

Alph. l. 6.

repetit, ostendens carnem suam verè esse cibum, & quia præuidit vnum Berengarium, & alterum Oecolampadium exposituros hoc verbum, Est, pro significat, ne quid tale suspicari meritò possent, iam non repetit hoc verbum, Est, sed ait, Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mox, Verùm quia Oecolampadius per quandam rimulam elabi conatur, dicens illud sextum Ioannis caput, nullo modo tendere ad Eucharistiam, sed ad manducationem spiritualem carnis, per quam, vt ipse dicit, habemus vitam æternam: oportet vt ostendamus omnem cateruam virorum sanctitate & doctrina clarissimorum hoc Ioannis caput de Eucharistia intellexisse. Iam quomodo frater fratri, religiosus religioso, Ferus Alphonso aduersetur, videte. Cùm enim Ferus duplicem manducationem corporis Christi, spiritualem & Sacramentalem docuisset, subdit: Hinc Christus, Nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. Non loquitur de Sacramento: non enim omnes damnantur, qui sacramentum non percipiunt aut perceperunt, sed de spirituali manducatione, id est, fide in Christum, sine qua nemo videbit Dominum: hoc modo manducauerunt etiã patres Veteris Testamenti corpus Christi. Nec sanè Ferus tanti feciisse videtur hanc nouam Transsubstantiationem pro qua tãquam pro Helena Occidentalis Ecclesia dimicat. Cùm certum sit, inquit, ibi esse corpus Christi, quid opus est disputare, num panis substantia maneat vel non? Cùm ergo Nicolai decretum & scripturis & patribus & scholasticis pudendum videatur, cùm ad tegendum eius turpitudinem alia glossemata multa comportent, cùm Berengarius non solum Oecolampadium successorem sed

Alphonso cum Fero non conuenit.

In Matt. cap. 26.

etiam Ferum sectatorem habeat, pudeat illos sui Nicolai, pudeat suorum Patrum, Pudeat suæ cruentæ Constitutionis, nos maiorum nostrorum non pudebit.

VValdenses. Cic. pro Archia Poeta.

A WALDENSIBVS etiam oriundos esse nos putat. Hìc succurrit illud apud Ciceronem diuersarum nationum pro Homero certamen atque contentio, Homerum Colophonii ciuem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò suum esse confirmant. Quid est quòd Iesuitæ Waldenses pro suis parentibus non agnoscant? an enim suos maiores ignorant, an potius erubescunt? Abbas Vrspergensis his coloribus depinxit duas sectas hominum in Italia exortas, illi se Humiliatos, alii se Pauperes de Lugduno nominarunt: Vidimus, inquit, tunc apud Sedem Apostolicam cum Magistro suo dicentes se gerere vitam Apostolorum, nihil possidere, per vicos circumire. Guido Carmelita, Secta Waldensium cœpit circiter annum Domini Millesimum centesimum septuagesimum. Fuit Waldesius siue Waldus ciuis Lugdunensis, reliquit omnia, vt pauper Christum sequeretur & Euangelicam perfectionem. Et Waldenses genus quoddam monasticæ vitæ professos etiam Sanderus non inficiatur. Quid? ánnon monachi se in hac pictura ad viuum expressos & graphicè descriptos vident? Atenim Campianus & ante eum Sanderus hæreticos esse aiunt, & eos patres suos esse negant, tamen nobis Protestantibus & præsertim Caluiniſtis relinquunt: quos tamen si nimium ingrati, & suæ genealogiæ planè immemores non esse debebant reposcere. Agedum verò nobis vendicemus. Ecclesiæ & sacerdotio derogarunt, ait Abbas Vrspergensis: dominicam orationem solam amplexos esse omnes alias orandi

In Sūma de Hæres. Pātaleon anno Do. 1160. De Monar. Visib.

Saud. l. 7.

Abbas Vrsp.

randi formulas inanes & corruptas iudicasse, omnes ferè sanctiones Romanæ Ecclesiæ tanquam inutiles & superstitiosas sustuliſse narrat Syluius: libros sacros materna lingua conscriptos euoluerunt, refert Prateolus. Imò ipse VValdus vir doctus in linguam Gallicam eos transtulit, vt Matthias Illyricus. Nos vel Picardos vel Anabaptistas, vel VValdenses à quodam VValdo ciue Lugdunense vocitant: ab annis iam trecentis, Ecclesias dilperſas habuerunt, tyrannide pontificiâ oppressas, inquit Lutherus. Has precandi formas ex Domini verbo petitas vel Scripturæ non aduersarias nos recipimus: constitutiones papales noxias & pestiferas reiicimus: tyrannidem Romanorum Pontificum eorúmque iugum non semel subiuimus, at persæpe sensimus: secessus ac receptus non rarò coacti sumus quæritare. Hic VValdensium posteros esse nos & filios contestamur. Alioqui quia neque planè illorum sunt patres, neque planè nostri, diuidamus: illi fœnum, nos argentum, illi paleas, nos triticum, illi stipulas & sectas, nos recta eorum dogmata possideamus. Chrisma aut oleum sacrum, seu verius prophanum in Baptismo eorum exemplo nō admiscemus. Si VValdenses, quod tamen fictum esse putat Alphonsus, asseruerint Sacramentum Eucharistiæ in die Cœnæ Domini, feria quinta maioris Hebdomadæ confectum, esse maioris efficaciæ, quàm alio quopiam die consecratum, hoc Pontificij sibi reseruent, qui annos dies & tempora obseruant. Benedictiones & consecrationes aquæ, salis, olei, ceræ, palmarum, vestium, calicum aliarúmque creaturarum cum VValdensibus aspernamur & execramur: cum illis Cantum Ecclesiæ Romanæ æquo curiosiorem & fractum improbamus: cum illis in abstinentia à carnibus

Æneas Syl. in Boh. c. 35.

In Catal. Test. veri.

Syl. l. de Orig. Boh. t. 35 l. 6.

nullum meritum collocamus: cõfessionem secretam non admittimus: sententiam de gratuita remissione peccatorum per Christum amplectimur: corruptelas autem si quæ sint, plures autem esse feruntur quàm sunt, sed quæcunque sunt, sibi habeant. Sedenim VValdenses olim suam egerunt causam in Confessione ad Vladislaum Regem Hungariæ missa, ad quam lectorem remitto, in qua referunt execrandam spiritualium prælatorum malignitatem ipsos eò perpulisse vt fœditatibus offensi ab Ecclesia Romana decedere cogerentur.

Alph. l. 4.

Lollardi.

Pòst domum nos reuocat, & ad Anglos LOLLARDOS VVicleuistarum discipulos accedit: illorum hæresis grauissima hæc esse dicitur: quòd sacerdotales benedictiones panis, Ecclesiæ murorum, & pauimentorum, mitrarum, aliarúmque creaturarum opus necromantiæ & exorcismos esse, & aquam sacratam non plus habere virtutis, quàm aquam communem & non benedictã, crediderint. Animaduertitis, credo, quales nobis hæreses procudant, quomodo bonum malum semper dicant, & ex quauis verruca aut colliculo montem faciant. Non dissimilis fuit ille quondam noster Oxoniensis Doctor non indoctus, pòst Episcopus Cantuariensis Robertus Kilvvarbius, qui nobis, quæ fuit eius peritia & potentia, ex musca elephantum creauit, in Grãmatica & Dialectica hæreses reperit, quas publico edicto damnauit, atrocem pœnam his qui vterentur interminans. Sed Alphonsus contra voluntatem suam & Campiani sententiam, nostram imprudens auxit Ecclesiam, suam imminuit, dum Ioannem de VVestphalia huius aquæ consecratæ vel execratæ aduersarium inuenit, atque adeo magnam illam Flagellantium turbam, quæ se nodosis flagellis excoriare, & per Italiam, Germaniam, Galliam, hãc eandem de vilitate aquæ lustralis opinionem disseminare consueuit. Itaque si nos quoque in hunc hæreticorum numerum includamus, soli non sumus, patres, magistros, socios habemus, in ipso Romanæ Ecclesiæ sinu educatos, quos videre Cãpianus non potuit, Alphonsus è latebris protraxit. Sanderus alios hæreseων ramusculos collegit, à Lollardo nomine Gualtero in Germania dispersos. Hi præter has altarium & Ecclesiarum & Aquæ consecrationes, etiam Sacramenta extremæ Vnctionis, & Matrimonii, ieiunia quoque Pontificiorum, dies eorum festos, Inuocationes sanctorum, ac denique Romanam Ecclesiam nihili fecerunt. Tales quoque hæreticos esse nos præ nobis ferimus ac confitemur: & hæc Romanæ meretricis pigmenta & fucos speciosos non pretiosos, viles non vendibiles esse omnium sapientum iudicio arbitramur.

Balæus in Centur.

Ioan. de VVestph. Flagellantes.

Sander. de vis. Mon. f. 523. ex Trithemio.

IOAN. VVICLEVVM & patria & Academia & fide nostrum esse scimus, & quòd eius ministerio & libris non solùm Oxoniam, sed & Angliam Bohemiam aliásque nationes externas, Dominus cognitione sui verbi & veritatis illustrarit, ei, vt par est, reuerentia quanta maxima possumus gratias agimus. Ex illo didicimus panis substantiam peracta consecratione non euanescere: verba cœnæ non propriè sed figuratè exponenda: sub vtraque specie communicandum: collationem Sacramenti Confirmationis non esse reseruatam Episcopis: extremam corporis vnctionem non esse Sacramentum: Deo ex animo nõ sacrificio in aurẽ confitendum: quicquid Papa vel Cardinales ex Scriptura sacra clarè & planè deducunt, dũtaxat esse credendum: quicquid vltrà assumpserint,

Vixit ante annos 170. in Catal.

VVicleuus eiúsque dogmata orthodoxa.

tanquam hæreticum esse contemnendum: tempore Apostolorum duos ordines tantùm fuisse, Presbyteros & Diaconos: Antichristi duodecim procuratores extitisse, Papam, Cardinales & alios quorum tituli noui sunt, & titulis ipsi suis minimè respondent: Ecclesiam Romanam credere esse supremam, non esse ad salutem necessariam, esse synagogam Satanæ: Papam non esse immediatè Christi & Apostolorum vicarium: In Euangelio fundatam nō esse à Christo Missarū institutionem & ordinationem: religiones priuatas & fictitias, ordinem etiam Mendicantium, cum religione Christiana pessimè cohærere: fatuum esse, credere Indulgentias & bullas papales aliquid momenti afferre: Chrisma è Baptismo tollēdum, satisfactionem Papisticam doctrinam de pœnitentia obscurare, illam quam Christus ostēdit valere, Vade & noli amplius peccare: horas Canonicas esse Battologiam: venerationem sanctorum & reliquiarum improbandā. Hęc si Anglia accepimus ab Anglo: quia sacris literis dogmata illa consentire intelleximus, cur salutarem doctrinam oblatam respuamus? Quamuis enim Thomas VValdensis & G. VVidefordus & inprimis Archiepiscopus Cantuarienſis ei restiterint, & contrauenerint, quamuis domi à multis & Romæ & Constantiæ in conciliabulis damnatus fuerit: tamen Deus ita ministerii ipsius cursum fortunauit, ita direxit, vt apud omnes infimos summos, amicos inimicos summè gratiosus fuerit.

Ioan. 8.

Reponuntur scio in articulis quædam minus commodè dicta, sed ea vel sunt ab aduersariis malè detorta, vel malignè decerpta, vel calumniosè excogitata, vel sunt temporalia & ciuilia, quæ ad summam religionis non pertinent. Ideóque præclarè factum est ab Vniuersitate Pragensi, quæ in plena

In Apel. I.H.

Pragensis Academia de VVicleuo

plena congregatione Magistrorum, Doctorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, studentium, sub pœna præstiti iuramenti conclusit, se Archiepiscopo aliisque prælatis in combustione librorum Magistri Ioan. VVicleui nullo modo consentire: quantumuis in historia Hussitarum Coclæus tanquam sordidus cerdo aliam fabulam consuat. Sed patres Constātienses in eo stomachi sui virus satis exhalarunt, cùm hominem exterum, ignotum, defunctum, exhumandum & comburendum determinarent, & hominem innocentem crudelissimè sepultura prohiberent. Næ ille homo planè beatus qui ipsorum iudicio miser est: & benedictus, cui talis támque execranda synodus maledicit. O virtutis comes inuidia, quæ bonos insequeris plerunque atque adeo infectaris?

Cic. l. 4 ad Heren.

Ioan. Hvssivs præclarus sanè heros, qui cur ab aduersariis in hæreticorum catalogo habeatur, aut cur à nobis in albo maiorum nostrorum non ponatur, causam equidem nullam video: siue vitam, siue doctrinam, siue mortem spectemus. Nam in tota vita probus fuit, in doctrina sanus, in morte constans & inuicti pectoris. Vitæ luculentissimum testimonium esse potest illa nobilium Morauiæ ad Concilium Constantiense Epistola, in qua charissimus & venerādus magister, sacræ Theologię Baccalaureus formatus, prędicator Euangelicus, vir bonus, iustus, Catholicus prędicatur: Ardētissimę preces quas sępe ad Dominū Iesum fudit eximiam hominis pietatem facilè declarant. Hæc aliáque etiam populo Constantiensi hanc vocem expresserunt, Quid iste homo antea docuerit aut fecerit, ignoramus, certè ista sunt maxima veræ pietatis indicia. Doctrina quàm excellens fuerit, Campiani autor Pantaleon testatur, Vir in humanis & diuinis literis eruditis-

Hussij vita.

Constantiensium de Hussio elogium.

In Chronol. Doctrina.

simus fuit: quod sanè ex illis Tomis in lucem editis quiuis poterit colligere. Quàm enim partitè disputat? quàm subtiliter distinguit? quàm argutè docet? quàm neruosè probat? quot & quanta suæ sententiæ firmamenta ex Scripturis, ex patribus, ex Scholasticis promit & constipat? Amplectimur quoque hominem tanquam pium doctorem, tanquam VVicleui nostri egregium discipulum, tanquam omnium bonorum librorum Helluonem. Nam Æneas Syluio teste, cùm nobilis quidã Bohemus in Anglia Oxoniæ aliquandiu studuisset, & VVicleui libros ibi inuentos tanquam thesaurum in patriam importasset: in eorum lectione & peruolutatione iugiter versatus est Hussius, in quibus dixit veram religionis doctrinam contineri. Dogmatum verò capita quæ Ioan. de Turre Cremata & Prateolus commemorarunt, & quæ nos hodie tanquam catholica recipimus & defendenda iudicamus, hæc sunt:

In l. de Origine Boh.

l. 4.

De primatv, sic, Petrus nõ est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ, Papa non est verus nec manifestus successor principis Apostolorũ, si viuit moribus cõtrariis Petro: & si auaritiæ studet, tunc est Iudæ Iscariotis vicarius. Non est scintilla apparentiæ quòd oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cũ illa militante Ecclesia conuersetur: Christus sine talibus mõstrosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suã Ecclesiam gubernauit, & fideles Domini sacerdotes in necessariis ad salutem strenuè rexerũt antequam Papæ officium fuerat introductũ, itáque facerent etiamsi Papatus deficeret, vsque ad diem iudicii: Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & Papæ perfectio atque institutio à Cæsare emanauit.

De Prædestinatione hoc modo, Præscitus

scitus etsi aliquando sit in gratia, secundũ præsentem iustitiam, tamẽ nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ. Et prædestinatus semper manet Ecclesiæ membrum, licet aliquãdo excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis: Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium similes.

De Ecclesia hoc pacto, Vnicam esse sanctã vniuersalem Ecclesiam tantùm, sicut tantùm vnus numerus est omnium prædestinatorum: hanc cõuocationem prædestinatorum esse articulũ fidei: hanc Ecclesiam bonos tantùm non etiam malos complecti,

De Pvrgatorio igne, cum nusquam inueniri.

De Presbyteris, non dignitatem, sed vitę meritum illos efficere potiores.

Mendicantivm religiones à cacodæmone adinuentas esse.

Svb vtraqve specie communicandum auto- Io. Hus. in ritate scripturæ, patrũ, Augustini, Ambrosij, Hie- Tra. de ronymi, Gelasij, Gregorii, Cypriani & aliorum cœna do. neotericorum.

Ivstificationem esse gratuitam. Hæc san- Testes ve ctus Dei minister longè ante Lutherum docuit, rit. & in Ecclesia Christi publicauit, sic veritatem Euangelicam instaurauit, vt eam à multis Pontificiorũ erroribus vindicarit, licet propterea illum Prateolus viperinum exitiale genimen, matris Ecclesiæ viscera corrodens, iniustè & impiè appellet. Hanc doctrinam contra publicam fidem ab Imperatore Sigismundo datam morte & sanguine suo obsignauit decreto Concilii in- Mors. Sess. 19. Abb. Vsp. constantis Constantiæ: in quo inter cætera perfi- pag. 401. dioso cautum est, fidem hæretico nõ esse seruãdã.

Ille ille Hussius, qui sæpe petens audientiam, non est auditus, qui indicta causa condemnatus est, qui titulo Hæresiarchæ & in capite pictura duorum Dæmonum insignitus est: qui derelictus ab hominibus prouocans ad Iesum derisus est, tamè ille mirabili prouidentia Dei post cineres, velut palma post pressuram floruit, & ante obitum tanquam olor carmen Ecclesiæ suauissimum, Romanistis fatale & pernicioſum cecinit. De quo scripsit Abbas Vrsper. Fertur quòd paulò ante mortè dixerit, & moneta Hussiana hanc inscriptionem habet, in vna parte Centum reuolutis annis, Deo respondebitis & mihi: in altera parte monetæ legis, Credo vnam esse Ecclesiam sanctam, Catholicam. His adiungo & aliam Prophetiam beati Martyris, Me anserem assatis, sed veniet cygnus, qui vobis aliquando melius cantabit, nec tamen eum assare poteritis. Quisquis ille cygnus fuerit, Euangelica sanè cantio fuit, quocunque ore prolata. Existimo autem illa posteriora tempora instaurationis Euangelicæ per optimos Ecclesiæ nostræ doctores Lutherum, Zuinglium & alios hoc cygni suaue canticum attulisse. Tertiam Prophetiam adiecit ipse in Epistola ex carcere, O quàm gratum esset si per tempus liceret mihi improbitates nunc cognitas patefacere, vt fideles serui Dei possent eas cauere. Sed spero in Deum, quòd mittet post me magis strenuos, & nunc sunt qui melius aperient malitiam Antichristi. Atque hæc dicta sint de nostris patribus columnis veræ Ecclesiæ, quos ego reputo sanctos & cœlites, quantumuis mundus & caro aliter sentiant absque reuelatione scripturæ & Spiritus sancti. O si pontificiorum sophi attenderent diligentius non tam quid in prima frõte nostri Maiores offerre videantur, sed quid in recessu præstent & exhibeant.

Cygneæ prophetiæ Hussii.

Pag. 40.

In Test. verit.

Dicam

Dicam aliquid de Luthero, cuius ego licet næuos aliquot videam, pulchritudinem tamen admiror. Nam is aliquando Pontificius verè & seuerè odit Euangelium & religionem Wicleuianam & Hussianam: adeo, vt, cùm incidisset in eiusmodi libros, suspicatus aliquid veneni sub illo melle latitare, eos mox cõplicaret ac flocci faceret. Sed quid postea resipiscens & ad se rediens, ad Angliæ Regem illustrissimum Henricum Octauum scribit? Iustissima causa Bohemi homicidas istos & Antichristos papistas deseruerunt, postquam innocentem virum Ioan. Hus ipsi septies hæretici exusserunt. Iterum dico, O si feruentissimi & acerrimi papistæ hac quidem in re dignarentur aliquando esse Lutherani: vt cum Luthero monastica vita relicta, verum christianismum, tandem aliquando ex animo profiteantur, & Iesum cruci fixum filium Dei, non ore, sed imo & intimo pectore totum exosculentur.

In Præfat.

CAMPIANVS.

NOLITE *mirari si fumulos istos non pertimui quos, modò ad meridianam lucem venero, minimè fuerit laboriosum dispellere. Hæc est enim nostra sermocinatio. Dic mihi, subscribis Ecclesiæ quæ seculis anteactis viguit omnino, obeamus ergo terras & tempora: cuius cœtus fidelium. Quorum nomina nesciuntur, sed constat plurimos extitisse. Constat? quibus constat? Deo. quis dicit? nos, qui diuinitus edocti sumus. Fabulæ. Quî credam si arderes fide, tam scires hoc, quàm te viuere.*

Spectatum admissi risum teneatis?

Iuberi Christianos omnes adiungere se Eccle-

ſia, cauere ne ſpirituali gladio trucidentur, in domo Dei pacem colere, huic animas credere columini veritatis, iſthic querelas omnes deponere, hinc electos habere pro ethnicis, neſcire tamen tot centenis, tot homines vbinã illa ſit, quiue huc pertineant? V nũ illud crepare in tenebris, vbi, vbi ſit Eccleſia tantummodo ſanctos & in æthera deſtinatos ea contineri? Ex quo fit, vt ſi quis imperium ſui præſulis detrectare velit, ſcelere ſoluatur, dummodo ſibi perſuadeat presbyterum in crimẽ incidiſſe, & ab Eccleſia protinus excidiſſe.

HVMFREDVS.

PRIMO hîc examinanda eſt noua Campiani figura quam Sermocinationem nominat: quæ tamen non tam ſermocinatio eſt, quàm imaginatio, in qua Echo reſonat, nõ quæ veritas vult, ſed quæ ipſe de nobis opinionis ſuæ errore fingit. Interrogat ipſe & reſpondet ſibi, omnes agit partes tanquam egregius aliquis in ſcena Roſcius. Peracta ſua fabula tãquam re bene geſta canit Epilogum, conuerſa ad ſpectatores oratione,

Risus Campiani intempeſtiuus.

Spectatum admiſſi riſum teneatis? Expectabã & aliud ex alio Poeta, *Omnes riſu emori.*

O ridiculum rhetorem, ô ioculare potius malũ, intempeſtiuus enim riſus iſte fuit in ſuo funere: quod ſi præuidiſſet ſeriò & citò, non ad ludicrum ſed ad luctum & ſe compoſuiſſet & alios prouocaſſet. Si Ancæus meminiſſet quid inter os & offam poſſet interuenire: ſi vatem prædicentẽ ipſum de vite ſua nunquam vinum guſtaturum audiuiſſet: nec hominem illum tanquam vanum vatem derisiſſet, nec ipſe iam calicem ori admoturus, ab apro in vinea percuſſus fuiſſet. Quid? Crotoniates adamat Olympicum oleaſtrum, Spartiates armaturam, Cretenſis venationem, Iones iocos & choros: & Campianus riſum, qui in iugulũ exeat? Γέλως ἀκμαῖος ἐν βροτοῖς δηνὸν κακόν. Sed notate hoc antiquum, catholicum, hoc Papiſticum ſemper fuiſſe Theologos riſu & ſibilis explodere, non ratione non argumentis refellere. Sic actum eſt Oxoniæ cum reuerendiſſimis præſulibus Cranmero, Ridlæo, Latimero: Sic olim quidam Guitmundus, Quis riſum, inquit, tenere iam valeat, audiẽs Berengarium ipſa Domini verba de Sacramentis interpretantem, hoc, id eſt, hic panis eſt corpus meum? Verùm quæſtionibus Campiani voce ſua acclamemus, eique præcentori non malo ſanè ſuccinamus. Interrogat, ſubſcribimúſne Eccleſiæ quæ ſeculis anteactis viguit? Omnino. Eſt enim Eccleſia vera, in cuius ſinum nos colligimus, cœtus hominum ab omni æternitate ad vitam æternam electus, & inde ab initio mundi ad finem vſque per Spiritum ſanctũ & verbum à Ieſu Chriſto euocatus vt nobis tradidit Apoſtolus. Abſit enim vt nouella Papiſtarum conuenticula ſectemus: purã antiquitatẽ veneramur: & ex ſymbolo Niceno docemur, Apoſtolicã Eccleſiam credere. Secundò ſciſcitatur. Cui? fatemur planè nos ſubſcribere cœtui fidelium. Quamuis enim Eccleſiæ nomen ſit πολύσημον & æquiuocum, tamẽ ſi de vera Eccleſia propriè loquendum eſt: illo egregio nomine ſoli digni ſunt fideles. Corpus eſt enim Eccleſia, cuius mẽbra viua ſunt: Domus eſt cuius lapides viui, Vinea & pomariſi Domini eſt, cuius arbores fructuoſæ, & fructũ ferunt, qui non peribit ſed perdurabit. Nã homo pictus nõ eſt homo, ſed ſtatua: ita nec Eccleſia niſi quæ fide fundatur,

Aristot.

Ex maximo Tyrio

L. 2. cont. Berengarium.

Ad Sermocinationẽ Campiani reſponſio.

Eccleſia quid.

Ephe. 1.

charitate rigatur, spe sustẽtatur, spiritu animatur ac sanctificatur. Credimus in symbolo sanctorum esse Ecclesiam. Et Chrysostomus, Ecclesia sancta dicitur, nõ sicut erat externa Iudæorum sanctitas, sed Ecclesia sancta est corpore & spiritu. Tertiò quærit, Quorum? respondemus eorum numerum & nomina omnia nos fugere: Deo soli constare. Quis enim mortalium de vasis aureis aut argenteis iudicabit nisi Deus solus? de ouium vniuerso grege, nisi vniuersalis pastor? Arcanum est Dei iudicium, & solus Dominus suos nouit quoniam res est fidei, & scrutator renum & Deus spirituũ, de spiritualibus verè potest ferre sententiam, & nimium impudens est qui hoc Dei solium audet conscendere. Theodoretus, Vniuersorum Deus ab initio præuidit, & eos qui credunt, & eos qui aduersus veritatem sunt apertè bellum gesturi. Spirituales quidem & qui diuinitus edocti sunt, ex signis colligere & augurari possunt: at de homine reprobo, quem Dominus odio habet, & de alio prædestinato quẽ diligit, in hac vita non possunt certò nisi ex diuinis oraculis pronunciare. Quartò, percõctatur, Quî hæc credam? Fide hoc totum comprehendi non est fabula. Credendum est, siquidem ex articulis fidei est: & qui non credit esse hanc inconspicuam & Catholicam sanctorum consociationem per omnia loca fusam, omnibus mundi temporibus dispersam: is non ardet fide sed alget: & qui nescit hoc credere, nescit viuere, Iustus enim fide sua viuit. Fides vera facit nos membra veræ Ecclesiæ: quæ si nulla est, aut erronea: coaptari in Ecclesiæ corpus non possumus. Huic nostræ doctrinæ etiam Ferus astipulatur, Ecclesia Dei non est certo loco alligata. Vbi duo aut tres sunt cõgregati in nomine meo, & vbi credentes sunt, ibi Ecclesia est. Quid horũ obse-

In Io. c. 1. Ho. 13.

1. Tim. 2.

In Mat. 16

obsecro negare possunt Iesuitę? aut cur sic cachinari non erubescunt? Descendit tandem ad alias rationes non necessarias, vt probet Ecclesiam esse visibilem. Quod ante illum Florebellus obiecit, vt inde suæ Sermocinationis inuentionem hausisse videatur. Hęc est enim Florebelli Sermocinatio. Ad eam quæ nota sit quo pacto aspirare quispiam possit? quæ puram, inquiunt, Euangelij disciplinam & instituta retineat: optimè. Et quæ sequuntur, &c. Sic etiam contra nos Clingius: Ecclesia nõ est res inuisibilis vel in solo spiritu: quẽ admodum philosophi suum Ens chimericum aut Ideam Platonicam statuerunt, sed res visibilis. « Quod à nobis millies actum est & dictum, id isti agunt & dicunt. Nos enim definiuimus Ecclesiã à sensibus hominum remotam esse, & soli Deo manifestam: asserimus etiam esse aliã minus propriè sed magis largè dictam Ecclesiam, quæ visibilis est, quæ ambitu suo bonos & malos complectitur, malos nomine, bonos re & nomine. Et visibilem esse suprà demonstrauimus partim ratione personarum, quas videmus quibuscum sermocinamur & viuimus, de quibus bene speramus, & ex fructibus bonis arbores bonas esse cõfidimus: partim ratione exercitiorum, atque adeo signorũ quæ nõ obscura sunt incorruptę Ecclesię indicia, quę omnia oculis patent & in aspectum veniunt. Sed nequis fallatur, hæc omnino particulares Ecclesias denotãt naturam Ecclesiæ veræ & Catholicæ, de qua est controuersum, minus attingunt. Quis cæcus nõ videt Ecclesiam illam, cui nos adiungimus, in qua pacem colimus, cuius iudicia exercemus, cuius gladium spiritualem timemus, cuius vocẽ audire iubemur, è cuius synedrio seu Consistorio eiecti, tanquam Ethnici & publicani habemur, oculis esse subiectam & aspectabilem? Itaque hic opus est intelligentia, & sensus scrip-

Ant. Florebelli Sermocinatio.

Ecclesia visibilis.

pturæ enucleandus est, vt Ecclesiæ sensum duplicem cognitum perspectúmque habeamus. Quando argumentãtur Salomonem benedixisse omni 1.Reg.8.
Ecclesiæ: præterea ex Actis, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei: Rursus ex Euangelio, Dic Ecclesiæ: Iterum ex Paulo, Persecutus sum Ecclesiam Dei: & hinc inferunt hęc de Ecclesia visibili dici: & ex his concludũt, oportere Ecclesiam esse conspicuã: dicamus Maiorem esse satis lucidam, Minorem nõ obscuram, Conclusionem esse clarissimã: sed tamen ista omnia æternam & electam Christi sponsam non tollere: quæ & vniuersalis & inuisibilis reuera est & ita rectè appellatur. Quocirca, vt hæc vera esse nemo sanę mentis negabit: ita rursus illa falsa esse quę de nobis dicuntur, omnes confitebũtur, qui non nimis suas frontes perfricuerunt. Neque enim crepamus in tenebris, tantummodo sanctos & in ęthera destinatos Ecclesiam continere: quia militantem & mixtam Ecclesiam multis verbis iam astruximus: nec imperia pręsulum, nec leges, nec pœnas, nec iudicia, nec potestates aut thronos subuertimus: nec perfectam aut rugis vacuã aut ętherea in terra Ecclesiam struimus: in qua scelera regnare cernimus: & malos à præsulibus & presbyteris non bonis benè reprimi posse, & casti gari debere censemus. Quanuis etiam peccator in quantum peccator est diligendus non sit: vt rectè Augustino placuit: quãuis peccare aliqua sorde maculatus de Ecclesia Christi non possit appellari, nec Christo subiectus dici, vt non malè alicubi Hieronymus statuit: quamuis etiam malos C.44.
bonis admixtos velut numeralem nummum inter aureos & argẽteos Clingius iustissimè nominet: tamen ab opinione Donatistarum alienissimi

& prorsus abhorrentes sumus: qui homines peccare tum autumant, cùm sacramenta à ministris indignis accipiunt. Concedimus in omnibus Ecclesiis nævos & olim fuisse & nunc esse, & semper fore vsque ad tempus instaurationis omnium in futura cœlesti Hierusalem & triumphante Ecclesia: sic olim Corinthiaca Ecclesia, sic Galatensis, sic Asiaticæ Ecclesiæ suis quibusdam maculis fœdatæ & cõspurcatę legũtur. Damnamus igitur nos & omnes siue nostros, siue alios, siue Svvencfeldianos, siue Libertinos, siue Anabaptistas, siue Romanistas, qui se ad Ecclesiam Dei conspicuam non aggregant: qui ad montem Domini non ascendunt: qui prope ex omnibus arboribus vitem, Iesz.
ex omnibus floribus lilium, ex omnibus auibus columbam, ex omnibus aquis fontem, ex omnibus ciuitatibus Zionem, id est, ex omnibus conuentibus hanc suam Ecclesiam Deus & sibi delegit velut sanctuarium, & nobis commendauit tanquam habitaculum. Galat.1. 1.Cor.1. Apoc.1.2.

Querela multorũ aduersariorũ de paucitate & obscuritate Protestantis Ecclesiæ.

Quo avtem hoc argumentum de propagatione nostrarum Ecclesiarum lucidius & latius explicetur, & scopulus hic ad quem multi offendunt, amoueatur, hanc illorum Crambem recoctam, hanc rancidam & putidam de obscuritate & paucitate nostra querimoniam, iterum pressius & propius inspiciamus. Quod hîc nobis à Campiano opprobratur: id omnium ferè aduersariorum crebris & sermonibus & scriptionibus vsurpatum est & protritum. Fridericus Nauseas ita cornicatur, Ecclesiam hãc nostram Ideam esse quouis animali monstrosiorem, quæ occulta sit, nec ostendi possit, quæ denique vera chimera sit. Scapletonus aliquanto liberius imò licentius nos vocat planè, sed non sanè rebelles spurios, Aliophylos, Idumæos, Philistæos, quid non? 1. Cent. H. 89. In Præfa. ad Greg. 13. Lib. 13.

D. Fulco à Stapleto no prouocatus.

Pòst stomachosius ad duellum quasi prouocat D. Fulconẽ, Ecclesia vestra à Vvittemberga sumpsit initium. age, ostende aliud initium, & ab illo initio perpetua serie & temporũ successione decurrendo, vestræ Ecclesię pastores & Episcopos (sine quibus nulla subsistit Ecclesia) demonstra: Rursus, Demõstra vbi sederunt, &c. cathedræ, sedes, loca, pastores, capita, politia quæruntur. Nuperrimè Duræus, Nos pro Ecclesia Platonicam Ideam obtrudere, in qua tot anteactis seculorum spatiis nulli pastores, nulla sacramenta, nulli ritus, nullæ ceremoniæ, nulla fidei confessio. Deus bone, qui nos? quàm miseri? quò redacti, in quem locum vel loculum contrusi sumus. Ad hæc quid dicemus, Academici? Non est nõ est, mihi credite, verendum, fumos tantùm suos offundunt vt oculos perstringant. Olim ista olim dicta & audita sunt, Quis nouus hic hospes? Vnde prosiluistis? Olim sic Christus tractatus est, quem mundus non cognouit, qui sic à fratribus suis derisus est, quasi in Galileæ secessu ambularet, montes & solitudinẽ quæreret, celebritatem vrbis & orbis fugeret, in obscuro atque ignobili Iudææ angulo lateret, Transi hinc, abi in Iudæam, vt discipuli videant, manifesta te mundo: de quo etiam Pharisæi λοιδο ρῶντες, Hic vnde sit nescimus. Communis olim & exoleta hæreticorum penè omnium contra verè Catholicos insultatio fuit, vt Nouati apud Cyprianum, Cùm ipse in Ecclesia non esset, sed contrà Ecclesiæ rebellis foret: hoc vnum sibi vindicabat, quòd cæteros faciens hæreticos, apud se esse Ecclesiam diceret: vt Donatistarum apud Augustinum, qui licet ipsi hæretici dicebant Christianum nomen periisse, de tot gentibus in orbe terrarum, & in Aphrica remansisse: vt etiam Iuliani Pelagiani, qui iactitabat esse ex agmine Prophetarum

Duræus.

Vetus murmur contra Christum & Christianos. Io. 1.

Io. 7. Io. 9

Cõ Parm. lib. 2. Ca. 1.

Idem.

Vera Apologia.

tarum & Apostolorum: quomodo nostri se Apostolicos, suam Ecclesiam Apostolicam iamdudum esse crepuerunt. Quare sicut Christo Seruatori istorum Sycophantia non obfuit: nec Catholicos multum commouit hæreticorum calumnia: ita nos de hac nostræ vilitatis & paucitatis odiosa & iniqua exprobratione non debemus valde laborare, qui habemus præclarissimos comites sociósque nostræ calamitatis. Pauci sumus? Certè & par ui, nec pudet nos sic haberi: quandoquidem hoc Diuinæ sapientiæ placuisse intelligimus: vt multi vocentur, pauci eligantur: vt ex paruis initiis & ex humili radice excrescat Ecclesia: vt ex perpaucis & pauperibus colligatur: Num quis enim ex principibus credidit in eum? Nec per sophos aut Philosophos sed per moros huius mundi & fatuos, non per oratores sed per piscatores, non per scribas & literatos sed per illiteratos & idiotas congregata est: sapientissimo nimirum decreto, ne veritatis victoria, & Euangelii fructus vberrimus non tam Diuinæ Maiestati quàm hominum vel fortitudini vel multitudini vel principum autoritati & potentiæ tribueretur. Vbi sunt hæc Ecclesiæ, quæ prædicant, latissima tentoria, quando dictum est, Omnes declinauerunt? Omnes videntes me derisérunt? Omnes quæ sua sunt quærunt? quando Tobias solus Hierosolymam profectus Deo seruiuit, omnes alij vitulum in ciuitate Nephthalim adorarunt? Vbi Ecclesiæ facies splendida, quando Deus neque per Vrim neque per Thummin respondebat? vbi sacerdotes, vbi sacrificorum illa solennitas? quando scriptũ est, Non erat sacerdotium, &c. vbi sacramenta vestra, inquiunt, in quo loco, à quibus celebrabantur? Cur non similiter & nos quæremus, Vbi est in vestra hac, vt vocatis,

1. Cor. 1. Matt. 4. Act. 4.

Psa. 22. Phil. 2.

Tob. 1.

Obiect.

Sol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anglicana persecutione vestrarum Missarum celebritas? vbi ceremoniarum pompa? quæ publica templa hîc occupatis? Annon vestra quoque Luna suam eclipsim passa est? annon occulta & incóspicua facta est vestra Ecclesia? Audiant etiam Petrum Ciruetum Doracensem hac de re olim cóquerentem, vrgentibus Ecclesiam persecutionibus infidelium Eucharistiæ sacrificium, quod in missa conficitur, agebatur à fidelibus valde simpliciter, & sine pompa alicuius solennitatis, quia offerebatur à sacerdotibus Christi OCCVLTE in domibus priuatis officium breue. Rerum multarum & maximarum non pessima magistra experientia nos docuit, exemplis scripturarum & omnium temporum confirmata: Ecclesiam esse mulierem derelictam & mœrentẽ, esse mulierẽ in deserto solitariã & profugam, vt recentiores & antiqui exponunt, esse Saram quandoque sterilem. Nunquam ferax nunquam fœlix Dei Ecclesia fuit vel in diluuio Noachi, vel in dispersione Abrahamitarum, vel in Ægyptiaco exilio, vel in persecutione Iesabelis, vel sub iugo Hieroboamico, vel sub tyrannide Manasses. In sola familia Dauidica remansit Ecclesia Christi, quando Iudæ fratris Domini posteritatem latitantem, tanquam misellam & pauperculam Domitianus contemptui & risui habuit. Attamen hi nobiles Iudæ Nepotes, hi Iesu cognati, Domitiano veram picturam regni Iesu, & Ecclesiæ exhibuerunt. Nam de hoc regno interrogati, cuiusmodi esset, vbi, & quando appariturum, responderunt, non esse mundanum aut terrenum, sed cœleste & angelicum, scilicet, non pomposum gloria, non multitudine fastuosum, sed obscurum, & contemptibile habitum vsque ad Epiphaniam & apparitionem

Eclipsis Lunę papisticæ in Anglia

In expo l. Missalis in in Proœmio.

Iesa. 54. Apo. 12.

Aug. ad Vincent.

Euseb. li. 3. c. 20.

nem Sanctorum in consummatione seculi. In expugnatione Ierico sola Raab fidelis mulier inuenta est: Plures olim Idololatræ quàm Iudæi, plures hodie infideles & pseudochristiani quã Christiani: & mirum aut nouum videri debet, si papistarum colluuies protestantium Ecclesiam multitudine superaret? Eius certè orbitatis & solitudinis causas aliquot recensuimus. Cur autem his postremis temporibus imago Ecclesiæ nostræ non ita ab aduersariis conspici, nec à nobis depingi possit: cur paucióres & despectiores habeamur: eius rei optimas & necessarias rationes, quis cæcus non videt, quisquis seditionem Christiano rum, seductionem multorum, superbiam nonnullorum, somnolentiam aliorum, sæuitiam aduersariorum, simplicitatem nostrorum vel leuiter considerauerit?

Causæ orbitatis Ecclesiæ.

QVID enim à nobis Orientis bonam partem auulsit? DISCORDIA. Quid Turcicũ imperiũ auxit, res Christianas afflixit? Seditio. Quid Arrianis mum inuexit? Disidia. Dum enim Christiani Orientales inter se commisi sunt, dum Arrianum incẽdium totum ferè orbem terrarum corripuit, Imperatores Constantius, Valens, aliique sæuiũt, Episcopi applaudunt, Christiani dissentiunt: alij in tenebras & latebras abstrusi relegantur, alij immanitate suppliciorum absterrentur, vt inde necessariò bonorum catholicorum paucitas & inopia consequeretur. Hunc euentum indicat Nicetas Choniates, Eodem tempore dogma de Christianorum religione enulgatum, Christianos in factiones secuisse, & ipsam religionem in foro, in triuiis viluisse. Similem exitum affert hodie non dissimilis causa, dum Christiani in fraterna viscera irruunt, gregem Christi dilaniant & Christianorum numerum imminuunt.

1. Causa discordiæ Christianorum.

In vita Alexij Imperat.

2. σοφισμανία & seductio.

Sedvctio & σοφισμανία efficaciter operata est, vt deciperet si fieri posset electos, omnésque ad phãtasticum & vertiginosum spiritum perduceret. Hæc est successio pseudoprophetarum & filiorum Belial, vt pro ara Dominica substituant altare Damascenum & exotinum, ex optimo vino acetum faciant, in agro cultissimo Zizania cõserant, quod hodie Antichristus potenter effecit, cùm per monachos & Iesuitas vagos & vbique palantes Cratere suo mixto omnes gentes inebriat. Insidiatur in occulto velut Leo in cubili suo, vt qui in occulto sunt & latere vellent, aut vi opprimat aut dolo circumueniat aut aliquo modo capiat. Hinc Augustinus triplicem colligit persecutionem, violentam per tyrannos, fraudulentam per hypocritas & hæreticos, vtramque per Antichristum.

Apo. 18. Psa. 9.

3. Superbia.

Svperbia pietatis veræ ruina fuit, luxus inquam & opulentia cleri planissimè venenum Ecclesiæ. Annon enim postquam religio peperit diuitias, matrem suffocauit filia? Annon dotatio Romanæ Ecclesiæ per Imperatores, Ecclesiã Dei spiritualium bonorum inopem & nudam reddidit? Annon tot ceremoniarum fulgor, in doctrinam Christianam horribilem caliginem induxit? Hieronymus ita iudicauit, Ecclesia, ex quo creuit in possessionibus, decreuit in virtutibus. Idémque, Ex quo creuit in Ecclesia auaritia, sicut & in imperio, periit lex de sacerdotibus & visio à Prophe ta. Et quemadmodum olim attestante Augustino, Antiquæ Romæ plus nocuit euersa Carthago, quàm prius nocebat aduersa: ita nouæ Romæ securitas & superbia quàm antegressa persecutio & martyrium maius damnum intulit. Dum curant cuticulam, dum se comunt & ornant, dum popinas & tabernas extruunt & sequuntur, dum magno

Ad Rusti cum.

De Ciuit. D. L. 3. ca. 19.

gno comitatu & satellitio in publicum procedũt, dum alunt onerosam & ociosam familiam, dum domos ac palatia ædificant, dum templa imaginibus replent, & Sanctos fingunt & pingunt, & inaurant, dum in Missa apparatu meretricio splendidè tanquam in scena vestiuntur, dum in hac soluta & præpostera Ecclesiæ pace stertunt & omnibus commodis & voluptatibus affluunt: an esse poterat vel otium vel animus talibus dominis Christo lucrifacere populum aut esurientes animas pascere, aut viua Dei templa ædificare?

Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia pœmata narrent.

4. Somnolentia.

Somnolẽtia quoque operariorum multiplex fuit, primùm quos non vinitores sed cessatores rectius dixerimus, quia illis dormientibus inimicus homo noctu vigilans tot rixas seuit, tot pestiferas herbas & lolium legum humanarum & Traditionum superseminauit, vnde puritas & doctrinę & disciplinæ & rituum extincta est, & mille errorẽs insperſi sunt in agro Ecclesiæ, quos nullus agricola, præterquam vnus ille Pater cœlestis poterit extirpare. Hinc ambitiosi tituli, hinc Primatus, Excommunicationes, & Anathematismi papales, Indulgentiæ, Purgatorii delirium, & aliæ reculæ innumerabiles, quibus sublatis, omnis neruus & omne robur Pontificiæ religionis inciditur. Hinc Romanus somniator cùm velut Elias alter currum auidè gestit conscendere, & supra nubes se attollere, Eliæ tamen dissimillimus populo erudiendo nec vacare potuit, nec voluit. In hoc somnolento & veternoso seculo viuitur molliter, luditur impigrè, potatur meraciter, studetur ignauiter, prædicatur rarissimè, plebs deficiente Prophetia perit turpissimè. Perscitè Tertullianus,

In Præscrip.

» Hæreſes adeo prævalere, quia homines ſunt inua-
» lidi, vt febris infirma corpora infeſtat. Laici & ple-
bei quia non informati à paſtoribus facilè patent
ignitis Satanæ telis, niſi probè clypeo veritatis
obmuniantur. Tum quanta ſcriptorum paucitas,
qui rerum Eccleſiaſticarum Commentarios ede-
rent, qui nobis Doctorum lumina, librorum mo-
numenta, piorum martyria, Eccleſiæ noſtræ ſan-
ctiſſimum cœtum depingerent? Si vel nomina ſo-
la patrum extarent, qui Eccleſiam Chriſti vel do-
cendo, vel moriendo vel ſcribendo operam ſuam
egregiam navarunt: ſi bibliothecę iſtorum tot vi-
rorum & ſcriptorum cuſtodes fuiſſent, ſi Occidé-
talis Eccleſia illas Græciæ opes & ingentem ſele-
ctiſſimorum autorum theſaurum ad nos importa-
re potuiſſet, ſi noſtras genealogias & noſtræ
proſapiæ tabulas vel malitia non eraſiſſet, vel ne-
gligentia non perdidiſſet: noſtræ Eccleſiæ aliam
ſeriem & proſeminationem, & Epiſcoporum a-
liam ſucceſſionem, & Proteſtantium aliam pictu-
ram cerneremus. De paucitate Latinorum ſcri-
ptorum olim conqueſtus eſt Auguſtinus: De Græ-
cis Euſebius, qui homilias ad populum habere, &
Apologias principibus offerre, quàm libros poſte-
ritati relinquere maluerunt. Erat deinde & ſom-
nus diſcentium atque adeo frigus, vt non mirā-
dum ſit, ſi in tanta Satanæ faſcinatione, in tanta &
doctorum & auditorum pigritia, phariſaica &
Romanenſis Eccleſia, tanquam ſumptuoſa & ſu-
perba meretrix ſuas dilatarit fimbrias, maximè
quia, vt Petrus Comeſtor in ſua hiſtoria ſchola-
ſtica lamētatur, clerici in ſtudio Scripturæ negli-
gentes, bona Eccleſiæ in exquiſitis deliciis & in-
gurgitationibus abligurierunt.

Ad Fauſtū li. 3. ca. 2.
Euſeb. li. 3. c. 24. Hiſt. Eccle.
In ſer. 40.

5. Sęuitia. De Sævitia hoſtium quid attinet dicere, & animos bonorum lugubri narratione exulcera-
re? Sę-

re? Sæuitia Ieſu bone quid nō tentauit? quos è me-
dio non ſuſtulit? quam Satā homicida & antiquus
draco omni tempore contra eam innocētem cru-
deliter exercuit: ſæuitum eſt in homines & in vi-
ua & vera Chriſti membra: adeò vt Eccleſia quō-
dam in viſione quadam Hildigardæ Prophetiſſæ
apparens, cuius prophetiam ipſe Pontifex appro-
bauit, non abs re conqueratur, à ſacerdotibus &
faciem ſuam eſſe puluere conſperſam, & veſtem
diſciſſam. Exagitati, vexati, mulctati ſunt, quicun-
que auſi ſunt bona conſcientia clamore tubæ Eu-
angelicæ, Romanæ Iericuntis muros concutere,
id eſt, doctrinæ papiſticæ neruos excindere. Vi-
deor mihi videre illum miſerabilem ſtatū Eccle-
ſiæ quem deplorat Hilarius, Nunc prō dolor diui-
nam fidem ſuffragia terrena commendant, inópſ-
que virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini
ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carce-
ribus Eccleſia, crediúque ſibi cogit, quæ exiliis &
carceribus eſt credita, &c. Siquidem poſt mille
annos ſolutus Satanas duo potiſſimum faciet, arte
ſeducet, armis perſequetur. Seducet omnes gen-
tes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Deinde
perſequetur per Gog & Magog homines ſangui-
narios & barbaros, quos in prælium contra San-
ctos congregabit. Tum enim quod libuit lice-
bat, quod licebat & quod poterant audebāt, quod
auſi ſunt per fas nefaſque perficiebant. Qua cru-
delitate effectum eſt, vt optimi quique viri per-
ſcelus è ſinu ſanctæ ciuitatis eriperentur. Nec ta-
men ſic ligatus antea fuit, quin ſæuierit per tyran-
nos Eccleſiæ carnifices, per Imperatores Roma-
nos, ſtatim in ipſis Eccleſiæ crepundiis & infan-
tia: ſed poſtea multo magis per alios crudeles Hy-
pocritas quotidie ſanctorum caſtra inuadentes,
Cæſares ipſos & Chriſtos Domini anathema-

Ante an-
nos 400.

Con. Au-
xentium.

Apo. 20.

tiſmis ad Tartara vſque ſi fieri potuiſſet, ablegantes, quò ſe bonis Eccleſiaſticis ſaginarent & Deũ ſuum precioſum Maozim adornarent. Sæuitum quidẽ eſt per Vandalos, Hunnos, Gothos in Hiſpania, Gallia, Italia, in Oriente & Occidente. Quæ
Sabell. inde ſtrages & lanienæ piorum? Quanta ô Deus Eccleſiæ vaſtatio? Sæuitum eſt ab impio Turcarum Rege, à Mahomet communi hoſte noſtro: ab anno Chriſti ſexcenteſimo, & nouiſsimis hiſce temporibus longè immanius & immitius. Sæuitum tamen multo magis per Antichriſtum Occidentalem: vnde & corpora ſanctorum ſtrata, & libri concremati, & ſynceræ pietati plaga non mediocris inflicta eſt. Athanaſius ad Marcum Papam ſi tamen vera ſunt, quæ narrantur, valdè flebiliter queritur, libros Chriſtianorum exuſtos, ne Iota quidem vnum relictum, Niceni Concilij Canones incenſos: Hæc credunt, hæc iactant noſtri aduerſarij tanquã veriſsima (quę tamen vana ſunt quia cum alia Athanaſij epiſtola ad Felicem Papam non conueniunt, & Spiritus ſanctus nunquã ſibi contrarius eſt, & vtramque Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe probari poteſt:) Quid? an non alios codices noſtrorum hominum alibi quoque aboleri poſſe credibile eſt? Qualis & quàm grauis iactura præſtantiſsimorum hominum, & optimorum ſcriptorum ſub Ethnicis vſque ad Conſtantinum? Sub Diocletiano, ſub Iuliano? Quid Arriani, quid Donatiſtæ, quid alij Chriſti hoſtes, & hæretici fecerint: ex Euſebio, Nicephoro, Auguſtino conſtare poteſt ſtudioſis lectoribus. Trithemius olim & nuper Eraſmus aliiq́ue diligenter annotarunt, multa & quidem authentica Eccleſiaſticorum patrũ monumẽta, partim barbara incurſione gentilium, partim inſcitia temporum, partim & præcipuè hac rabie aduerſariorum interiiſſe. Innocentius tertius, & homines & libros damnauit. Quid autem noſtra memoria in Tridentino Concilio & aliàs ſæpe tentatum ſit, quot ſanos & eruditos noſtrorum libros flamma conſumpſerit: nemini obſcurum eſſe poteſt, niſi qui in luce meridiana cęcutire voluerit. Et tamen adhuc obiicient Eccleſiam noſtram eſſe occultam, quam ipſimet nullibi comparere, ſed ne in viuis quidem eſſe paſſi ſunt? cuius membra noui & pluſquam Ægyptiaci Pharaones dilacerare, ſcripta extinguere, memoriam omnem ſepelire conati ſunt? cuius omnes villas, omnes domos, omnes familias deſtruxerunt. Quid à nobis requirunt noſtros Epiſcopos & magiſtros, quos flamma & ferro ſuſtulerunt? cur exigunt vt noſtræ Eccleſię loca mõſtremus, quę ipſi vaſtarunt?

Poſtrema ratio quę ſuadeat hanc paupertatem & paucitatem noſtram eſt hæc, Simplicitas Eccleſiæ noſtræ, quæ tanta eſt, in forma religionis, in genere cultus, in omnibus, vt non poſſit neque ſoleat tot amatores ad ſe attrahere, quot Romanæ ſynagogæ meretricia ſpecies inuitat quotidie & allicit. Hîc enim ſobrietas, illic luxus: hîc modus, illic profuſio: hîc origo humilis, illic genus & ſtemma generoſum & Cardinale, ex principibus, ducibus, magnatum filiis procreatum: hîc Actores ſunt infantes & lactantes, perficientes tamen & fundantes laudem Dei & vltionem inimicorum in teſtaceis vaſculis, illic Pontifices maximi, Archiflamines, D. Abbates vncti & coronati, non verbo ſed verbere regentes Eccleſiam: hîc caput deſpicabile, cuius decor terrenus nullus aut perexiguus eſt, Ieſus Chriſtus in ſtabulo iacens non in Regia ſedens, illic Caput Catholicum nomine, reipſa mitratum, purpuratũ, gemmatum: hîc adoratio ſpiritualis & interna, illic

6. Simplicitas puræ & primæ Eccleſiæ.

Pſa. 8.

Ieſ. 53.

carnalis & externa: hîc Sacramenta numero pauca, ſpecie non auguſta, illic plura & ſpecioſa: hîc ſermo non in verbis humanæ ſapientiæ aut in ſuadela ſeculari, ſed in ſimplici veritatis oratione & in potẽtia ſpiritus, illic phaleræ, fuci, calamiſtri: hîc templa nuda, frugalia, inornata, illic picturis, ſtatuis decorata: adeo vt Moguntiæ vnius crucis aurum ſolum præter carbunculos & gemmas plus minus octoginta millia Coronatorum valuerit, de quo auro, verſiculus,

Cõradus in Chronico Mogunt.

Auri ſexcentas habet hæc crux aurea libras.

Hîc ſola Dauidis Cithara & Pſalterium, illic vocum varietas, organorum concentus, muſica exquiſitiſſima quaſi in adorationem aurei idoli Nabucadnezeri: Denique hîc tota religio, omnes ceremoniæ ſimplices, illic ſacerdotium pluſquam Aharonicum, ritúſque ad pompam non ad ædificationem cõparati: multæ illecebræ & lenocinia quibus in ſe hominum oculos conuertant, omnéſque adeo ſenſus incantent. Rectè Auguſt. In turba diuitum pauperes non videri: & in hac tanta tot crucum, tot ſpectaculorum, tot Candelarum & Lampadum ſplendore, in tot ornamentorum gloria Eccleſiæ humilitatem inueniri poſſe exiſtimabimus? Hinc plures ſequuntur hanc magnificam & delicatam Papiſtarum religionem. Menedemus plures habuit auditores quàm Strato, cui iſte reſpondet pulcherrimè, non eſſe mirum, cùm plures lauari quàm vngi magis deſiderẽt. Nos igitur manipulus & reliquiæ tantùm ſumus, quibus in tanta vaſtitate & deſolatione Babylonica Dominus pepercit, numeroſa ſoboles eſſe non poſſumus: cùm alij aſtutia ſerpentis circumſcripti, alij in pinnaculũ templi ſubuecti, & diuitiarũ ſpinis ſuffocati: alij veterno ſpeculatorũ & incuria ſua abſorpti, alij ſeditionibus inter ſe mutuis diſciſſi,

diſciſſi, alij vel tyrannide Turcica, vel temporali papæ gladio, vel aliis aliorũ impreſſionibus ſublati, alij ſimplici Ieſu Chriſti Euangelio offenſi, omnes his occaſionibus ad extremum ab Eccleſiæ ſodalitio vel ſua voluntate acti, vel neceſſitate adacti receſſerint? Quare fuiſſe Ilium, fuiſſe Eccleſiã, fuiſſe illius ingentẽ in his calamitoſis temporibus gloriam, fuiſſe egregios Athletas cauſæ noſtræ propugnacula fortiſſima non eſt dubiũ: licet eos omnes nominatim recẽſere nequeamus, cùm prçſertim qui fuerint, vbi vixerint, quid egerint, dixerint, ſcripſerint, pauci literis mandarint. Hãc penuriam & nuditatem ſatyricè ridet contra noſtrum Whitakerum Duræus. Sedenim quod de Romanę Eccleſiæ anguſtiis confeſſus eſt Nauſeas, H. 59. idem ille accipiat reſponſum de noſtra Eccleſia: Olim, inquit, in Synodo Nicena, dicta eſt Eccleſia catholica, id eſt, vniuerſalis, cùm per totum orbem diſperſa vniuerſum aliquando genus hominum amplexa ſit, Prædicatum enim eſt omni creaturæ, In omnem terram exiuit ſonus eorũ, Nunquid non audiuerunt? Sed nunc, prô dolor, immanis illa Mahometica ſecta, quæ & Germaniam nuper letaliter afflauit, totam Aſiam & Aphricam atque permagnam Europę partem Chriſto abſtulit, & ſacrilego ſuo ritu ab Eccleſia reuulſit, vt videatur nunc Eccleſia Chriſti, peccatis noſtris exigentibus in extremum ORBIS ANGVLVM ANGVSTÚMQVE redacta. Quid ſi Duræum argumento ſuo quaſi mucrone petamus? quid ſi ipſe coactus ſit Eccleſiæ Romanæ anguſtias & tenebras confiteri? Cùm à Sancto Petro vſque ad Sylueſtrum propter perſecutiones maximas Pontifices certo loco conſiſtere non poſſent, ſed quocunque eos neceſſitas cõpuliſſet, ſiue in Cryptas, ſiue in cœmiteria, ſiue in ædes piorum, ſuper-

Mar. 16. Pſa. 19. Rom. 10.

Duræus Rat. 5.

»illo altari ligneo, ad arcæ similitudinem concauo »sacra faciebant. Et qui occultam deridēt Ecclesiam nostram, meminerint sic Romanam hoc tanto tempore occultatā fuisse: meminerint Papā Damasus. Marcellinum cùm idolis sacrificare nollet, probè Balæus. fustibus cæsum in domum Lucinæ viduę intrasse, ibiq́ue Ecclesiam occultam tenuisse: eam postea à Maximiano in iumentorum stabulum conuersam, & eius curam huic Papę commissam fuisse, inde Epistolis fideles confirmasse, ibi fœtore & immundiciis pecorum expirasse. Vbi tum Pontificiorum fulgor? vbi tum vniuersalis Ecclesiæ amplitudo? vbi tum Catholici tituli gloria? Catholicos autem esse posse, qui Romanistæ non sunt, de- Epist. 80. terminat Augustinus, Non enim, inquit, Romanos, sed omnes gentes Dominus semini Abrahę, media quoque iuratione promisit, ex qua promissione iam factū est, vt nonnullæ gentes quæ nō tenentur ditione Romana, reciperent Euangeliū, & adiungerētur Ecclesiæ. Si obiiciant nobis Ecclesiam nostrā ideo non esse Catholicam, quia fides nostra ab omnibus recepta non est, satis est, si diuersis temporibus & successiuè omnes oras peruadat, vt ibi probat Augustinus. Quid? Tota Asia & Aphrica & permagna Europæ pars, tot ciuitates magna imperia illorū confessione Romanistis adempta sunt, & tamen Catholici dicētur? & nos non erimus catholici, quorum numerus tot mutationibus toties decreuit, quos certè eò pauciores esse oportet, quòd pluribus in hoc mari fluctibus agitati, à tot piratis impediti & intercepti tam commodè in portum deuehi & tam confertim in litore conspici non potuimus?

Ecclesiæ pomœria amplissima.

ATENIM quāquam nos imminutos & accisos necessariò esse debere, hæ rationes adductæ euidenter demonstrare possunt: tamen quomodo Deus

Deus in sua erga Ecclesiam hanc nostram veritatem profitentem benignitate cōstans semper fuerit, quomodo ex cineribus istis tāquam Phœnix, ex gurgitibus istis tāquam Ionas, ex laqueis istis tanquam passer erepta sit Dei Ecclesia, quomodo nunquam fuerit sponsus sine sponsa, nunquam caput sine corpore: quomodo in domo Dauidis fons aquæ perrennis fluxerit, enarrabo paulò apertius. Nam quam elegit non abiiciet; nec in Zach. 13. hac flamma ardebit. Peribunt cœli, omnes sicut Isa. 41. 43. vestimentum inueterascent: Tu idem ipse es, & Psal. 102. anni tui non deficient. Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur. Erit nimirum Christus cum Ecclesia sua vsque ad consummationem seculi. Qui ergo, vt est apud Augustinum, Christianæ Ecclesiæ & religionis Aug. de C.D. 1 18. terminos constituerunt, vel hodie idem de Ec- ca. 54. clesia nostra vaticinantur & ominantur: meminerint scriptum esse, Lætare sterilis quæ nō paris: Isa. 54. Et plures erunt desertæ filij quàm virum habentis: &, Eiice ancillam & filium eius, non enim erit filius Ancillę cum filio liberæ. Itaque fratres, Gal. 4. non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit. Ne autem hæc à nobis vel arroganter dicta vel ineptè applicata videantur: Agedum paucis quæso intuemini antiquam imaginē Ecclesiæ nostræ, incunabula, incrementum, progressum ad hæc vsque tempora, ne semper infamis & probrosa sterilitatis nota obiiciatur. Et cogitent aduersarij eam, si quæ esset, sterilitatem, fuisse à mundi primo fundamento, tempore Patriarcharum, sub lege, sub gratia, cum patribus nostris communem: cogitent tamen etiam aliud, non propterea non esse Ecclesiam spaciosam, quia illi non vident, quoniam non semper carnalibus oculis videtur: sicut nec

solem cæci; nec cœlum talpæ contueri possunt, & magnæ parti orbis terrarū Christus nondum natus est, aliis non notus est, & nostra doctrina eius
Mar. 1. noua habita est, & Euangelii eius mysterium adhuc tectum est & absconditum: & omnia nostra
1 Cor. 1. inuisibilia sunt, noster Deus, nostra hæreditas, nostra dona quæ Deus legauit, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, neque cor hominis concipere poterit. Nos autem in hac determinatione quæstionis, An pauci sunt seruandi, teneamus ad vnguem Christi solutionem, vt contendamus po
Luc. 13. tius intrare per angustam portam, quia MVLTI quærent intrare & non poterunt.

Stapletonus. Apoc. 21. Origo Ecclesiæ cœlestis & diuinæ. In capitulis Patrū. PROPAGINEM Ecclesiæ ostendite, inquiunt: Veni, inquit Ioanni Angelus, ostendam tibi sponsam, vxorem Agni: & sublato in montē magnum & altum ostendit ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de COELO à Deo. Vnde autem egressa est, eodem redibit Ecclesia, & eodem modo & eadem protectione durabit. Omnis Ecclesia quæ fit propter Deum, confirmabitur: quæ verò non fit propter Deum, non manebit perpetuò vt dixit quondam sapiens Rabinus. Hunc Deum Ecclesiæ nostræ fundatorem agnoscimus, ab illo habemus nostram originem. Qui Maiores? Non omnes in vnum cumulum aggregare conabor, nec in classes suas recto ordine digeram. Hoc enim esset Chronologiam contexere, sed contentus ero qualicunque pictura vel adumbratione Ecclesiarum in singulis ætatibus. Vnde ergo prodiistis? Si altius repetamus, à primis parentibus ex ipso Paradiso germinauit nostra Ecclesia. Assentitur Nauseas, Ecclesia tum cœpta quando mundus adeóque humanum genus esse cœpit, propheta dicente, Memento congregationis tuæ Domine, quam congregasti ab initio. Vnde

Ecclesia cœpit à Mundi primordio. Nauseas Cent. 2.

& Ephesiorum secundo dicitur, Ecclesia ædificata non solùm super Apostolorum fundamenta, sed & prophetarum, inter prophetas autem numeratur & Adam. Assensus est prius Augustinus, Ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra. Assensus est Irenæus, Ab initio assistens filius suo plasmati reuelat omnibus patrem. Huic Ecclesiæ in Principio dictum est & benedictum, Crescite. In hac Ecclesia lex promulgatur, de arbore scientiæ boni & mali ne comedas. In hac Ecclesia sonat Euangelium, Semen mulieris conteret caput serpentis: In hac ecclesia sacrificatur à posteris, & ab Enosoch nomen Dei publicè inuocatum est: Hæc à patribus mirum in modum per aliquot secula multiplicata & continuata est, & demum in Arca sub Noacho Argonauta conseruata est. Hæc ecclesia continua serie optimorum Patriarcharum, electissimorum Ducum & Iudicum, fortissimorum Regum, sanctissimorū Prophetarum, eandem doctrinam de Euangelio, de fide sola in solum semē mulieris, de vera ecclesia, de vera inuocatione, nobiscū cōfessa est & protestata, cōtra Anthropolatriam, contra imaginū cultum, contra sacrificia & ceremonias, contra Traditiones & Cōstitutiones humanas, vt ex Genesi, & inprimis ex historia Abrahæ, Regum Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, ex oraculis omniū Vatum, ex Epistola ad Hebræos manifestū est. Nec defuerunt in Captiuitate Babylonica gubernatores aliquot & doctores ecclesiæ: neq; certè pòst, sed Deus aliquē semper ductoré putà vel Mardochæum vel Iesum, vel Esdrā, vel Nehemiā, vel Matathiam sacerdotē, vel Iudam Macchabæum, vel Ioachim & Eli vel Zachariam vel Simeonem aliquem excitauit, ne illa antiqua & nobilis Iacobi prophetia tanquam

S Psal 128. L. 4 c. 14. Gen. 1. cap. 2. cap 3. cap. 4. Initium Ecclesiæ apud Iudæos. cap 3. Heb. c. 11.

mendax argueretur, Non auferetur sceptrum de
Gen. 49. Iuda: nec legislator de femore eius, donec veniat Schilo ille sospitator & expectatio gentium. Ex hoc primo temporum decursu notetur virorum & nominum paucitas, & Ecclesiæ captiuitas & crux, sicuti nostram esse dicunt exiguis finibus circunscriptam, nostram fuscam & nigram: vtramque tamen Ecclesiæ nomine honoramus, maximè propter consanguinitatem doctrinæ, vt dixit Tertullianus.

Origo Ecclesiæ Christianæ.

Qvod si autem propius ad nostra tempora nouissima accedamus: à Christo Iesu sumit exordium Ecclesia nostra, vnde Christiana est & dicitur: sumit ab Apostolis quorum hæredes & successores esse debemus, dum & eorum doctrinam seruamus, & vestigiis insistimus. Nisi enim Christiana nisi Apostolica sit, Antichristiana erit & Apostatica Ecclesia. Ex Zion non ex Capitolio exiuit
Iesa. lex, ab Hierusalem non à Roma verbum Domini egressum est, à Christo non ab homine, non à Petro solo, sed ab omnibus Apostolis Christi confessoribus, & non alicui Cathedræ humanæ, sed Petræ Christo adhærentibus. Hæc est nostra Antiquitas, recta ex verbo diductione & veritatis linea ad nos vsque deriuata: cui si Ecclesia aliqua contrarium aut diuersum annunciauerit, aut alicui fundamento recentiori & rudiori superstructa fuerit, Apostolicus homo vocabit eam Anathema. Stapletonus ex Augustino dicit nobis protestantibus Anathema: At Paulus Stapletoni similibus denunciat Anathema, qui aliunde edit
Stapl. l. 13. suæ Ecclesiæ origines. Sic enim ille sensisse videtur nisi fallor, Sic loquitur, Nos Ecclesiam quærimus iuxta eam formam & faciem quam in toto cursu & progressu suo maximè his totis mille & amplius annis (quod tempus errori deputatis) in terris

terris obtinuit: Ille maximè annis mille se alligat, nos minimè, sed vnico Christi & Apostolorum seculo nos addicimus: Ille ad postrema & pessima tempora respicit, nos ad prima: ille ad personas & loca, nos ad personam Christũ, & ad doctrinam: ille ad insequentes ætates, nos ad solã Apostolicam, in qua Eusebius ex Ægesippo Ecclesiam virginem fuisse narrat, originem nostram referimus. Legite nobis hoc ex Diuinis oraculis vt ibidẽ Augustinus, Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrare. Itaque ad hunc Lydium lapidem prouocamus, & hãc doctrinæ Apostolicæ cathedram vbicunque locorum positam, siue Romę, siue Londini, siue in Oriente siue in Occidente admittimus & veneramur. Hæc fuit vera protestatio Tertulliani, Cõmunicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina aduersa facit. Hoc est Testimonium veritatis. Hæc quoque est protestatio Stapletoni, quantumuis alioqui Protestantis nomen refugiat, quantumuis superius personarum & locorũ successionem perpetuam, & certam & necessariam esse contendat, Sic enim protestatur nobiscum, Quare personalem illam successionem nihil moramur, modò scripturis ipsis doctrinam nostram consentaneam esse, ostendere valeamus. O si in hac semper permanerent sententia, nec vlla insusurratione alia se hinc abduci paterentur, facilè tum manus darent: facilè nostris protestationibus subscriberent, facilè ipsorum doctrinæ structura licet Babylonica, & in altum exaggerata labasceret, si perpetuò sibi esse similes vellent, & hanc conditionem à nobis oblatam sæpius, ipsi semel imò semper acciperent. Sed resiliunt, & requirunt à nobis, cur post Apostolos nullos proferimus nostros inclytos progenitores?

De vnitate Ecclesiæ. c. 15. Cõ. Petil. epi. c. 3.

De præscrip.

l. 13. Protestatio Stapletoni. c. 6.

Quæstio aduersariorum.

Resp. Quasi verò de numero auorum aut proauorum carnalium soliciti simus, qui ab hominibus nullum testimonium accepimus, aut quasi in hac prima genealogia Ante Christum, & in illa secunda post Christum non eadem fuerit & paucitas & obscuritas. Quanquam enim regnum Christi amplissimum semper existit: tamen hominibus non semper adeò conspicuum fuit aut spectabile. Satis sit iterum opponere huic scrupulo grauissimũ

S Ioan 11. Augustini testimonium, Nouit Deus qui sunt eius, nouit qui permaneãt ad coronam, qui permaneant ad flammam, nouit in arca sua triticum, nouit paleam, nouit segetem, nouit Zizania, cæteris autem est illud incognitum, qui sunt columbę

Quæstio. & qui sunt corui, Iterum requirunt, vbi vestrum

Respõsio. sacerdotium? Iterum respondeo, Vbi in illo annorum 1656. curriculo ante diluuium externi sacerdotij nomen vel munus apparuit? Vbi sacerdotes dicti sunt, vel Abelus, vel Noachus, vel alij in lege naturæ excepto Melchisedecho? Et tamen multos fuisse non dubito, quia sacrificiis & cultui diuino operam suam non rarò dicabant: Nec refragatur Nauseas qui ex Iosepho probat Cainum &

2. Cent. H. 66. Abelum protoplastorum filios in Ecclesia fuisse

Quæst. sacerdotes. Pergunt porrò inquirere de publicis cœtibus nostris, in quibus res diuina facta est, &

Respõsio. sacramenta celebrata sunt. Sed huic prius respondum est: & iterũ regerimus, ipsosmet in iusta hac sua cruce nec publicè precari nec missare. At hæc illos se quotidie in priuatis ædibus & factitare & frequentare gloriantur. Nec erat Liturgia publica illius Ecclesiæ, quæ Traiani tempore loca mutauit, & antelucanos hymnos cecinit: vt clam tum factum esse memorauit Plinius, & aliquando tamen deprehensi sunt, nó semel, vt nostro quoque tempore videmus. An quia veteres in sinu suo priuatim Deum coluerunt, an quia nos tempore persecutionis ad declinandam eam procellam latuimus, & ipsi aduersarij hodie fugiunt, & angulos hodie quærunt, & quasi furtiuos congressus suos habent, ideo dicent nec illam, nec nostram nec suam esse Ecclesiam? non esse sacramentorum administrationem, nec esse sacerdotium aut ministerium, quia vulgo non innotuerunt? Certè inuenimus eam Ecclesiam in campis saltuum, inuenimus Ecclesiam in omnibus gentibus, ait verissimè Augustinus. Obiicitur rursus à nonnullis, templa nos minimè habere, nec vlla patres nostros vnquam erexisse. Rursus aciem huius obiectionis retundimus & dicimus patres nostros & nos templa Spiritus sancti habuisse, & Deo gratiam habere, in quibus dignatur pro sua misericordia residere. Patres nostri in Tabernaculis & in deserto verum Deum inuocarunt, Christus Iesus in montibus, in nauiculis, in Eremo Ecclesiam habuit & docuit. Patres nostri gentibus sua augusta loca reliquerunt casulis contenti. Nouerunt Christum semper in templis manufactis non habitare, sed carcerem Ioannis Baptistæ fuisse Ecclesiam, vnde ad Christum misit discipulos: Paulum in vinculis genuisse filios, & in conducto suo etiam Romæ prædicasse regnum Dei per biennium. De patribus nostris iactatum est in Bauaria vulgare dictum, Olim eos habuisse obscura templa & lucida corda, nunc contra pseudochristianos filios habere lucida templa, sed obscura corda, vt Auentinus retulit. Quid? Post tot demum secula resurrexerũt noui carnales discipuli, templorũ materiam & formam admirantes & nobis ostentantes? Aut reuixerunt noui Iudæi à congruo & condigno argumentum formantes, Dignus est, ædificauit

Quæst. Staple. cont. Fulc. Respon.

De templis.

Matth 1.

Act 23.

Prouerbium Bauaricum.

Matt. 24.

enim nobis synagogam? At quæ tandem illæ sunt Pontificiorum Templorum structuræ? Quas sibi propriè seu bono iure vendicent? Meo sanè iudicio pleraque omnia vel Iudæis accepta ferre debemus vel gentibus. A templorum enim magnificentia argumẽtari melius & iustius poterat Demetrius argentarius: quoniam magnę Dianę templum Ephesinum à tota Asia constructum, mundi
Act. 19. fuisse miraculum legimus: Pontificii autem suis impensis non tam struxerunt, quàm ab aliis structa destruxerunt: abusus nouo abusu resarcerunt, Pantheon gentium in omnium sanctorum templum, id est, malum in peius commutarunt. Quod
Quæstio. de forma rotunda vel quadrata disputant, nugamentum est, non argumentum: nam quæ formata
Respon. ab aliis fuerunt, deformarunt, statuis, deastris, idolis & superstitionibus repleuerunt, contra doctrinam Augustini aras & templa sanctis dedicarunt, ea magicis preculis Pontificuli scilicet consecrarunt, in his nomina mortuorum inuocarunt, ex templo speluncam latronum, ex domo orationis domum negotiationis, stabulum equis D. Georgii, haram porcellis D. Antonii fecerunt, latibula otiosorum monachorum non suis
Chry. ad- sed alienis impensis extrui curarunt, sicut contra
uer. Iu- Dominum, Templum Hierosolymitanum Iudæi
dæos. annuente & iuuante Iuliano Apostata reficere conati sunt, sed frustra Domino Iesu fulmine & tec-
Amb. l. 5. tæ motu opus illud disturbante, de quo pronun-
Ep. 29 ciauit Anathema, quòd lapis super lapidem non
Matth. 24 relinqueretur qui non destrueretur. Sacella à priscis olim frequentata patribus Histricũ & ferarum lustra constitui permiserunt, vt videas sæpe
" numero equorum præsepia mundius & honestius
" asseruari: sacras ædes & templa leonibus & Ca-
" tamytis, prô pudor, commiserunt, nefariis lupis opti-

optimorum pastorum ouilia demandarunt, virgi- "
nibus olim dicata plerisque in vrbibus septa in "
meretricios & obscœnos fornices conuerterunt.
Hæc ferè sunt verba Pici illustrissimi Comitis ad Picus Mi-
Leonem Papam Decimum, Hi videlicet sunt, qui de monasteriis à nobis dirutis flebiliter queruntur, quæ ipsimet omnis nequitiæ officinas & omnis impuritatis cloacas reddiderunt. Hi sunt ædificatores & instauratores Templorum: Non sunt credo, sic lethæo illa amne immersi, vt oblitioni tradiderint, licentiosas illas suas dispensationes vel potius dissipationes, vt Bernardus vocauit, quarum exemplum vnum quãtum memini in Vigornienſi Ecclesia aiunt quondam fuisse repertum, literulis & syllabis notatum, ne totum scriptum pudore afficeret autorem, NON RE, TE CON, RV DO. Qua dispensatione papali non residere & tenere concubinam licitum fuit, & ruina domorum impunita est. O nouum ædificandi genus! Non inuenustè dicitur, Romæ Templum Petri, expeditionem contra Turcas, reformationem cleri, tres esse res, quæ mouentur & aguntur semper, promouentur & peraguntur nunquam. Pro his enim & Concilia celebrantur, & multum temporis & pecuniæ insumptum est: nihil tamen effectum est: Nam de spirituali ædificatione & pastu animarum, nulla cura, nulla fuit cogitatio. Hoc deplorauit Petrus Aliacen- Petrus de
sis, Abusu Romanæ curiæ sacram Theologiam Aliaco in
paucos habere sectatores, eam contemnere l. de Emẽ-
Theologiam, in omni Ecclesiastico gradu Lucra- datione
tiuarum scientiarum studiosos præponere: cùm Ecclesiæ
tamen primitiui Theologi Ecclesiam ædificaue- in Epist.
rint, quam inquit aliqui Barritatores destruxe- "
runt & nunc eam quasi ad extremam ruinam de- "
ducere videntur. Hoc Sigismundo indicenti "

„Conciliũ Constantiense Martinus quintus nouus „Pontifex quo illud bellè illuderet, ingenuè con„fessus est, quod verè negari non poterat, asserens „per otium se de hac re cogitaturum, inprimis a„deundam esse Romam, cuius templa absente iam „annis aliquot Pontifice passim COLLABERENTVR. Hoc deplorarunt olim Germani Collegiatas Ecclesias à nobilibus solùm fundatas, ob pecuniam infimis hominibus conferri, impensas esse immodicas quæ in Ecclesiarum consecratione profunduntur. Itaque vel Templa Dei viua, vel materialia, vel vtraque ædificare neglexerunt: vel aliorum vacua occuparunt, vel principum & populorum munificentia & largitate hoc procurarunt, vel suis consecrationibus, imò prophanationibus, & superstitiosis additionibus corruperunt, vel sicut olim Ægyptii Israelitis in spoliis sic isti in ædificiis, domino sic prouidente, nostris vsibus imprudentes & inuiti inseruierunt:

In too. grauaminibus Germaniæ.

Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.

Sic in hac nostra reformatione à nobis potest illud Tertulliani non malè vsurpari, Vestra omnia implemus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, Decurias, palatia, senatum, forum, addo etiam templa & Ecclesias. Quod beneficium vt sit perpetuum etiam atque etiam comprecemur. Non diffiteor à quibusdam Episcopis collegia, à Papis Iesuitarum seminaria tempore papatus diuino permissu aliorum Regum & subsidio & consensu nuper esse splendidè exædificata: sed hoc bonum medium est & adiaphoró, & vtrique parti commune: & non omnes suis impensis iustè, sed aliqui ex aliarum ædium religiosarum spoliis & bonis malè partis suo nomine ambi-

ambitiosè construxerunt. Noti sunt versus in quodam ædificio reperti,

Hæc domus antiqua est, variis constructa rapinis
Aut ruet, aut demum Dæmon habebit eam.

Constantinus Magnus Templa ędificauit: quibus? Non Papistis: nullum enim cornu suum tum Papatus erexit, & Religionem Constantini diuersam fuisse ab hoc nostrorum Romanensium nouitate & vanitate pòst suo loco. Carolus etiam Magnus scholas Theologicas in Germania, Academias in Gallia, Italia instituit, quibus? non certè Papistis Scholasticæ doctrinæ professoribus, quos tum ne quidem natos esse constat, sed veris Theologis, quippe qui & sacra Biblia, & Augustini opera in mensa sua legi voluit. Prior ætas σχυτία & Monasteria habuit, sed quæ? Musarum & studiosorum domicilia, non ventricosorum & pigrorum receptacula fuerunt. Schola Alexandrina condita est: Num Pontificiis? Non istos nouit Origenes, non Clemens, non alii, qui aliam quàm Pontificiã religionem plantarunt. Henricus Quartus gloria Romæ, decus imperii, lucerna orbis, sic enim prædicatur, Templum Moguntinum refecit, Spirense absoluit. Num Põtificiis? Imò verò Pontifex Romanus Gregorius hunc Cæsarem clarissimum ad necem vsque persecutus est: & Rodolphus suæ contra Imperatorem suum conspirationis & sui iusti interitus causam & culpam in Rom. Episcopos contulit. Constantius ciuis admodum diues in Bohemia locum commodissimum parauit in Bethlehem antiquósque reditus donauit: quibus? Certè duobus synceritatis Euangelicæ præconibus: quod malè habet Syluium. Templum & Turrem Argentinensem inter orbis terrarum miracula reputari quis ignorat? At quibus præparauit

Euseb.

In vita Henr.

In Hist. Boh.

Deus? Non in honorem sanctorum hominum, sed Christi solius nostri seruatoris: loquantur lapides
Abb. Vrs. in quibus hæc sunt Axiomata, AD ORIENTEM, Christus glorificat, Christus cunctis donat. AD SEPTENTRIONEM, Christus coronat, Christus & superat. AD OCCIDENTEM, Christus rex triumphat, Christus semper regnat. AD MERIDIEM, Christus & imperat, Christus nos renouat. Refe-
Oxoniēsis Academia. ramus nos ad nostratia. Edouardus rex eius nominis tertius, Oxonienſem Academiam beneficiis affecit, priuilegijs exornauit: Num Pontificiis gratificari voluit qui VVicleuū dilexit & defendit? Imò verò de fundatoribus Eccleſiarum & do-
In Epist. ad Clemē tem Papam. Beda. l. 3. c. 4. Hist Ang. tationibus per principes honorificè loquitur, de rapinis autem & expilationibus earum per Papas iustissimè quæritur. Habuerunt Britanni templa sibi non Romanis, qui tum Romano iugo non erant subditi, nec Religionem Romanam suscipiebant, nec Augustinum Apostolum suum agnoscebant. Henricus Octauus in vtraque Academia
Henr. 8. duo præclarissima Collegia extruxit, dotauit, ditauit, in multis Regni locis cathedrales Eccleſias constituit: Londinenſes in Vniuersitate nostra & Londini literatorum domicilia, pauperúmque hospitia tanquam Monumenta sui erga bonas literas & puriorem doctrinam amoris post se reliquerunt. Possem nominare his temporibus alios & Antistites & Generosos viros Elizabethæ sereniſſimæ principis assensu & iussu & ope, qui in templis atque Collegiis & Scholis struendis & reparandis bonam operam grandémque pecuniæ vim impenderunt. Inter alios reuerendum senem Hugonem Prisium, qui apud nos etiam Collegium non Ieſuitarum, ſed Ieſu instituit, cui Regia Maiestas fundationem, nomen, statuta, priuilegia liberaliſſimè conceſſit: & ante illum insi-

ſignem mercatorem auratum militem vrbis Londinenſis quondam prætorem honoratiſſimū Thomam Vvhitum vt nomine sic reipsa verè cādidum, qui etiā Elizabethæ auſpiciis & approbatione collegium inſtaurauit Diuo Iohanni Baptiſtæ ſacrum, qui etiam annuis reditibus Couentriæ & Briſtoliæ, aliarúmque plus minus 30. ciuitatum ærária publica locupletauit: cuius fidem, pietatem, certam in Chriſto fiduciam ipſe Campianus nobis præſentibus in funebri oratione prædicauit, & apertè ſignificauit ſuos Pontificios, principes, epiſcopos, Oxoniæ & Cantabrigię collegia erexiſſe quidem: ſed in maxima rerum vilitate, & multorum opibus adiutos. Quamobrem cùm in paucitate frequens, in tenebris clara ſatis fuerit Eccleſia noſtra, neque vnquam ſacramentorum vſu, nec doctorum miniſterio, nec magnatum præſidio, nec bonorum teſtimonio, nec templorum commoditate, nec Chriſti denique præſentia deſtituta: inſignis impudentiæ vel craſſæ ignorantię videri poſſit Eccleſię nomen & naturam nobis denegare, aut excellentiorem aliquam eius formam aut pulchritudinem deſiderare. Adhuc tamen non videbunt Eccleſiam noſtram ante Lutherum & alios anteceſſores? Montem non videt, inquit Auguſtinus, nolo mireris, oculos non habent. Cyrillus, Veritas ipſa etſi deſpectos aſſumpſerit, claros eos facit vel oſtendit, mendacium autem, etſi cum fortibus fuerit, imbecilles eos mōſtrat. Hæc veritas vbicūque eſt, ibi Eccleſiæ ſedes alia quæ iactant, vt pote templa, numerum, potētiam, &c. habemus quidē, ſed nō ſunt populi Dei certa indicia: Quod nunc proponemus & probabimus.

In Ioann. Alia demonstratio Eccleſiæ Protestantium ex ſucceſſione doctrinæ.

APOSTOLVS ſicut ipſe à Chriſto ſua didicit, cū carne & ſanguine non contulit, idem commen-

dauit Ecclesiæ perpetuam Regulam, Custodi depositum, Quod depositi nomen Latinum Anglorhemenses. Propagatio doctrinæ Apostolicę. 2. Tim. 1. Anglorhemēses in sua versione Anglica absurdè retinēt: & in Scholiis ad sua opera bona & afflictiones pro Papismo apud Deum in cœlo reposita ineptissimè detorquēt: nec Scripturę autoritatē reueriti, nec veterum interpretationem secuti. Sic enim explanat Vincentius, Quid est depositū? Id quod tibi creditum est, non quod à te inuentum, quod accepisti nō quod excogitasti. Ex quo sunt nobis duo colligenda & perscrutanda: quid apud Ecclesiam deposuerit Dominus, & qua fide id custodierit Ecclesia. Quæcunque enim Ecclesia depositi Dominici fidelis custos est, quod ei est creditum, quod accepit retinēs, & Apostoli iudicio, & Vincentij sensu & assensu, vera est Ecclesia: quæ autē non custodit, sed inuentis suis fruitur, & cogitationibus suis indulget, adulterina. Vnum ego inter nos & Antagonistas controuersum proponam: nam ex vno reliqua iudicari facile est, & singula consectari, hac Responsione mea, infinitum est. Pepigit nobiscum fœdus gratiæ Dominus Iesus in Cœna vltima & mystica, Nouum Testamentum, de reconciliatione & remissione peccatorum per crucem suam, quod pane symbolo corporis, vino figillo sanguinis ratum firmumq; esse voluit: vtrumque legauit, vtrumq; dedit, de vtroque præceptum reliquit, & dixit omnibus discipulis, ministris, christianis fidelibus, præsentibus, futuris, Accipite, & de poculo disertè quasi Satanæ nouum institutum & consilium præuidens venientiq; malo occursurus, Bibite ex hoc omnes, Hoc depositum nos inuenimus, vt omnes vtramque partem Eucharistiæ percipiant. Romanæ Ecclesiæ alia inuentio est, hoc depositū nō custodit, semel in anno panē fidelib⁹ laicis porrigit, calicē

Cont. hæres.

Doctrina Catholica de integra communione contra Missā siccam.

Mat. 26.

In Cens. Col. F302.

consecratum sacerdotibus reseruat, & vniuersalē notam, ad Omnes scilicet, Apostolos coarctat & contrahit: & in reformatione Missalis Romani Pius Quintus nuper vt populo gratificetur, ordinat, vt Sacerdos corpus & calicem eleuet, & populo reuerenter totam hostiam adorandam ostendat: concludens populum non Actorem sed spectatorem esse debere. Vtra Ecclesia depositum à Christo melius seruet, Academicos tanquam arbitros honorarios, ad quos prouocauit Campianus, deligamus, vt ex certa tā doctrinæ quàm personarū successione, & ex continuata Ecclesię praxi, sententiā interponāt. Apostolicæ Ecclesiæ mētem hanc fuisse ex Apostolo Paulo, qui Spiritum Dei habuit, optimeq; verba Christi intelligere potuit, euidentissimè liquebit. Sic enim non sacerdotes aut Apostolos, sed omnes fratres sibi charissimos commonefacit, eandem esse patrum Iudæorum & fratrum Christianorum escam spiritualem, eundem potum spiritualem: Calicem benedictionis esse cōmunicationem sanguinis Christi, illosq́ omnes sic alloquitur, Non potestis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum: vnde vsus Corinthiacæ Ecclesiæ patet. Repetens autem Christi institutionem, Depositū Domini, sicut Vincentius modò locutus est, tanquam vetus Christi discipulus reponit, Quod accepit à Domino, Corinthiis tradidit: de pane vt capiant & comedant: de calice, vbi Nouum Testamentum confirmatum est in sanguine, Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & CALICEM bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: vtroq; modo Christi mors non tantū vsq; ad Constantienſium patrum aduentum, sed vsque ad Christi secundum

In Præf. Miss.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

aduentum annunciari debet. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini: si alterutrum omiseris, si vtrumque non feceris, aut si indignè sumpseris, reatus est, peccatum est. Sequitur, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Non permissio sed præceptio est. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat: en iudicium en pœna est. Hoc est Pauli Deuteronomium, hæc Paulina institutionis Christianæ repetitio: vtram que speciem non ex se sed à Christo, ex adiacentibus, consequentibus, mandando, minando Ecclesiæ vniuersæ, CVICVNQVE fratri verbis multis, sententiis clarissimis iterum iterumque commendat tanquam Christi Depositum: nec est vnius ætatis sed omnium temporum norma & formula. Neque solùm Berengarius in Gallia, aut Waldus Lugduni, aut Wicleuus in Anglia, aut Hussius in Bohemia, aut Lutherus Wittenbergæ, aut Caluinus Geneuæ, aut alij noui Protestantes nouissimis hisce diebus nunc primùm inculcarunt: Catholica est omnium ætatum, & Ecclesiarum confessio. Itaque lapsus est etiam Nicolaus Sanderus, qui non alium autorem Communionis sub vtraque specie quàm Petrum Dresensem aut Iacobellum Misnensem in sua Monarchia visibili videre potuit. Etenim vt Dionysium in sua Hierachia, Iustinum Martyrem in Apologia aliosque Apostolicæ & primitiuæ Ecclesiæ patres silentio præteream, ex quibus hæc administrādi ratio planissimè cernitur: Ignatius antiquus scriptor & Martyr scribit, Vnus panis pro omnibus confractus & vnus calix totius Ecclesiæ. Et in Liturgia quam Iacobo tribuunt, integra communio populo datur, populus respondet, nō clericus solus, populo

I. 7.

Dion. c. 5. Iust in Ap. 2.

Ad Philadelph.

populo non sacerdoti soli poculum distribuitur, populo clamatur, Sancta sanctis: quomodo etiam in Liturgia quam Basilii esse volunt, & in sermone de Baptismo: quomodo etiam illius æqualis & familiaris Gregorius Nazianzenus tantùm non præcepit, Absque confusione & dubio, comede corpus & bibe sanguinem, si saltem vitæ desiderio teneris: quibus Chrysostomus in Epist. ad Ephes. & in Enceniis & ad Corinthios, Est, inquit, vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est horrendis mysteriis. Similiter enim omnes, vt illa percipiamus digni habemur: & manifestam differentiam inter sacerdotes Leuiticos & Ministros Euangelicos statuit, qua omnē illam effrontem arrogantiam & audaciam sacerdotum laicis se præferendi retundit, Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, " partem autem populus, & non licebat populo " participem esse eorum, quorum particeps erat sa- " cerdos: sed nunc non sic, verùm omnibus vnum a corpus proponitur, & poculum vnum: quomodo etiam Optatus, Cùm in altaribus vota POPVLI portata esse dixisset, Quid est altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Quomodo Augustinus, eandem cum Chrysostomo æqualitatem ministri & populi ostendēs, In nomine Christi iam tanquam ad Christi calicem venistis, & ibi vos estis in mensa, & in calice nobiscum vos estis: simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul viuimus: quomodo Prosper, Cùm frangitur hostia, dū sanguis de calice in ora fideliū funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio ciúsque sanguinis de latere effusio " DESIGNATVR, id est, significatur? quomodo Cy- " prianus in Sermone de lapsis loquens de puella, cui diaconus licet reluctanti de sacramen-o

In Or. in Sanctum Pascha.

Cap. 2. 2. Cor. 5. H. 18.

L. 6.

De Consd. 2. Quia Passus.

In l. Sententent. de conf. d. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

calicis infundit: & ad Cornelium P. epistola secunda & alibi. Quinimò sic Patres illum locum Apostoli ad Corinthios interpretati sunt, vt Iesuitarum opinio non immeritò explodenda esse videatur, qui tradiderunt contra Pauli Traditionem ad Apostolos & Sacerdotes eam Christi ge-

Ambr. in 1. Cor. 11. neralem sententiam pertinere. Aliter Ambros. & rationem quoque reddit cur ambæ partes recipi „ debeant, Sub vtraque specie sumitur, quod ad v- „ trumque valet, quia sub vtraque sumitur ipse to- „ tus Christus. Sed si in altera tantùm sumeretur, ad „ alterius tantùm, id est, animæ vel corporis, non „ vtriusque pariter tuitionem valere significare-

Ibidem Hier. tur. Aliter Hieronymus, nec sine ratione, Dominica Cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis qui aderat æqualiter tradidit sacramenta, & alibi Sacerdotes Eucharistiæ seruientes, sanguinem Domini populis eius diuisisse sua ætate, confirmat. Aliter quàm Iesuitæ

In Zophon. c. 3. exposuit ipse eorum Anselmus & eadem ratione qua Hieronymus, Cœna dominica cõmunis esse debet omnibus Christianis, sicut Christus cũ suis discipulis communiter cœnauit. Vtraque specie communicarunt omnes ferè Ecclesiæ: Ecclesia, in

Theod. in Eccl. hist. l. 5. c. 18. qua Theodosius vixit, cui Ambrosius corã & palam dixit, Qua temeritate ore tuo poculum san-

In l. de I- mag. 4. c. 14. guinis precioſi percipies quando furore verborũ tuorum tantus iniustè est sanguis effusus? Communicauit Ecclesia in qua Carolus Magnus fuit, Corporis & sanguinis Dominici mysteriũ quotidie in Sacramento à fidelibus sumitur. Sic communicarũt ambo Imperatores, vno modo duplici specie in diuersis Ecclesiis. De Conciliis nihil dicam hîc, infrà locus erit commodior. Non discor-

De Conſ. d. 2. Comperimus. dant aliæ Ecclesiæ, nõ antiqua Romana, sicut Gelasius indicat notans errorem eorum, qui sumpta sacri

sacri corporis portione à calice abstinuerunt, & vocans hanc diuisionem superstitionem, & sacrilegium. Romanæ Ecclesiæ consuetudo constat ex decreto Anacleti, quãquam & hoc ad Calixtum Epist. 1. de Conſ. d. 2. refertur, vt omnes communicent qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: quantumuis Glossator perperam de ministrantibus intelligat. Romanum morem indicasse videtur & Beatus Rhenanus, Laicos olim canna solitos haurire domi- „ nicum sanguinem ex calice: sicuti etiamnum Ro- „ manus Pontifex aureo calamo cum diacono & „ subdiacono sugit sanguinem. Et Bernardus qui- „ dam, Romanus ordo cõtradicit, qui in Parasceue De offi- cio Miſ. ſæ, cap. 20. vinum non consecratum cum dominica oratione & dominici corporis immissione iubet cõsecrare, vt Populus possit plenè cõmunicare. Longè Anno D. 350. De conſec. d. 2. vetustius & locupletius est testimonium Romani Pontificis Iulii, ad Ægypti Episcopos, Seorsum panis, seorsum calicis commendatio memoratur. Atque hîc iterum Iesuiticam stupiditatémne dicam an calliditatem, cõsiderate: Iesuitæ fabulantur temporibus Christi & Apostolorum fideles laicos altera tantùm specie participasse: Quod vt falsum esse ex hac tanta multitudine testium docuimus: ita primitiuæ Ecclesiæ hanc consuetudinem non solùm Apostoli & isti antiquissimi scriptores omni exceptione maiores, verùm etiam ipsorum fautores præcipui, nobis confirmabunt. Iulius iste in eadem Epistola. Cùm magister ve- De Conſ. d. 2. c. Cũ. ritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac sed panem tantùm & calicem hoc Sacramento cognoscimus dedisse: Legitur enim in Euangelica veritate, Accepit Iesus panem & calicem, & in tota illa Epi- De Inſtit. cler. l. 1. c. 32. stola de populo nõ minùs quàm de discipulis loquitur. Iulio aliquanto apertius Rabanus, Cum

„ benedictione & gratiarum actione primùm Do-
„ minus corporis & sanguinis sui sacramenta de-
„ dicauit,& Apostolis tradidit, quod exinde Apo-
„ stoli imitati fecere,& successores suos facere do-
„ cuerunt, quod & nunc per totum orbem terra-
rum generaliter tota custodit Ecclesia.Non obscu-
In.Can. Miss.lect. 84. rè hunc morem primitiuæ Ecclesiæ innuit Ga-
briel Biel, Olim Quæstio illa,vtrum populus fi-
delis participaturus Eucharistiam, teneatur eam
sumere sub vtraque specie, poterat esse dubia.
Quod mussitando & tusiendo vix profert Biel,
In Ratio-nal. Diuinorum l. 4.ca.1. exprimet apertè nulla vsus circuitione Duran-
dus,Apostolos frequentasse mysterium,sicut Apo
stolus Corinthiis protestatur dicens, Quod acce-
pi à Domino, In primitiua Ecclesia singulis die-
bus omnes qui celebrationi missarum intererãt,
(Missam per abusionem vocitans) communicare
solebãt, eò quòd Apostoli omnes de calice bibe-
runt,Domino dicente, Bibite ex eo omnes. Ite-
rum,Offerebant magnum panem & omnibus suf
De Cons. d.2. Li.3. de Offi-ciis in præfat. ficientem. Apertissimè Amatharius Treuirensis
Archiepiscopus,Satis esset sine cantoribus & le-
ctoribus & cæteris quæ ibi aguntur, sola benedi-
ctio Episcoporum aut presbyterorum ad benedi
cendum panem & vinum,quo reficeretur POPV-
LVS ad animarum salutem,sicut PRIMO EVIS
temporibus fiebat apud Apostolos. Quin & ipse
adeo Cochlæus testis est huius Apostolicæ con-
Con. Mus-cul. de sacrif. Missæ. suetudinis,Olim tum sacerdotes, tum laici qui-
cunque intererant sacrificio Missæ peracta obla-
tione cum sacrificante communicabant, sicut ex
Canonibus Apostolorum,& ex libris atque Epi-
stolis antiquissimorum Ecclesiæ doctorum perspi
cuè cognoscitur.Iodocus Clitouæus,in Homilia
de Tempore Ser.septimo,Dedit Apostolis voluit
eorum ministerio ac officio ambo illa animæ no-
stræ

stræ enutrienda adminicula,toti suæ Ecclesię tra-
di atque singulis fidelibus loco,tempore, & mo-
do congruenti. Quorsum plura,cùm hæc nimis
multa videri possint? Apostolicam cõsuetudinem
& item Romanæ Ecclesiæ ritum Calixtus simul
complexus est. Sic enim & Apostoli statuerunt,& Li. de re-bus Eccle siasticis, c.22.
sancta Romana tenet Ecclesia. Complexus est e-
tiam VValafridus Strabo vtrumque, Relatio ma-
iorum est, ita PRIMIS temporibus missas fieri
solitas sicut modò in Parasceue Paschæ (in quo
die apud Romanos missæ non aguntur) commu-
nicare solemus,id est præmissa oratione Domini-
ca adhibita, eos corpori Dominico & sanguini
communicasse,quos ratio permittebat.Præter has
Ecclesias Apostolicas,& Romanam,aliásque quas
recensui: vtraque specie vtuntur etiam Ecclesiæ
Græca,Armeniaca,Syriaca,Æthiopica,Moscouitica,Ecclesiæ Preste Ioannis,Asiatica, Macedonica,Mœsica, Valarhica,imò Aphricana,Germanicæ,Gallicæ, Anglicæ,Scoticæ alięque complures.
De Ruthenis & Bohemis idem narrat Andreas Fricius, istorum laicos hoc more modóque A-postolico communicare. Notum est obtinuisse à Li.4.de Ecclesia, Concilio Basilienſi Bohemos,vt in Bohemia & in Marchionatu Morauiæ ita sumerent: quod etiam ipsorum confessio quæ extat,satis probabit.Quãuis autem alii pro vino lac,alii intinctum panem, alii infusam Eucharistiam, Indi qui vinum non habent, succum vuarum siccarum reciperent: in eo tamen abundè protestantur Romanam no-uam legem de vna specie sibi displicere. Postremò Ratio quam modò Ambrosius apposuit, af-fertur eadem ab ipsorum Magistris & Scholasticis. Lombardi ratio est, sic concludit,Ideò ergo in duabus speciebus celebratur, vt animæ Li.4.d.12. & carnis susceptio in Christo, & vtriusque libe-

ratio in nobis significetur. Ratio est & Thomæ Aquinatis, Corpus exhibetur pro salute
De Conf. d.2. corporis, & sanguis pro salute animæ. Eadem ratio Glossatoris, Nec superfluè sumitur sub vtraque specie: nam species panis ad carnem, & species vini ad animam refertur. Ratio quoque
s.Matt.26. à Lyrano affertur. Ratio alia & ferè eadem est
» Ruardi Tapperi, Habito respectu ad Sacramen-
» tum eiúsque perfectionem magis conueniret sub
» vtraque specie fieri Communionem, quàm sub
» altera tantùm. Quid his tot suffragiis ad speciem luculentius, ad fidem plenius dici poterit? Desiderant audire Christum? Matthæus, Marcus, Lucas concordant. Quærunt expositionem certam & claram verborum? Paulus id egregiè præstitit. Sunt antiquitatis cupidi? Apostolicum & primitiuum Ecclesiæ ritũ & vsum ex multis reteximus. Colunt patres? Dixit Ambrosius, Hieronymus, Græci, Latini scriptores. Amant suos? Nobiscum facere & Papas & scholasticos probauimus. Auent veterem hymnum, in sua Ecclesia cãtillatum audire? Ecce in promptu est,

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & tristibus sanguinis poculum,
Dicens, Accipite, quod tradit vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Cupiunt videre Ecclesiarum multarum in hac doctrina consensum? In Asia, Aphrica, Europa, in toto ferè orbe terrarum communicandi mos sub vtraque specie vel vsurpatur vel præfertur. Volunt autoritate percelli? Dedimus exempla Imperatorum. Malunt rationibus moueri? Ambrosius, Magister, Thomas, Glossator, Ruardus ratiocinati sunt, quid magis conueniat, quid perfectius sit, quid significantius, quid Institutioni Christi accommodatius. Volunt vnum discrimen verum ex Glossa

Glossa accipere, Hoc antiquum est: nam hoc vi- De Conf.
detur hodie relictum arbitrio cuiuslibet. Ergo d.2.
vtrum antiquitatem nostram suæ nouitati, vsum abusui, Christi institutionem hominum traditioni, sanam Apostoli & patrum interpretationem inepto Iesuitarum Glossemati, Catholicam omnium Ecclesiarum & veterum & recentiorum consensionem soli Romanæ Ecclesiæ & Pontificiorum ordinationi, nostram perpetuam ab omni vetustate ad hunc vsque diem in vera doctrina propagationem, ipsorum commentitiæ successioni præferre maluerint, secum ipsi dispiciant, secum consilium ineant, & à vobis, clarissimi viri, qui & peritiores magistri & æquiores iudices estis, condiscant. Vnum doctrinæ nostræ ramusculum eiúsque propaginem denudaui: liceret eadem methodo & via per alios nostræ religionis articulos ad nostram vsque ætatem decurrere, & initium à Deo & Christo, & progressum per antiquiores & nouos optimæ fidei homines, per singulos per congregatos in Conciliis ob oculos ponere, loca, homines, Magistratus, ministros, fautores, sectatores numero multos, doctrina magnos, autoritate suspiciendos producere. Deus enim omnibus temporibus, in omnibus locis dedit nobis prophetas, Doctores, auditores, studiosos veritatis Euangelicæ: qui in Oriente, Occidente, in Asia, Aphrica, Europa eandem doctrinam vel in totum vel ex parte, secuti sunt & professi, quæ sigillatim si mea solùm percurreret oratio, in iustum volumen excresceret. Strictim tamen aliquid dicam, & euoluam atque explicabo latius, quæ astutè Campianus vna sarcinula complicat, & duodenario ferè hominum numero comprehendit: vt omnibus liqueat Dominũ in aliquo angulo tanquam in Sarepta viduam suam Ecclesiã,

aut etiam in aliquo regno, vt olim Christum infantem in Ægypto conseruare, nec à Luthero
Stap.l.13. nostram sectam traxisse originem, vt Stapletonus innuit.

QVANQVAM nimis verè dixit Hieronymus suo tempore Corinthiis, Athenienſibus, Arcadibus, totíque Græciæ imperasse Barbaros: & Basilius, communem animarum hostem Apostasię semina ex Oriente per vniuersum mundum dispersisse: hodie etiam alieno Domino Turcico parent miseri: tamen nostram religionem in Oriente primò ortam, & in Græcia pòst auctam fuisse, & nunc receptam esse, nemo qui historias vel à limine salutauit, potest ignorare. Non enim assentior nostro Stapletono, qui contra D. Fulconis veriorem sentẽtiam defendit Ecclesiam Romanam esse antiquissimam, nec ab Oriente EVANGELIVM Romam aut Occidentalem Ecclesiam accepisse, nisi vbi Orientis nomine ipsa Hierusalem intelligitur: quod ex scripturis sacris & ex historia
Sozom.l. 3.c 7. Ecclesiastica, & ex Synodo Nicena, imò ex Græca Noui testamenti scriptione, & ex Epistolis Apostolorum & Pauli imprimis doctoris gentiũ conuincitur: & ex Basilio ad Gregorium Theologum
Epist.20. qui EVANGELIVM non tantùm ex Hierusalẽ sed ἀπὸ τῶν ἡλιοτρόπων τόπων in totum terrarum orbem exiuisse, luculentissimè declarat. In Oratione Gallicanę Nationis de Annatis non soluendis sic habetur disertè Græcam Ecclesiam præcessisse Romanam, ibique Petrum Antiochiæ, Iacobum Hierosolymis sedisse. Et quis nescit in Antiochena Ecclesia Christianos hoc nominis sortitos, & id aliis communicatum esse? Scimus & fatemur Romam fuisse primam buccinam Euangelij in aliquot occiduę Europæ partibus, sed illam Oriens illuminauit, quam occidens nunc obscurat. Hic igitur

Orientalis Ecclesia prima & antiquior Romana.

igitur locum habere potest illud, An à vobis Romanistæ, sermo Dei profectus est? Imò verò vt ortum sic progressum in eadem Dominicæ & Apostolicę doctrinæ successione illud Athanasij demonstrat, quod & nobis conuenit, Non nupera aut nouitia res est Canonum Ecclesiasticorum institutio, sed à primis vsque patribus per manus tradita est & fundata in Ecclesiis, neque nunc tandem fides suum initium sumpsit, sed ab ipso Domino opera discipulorum in nostram vsque ætatem propagata est. Itaque quemadmodum ex Oriente velut scaturigine doctrinæ salutaris riuuli promanarunt, sic per aliquot Apostolorum successores in diuersis locis & temporibus in omnem orbem terrarum inundarunt: sicut ex fragmentis Melitonis Episcopi Sardensis, & Dionysij Corinthiaci & ex monumentis alterius Dionisij, Clementis, Iustini, Basilij, Chrysostomi, & huius Athanasij atque aliorum constat: qui fortasis Romæ Ecclesiam florentem suspexerunt & coluerũt, partim quia sub Romano imperio gẽtes loco
1. Iudęorum inferendæ erant: partim quia confessores multi afflicti quandoque huc tanquam ad Asylum profugerunt, partim quia innumerabiles
2. martyrio hìc coronati sunt, partim etiam vt nemini non manifestum esset, non locum, non antiquitatem, de quibus Oriens gloriari poterat, sed
3. doctrinæ & fidei successionẽ fundare & condecorare Ecclesiam: sed tamen Græci scriptores hãc
4. inclinationem vel occasum potius religionis: in Occidente neque vnquam nouerunt, nec probare voluissent. Obeamus ergo terras: & aliquot regiones in Oriente, in Græcia, in remotioribus gentibus perlustremus, & sicuti iubet Campianus, perquiramus, an ea loca omnia Romanus

Ad Orto in perfec.

Causæ Celebritatis Romanæ Ecclesiæ.

Eccle. Græca.

Pontifex pseudeuangelio suo impleuerit, an potius illic fœlix hospitium inuenerit nostra Ecclesia. Græciam enim Romanensium potestati non esse subditam facilè ipsi donabunt, quam schismaticam appellant. Sed liceat hîc mihi vti verbis Optati, pro nobis Orientalis Ecclesiæ amicis, aduersus inimicos nostros Romanos Donatistas, vnde est quòd Catholicos quasi pollutos

Opt. l. 6. „ appellatis? An quia voluntatem & iussionem Dei
„ secuti sumus, amando pacem, communicando
„ toti orbi terrarum, societati Orientalibus vbi se-
„ cundum hominem suum natus est Christus? vbi
„ eius sancta sunt impressa vestigia? vbi ambula-
„ uerunt adorandi pedes? vbi ab ipso factæ sunt
„ tot & tantæ virtutes? vbi eum sunt tot Apostoli
„ comitati? vbi est septiformis ecclesia? Aqua con-
cisos esse, non solùm non doletis, sed quodammodo gratulamini? Non enim Orientales se ab Occidente, sed Occidentales ab Oriente, & ab illa primœua Ecclesia abscesserunt. Græci quidem hodie Athenis & alibi politiores literas & suæ linguæ elegantiam neglexisse dicuntur: atque iccirco fieri potest vt multa in religione non satis defecata admiscuerint & admiserint. Fracti bellis, eneruati discordiis, oppressi tributo, tamen in media Turcia tolerantur & ministerium publicum & exercitium nostræ religionis passim ac sparsim, vt fama & libri testantur, retinent. Politia & gubernatio Ecclesiarum huiusmodi est, Rhombum Romanum apud se regnare non sinût, suam vitem seu oliuam domesticam præferunt. Cúmque post Gregorii tempora Phocas primatum ad se raperet, Græcia sibi potius vendicauit, Romano Papæ repugnauit. Constantinopolis enim templa habet, & Bizantini Patriarchæ sedes est, cui obtemperant eius diœceseos incolæ quæ

Athenienses.

est amplissima, totam Græciam, Seruiam Bulgariam, Thraciam, VValachiam, Moldauiam, Russiam, insulas maris Ægæi, & Asiam minorem continens. Sic enim narrat in quadam Oratione D. Chytræus, ad quem Patriarcha Constantinopolitanus literas misit, qui & ipse non modò oculis in charta, sed pedibus bonam illius terræ partem legatus peragrauit. Hîc non forum Romanum venale aut plumbeum, non Confistorium vnius Papæ & Harpyarum aut vulturum, non gladii politici administratio, sed presbyterium, in quo disciplinæ moderatio est, & morum censura, & litium decisio. Græcorum & Orientalium ritus nonnihil à moribus nouorum Romanorum dissident: Quippe Vetus Roma simpliciores ceremonias habuit, pòst morbi & vitia inoleuerunt, vt in rebus præstantissimis fieri solet, Cassander. Veteres & Orientales communi vestimento celebrare soliti sunt, Romani missant vestitu deaurato circumamicti varietatibus, Valafredus. Græci negant Purgatorium post hanc vitam, Nauclerus. Romani animas in purgatorium ergastulum compingunt, & inde liberant. Græci afferunt suum Patriarcham Constantinopolitanum Romano Pontifice nihilo esse inferiorem. Idem: qui hoc putat esse hæreticum. Græci celebrant in pane fermentato, & magno, Idem & Durandus: Romani placentula, quos propterea vocant Azymitas. Græci ordinati in sacris vtuntur matrimonio, & Eckius, Græci & Calabri habent vxores, Romani interdicunt. Græci barbam nutriunt, Romani rasi & vncti sunt: Græci dant sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie, Idem, Romani priuant calice populum. Græci non ornant templa sculptilibus. Chytræus. Romanorum templa ima-

In Orat. post reditum.

Græcę Ecclesię collatio cum Romana.

In Epistola. c. 25.

Gen. 49.

In locis com.

gunculis referta, solida pietate vacua sunt. Græci in Liturgia vulgari idiomate precantur, quod Syri, Æthyopes & alii multi conseruant: soli Romani latinè barbarizant. Græci sicut & Cæsarienses, Antiocheni pro defunctis nõ habent sacrificium propitiatorium: At hæc Missa Romanorum Lais est aut Thais, aut Helena charissima, pro qua tanquam pro aris & focis contendunt. Græci tanto odio prosequuti sunt Latinam Ecclesiam, vt eorum linguam vocarent barbaram & Scythicam, altaria eorum nisi prius lota non vsurparent. Sanderus, Hosius. Quod autem Antagonistæ strepunt Orientales propter hanc suam à Romana Apost. siam iustè diuinitus puniri: errant, & blandiendo sibi & Ecclesiæ suæ tanquam Suffeni falluntur. Nilus enim Episcopus Thessalonicensis ante annos ducentos causam schismatis in Romano Pontifice reiicit: qui Papæ imperium in Patriarchas negat, Papam in errore hærere posse affirmat. Quòd autem in Concilio Florentino vnionem & pacem Græcorum & Latinorum prædicant: primùm non fuit diuturna, nec Orientalibus placuit: ideóque huic decreto non stetit, quod Nicolaus Papa Imperatori exprobrat. Dein controuersiæ de Purgatorio, principatu Papę, & aliis sola contentione extractę sunt, non legitima disputatione conclusæ. Imperator reuersus domum sæpe solicitatus à Romano pontifice, vix tandem annuit, sed mortuus est, & à clero suo non sepultus: Archiepiscopus autem Constantinopolitanus à cœna in penetrale domus suæ ingressus inter scribendum tremore & languore animi correptus subitò occubuit: Papa Eugenius à Ferraria propter pestem Florentiam Concilium trãsferre coactus, ipse fortunam non satis propitiam expertus est: vt hîc commodè illud

Abb. Vrs per. pa. 428.

Garranzain sum. Con.

illud occini possit, Iustus es Domine, & recta iudicia tua. Illud sanè constat de processione Spiritus sancti maximè disputatum fuisse & determinatum: qua de re legatur Bap. Egnatius libro septimo. Rursus quod de quodam Armeniorum Patriarcha scribit Stapletonus ab eo confessionem pro papistis editam nihil inde conficit, scilicet Romæ licet quiduis & scribere & proscribere. At quid valet contra receptam & celebratam illarũ Ecclesiarum consuetudinem vnius miseri hominis vocula? Armenij iamdudum Romano Pontifici aduersati sunt: Nouum Testamentum & Dauidicum Psalterium in linguam Armenicam à Chrysostomo versam habuerunt, omnes Armenicè loquuntur & Ministri linguam populus intelligit, ministri contrahunt matrimonium: ministrant calicem, vino aquam non miscent, iubẽt exire omnes qui non communicant: Purgatorium non recipiunt, nec liberum arbitrium, vt ex Guidone citat ipse Stapletonus: suo obẽdiunt Patriarchæ, denique libera est Euangelij prædicatio & professio. Estne hæc Pontificiorum confessio, annon potius nostra? In Aphricæ regnis nulli missæ locus est, sed communioni, In Aphrica Prester Ioannes longè lateque imperat quadraginta regna in sua ditione habere dicitur. Ille non Eleuationem, non linguam ignotam aut alienam, non Sacramentum mutilatum admittit vel approbat: vbi nõ libo paruo sed magno communicatur. Addamus istis Munsteri elogium, Colit hic Preto Ioannes Christum & habet Euãgelium, sed in ceremoniis dissidet à Romana Ecclesia, Cõfirmationem & extremam olei vnctionem non habent pro Sacramento, neque comedunt ex lege Apostolorũ &c. Asserunt inprimis Philippum Apostolum apud eos prædicasse Euan

In liturgia Armeniorum.

Cassãder, & ex l. ob ser. Petr. Bellaij. 3. cap. 12.

Stapletõ. ex Guidone de hæres.

Preto Ioannes. Chytræus

6 Cosmo.

gelium, deinde dicunt constitutum à sanctis Apostolis in SYNODORVM libris, quos se habere dicunt clericos vxores posse ducere. Obiuimus terram, Campiano morem gessimus, Stapletono loca, domos, villas, principes, regiones, regna multa ostendimus: an perpetuò cæcutient in hoc sole Orientis? an nihil adhuc videbunt pontificij vespertiliones? An pergent Constantio Arriano esse similes? Ille enim Liberio obiecit, solum Catholicum fuisse Athanasium, derelictum ab omnibus. Et tamen legimus plures quàm quadringentos cum Athanasio fouisse communionem, è Roma, viuersa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Brutia, Sicilia, Sardinia, Corsica, tum ex vniuersa Aphrica, Galliis, BRITANNIA, Hispaniis, vnà cum Magno illo Confessore Hosio è Pannoniis. Adeò in nostris Ecclesiis luscioſi sunt, in suis lyncei? scilicet peritos esse necesse est eos, qui silentium quid sit, intelligant, vt bellissimè Cicero: ita valde oculatos, qui id quod nusquam vnquam apparuit, videre, & admodum disertos esse oportet, qui quod non est, referre tamen & iactare possunt. Atqui duos soles videre mihi videor, inquiebat ille bonus senex Thebanus, cùm fortassis nullum solem tum videre potuit homo ebrius: sic isti in suo cœlo aut solo vident multos soles & lumina Ecclesiæ suæ: at licet in Asia, Aphrica, Europa nostras Ecclesias monstrauerimus, nullam tamen faculam adhuc aspiciunt. Prætereo Scythiam, de qua Valafredus suo tempore sacra vernaculo sermone peragi consueuisse: Transeo Ecclesias Ægyptiacas, Ruthenicas, Moscouiticas. Iterũ oculos illinant & inungant, & aliã mundi Mappam, alios Ecclesiæ nostræ consortes & communicatores intueantur. De Sclauis Tilmanus Pontificius, Hinc Sclaui Sclauonicè, impe-

Athan. ad solitariã vitam agentes.

l. de Diuinat.

Clẽ. Alex Pæd l. 2.

ca. 7.

impetrante Hieronymo. Imò Methodius Illyricus fertur sacras literas in linguã Sclauonicã vertisse, & ceremonias Romanas explosisse. Et ibidẽ Tilmannus de Indis, quos tamẽ Iesuitæ suos tanquam proselytos lambunt & deosculantur: Indi Australes permittente sede Apostolica (scilicet) rem diuinam in lingua sua vulgata faciunt. Sic permittit Regi Galliarum totum sacramentum percipere: cur non idem licebit Reginæ Angliç? cur non cæteris Regibus & regnis? Qua fretus autoritate, quo iure nixus Pontifex vni permittit, alteri interdicit? nisi quod commune est omnium Christianorum, ipse suum & proprium faciat, quod dispensationibus viam præstruat, fiscum Romanum augeat, patrimonium Christi & Christianorum exhauriat? Budæ in summo templo concionari protestantem, & in citeriore parte Hungariæ non paucas esse repurgatæ religionis Ecclesias, Chytræus testatur. Sed quorsum hanc omnem memoriam antiquitatis colligo & repeto? Expandam & aperiam solùm quæ inuoluta sunt à Campiano.

Auent. l. 4.

Sleidã. l. 9

IOANNEM HVSSIVM verbo nominauit: sed reuera in vna eius persona claram Dei sobolem, magnum Christianæ Ecclesiæ incrementum includit. Nam licet Ioan. Hussius excellens vir multis incommodis affectus & afflictus Euangelij prædicatione ab Episcopo Pragensi ei interdicta & minis quoque adiectis, & postea in Concilio Constantiensi præter æquum & bonum contra fidem publicam datam pessimè tractatus, condemnatus, concremat us fuerit: tamen & ante Hussium natum, & post illum mortuũ in illis partibus mirum in modũ protestantiũ Ecclesia multiplicata est, & religio efflоruit. Hussitas Stapletonus quadraginta annis durasse ante Constantiẽse

Hussitarũ numerosa Ecclesia.

Concilium scribit, & locustas vocat ob multitudinem nimirum, Orebitarum, Taboritarum, Iacobitarum, Paulinorũ, sic enim appellat. D. Chytræus memorat ante Hussium Bohemos vtraque specie communicasse, & nonnulla Pontificiorum dogmata & abusus reprehendisse. Waldenses ibi ducentis annis antea docuisse, eamq; doctrinam in Morauia, Polonia, Silesia & in Balthici litoris regionibus dispersam fuisse. Hic Pragæ, pòst in sacello Bethlehem docẽdi munere functus, multorum beneuolentiam collegit, multorum animos conciliauit. Hic non solus nec incomitatus fuit, huius doctrinam Petrus Dresensis & Iacobellus Misnensis aliiq; cõplures promulgarunt: huic Wenceslaus rex ita fauit, vt eum desidia corruptum fuisse & inertia torpuisse Æneas Syluius calumnioſè dixerit, quia nimirum ad feriendum Dei hominem statim cum præposteris Petri successoribus gladium è vagina non eduxit. Numerus sic creuit, vt non procul à Tabor triginta circiter millia hominum conuenerint, atque ibi in campis tercentas mensas erexerint, & inde populo sacramentum duplici specie porrexerint, & posteà à rege ampliores Ecclesias petiuerint. Huius partes secuta & tutata est Regina Sophia: atque adeo ciuitates regiæ & multi nobiles. Huius sectatores aliquot in Germania cremati sunt, Wormatiæ, Spiræ, Ratisbonæ & alibi: In Bauaria duo ministri, quòd Hussitas assertores veritatis fuisse, & vitia duntaxat Flaminum & pontificum increpasse, iniuria demum adfectos pro concione dicerent, prouocantes ad Tribunal Christi, combusti sunt. Huius causam per literas ad Concilium Constantiense egerunt quinquaginta quatuor proceres Morauí & Bohemi vt supra attigi, audita morte Hussij & Hieronymi armati concurrunt, & duce

In hist. Boh. c. 35.

In hist. Bohe.

Auen. l. 7. Ann.

Abb. Vrsp. Pa. 402.

duce Ziſca quæcunq; sternunt obuia: vnde multa hominum millia cæsa tradit Syluius. Ab hoc eiusque exercitu oppidum Tabor conditum est, in quo hanc religionem retineri & foueri asserunt. Ziscæ quidem viri strenui epitaphium ita se habet, Catal. Testium.

Ioannes Ziſca vir militaris Bohemus, ſuperbiæ & auaritiæ
Clericorum ſeuerus vltor, ſignis collatis vndecies,
Semper victor, eſurientium iuſtiſſimam cauſam contra delicatos
Et ſaginatos ſacerdotes egregiè egit.

Narrat Cochlæus Hussium dixisse, sua sponte se venisse ad Concilium, alioqui tot amicorum præsidiis septus, in Bohemia multa potuisset habere contra omnium vim aduersariorum latibula. In quadam Inquisitione ante annos ducentos & triginta compertum est, inquit Illyricus, Bohemos misisse collectam in Lombardiam: Ex quibus nunc videre est etiam in hoc regno aliisque finitimis huius insignis Magistri plurimos discipulos & auditores & propugnatores extitisse. Cùm ergo noster Campianus in vnum Hussiũ oculos defixerat, debuisset de multitudine hac discẽtium, de ciuitatibus, de Bethlehẽ, de tẽplis, de Academia & scholis, de multis Ecclesiis, de regno nobilissimo, de Heroicis viris fortissimè Euangelij causam defendentibus cogitare: quos Dominus hodie etiam habet & protegit. In hist. Hussita. In Catal. Test. veritat.

Obiicitur deinde nobis Anglis Anglus Ioan. Wic. ille, vt loquitur Stapletonus, omnium istarum velitationum colophon: de quo sanè nõ possumus non optimè sentire, cùm etiam inimici de eo amicè scripserint, vt Waldenus ad ipsum Papam Martinum quintum obstupescens & admirans supra modum prægrandes eius assertiones, Religionis & Vvicleuistarum Propagatio.

autoritatum loca citata & rationum vehementias. Cochlæus à nobis & religione & natione alienus, quanquam malè doctus perabsurdè nomen VViclephi Ianuam impiæ vitæ Anglicè interpretatur, tamen hoc illi laudis tribuit, quòd fuerit ingenio acer, vehemens, acutus, libros plurimos, sermones, Tractatus à Thoma VValdeno Anglo & à Ioan. Prizibamo Bohemo commemoratos scripserit, quòd ex Anglia Episcopus quidam significarit, adhuc extare eius maxima volumina, quæ mole sua Augustini opera æquare videatur. Ille, tum temporis scribendo, disputando, prælegendo eam operam præclarè dedit, vt Bibliis etiam à se in linguam maternam transfusis, vulgus institueretur, articuli fidei, oratio Dominica, & decalogus potuerint à quouis idiomatè Anglico intelligi. Quòd aduersarii acriores sint, causa in promptu est, molliculum Papam nemo vnquã tractauit nec tetigit durius, cuius inter alios hic articulus legitur de fato Papæ quod optauit, vt in papam nemo alius post vrbanum sextũ, qui tum præfuit, reciperetur, sed viuendum more Græcorum legibus propriis. Hoc est caput causæ aggredi, Papam caput superbum Ecclesiæ confodere. De illo plura in parte prima Iesuitismi, & in hoc libro superius. Aliud nunc ago: vt demonstrem nos ad Wicleuum quantumuis omni genere donorum præstantem, tanquam ad caput & fontem nostram religionem non reuocare. Dein ex Wicleui prospero successu factam fuisse magnam accessionem nostræ Ecclesiæ, Regnum Angliæ regnum Dei olim dictum est: & sicut alia regna, sic hoc nostrum Præpotens Iehoua oculo prouidentiæ suæ dirigit, sceptro verbi regit, brachio fortitudinis defendit: Ab eo nos vt cæteræ gentes, legem & testimonium exposcimus:

In historia Hussitarum.

Ortus Christianissimi in Anglia ab Apostolis Polydor. in Hist. Angl.

Ille

Ille Christus nobis est instar Vrim & Thumim à quo colluſtramur & consummamur. Quemadmodum autem alii Apostoli in alias atque alias partes emissi sunt ad prædicandum Euangelium: ita & Anglia suum Apostolum vel potius Apostolicam doctrinam statim in Christianæ Ecclesiæ exordio accepit. Vanissima quæstio est, in qua fide Maiores nostri baptizati fuerunt. Patres enim nostri Christianæ & Apostolicę doctrinæ rudimentis imbuti sunt: & Deus ipse terram hanc natura sua absque Christo aridam & spinosam ab initio rore cœlestis gratiæ fœcundauit. Testis erit Polyd. Virgilius, Britannos à primordio Ecclesiæ & Euangelii fidem Christi amplexos esse: Testis Ioan. Faber ad Henricum Octauum, his verbis, Cecidit res breui fœliciter, adeò vt Apostolorum sonus in omnem terram exiuerit, & in fines orbis terræ. A solis ortu vsque ad Britanniæ occasum verba eorum. Hoc semen est Apostolicum, de quo omnes antiquissimi patres loquuntur, ex quo omnis sana religio succrescit, hoc inquam semen primum iactum est in terram Britannicam. Siue enim ad Paulum gentilium Ecclesiarum plantatorem, vt etiam Theodoretus innuere videtur, siue ad Ioſephum Arimathiensem à Philippo missum referamus originem: certè Apostolica fuit & diuina plantatio, verbo Dei sata & culta, cuius verbi cynosura, etiam in cæca nocte, etiam in omni scopulorum allisione tuta est nauigatio. Vinea Domini est exercituum, quam ipse sua dextera & ministerio Apostolorum plantauit: quam Eleutherii non Papæ sed Episcopi Romani ætate, regnante Lucio rigauit: quæ Origenis tempore non exaruit vt testatur in Ezechielem Homil. 4. Nec pòst religionem Romanam sed in celebratione Paschatis ritum

Lib. hist. Angl. Gildas. In orat. de potestate Turcarum Londini.

Th. de curandis Græc. affect. 9.

Do. Barnes de vitis Pont. Platina. Beda l. 1. Histor. Angl. c. 4. Theodor. Trip. h. l. 7. c. 3.

Orientalium obseruabat. Ecclesia nostra à Constantino Magno nostro septa & prouecta est: ad quam ipse sicut ad reliquas Ecclesias de Paschate scripsit Epistolam, vt cum Iudæis Christi parricidis ne in ipsa quidem Ceremoniarum similitudine conspiremus. Ecclesia nostra fidem suam à Nicena Synodo accepit. Sic enim scriptum est, In hac fide concordant omnes Ecclesiæ in Hispania & Britannia, nec nō in Galliis: Quis autem respectus fuerit tum ad Romanam Ecclesiam, dicat

Aduersus Iud. Æneas Syluius, Ecclesiæ huius fides ab ipso Tertulliano prædicatur, Britannorum inaccessa ROMANIS loca, Christo verò subdita &c. in quibus omnibus locis Christi nomen qui iam venit, re-

Ad Euag. l. 8. gnat. Hieronymus disputans de Romæ & aliarū vrbium æqualitate, Et Galliæ, inquit, & Britan-
„ niæ, & Aphricæ & Persis & Oriens & INDIA, &
„ omnes barbaræ nationes vnum Christum adorāt:
„ in quo mihi videtur eandem vnitatem cum veritate coniunctam in omnibus illis gentibus concludere, quæ tum Pontificis Romani potestati se non manciparunt. Norunt hanc Ecclesiam Athanasius & Chrysostomus, ille cum nostra synaxim

In Epist. ad solit. vitam agent In Homil. de Pentecost. seu communionem habens, hic, depulsa hinc barbara crudelitate & Anthropophagia, Euāgelium Ioannis à nobis recipi tum declarans. Videtis, credo, Ecclesiæ nostræ procreationem & propagationem: quam si Stapletonus appulsu Anglosaxonum per tot annos abruptā dicat, quomodo cum veritate & antiquitate cōsentiat, fateor me nondum posse assequi. Nam & in Israel prophetę suo munere functi sunt, scortante tamen Israele post Deos alienos, & fornicantibus regibus. Galfri-

Cir. an. 1150. H. Br. c. 4. dus etiam Britannus contrarium subindicat, In parte Britonum adhuc vigebat Christianitas, quia à tempore Eleutherij papæ habita inter eos

NVN-

NVNQVAM defecerat. Exceptus quidem fuit hic Augustinus Pseudoapostolus Monachus à Gregorio Magno legatus, sed quomodo euentus docuit: nam & Bangorensis Ecclesia amplissima re- Galf.
stitit, & Britanni tanquam superbum luciferum contempserunt, & boni Monachi tum manibus suis laborantes, circiter mille & ducenti legationem hanc non satis pacificam fuisse sanguinis sui effusione & vitæ amissione senserunt. Laudat Gregorius Aldibergam Reginam Anglorum propter singularem erga Augustinum suum humanitatem. Sed vtinā idem Gregorius meminisset quid ad Regem Aldibertum scripserit, Idolorum cultus insequere, fanorum ædificia euerte: quid item de Constantino prædicet: cuius vestigiis si insti- Quis illa fana condidit, & quibus?
tisset, nunquam eam cladem Ecclesiæ, nunquam reip. Britannicæ attulisset. Non erat hoc, vt Platinæ visum est, Christianæ fidei dogma integrè tra- In vita Greg.
dere, sed potius eius integritatem adulterare. Multò verius quàm isti noster Balæus, antiqua- Cent. 6.
rius suo tempore omnis laboris longè patientissimus, Continuis temporibus ab aduentu Anglorum in Britanniam, Spiritum sanctum nunquam excitare destitisse viros pios in eorum Ecclesiis, qui errores seculi quotidie inualescentes traducerent: Dedisse Bedam, Alcuinum, Serto, Ioan. Carnotensem, Erraldum, Nigellum, Neckamum, Lincolnienſem, Serallum, Baconthorpium, Occa- Sanderus.
mum, quem Ioannes vicesimus secundus excommunicauit, Hampolum, & Armacanum cum quibusdam eius scholæ aliis. Hic Armacanus & genere & literis & Archiepiscopatu & inprimis pietate nobilis vxorem & liberos habuit: idque Bal. Bernard in vi
pro more Hiberniæ ad hanc vsque ætatem, inquit ta Malachiæ.
Balæus, quæ multos protulit, qui Pontificatum Antonin.
in eadem familia per quindecim generationes

ducentos ferè annos sine capitis rasura administrabant, adeò vt Hadrianus quartus & Alexãder tertius Henrico secundo Anglorum Regi Hiberniæ Dominatum Bullis confirmauerit, vt eam sedi Pontificiæ rebellem & hæreticam opprimeret. Hæc narratio successionis in Ecclesia nostra primæ veræque religionis & baptismum nostrum in beatam Trinitatem, & Apostolicæ doctrinæ fundamentum, & Maiorum nostrorum institutionem, & nostrum in imitando officium satis edocet. Nam de Regibus Papæ reclamitantibus aliás. Lætentur ergo insulæ, lętentur diuisi toto orbe Britanni, quos Dominus Spiritu sancto & luce Euangelica dignatus est ante multa secula inuisere: Quia, vt verbis vtar Augustini, Verbum Dei
In. Ps. 97. non in sola continenti terra prædicatum est: sed etiam in insulis quæ constitutæ sunt in medio mari, & ipsæ PLENÆ CHRISTIANIS, plenę sunt seruis Dei. Non enim separat mare eum qui fecerat mare. Quò naues possunt accedere, verba Dei non possunt? Quare cùm insula hęc ab Apostolis cœperit, vt etiam Nicephorus ostendit,
Niceph. l. 2. c. 40. & Constãtini, Origenis, Tertulliani, Hieronymi, Chrysostomi, Athanasij, Augustini memoria sic perduraverit, & multorum virorum scriptis & concionibus in eadem vera religione confirmata fuerit: multum Deo clementissimo patri nostra debet Anglia, qui in posterioribus istius Papistici seculi tenebris nouos radios eiusdem suæ cognitionis Euangelicæ sparserit: & Stapletonus errorem suum recognoscat, dum ait, Ante VVicleuum totis ducentis annis nihil præsentibus hæresibus simile auditum est: cùm & patrum & Britannorum vererum & illorum VVicleui Antecessorum quos ipsemet commemorauit, & nostrorum hodie Anglorum hæresis eadem, id est,

est, religio simillima fuerit. Cęterùm hæc omitto, ad religiosam VVicleui prolem accedo. Neque enim ille noster solus aut orbus fuit, quia solus à Campiano nominatur. Nam qui in Anglia, in Bohemia, Germania dicto & scripto doctrinam suam diuulgauit, qui Edouardum tertium Regem potentissimum defensorem causę & patronum habuit, an solus esse potuit? Nam Regi Edouardo gratus, Richardo quoque secundo charus fuit: hic à multis nobilibus in honore habitus est: huius doctrina & disciplina sic imbuti sic transformati sunt Regni proceres, vt Papæ suos Petri denarios & Episcoporum electionem & Decimas ademerint, vt eius opera & doctrina potissimum D. Cobhamus, tum primum se peccatum odio habuisse & detestatum esse, ingenuè confessus fuerit: D. Montacutus omnia simulacra in Ecclesia sua disiecerit & diruerit: Prætor Londinensis insigne in fornicatores & adulteros exemplum statuerit, alij nonnulli ad veram religionem conuersi fuerint: ac nominatim Ioannes Puruæus aliique nonnulli de quibus in Defensione Oxonienſis Academię ad illustrissimum Comitem Leicestrensem Cancellarium dictũ est prolixius. Hinc ipsi aduersarij Ioannes Nider & Prateolus acrem ingenio, eloquentia lepidum nominat. Huic dedit præclarum Testimonium Academia Oxonienſis, de vita & doctrina, quod in fine operum Ioannis Husij extat in hęc ferè verba, VNIVERSIS sanctę matris Ecclesię filiis ad quos præsentes literę peruenerint, CANCELLARIVS vniuersitatis Oxonienſis cœtúsque magistrorum vnanimis, salutem in Domino sempiternam. Quia strenuorum facta, proborum laudes & merita, perpetuo non condecet silentio prętermitti, &c. Vobis igitur patefecimus per

In prima Part. Iesuit. in præf. ad Cõ. Leic.

Oxon. Academiæ testim. de VVicl.

"præsentes,quòd eius conuersatio ab annis teneris
"in tempus sui obitus continuata, sic præclara ex-
"titit & honesta,vt nunquam de ipso irretitio vel
"suspicionis siniſtræ ac infamiæ nota resperſa fue-
"rit:sed in respondendo,legendo,prædicando,de-
"terminando,laudabiliter se habuit,velut fidei for
"tis athleta singulos mendicitate spontanea Chri-
"sti religionem blasphemantes,sacræ Scripturę sé-
"tentiis Catholicè expugnauit. Nec fuerat præ-
"dictus Doctor pro hæretica prauitate conuictus,
"aut per nostros prælatos post eius humationem
"traditus incendiis. Absit enim quòd nostri præ-
"lati tantæ probitatis virum pro hęretico condem-
"nassent,qui in logicalibus,Philosophicis,& Theo
"logicis,ac moralibus & speculatiuis inter omnes
"nostræ vniuersitatis,vt credimus, scripserat, &c.
"Datum Oxoniæ in domo nostræ Congregationis,
"Octob.5.1406.

In bist. Huss.

Edouardo defuncto in Bohemia exulat, cuius libris maximè conuersus & confirmatus Hussius, tot ac tantos post se reliquit in Euangelio filios.

Fœlix hæc VVicleuiana proseminatio describi-
"tur ab ipso Coclæo,Protectorem sibi conquisiuit
"Comitem Lancastriæ virum præpotentem in An-
"glia:sub cuius protectione tutus ac securus liber-
"rimè scripsit quicquid voluit,&c. At VViclephus
"adeo non emendauit errata,vt per contemptum
"& irrisionem vocauerit synodum illam Terræ mo
"tum,&c. Hinc addit non in personam,sed in li-
"bros eius animaduersum esse ab Episcopis & do-
"ctoribus. Vnde factum est vt post mortem ipsius
"quidam ex DISCIPVLIS eius nomine Petrus
"Payne Anglus,Pragam cum libris profugerit re-
"gnante VVenceslao,ea occasione forsitan permo-
"tus,quod ante eum Bohemus quidam genere no-
"bilis,ex domo quam Putridi Piscis vocant, apud Oxo-

Oxoniam in literarum studio constitutus, libros
VViclephi,quibus titulus est, De Vniuersalibus
Realibus, inde in patriam suam retulit velut
precioſum thesaurum. Hactenus ille: à quo &
VVicleui patrocinium regium & nobile, & pios
eius Discipulos,& doctrinæ ad exteros propaga-
tionem didicimus:itaque in hoc regno,vt multos
ante se Doctores,ita plurimos post se fautores &
imitatores habuit.Quid plura? Ille ille Romanus Illyr.in
Diuus Thomas noster Cantuariensis Archiepis- Test.veri-
copus,tanquam vulgare dicterium ad totum Col- tat.
legium Cardinalium scribit, Iam certè clamita-
tur in platæis, prædicatur per ciuitates & vicos,
non esse Romæ Iustitiam. Vidistis iterum, orna-
tissimi Iudices, etiam domi in patria aliquem
Catalogum profitentium nostram religionem,
præter eos quos Acta & Monumenta Ioannis Fo-
xi innumerabiles dedit, & ego quosdam alibi re-
censui. Vidistis nomina,personas,loca,tempora,
virtutes,crucem.

EX GALLIA protruduntur,vt iam dictum est,
Vigilantius, Berengarius, & Caluinus, homi-
nes singularibus profectò diuinæ gratiæ muneri-
bus præstabiles,& bene est quod Caluinus venit
comitatus numero binario, vt in ore duorum aut
trium omne verbum confirmetur. Verùm enim- Religio
uero non ab his primùm orta est Gallorum re- propaga-
ligio: sed ab iisdem viuis scatebris diuini verbi, ta in Gal-
& Apostolicæ traditionis, vnde nostra,effluxit. lia.
Sed ego breuitati studeo, Sic enim disperſis post
Christi ascensionem Christianis, cùm alii aliò se
reciperent: ferunt Lazarum resuscitatum Massi-
liæ,Nathanaelem apud Biturgias in Gallia, Tro-
phimum Arelati in Narbonensi Gallia, Euange-
lium Christi & Apostolorum doctrinam seuisse,
eandémque disciplinam Apostolorum mansisse

inuiolatam testatur Irenæus Lugdunensis Episcopus, Hac inquiens ordinatione & successione, ea quę est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & VERITATIS præconiatio peruenit ad nos. Et capite quinto, Reuertamur ad eam quæ est ex Scripturis ostensionem: cui rationem subnectit firmissimam, Apostoli autem discipuli veritatis existentes, extra omne mendacium sunt. Non enim communicat mendacium veritati, sicut non communicant tenebræ luci, sed præsentia alterius excludit alterum. Et quidem id animaduerto primatum hunc Episcopos Romanos nec habuisse tum, nec vendicasse: quandoquidem Irenæus & Ecclesiæ Gallicanę Victoris Pontificis insolentiam castigarunt, libertatem festorum Paschatis, & ieiuniorum defensitarunt. Quisquis siue Caluinus, siue alius doctrinam suam ad hunc gnomonem veritatis & sacrarum literarum examinauit: in eo aut Nathanaelem, aut Irenæum aut certè Apostolicum aliquem virum sequitur anteceſſorem. Castitatem & honestatem coniugii probauit Caluinus, fictam continentiam sacerdotum improbauit. Idem ante eum fecit Episcopus Massilienſis Saluianus, Licita non faciunt, illicita committunt. Idem Polycrates septem suorum parentum Episcopos, & se octauum esse dictitans. Thomas Rhedonensis Gallus Carmelita docuit Romæ multa abominanda fieri, Ecclesiam Romanam reformatione indigere, spirituales non viuere spiritualiter, ideóque tollendam esse legem continentiæ, matrimonium concedendum, quod & Caluinus postea obseruauit & confirmauit. In Gallia tritum quasi prouerbium recitat Gallus Episcopus Senonensis in epistola ad Alexandrum Papam, Romæ solui Satanam in perniciem totius Ecclesiæ. Caluinus Gallus

In epist. ad Victorem, anno 480. Antoninus.

Decler. coniug. c Cum olim.

lus ciues & populares suos à cultu imaginum & ab Idololatria auocauit? Serenus Episcopus Massilienſis in Gallia imagines confregit. Taxauit Caluinus corruptum Ecclesiæ statum? Anteceſſor Nicolaus Clemingius Doctor Parisiensis de eodem scripsit: luxum, cupiditatem, exorbitationem Romanæ Ecclesiæ per summos Pontifices & indignorum hominum ad gradus & dignitates Ecclesiæ promotionem, degenerationem modernorum à priscorum patrum seueritate perstrinxit: quibus rationibus res Romana creuit, pietas decreuit. Scripsit Caluinus reformationem religionis & Cleri? Id Carolus Magnus, Ludouicus, aliique Galliarum reges tentarunt: quod partim ex aliis partim ex synodis partim ex decretis & sententiis Caroli Magni patet, vt Canonici libri tantummodo in Ecclesia legantur, vt superstitiones in exequiis mortuorum eradicentur, vt Ministri continentiores, doctiores, aptiores prouehantur, &c. Per hæc decreta latinæ Ecclesiæ degenerantis, Bohemi, imò totus ferè orbis Christianus ab Ecclesia Romana discessit, homines Ecclesiastici se & suum ordinem prophanarunt, &c. quia vt dictum est illi ipsi ministri dereliquerunt coniugium, & huius loco assumpsere sibi illegitimas & vagas libidines. Hæc in Aulico Alani Chartierii Caroli septimi Regis Galliarum Secretarii. Lepidè enim aliquando Philippus Bonifacio Octauo, Cùm enim ille Epistola Regem parum honorificè è suo Laterano salutasset, & beneficiorum & præbendarum collationem ei denegasset, & omnia sua esse scriberet, ac contrà facientes & credentes hæreticos reputaret: sic altera illum resalutat, Philippus Dei gratia Francorum rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam siue nullam.

Abb. Vrs.

Ex Stephano Antherio Illyricus. Faceta Epistola Philippi ad Papã.

" Sciat tua maxima fatuitas, in tẽporalibus nos ali-
" cui non ſubeſſe, Eccleſiarum & præbendarum
" collationem ad nos iure regio pertinere : fru-
" ctus earum vacatione durante noſtros fore. Col-
" lationes à nobis hactenus factas & imposterum
" faciendas fore validas, & illarum vigore poſſeſ-
" ſores contra omnes viriliter nos tueri, ſecus au-
tem credentes fatuos & dementes reputamus.

Con. Anaſtaſ. P. & Complices in li. Concil.

An ſolus hic Caluinus Gallus Italico Archiflamini ſuccenſuit? Scripſerunt iamdudum literas Epiſcopi Germanici & Gallici contra Pontifices, Medicos Italicos qui volunt mederi Franciæ infirmitati, febribus continuis ipſoſmet conflictari, cæcos eſſe qui lumen promittũt, habere ſtrumam auaritiæ & vitioſitatis, qui tamen gibberoſos & detortos vocant noſtros Epiſcopos. Primatus Papæ non à ſolo Caluino, ſed ab aliis Gallis maioribus conuellitur, etiam à Rhemenſibus vbi nunc

In Ser. ſui Natalis Tibi dabo. &c.

Anglicum ſeminarium cœpit herbeſcere. Hincmarus Archiepiſcopus dixit, citans Leonem Papam, Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque exipſius fertur æquitate iudicium, non quòd vbicunque Roma eſt, aut Romanus Pontifex aut Romana Cathedra. Adalbertus ſiue nomine ſiue natione Gallus in Papam eiúſque errores

Balæus. Teſtes Verit.

inuectus, in carcerem detruſus, in Fuldenſi monaſterio computruit. Deinde quod Gallus Caluinus de Cœna Domini purè & verè tradidit, id à Berengario longè ante promulgatum eſt, vt prius dictum fuit, qui verè à Stapletono Zuinglianus nominatur, & ab eius diſcipulis clanculariis (Publicanos ſeu Catharos vocat) & à Ioan.

Staplet. Sand.

Scoto qui venenum ſuum Berẽgario propinaſſe putatur: & nominatim à Bertramo ad Carolũ hominem diuinarum ſcripturarum valde peritum, & in ſecularibus diſciplinis egregiè doctum, & hoc

hoc opus commendabile de corpore & ſanguine Domini ſcripſiſſe memorat Ioan. Trithemius. In eo libro de Corpore Chriſti in Eccleſia, & Corpore glorificato ita ait: Apparet itaque quòd multa intra ſe differentia ſeparantur, quantum eſt inter pignus & eam rem pro qua pignus traditur, & quãtum inter imaginem & rem cuius eſt imago, & quantum inter ſpeciem & veritatem. Videmus itaque multa differentia ſeparari myſterium ſanguinis & corporis Chriſti, quod nunc à fidelibus ſumitur in Eccleſia, & illud quod natum eſt de Maria virgine, quod paſſum, quod ſepultũ, quod reſurrexit. Ibidem, de ſpirituali eſu per fidem. Hoc namque quod agitur in via ſpiritualiter eſt accipiendum, quia fides quod non videt credit, & ſpiritualiter paſcit animam. Pòſt ex Auguſtini verbis ita colligit, Illud ex Maria natum integrum eſt, neque vlla ſectione diuiditur, nec vllis figuris obuelatur. Hoc verò quod ſupra MENSAM Domini continetur, & figura eſt, quia Sacramentum eſt, & exterius quod videtur, ſpeciem habet corporeã, quæ paſcit corpus, interius verò quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem qui viuificat animam. Et exponens Auguſtini mentem ſecundum quendam modum corpus Chriſti eſſe cognoſcitur, Modus iſte, inquit, in figura & imagine. De populari lingua illa quoque inſinuat, A populo reſpondetur, Amen. Quid ego Albigenſium Caluinianam planè doctrinam etiam de Euchariſtia, de Libero Arbitrio, de Pœnitentia, de Confirmatione, de extrema vnctione, referam? quos in Gallia Proteſtantium dogmata ſparſiſſe non ſiluit Stapletonus. Quid Almericum commemoro de iiſdem diſſerentem, & præterea ſpecialem fidem in ſenſu Caluini aſſerentem? Quod tamen Bernardus grauiſſimè protulit, Quam re-

In li. de Corp. & ſang. Domini. Bertramus de Cœna Domini.

quiem habere poteſt ſpiritus noſter, dum prædeſtinationis ſuæ nullum adhuc teſtimonium tenet? Quid Nicolaum Gallum degenerem introducam Staple. Sand. l. 7. Vincent. inſpeculo l. 29. c. 107. Eccleſiæ ſtatum deflentem, & de monachis olim in eremo laboriosè, nunc in ciuitatibus luxuriosè vitam agentibus ſcribentem? Quid Arnulphū Aurelienſem produco, cuius hæc leguntur verba? Cir. an. D. 1270. „ Quid proſunt leges conditæ, cùm ad vnius „ arbitrium omnia dirigantur? & hæc, O Lugenda „ Roma, quæ noſtris maioribus clara patrum lumina protuliſti? Noſtris temporibus monſtroſas te„ nebras, futuro ſeculo famoſas offudiſti? Olim ac„ cepimus claros Leones, magnos Gregorios, quid „ dicam de Gelaſio & Innocentio? Quamuis & in „ hac ipſa fœlicitate hoc priuilegiū tibi ab Aphri„ canis Epiſcopis contradictum ſit? Quid ſub hęc tempora non vidimus? Quid Robertum Gallum virum nobilem memoro, qui in quadam viſione ſerpentis & aridi capitis, Papam Idolum eiuſque Eccleſiam per ſpiritum vidiſſe dicitur? qui contra Papæ & Cardinalium auaritiam & Simoniam grauiter coram & in os declamitauit? Aut Guilielmum de Sancto Amore Pariſienſem ſæpe cum Monachis & mendicantibus velitantem? quem præter alios multos defendit Ioan. de Sicca Villa & Laurentius Anglici. Quid ſcholam Pariſienſem in hoc certamine ſæpe manum auxiliatricem ferentem, quæ & Bullæ Clementis præcipienti Angelis, & promittenti Romam peregrinantibus trium aut quatuor animarum ex Purgatorio liberationem reſtitit, & hanc opinionem erroneam eſſe tubis & campanis proclamauit? cuius etiam extat Appellatio à Leone Decimo ad Concilia de conſilio & ſententia Franciſci Regis, in qua Eccleſiæ Romanæ abuſus non tacentur? quæ cum Oxonienſi & Pragenſi ſchola

Ante an. 270.

Teſt. veri. fol. 492.

Auctinus

ſcripſit,

ſcripſit, per principes ſacerdotum Eccleſiam prophanari, ſacerdotium temerari, omnem ordinem confundi, quicquid religionis eſt corrumpi? Aut Petrum Pariſienſem Cantorem, quite- In Verbo Abbre- uiato. ſtatur Ioan. Sarisburienſem Epiſcopis traditiones in Concilio Laterano conſtituere volentibus ſe oppoſuiſſe, & verbum Chriſti potius ſeruandum inculcaſſe? Hic Indulgentias pias fraudes Ioan. de VVeſſalia. Teſt. verit. appellauit, Iuſtificationem gratuitam per Chriſtum docuit, inſtaurare ceremonias dixit eſſe, velum templi ſciſſum & laceratum reſarcire. De Gerſone Cancellario Pariſienſis Vniuerſitatis nihil dico, cuius libri multi vulgo proſtāt, defectus Eccleſiaſticorum notauit, Euangelio pluſquam Papæ credendum confirmauit, Indulgentias abrogandas cenſuit, Concilium eſſe ſupra Papam ſenſit, multos traditionum ſarcina oppreſſos, deſperatione abſorptos, mortem ſibi conſciuiſſe tradidit. In ſchola Pariſienſi editæ ſunt variæ Prophetiæ, & nominatim cuiuſdam Vincentij, Antichriſtum iam in mundo eſſe confirmantis. O- De Annatis non ſoluēdis. mitto totum Gallicanæ nationis conſenſum, in quo definiunt Annatas & alias Penſiones non eſſe Romanæ Curiæ debitas. Omitto reliquos, quorum dictis, teſtimoniis, monumentis ante Caluinum, Gallia hac Euāgelicorum doctrina ſæpe imbuta fuit & exculta.

Redeo ad Waldenses quorum propagatio noſtrorum proteſtantium in tota Gallia ſeminarium fœcundiſſimum fuit, quæ Eccleſiam noſtram non in vmbra aut latebris abſconditam, ſed in ſpecula & monte collocatam eſſe facilè oculatis omnibus oſtendet. Waldenſes enim Eccleſiæ proteſtantium multiplicatio per VValdenſes. à Petro Waldo Lugdunenſi ciue prædiuite ſed poſt conuerſionem rerum mundanarum contemptore, vt Orthuinus Gratius non malè dixit, cog-

nominati, quandoque etiam Picardi à Picardia Galliæ, aliâs Calixtini seu Calicij quòd calice vterentur dicti: & vt non rarò in illa tanta Antichristi rabie & effrenatione in rupibus, syluis & antris delituerunt: sic nunc in prouincia Narbonensi, nunc in Lombardia, aliquot vrbes, similiter Tabor & Oreb & celeberrima in Bohemia loca ante Hussi tempora incoluerunt.

Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.

Hæc est enim Ecclesiæ sors præmẽte semper Pontificiorum tyrannide. Vixerunt etiam in Germania non procul à Moguntia & Francofordia. Non infrequens nec incelebris Waldensium Ecclesia, quos per tot annos in tot regionibus claros reddidit honorifica propter verbum dispersio: maximè quos in Concilio generali Laterano Alexander tertius damnauit, quorum opiniones contra Missas, panis circumgestationem, diuorum & statuarum venerationem, Taboritæ amplectuntur, adhuc in Morauia, Bohemia, Polonia. Stapletonum confessurum hæc loca non esse obscura puto: quorum posteri Confessionem fidei suæ Ferdinando, Maximiliano secundo Imperatori, Sigismũdo Regi Poloniæ à multis autoribus in omnibus chartis celebratissimam obtulerunt: de quorum cæde & multiplicatione scripsit etiam Sleidanus, & multò antè eorum propagatio in Fasciculo Temporum attingitur, quorum etiam mentionem fecit Antoninus & Sanderus: à quibus nostrum Wiclephum adiutum putant Barones & Ecclesiæ Bohemicę in suo ad lectorem procœmio. His multis nobilissimis, doctissimis hominibus successit Caluinus, in quibus singulis quod imitaretur, habuit, & ex vniuersis perfectam nostræ doctrinæ formam colligere potuit. Taceo Brissonetum quendam, quem in hoc opere adiuuisse fer-

Chytræus

In Test. verit. f. 25. Slei. l. 16. 4. Parte. tit. c. 7. §. 2. Sãd. li. 7.

fertur Faber Stapulensis, atque etiã Iodocus Clitouæus: de quibus Auentinus eorum discipulus & Ioan. Sleidanus, Illorum iudicio corruptum scriptorem fuisse Petrum Lõgobardum, & sacrosanctæ Philosophiæ fontem purissimum cœno quæstionum, riuulis opinionum conturbasse, ac propterea Fabrũ à Parisiẽsibus grauissimas persecutiones sustinuisse, donec Rex ex captiuitate Hispanica literas mitteret, vt ei parcerent. Vnde putatur Caluinũ edoctum fuisse & Ecclesias Gallicas hac nostra memoria habuisse initium. Quibus omnibus agedum omnes illos in regno Galliæ hodie Protestantes & Geneuæ commorantes, & in Germania, Anglia, Flandria exulantes, vbicunq; locorum & apertè profitẽtes & occultè latitantes adiungamus: & operarios multos, segetem vberem, messem magnam, Christum aspectabilem reperiemus.

GERMANIA.

Iam verò cùm Lolhardos Lutherum, Zuinglium instauratores religionis in scenam protrahit Iesuita: potuisset recordari Christianam fidem & ante illos radices egisse, & aliorum quoque præclarorum Ecclesiastarum opera olim floruisse in Germania. Semper enim remitto ad originem primam, & ad Orientem, vnde diuenit ad nos Religionis veritas & puritas. Ferunt enim Marcum Euangelistam Argẽtinę & Colonię, Crescentem Moguntię, religionis fundamentum posuisse: & quemadmodum ex Origenis, Tertulliani, Constantini Epistola de Britannia & Gallia & Hispaniis attulimus, ita de Germania eadẽ omnia prædicantur. In Germania ab eo tempore germana pietas viguit. Nam & Irenæus totam illam Apostolicam Ecclesiam ait sic prædicare, sic docere, sic tradere quasi vnum os possideret: & Ecclesias quæ in Germania fundatę sunt, aliter nec credere

Euf. Doroth. Auent.

Irenæus c. 3. l. 1.

nec tradere. Hucusque nullæ superstitiones Romanæ Ecclesiæ irrepserunt, nullus Papæ dominatus obtinuit: simplex Apostolorum symbolum & traditio veritatis ex sacræ scripturæ Archiuis depromptæ locum habuerunt. Germania ante mille annos ab ipso Constantino Magno, vt scribunt, leges accepit, & præterea Ius seu Speculũ quoddam Saxonicum dicitur, in quo expressè cautum est, nequid præcipiat Papa aut decernat cõtra ius Saxonum. Et ex præfatione quadam citatur, Ludouicum cùm alia multa prudenter ordinasse: tum imprimis procurasse ea quæ ad sacrosanctam religionem æternámque animarum salubritatem pertinent: eiúsque iussu Vetus ac Nouum Testamentum in linguam Germanicam poeticè translatum fuisse. Idem præstitum est Rythmicè ab Olfrido Wissenburgensi, Germano, ante annos septingentos, quam versionem Luitbertus Moguntinus Episcopus calculo suo approbauit. Henrici Quarti aliorúmque in Germania principum Historia satis tragica est, quam ex Fasciculo rerum expetendarum cuiuis petere licet: cuius causa diligenter & fideliter acta est contra Papam à Waltramo Episcopo Niemburgensi & aliis, contra quem etiam Ecclesia Leodiensis scriptum edidit, in quo asseritur à Petro Romam dici Babylonem, quòd perturbationibus & turbinibus Romanistarum fuerit semper Ecclesia obnoxia. Suprà demonstratum est, quomodo ex Anglia religio ex libris Wicleui Bohemiam, rursus ex Bohemia Germaniam peruaserit. Tempore Concilii Basiliensis & Eugenii quarti Laicos irritatos fuisse aduersus statum Ecclesiasticum: & Hussitas contra turpitudinem cleri passim inuectos esse, de eóque reformando legationem per Germaniam fuisse missam: quod ni maturè fieret in Concilio ti-

Test. verit.

In lib. antiquit. Saxon.

In 2. Tomo. Cõtr.

lio timendum esse, ne Germani in totum clerum more Bohemorum irruerent, sæpius & quidem tunc per totam Alemaniam libellos diffusos esse, continentes circiter triginta articulos, de fide, de corruptelis Ecclesiasticorum, ex sacra scriptura & sanctis Doctoribus: testis est ad eundem Papam Iuliani Cardinalis Epistola. In Alsatia nobilitas & vulgus optimè senserunt de libertate Christiana, licere carnibus vesci non minus quàm piscibus, qui vetant sacerdotes matrimonio iungi, eos facere impiè. Eorum vno die plus minus centum exustos Mediolani tradunt: & Alsatiæ primores Mediolanensibus misisse Collectam in subsidium piorum & pauperum. Contra Romanum Pontificem Nicolaus quidam Bibrachius Herfordiæ in libro qui inscribitur, Occultus, hæc habet, Vidisse se Romæ simulatas blanditias, Iuramenta quasi Iudæ oscula, se à Pontifice tanquam Ganymedem expetitum: Martinum optasse, vt tota Germania vnum stagnum esset, quod illis versiculis comprehensum est,

Hîc iacet ante chorum submersor Teutonicorum
Pastor Martinus, extrà qui totus ouinus,
Et lupus introrsum, &c.

Trithemius.

Cur verò pulcherrimam hanc & verè Alemanicam nationem in stagnum vnum conuerti voluit Sanctissimus Pontifex aut verius carnifex? nisi quia illa non fuit amica Aulæ Romanæ? nisi quia illa fuit bona, & ipse flagitiosissimus? Quid in papatu deprehenderint, imò reprehenderint Germanici principes, suis Grauaminibus non semel declararunt. Illic queruntur Ecclesiarum regimina minus dignis Romæ committi, qui ad mulos magis quàm homines pascendos & regendos essent idonei. Illic recitatur

dictum Iacobi Archiepiscopi Moguntini morientis, se de morte sua non adeo dolere, sed quòd subditi pauperes iterum pro Pallio grauem exactionem dare cogerentur. Illic in conclusione, querela ferè extrema est, Papam, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos hac publicatione admonitos in nullo se emendasse. Illic sic concluditur, „Finis Tabulæ Grauaminum, atque vtinam non „essent per vniuersum centuplo plura, quàm sic „per sacri Romani Imperij principes enumeran„tur. Decreuerunt Norimbergenses longè aliter quàm Ius Canonicum recens & receptum, Si qui „matrimonium absque consensu parétum aut pro„pinquorum inirent, grauissimè quinquennali re„legatione, & hæreditatis priuatione mulctaren„tur. Veterem Germaniã nunquam celebrasse nisi simul communicaretur, autor est Beatus Rhenanus. Ante multos annos scriptum est, E Roma aduolare quosdam, ostiatim in Germania venales Indulgentias suas in nundinis Simoniacis exponere, adeò peruersè & stolidè, vt claues Ecclesiæ quodammodo contemnentur, & vera pœnitentia eneruetur. Scriptum est, non à Luthero, sed à quocunque scriptum est, ad Germanos Principes, Romanos vt pecunias emulgeant, suos emittere cum nouo Euangelio, Ite in orbem vniuersum, prædicate dicentes, Qui crediderit, & Decimas soluerit saluus erit. Scriptum est non à Luthero, Pontifices Romani postquam cœperunt prophana cum sacris coniungere, imò relictis sacris solùm prophana admirari: quàm bene consultum fuerit reip. Christianæ, quàm bene placuerit superis ipsorum institutum, euentus comprobauit. Amissis externis, interna infinitis seditionibus conturbantur, diuina despiciuntur, venditur Christus, lana ouium tondetur, de custodia

In 100. graua.

In præf. Græcæ Miss.

Onus Ecclesiæ.

In Exhor. cont. Decimas.

Nouum Euangelium rapacium Romanorũ.

studium nullum. Dictum est non à Luthero, sed ab Antonio Lynnichano in Synodo Colonienſi, Vbi nunc nostri Archinautæ, vbi Naucleri, quorum consilio & prudentia opus esset, ne sic ad scopulos illideremur? Curandum est & id tibi præcipuè, qui inter sacerdotes primas tenes, vt non de „Cathedra Mosis reddas Cathedram pestilentiæ. „Coloniæ per Hermannũ Archiepiscopum olim „instituta est Ecclesiæ Reformatio. Coloniæ iterum summa animi contentione & singulari zelo idem promouere voluit his temporibus Arch. Gibhertus, quorum operi bono misericors Iesus suæ domus Architectus pulchrum fastigium aliquando fortassis imponet. Olim Germanos licet simplices & sæpe illusos, subolfeciſſe illorũ technas & malas artes, ipsi Itali Cardinales in suo senatu intellexerunt. Cùm enim Raimundus Cardinalis Gurcensis onustus auro Germanico Romam reuertisset, purpurati patres cùm viderent quantum thesauri ex Indulgentiis, & ex meritis Christi & sanctorum corrasisset: quid, inquiunt, de nobis & de Roma sentiunt Barbari? Respondit & illos & totum orbem conqueri de luxu fastúque Cardinalium: Quòd nisi vos inquit emendatos viderint, erit in periculo Respublica nostra. Id cùm pluribus verbis repeteret, cuncti contrahebant ad hunc sermonem frontes & humeros suos: qui Italis mos est: Hæc in Epistola Petri Aliacensis. De Concilio Basilienſi siue dissoluendo siue continuando quanta consultatio? Quanta Papistarum trepidatio, ne fides Romana, ne Ecclesia Romana aliquid derrimenti pateretur? Iulianus clamat, Iam vt video, securis „ad radicem posita est, Inclinata est arbor vt ca„dat, nec potest diutius persistere. Et certè cum „

In Orat. coram frequenti clero Colon.

De Emẽd. Eccl.

„ſtare per ſe poſſet, nos ipſam ad terram præcipi-
„tamus. Addit, Audio quod nonnulli trepi-
„dant, quòd in hoc Concilio debeat auferri tem-
„poralitas ab Eccleſia. Vaticinatur, Vereor ne
„contingat nobis ſicut contigit Iudæis: Sicut iu-
„ſto Dei iudicio factum fuit, quòd Iudæi perdide-
„runt locum ſuum, quia noluerunt dimittere Chri
„ſtum: ita & iuſto Dei iudicio fiet, quod quia no-
„lumus admittere Concilium, perdemus tempora-
litatem noſtram, & vtinam non corpora & ani-
mas. Iterum alius timor, Dicebant nonnullos op-
pidanos circa Baſileam infectos eſſe hæreſi Bohe-
mica, & clerum velle perſequi. Quod tum præ-
ſagiebant, id poſtea experti ſunt. Tandem in ipſa
Eccleſiæ ſenectute olores ſuauiſsimi Euãgelicam
hanc cantilenam recinuerunt & repetiuerũt dul-
ciſsimè. Ioan. Reuclinus egregius ille trilinguis
Pag. 441. phœnix, de quo in Chronico Vrſpergenſis, Dum
viueret & benefactis nomen ſuum immortalitati
conſecraret, obſtrepentes habuit aues aliquot
pennis albis & nigris. Picas dicere poſsis, cri-
ſtam geſtantes vertice, roſtris & vnguibus adun-
cis, ventre prominente. Didicit Germania ante
Lutherum à Germano concionatore Taulero, du
Prædictio nes de re formatio ne Reli gionis. In epiſt. Syluij ad Meyer. ces Romanæ Eccleſiæ cæcos eſſe, ſanctorum inuo
cationem inutilem, Chriſtum Ieſum verum A-
gnum, homini ſuo ſanguine ſalutem attuliſſe,
non hominem ſibi ſuis operibus iuſtitiam conſe-
qui. Diu ante Lutherum compoſita fuit Theo-
logia Germanica, in quam præfatus eſt Luthe-
rus, & de naturæ vitioſitate, déque gratia & iu-
ſtificatione abſque operibus præclarè ſcripſit.
Ante Martinum Lutherum, Martinus Meyer &
alij in Germania non pauci hanc Papæ πρωτοκα-
θεδρίαν & Oecumenicum imperium deteſtati
ſunt.

ſunt. Ante Lutherum vaticinatus eſt D. Weſe-
lus Phriſius Lux mundi vulgò cognominatus,
iam ſenex M. Ioannem Oſtendorpium ſic affa-
tus, Studioſè adoleſcens, ad illum viues diem,
quo doctrina Thomæ & Bonauenturæ & eius fa- Teſt. vetis f. 562.
rinæ ſcholaſticorum ab omnibus verè piis exi-
bilabitur: ſicut etiam Ioannes Gochius Mechli-
nienſis hanc ſophiſticen iſtorum tanquam ex
turbidis Philoſophorum lacunis fluentem, & ve-
ritatem maximè obſcurantem & Pelagianiſmum
redolentem explosit: qui etiam vt ante eum quo-
que Ioannes Weſſalienſis concionator Wor-
macienſis de gratuita per Chriſtum Iuſtificatio-
ne, aliiſque non paucis articulis cum Luthero &
nobiſcum ſenſit rectiſsimè: quamtumuis fex papi-
ſtica, multis piis obmurmurantibus, illum Ioan-
nem condemnarit. Paulò ante Lutherum, Pau-
lus Scriptorius Tubingæ Tranſſubſtantiationem
impugnauit, Tubingæ omnia Dei verbo exa-
minanda docuit, religionis mutationem prophe-
tauit, inter alios multos illum clariſsimum &
primum linguæ Hebraicæ in Heluetia profeſſo- Geſn. 1. Tom.
rem D. Conradum Pellicanum auditorem ha-
buit. Ante reformationem Magdeburgenſis Ec-
cleſiæ, eius archiepiſcopus Fridericus Idololа-
triam, & ſuperſtitiones, omnéſque fictorum mi-
raculorum abuſus ex tota illa diœceſi atque adeo
prouincia eradicare ſtuduit. Ibique Ioan. Syrin- Teſt. verit
gus D. ſacræ Theologiæ fucatam Pontificiorum
religionem vidit & propterea collapſuram præ-
dixit. Tandem reformationem præuidit, &
Magdeburgę futuram auguratus eſt Ludolphus
Caſtricus, in multis concionibus exhortans popu
lum, vt neglectis Papæ Indulgentiis, Dei in-
dulgentiam emendicarent. Intellexit dilutam

pontificiorum doctrinam Magdeburgenſis Arch. Ernestus. Franciſcano enim monenti & iubenti vt bono eſſet animo,& pollicenti Minoritas omnia ſua bona opera ei communicaturos , Nullo modo,inquit,neque meis,neque veſtris operibus confidam , ſed Chriſti ſolius opera mihi ſufficient. O ſuauem in extremo Agone meæ gratiæ confeſſionem. Erphordienſis quoque ſchola vna cum excellente viro Henrico Tokeno ea in re ſedulam & bonam operam nauauit.Hic Sebaſtianus Doctor egregius in ſummo Templo Diuæ Virginis concionator cùm ſæpe contra Indulgentias,ſatisfactiones,ſpiritualium vitam multa dixiſſet , etiam prædixit futuram reformationem Eccleſię.De Rodolpho Agricola,quem tamẽ monaſtico habitu ſepultum dicunt, aliquid ſcribere ſuperſedeo:ſatis de illo Phil.Melanćthon quomodo Eccleſiæ tenebras deplorarit,prophanationem Miſſarum,& cœlibatum & operum iuſtitiam taxauerit.Argentinæ D.Ioa.Keiſerbergius ſæpe cõqueſtus eſt de inordinato ordine clericorum,praUos prioribus ſucceſſiſſe,religionem multis aſſumentis hominum contaminatum fuiſſe , Ioan. Weſſalienſem inuidioſè à monachis condemnatum,prędixitque aliquando venturum qui omnia inſtauraret , eúmque diem optatiſſimum videre impenſè deſiderauit. Erat Baſileæ Epiſcopus, qui iudicauit virginitatem non eſſe humanarum virium:& clerum in Eccleſia tanquam in Gomorrha turpem vitam traducere. Roſtochium non rarò ex Bohemia Waldenſium ſucceſſores commigrarunt,ibique ſuos conuentus habuerunt,vbi Nicolaus Ruſſus Theologiæ Baccalaureus legit, prædicauit,ſcripſit,contra oſſa mortuorum,Paparum inſolentiam,ſpiritualium turpitudines, quos Antichriſti adminiſtros vocitauit , & auditores non

In Orat. de vita eius.

Ante an. 70.

Ante an. 60.

non paucos eoſdémque fautores habuit , quos tum expulit perſecutionis crudelitas & iniquitas,& omnia ferè librorum Ruſſi exemplaria in flammas coniecit. Lipſienſis D.Andreas Proles, ſic enim à monacho Henningo tum grandęuo accepit Illyricus) cùm eſſet Auguſtinianorum Prouincialis,inter prælegendum ſæpe dixit magnas eſſe tenebras & horrendas ſuperſtitiones, rem Chriſtianam opus habere magna reformatione, Dominum breui aliquem Heroa daturum, cuius miniſterio benedicet in excoquenda ſcoria , regnum Papæ ruinam iam minari,vtpote quod tam altè & tam citò creuerat: cuiuſmodi multæ prophetiæ in hoc ſeculo reperiuntur. Hunc valde ſenem Magdeburgæ vidiſſe & audiuiſſe dicitur Mart. Lutherus admodum adoleſcens , qui demum poſt tot ſecula,poſt tot Centurias doctiſſimorum hominum , tot principum & Epiſcoporum, poſt tot querelas & fremitus contra Papatum, poſt tot religionis confeſſiones , poſt tot reformationis auſpicia,Baſileæ , Argentinæ , Coloniæ,Noribergæ,Magdeburgæ,Tubingæ, Erphordiæ,Lipſiæ,paſſim in totius ſuperioris & inferioris Germaniæ multis locis,poſt tot denique prognoſtica & prædictiones futurę inſtaurationis diuinitus magno ſpiritu vir apparuit,vt omnem Papæ camerinam moueret,omnia tenebrarum opera in apertum & apricum protraheret. Hoc tempore eluxit Eraſmus Hollandus & Roterodamus, qui dum Nouum Teſtamentum conuertit,Annotationibus & Paraphraſi illuſtrat,à fœdiſſimis vetuſtæ Tranſlationis mendis vindicat,dum ad eius ſtudium hortatur omnes homines,dum cum pueris ludit in Dialogis dum Enchiridio militem Chriſtianum communit , dum literas bonas & linguas & religionem reſtaurat , dum

Lutherus.

Eraſmus.

antiquissimorum patrum monumenta situ & puluere oblita in lucem educit, & pristinæ integritati acutissimis censuris restituit, Papisticarum constitutionum graue iugum & durum onus, confessionibus, satisfactionibus, ciborum delectu, aliisque ceremoniis immodicè aggrauatum proponit, varios Paparum, monachorum, sacerdotum, scholasticorum errores detegit, dum Euangelicũ triticum à paleis humanis repurgat: eum sanè vnum plus adiumenti reip. literariæ & Christianæ, quàm ipsum Magistrum Sententiarum, omnésque Lombardistas, Sermonistas, Quæstionistas, Summistas, Scotistas, Quodlibetarios attulisse existimo. Vnde non est mirum eius libros in Concilio Tridentino prohiberi à Romanistis, de quo vulgo dicitur, eum oua peperisse, & Lutherum pullos excussisse, His nunc si Polonicas, Danicas Ecclesias, aliósque vel Germanos vel Germaniæ simillimos, si illud magnum Heluetiæ ornamentum Hulderichum Zuinglium, qui ante Lutherum Euangelium docuisse creditur eodem tempore, quo in Phrysia Gellius, & alii in aliis locis emicuerunt, si Oecolampadium, Bucerum, Fagium, si Conrad. Pellicanum, Bibliandrum, Bullingerum, Pomeranum, Georgium Maiorem, Capitonem, Hallerum, Forsterum, Melichium, Eberum, Peucerum, Grynæum, Musculum, aliósque insignes Euangelii búccinatores. Illósque Heluetiæ pagos, Tigurum, Bernã, Basileam, Schaffusiã, Vlmam, omnésque Heluetiorum pagorum Euangelicos incolas, si totam superiorem Germaniam in Saxonia, in Palatinatu, in liberis ciuitatibus, in liberalibus scholis, si omnes Belgicas Ecclesias, potissimum ab Argentinensibus & ab Embdanis, vt aiunt, conuersas: si principes Electores, Duces, Marchiones, superintendentes, theologos & alios

Zuinglius.

& alios in Academiis studiosos, qui confessioni doctrinæ suæ ad 8331. subscripserunt: si VVittembergenses, Wirtenbergenses, Heidelbergenses, Argentinenses, Geneuenses, cæteróque nunc superstites adnumerarem: quanta soboles Dei, qualis successio exurgat, potestis perspicere. De clarissimorum Doctorum synodo Marpurgensi, Sacramentariam causam tractantium extat Cordi exhortatio, Vrsp.

Insignes verbi proceres, argute Luthere,
Suauis Oecolampadi, (Ethon,
Magnanimis Zuingli, pie Suepfe, diserte Melan-
Fortis Bucere, candide
Hedio, præcellens Osiander, strenue Brenti,
Amice Iona, acer Crato,
Et solida plus mẽte valens quàm corpore Mœni
Magne Dionysi & Miconi,
Ac reliqui bona turba viri, quos inclytus Heros
Princeps Philippus accyt,
Christicolæque suos vrbes misere ministros,
Et præsules Episcopos
Vt noua tollatis diuisæ schismata sectæ,
Veramque monstretis viam, &c.

Credo iam ab ipso Christo ortam doctrinam, ab Apostolis propagatam, posteris traditã ad Lutherum & eius æquales perpetua quadam serie esse perductã, & inde radios lucis Euãgelicę sparsos totam Germaniam collustrare, licet caligo interdum circumfusa quædã loca occuparit & obtenebrarit. Dicent successionis lineam interciſam fuisse, fiat: quid tum? Annon verum est de omni successione in familiis, sic etiam in Ecclesia visibili, quod Oraculo proditum est, diuturnam & stabilem eiusdem possessionem ad quintum successorem non peruenire? Καὶ σὺ ἐκ παιδὸς ἐκ παίδων εἶ τῆ παιδὸς: non est verum de vero semine antiquæ

religionis, nam semper aliquos professores omnis ætas tulit: & obscurari potest Ecclesiæ splendor, sed in totum nunquam deficit.

Adducitur IOVINIANVS ex Italia: eadem ibi principia fidei etiam Romæ liceret commemorare, ex Apostolo Paulo, ex Actis Apostolicis de Cornelio Italicę cohortis Centurione religioso, ex Irenęo & Tertulliano & aliis: & pòst rebus in peius vergẽtibus, etiam in media Babylone Deus suis seruis non caruit, sed & ille multos synceros cultores & amicos suos & Ecclesia aliquam certam sedem habuit. De Venetis, Liguribus, Histriis & de Gibellinis compertum est aliquãdo, se Romano Põt. opposuisse, In Italia cõtra rasos Romanistas natum est prouerbium, Quamprimum clericus suscipit rasuram, intrat in eum diabolus: & vt alios complures, & illos priscos omnes primi seculi Episcopos Romanos prætereã, cuius tãdem erat illud. Papã tribus potissimũ artibus creuisse, Excommunicationibus, Indulgentiis, Armis, an non Nicolai Machiauelli Florentinorũ secretarii? cuius illud, Cõcutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & Iesu Christi Domini nostri sanguine circumseptũ & cõsecratũ ouile, peiora multò perpessum est, indiesque patitur à lupis, magis sub quina quã propria pelle grassantibus? An non Pici Comitis Mirãdulani ad Maximilianũ, vt Christiana resp. per Romanũ Pont. deformata in pristinum statum vindicaretur? cuius illud de libertate coniugij,

Non nocuit tibi progenies, non obstitit vxor,
Legitimo coniuncta thoro, non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula tædas?

An non Baptistæ Mãtuani? Sic Hispaniæ docti viri senserunt de Nuptijs, quos ex sacro codice Veteris & Noui Testamenti asseruerunt, & Syricium Papam eas damnãtem fortiter cõdemnarũt.

Rõ. 1. c. 10.

Ecclesia Italica olim Apostolica.

Prouerb. Ital.

In historia.

In vita Hil.

Sic enim ab Apostolo Paulo illorũ Doctore procul dubio didicerunt. Sed de Hispania, de Theodosio Hispano, de aliis quoque egregiis protestantibus amplius non libet dicere: ne à proposito digredi, aut in alienos cãpos & regiones, quas mihi Campianus non præscripsit, expatiari videar. Prætereo etiam illustres Ro. Curiæ aduersarios, Dantem Florentinum, & Franciscum Petrarcham, quorum ille firmissimam papatus Arcem demolitur, contenditque papalem potestatem non esse Imperatoria maiorem aut superiorem: conqueritur oues Christi non pabulo sed vento pasci, ex Euangelio fieri clypeum & hastã, nunc iocis & facetiis ad prædicandum iri, & modò bene rideatur, intumescere cucullam: Papam denique ex pastore LVPVM euasisse: Hunc dicere solitum aiunt, Nullum cuiquam maius malum optari posse, quàm vt fiat Papa: De Romana Ecclesia, eam esse scholam errorum, & templum hæreseos. Cæterùm quid ego infinita persequor? Quid Pet. Martyrem, quid Hier. Zanchium, Celium Secundum totos nostros, aut Bernardinum Ochinum Antipapistam strenuum? licet senẽ decrepitum quædam deliramenta cõsectatum eum dicant, defuncto optimo amico & duce Pet. Martyre. Alia multa afferri possunt, sed quia singularia sunt, eam omnem orationem amputo. Illud autem operępretium est animaduertere, quomodo Deus in Ægypto aliquos Iosephos, in Babylone Danieles aut pueros: in aula Pilati vel vxorem vel aliquem Christi amicum semper habuerit & aluerit, id est, quomodo in ipsis Rom. Ecclesiæ visceribus eos fouerit, qui papatus vitia, Ecclesiæ illius errores ferre nõ potuerunt. Non enim plausibilis Ecclesiæ titulus omnes abduxit, non seduxit, sed rem vnamquanque suis ponderibus iustè

Rom. In Monarchia. Dantes. in c. 29. Illir. in Test. Verit. Petrarcha.

Paparū de papatu iudicium. Pela. 99. d. Gre. Mag. l. 4. epist. 32. &c. Pius 2. ep. 301.

non pauci librarunt. Qui omnibus Episcopis scripsit, Nullus Patriarcharū Vniuersitatis vocabulo vnquā vtatur: Qui in epistolis ad Mauritiū Imp. ad Eulogiū, ad Anastasium, ad Ioan. Constantinopolitanum primatum hunc oppugnauit, & firmissimis rationibus refutauit: qui cōstituit Papā non nisi de principis aut Cæsaris voluntate eligendū: qui pronunciauit, ante Nicenum Concilium, vnumquemque sibi vixisse, & non magnam Rom. Ecclesiæ rationem habitam fuisse, hi tres Pontifices de summo Pontificatu non adeò magnificè senserunt, nō ita sublimiter scripserunt: imò verò cathedrā hāc ab auarissimis & ambitiosissimis posteris vsurpatā, pestilentem & abominandam prudenter iudicarunt. Qui sic statuit, generalem confessionem & mentalem ante Christi incarnationem sufficisse, & propterea miserū publicanum in Euangelio potuisse absque cōfessione veniam peccatorū à Christo impetrare: qui nō dubitauit Papæ per literas significare Germanos abusus Romæ vidisse, dispensationes vituperasse: qui Iudulgentias Paparum, ad annos viginti Mille, stolidas & superstitiosas vocare non dubitauit: Qui probat Episcopi Siracusani electionem, quantumuis & coniugem & liberos habuerit: qui ait, Siue ergo presbyter, siue Diaconus, siue subdiaconus fuerit, apparet quòd in præfatis ordinibus constituti licitè matrimonio vti possūt: qui piè dixit, in omnibus terris esse regnum cœlorum: qui his verbis vtitur, Fuit ergo mos talis benedicendi in Ecclesia tempore Apostoli, cui respondere solebat non tātùm clerus, sed omnis populus, Amen: Qui de hoc ipso Ecclesiæ argumento simpliciter & syncerè loquitur: Ecclesia in terra peregrinans in multis falli potest: Ecclesiæ autoritas quantum ad ipsius radicem & fundamentum, maximè ex Euange-

Meffreth siue in horrulo Reginæ.

Luc. 16.

Io. Maior. l. 4. Sentē d. 20. q. 2. Bonif. in Ep ad Pap. Pela. d. 28. Grat. ibidem. Anton. Heremita Th. V Val densis. Nic. Clemingius.

Euangelio constat, imò ipsius institutio, potestas, ædificatio non aliunde tam expressè quàm ex ipso habetur Euangelio: qui ingenuè profitetur Ecclesiam non posse nouos articulos condere: qui liberè scripsit Hildebrandum magicis artibus deditum fuisse, manicis vbi vellet discussis ignem in modum scintillarum eiaculatum aliisq; miraculis & signis eximiæ sanctitatis oculos simplicium ludificasse: qui claues Petro promissas omnibus datas, & æqualem Apostolorum potestatem asseruerunt: qui de obedientia principibus præstanda, & de primatu Romani Pontificis abrogando scripserunt & subscripserunt: qui inquam sic Pontificiorum vitas & dogmata prodiderunt: qui non negat, Sacerdotes papicolas, quod ad præceptorum Dei obseruationem attinet, à recto curriculo deflectere: istine doctrinæ Romanæ cathedræ fauent, an potius aduersantur? istine vel abominanda Paparum flagitia, vel alia recentiorum Papistarum deliramenta probabunt? Quid si etiam patres sacrosanctæ Synodi Tridentinæ nobiscum faciant, nobiscum protestentur? Cùm enim sacra biblia in sermone populari non vetant sed permittunt: cùm post multa secula Iesuitæ nuperrimè in linguā Anglicam cōuerterunt: annon in hoc doctrinę salutaris capite nobis suffragantur? Quid? quod ipsimet docent prudētiores aliquot Pōtificios nostros esse: vt de Cāietano, Catharino, Fero, in multis patet. De Ruardo Lusitanus Liuiensis Episcopus sic: Ad dicta D. Ruardi, quæ profectò non placent, iam nunc dicamus. De Pigio idem apertissimè, Id ergo asserit Pigius, simul docens cum Caluino quòd in Christo iustificamur in Deo, non in nobis, non natura sed illius iustitia. De sola etiam fide habetur in ipso Magistro & Aquinate. Panormitano Basileę de Papæ dominio supra Ecclesiam

Alph. l. 1. ca. 8. Benno Card.

Scotus, Sent. 4. d. 19 ar. 1. Anacl. d. 21. ca. in nouo.

Gardinærus. Bonerus. Florebel.

In Reg. 4. Coll. Trid.

Aduersatiorsi confessio de nostra Ecclesia

D. 19. l. 3. 19. Thō. Iac. 2. &c.

argutanti Ioannem Sigonium magna fiducia & parrhesia se opposuisse tradit Syluius. Nunquid ergo nunc in hæc verba nobis erumpere non licebit,

Quis genus hoc nostrum? quis Christi nesciat vrbem?

Virtutésque virósque & tantæ nomina stirpis?

maximè cùm tanta nubes testium ex tota Catholica Ecclesia Græcorum, Latinorum, Barbarorum, amicorum, inimicorum patrocinari in hac causa videatur? Nec magnopere opus erat me hanc numerosam Dei prolem aduersariis ipsis confitentibus demonstrare. Confitetur Thomas Aquinas: Alioqui, inquit, tota penè fides periisset, propter hæreticorum multiplicitatē & subtilitatem simul & potentiam: confessus est de Lutheri tempore Adrianus: confessus est imprudens Sanderus, Tot millia hæreticorum qui sedem Apostolicam iniustissimè oppugnant: ibique dolere se ait, ANGLIAM & VNIVERSAM penè Germaniam, duplicem patriam suam, (Angli enim ex Germanis oriundi sunt) horrendis ignorantiæ tenebris offusam. Et sanè plerique omnes quos ille in sua Monarchia inter hæreticos malitiosè reputat, & in Ciuitate Diaboli reponit, reuera protestantes & Catholici sunt, & Dei ciuitas: cōfessus est de omnibus Stapletonus, qui post illam omnium seculorum enumerationem sic infert, Hoc mysterium iniquitatis operatus est Satan per istos prædictos, per TOT secula, TOT in locis, tanto studio. Et tamen adhuc occultatur Ecclesiæ nostræ facies? adhuc in specu aliquo delitescit? Scio hæc reconditiora esse quàm vt omnia digito demonstrari, & plura quàm vt enumerari singula à me possint. Quinimò propterea magis Christianos nostros esse quo minus conspiciuntur, autumo: quod non sine

Test. veri. In præf. ad Pium Quintum Sanderus.

sine iustissima causa dixit Vincentius, hæreticorum nomina & origines ostendere esse facillimū: sicut de Arrianis, Pelagianis, Donatistis, Nouatianis particulatim explicat, cuius hæc sunt verba, Et reuera quæ vnquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Et ibidem subiungit de successione argumentū non ita firmum esse, quoniam & à Simone Mago vetus ille turpitudinū gurges vsque in nouissimum Priscillianū continua & occulta SVCCESSIONE manauit. Et idem in successione Donatistarum, Montensium, Alexandrinorum, & Hierosolymitanorum Episcoporum indicare non est difficile.

Liriu. aduers. Hæres.

Augu. in Breuiculo Collationis.

NOSTRÆ autem fœcunditatis hæc alia demonstratio esse potest, multitudine exulum, latentium, Martyrum. Quamuis enim semper falx persecutionis demessuit, tamen nouum subinde germen, noua seges Ecclesiæ exorta est. Latuere multi in desertis, in caprinis pellibus. Waldenses durissima persecutione gladii ciuilis coacti latendo Ecclesiam propagarunt, quibus illud in ore erat, cùm occultè conuenirent, Cauete ne inter nos sit curuum lignum. i. extraneus. Atque ex hac infestatione & crudeli infectatione aduersariorum Monachatus traxit originem, dum celebriora loca adire non auderent, secessu & eremo sibi prospexerunt. Hos tamen latentes misellos pluris Deus facit, quàm alios in vrbibus turgidos, vt perbellè Erasmus, Pes humani corporis beatior est oculo suis. Hanc latentem Ecclesiam tanquam pupillam oculi sui deamat & custodit Dominus: & licet isti cæci, quos pupugerunt non videant, & quos igni tradiderunt suis manibus, pro Martyribus non habeant, tamē inspicit certātes Christus è cœlo, inspicit & prospicit, & multiplicat: & quos Satan dispergit, in

Optat l. 1. & 2. Multitudo Confessorum nostrorū & Martyrum. Hebr. 11.

Diuerbiū V Valden sium.

In Amab. Eccl. Concordia.

De Tẽp. Ser.109. vnum ouile secretum colligit. Augustinus, Pro ipsis idolis aduersus nomẽ Christi repleta est terra martyribus. Et, Ecclesia torcular est fontis æterni, in qua cœlestis vitis fructus exundat. Clemẽs 6. Strom. Alexand. Græcam Philosophiã à magistratu prohibitam interire: nostrã autem doctrinam magis florere. Non vident hanc Ecclesiam qui oppresserunt, qui indignissimè tractarunt, sed vidit, qui Apocal. 6. dixit, Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter testimoniũ quod habebant, & clamabãt voce magna: vidit qui dixit, Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & Cap. 7. populis & linguis: vidit & nouit qui sint amicti Cap. 17. stolis albis, & vnde venerint. Venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt sanguine Agni. Vidit meretricem istam Cap. 12. sedentem super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, vidit mulierem ebriam sanguine sanctorum, & sanguine Martyrum Iesu: vidit & illam quoque mulierem quæ alis æquilæ coacta est in desertum volare. Hæc est latitans, hæc Cap. 7. sauciata ab Antichristo Ecclesia Dei numerosa ex omnibus tribubus Israel, imò innumerabilis turba piorum, ante thronum Christi, qui propter ipsum perpessi sunt persecutionem, in Germania, Italia, Hispania, Gallia, Anglia, in omnibus gentibus. Supputentur, numerentur ex Martyrologiis, Quale sanctorum Calendarium, quãm ingens volumen exurget? Si omissis reliquis, solam hanc lugubrem Martyrum historiam pertexerem: non Chiliadas post Erasmum, sed Iliadas post Homerum scriberem. Ineant etiam rationem isti inuidi & cæci speculatores, qui Ecclesiæ nullam domunculam videre volunt, Catalogum librorum & hominum quos in Concilio Tridentino suo nuper damnarunt, inspiciant, annon ibi supra mille occurrent, qui propterea Anathemate percussi sunt, quia Romano Baali genua non flexerunt? Alia via aggredi liceret: aliter rem ad calculos reuocare: & vno & altero verbo examinare dictum Stapletoni, qui vt huic L. 13. c. 8. tot professorum numero detraheret, fidenter scripsit, Nos omnium primum à Wicleuo edoctos vocasse Rom. Pontificem Antichristum: quod manifestæ Scripturæ veritati & antiquorum patrum testimonio, & recentioribus multorum assertionibus repugnat. Hactenus enim hoc egimus, & pluribus exemplis ostendimus ante Wicleuum Papæ tanquam Antichristo fuisse olim reclamatum. Scripturæ, patres, atque adeò ipsi neoterici quicunque superstitionum gurgitibus & voraginibus omnino demersi non sunt: Antichristum Romæ habitare, Romæ sedem & regnum obtinere docuerunt. Sicut enim oculus mundi sol radiis suis, sic dæmonium meridianum Antichristus in scriptura insignibus & euidentissimis notis exprimitur & expingitur. Verùm Antichristus peculiari tractatu commodiore loco alibi describi poterit. Huc verò singulos testes cur aduoco, cùm facilè nobis sit vniuersos ascisscere? Mundus totus iamdudum obfremuit, mundus obmurmurauit, mundus sceleratam synagogam esse reputauit Romanam Ecclesiam. Non ego à lippis & tonsoribus, non à faucibus macelli, aut è foro, non à plebeia fece sellulariorum rationes peto: sed vox populi, vox sæpe Dei est: & vulgus iam oculos habet, & non rarò vera sunt quæ vulgò disputantur,

Vox recla mantium Papæ Antichristo.

Vox populi.

Sæpe etiam est olitor verba opportuna locutus.

Vulgus ait, Quò propior Romæ eò peior Christianus: Populi vox est, Vicinior Romæ, Papæ infe-

stior. In ipsa Romanæ ciuitatis porta literæ olim inuentæ sunt, PPP. SSS. RRR. FFF. quas sapiés Beda noster requisitus sic fertur exposuisse, Pater patriæ profectus est, Sapientia secum sublata est, Ruet regnum Romæ, Flamma, ferro, fame. Peruulgatum est,

Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu malè Romaruis.

Contra indulgentias dicit vulgus, claudendas esse crumenas propter fraudulentas scilicet nundinationes. De prophanatione festorum percelebratum est, Malæ mulieres dicunt se plus lucrari in vno Festo scortando, quàm per totam septimanam vel quindenam ferialem. Contra tyrannidem Paparum vetus est, Nemo inferior audet ponere os in Ecclesiam Romanam. Contra Monachorum colluuiem, Totus ferè mundus obloquitur, & scandalizatur de tanta multitudine religiosorum. Contra Papam vniuersale est dictériũ, O bene Calixte totus mundus perodit te. Ioan. Sarisburiensis, Pont. Maximus OMNIBVS grauis est, ac penè intolerabilis est. Nostrates de illa Ecclesia in ore habuerunt, Quanto propior templo, tanto à Deo remotior. Tritum est, primùm Romam euntes nebulonem quærere, secunda vice repetentes inuenire, tertia reportare. Cõtra inexplebilem Romani Pontificis sitim Durandus citat tanquam prouerbium, Qui vult totum perdet totum: sic Romana Ecclesia. Tullensis Episcopus Probus in oratione Romuleos vultures appellat, auaritiam, luxum, superbiã, flagitia describit. Honorium quartum aurifugam, venalem fœneratorem, perfidum, vile pecuniæ mancipiũ vocat: Hæc vbi Probus dixit, cęteri OMNES sententiam eius collaudant atque sequuntur. vetus est versiculus, contra forenses pecuniarum aucupes.

In tertia par. Opus. Tripartiti 2. Tom. Concil. Ibidem.

Ibidem.

Auant. an D. 1380.

Ante an. 400.

Dictio

Dictio plena malis hinc dicitur Officialis.

Peruagatum est,

Roma manus rodit, quod rodere non valet, odit.

Item,

Curia vult marcas, bursas exhaurit & arcas.

Item,

Intus quis? tu quis? ego sum: quid quæris? vt intrem.
Fers aliquid? Non. Sta foris, en fero, quid? Satis, intra.

Populus vidit & communi voce clamitauit, Lupum rapacem à vulpe, vulpem furacem à lupo absolui, asinum innocentem propter modicum stramen in via collectum, à quodam peregrinante Romam, grauissimè luere: nota enim sunt carmina, contra ineptas Pontificiorum confessiones & iniquas absolutiones,

Immensum scelus est, iniuria quam peregrino
Feci sti, stramen subripiendo sibi, &c.

Notauit & aliud Petrus de Aliaco contra pessimos Ecclesiæ gubernatores suo tempore, & ait esse horrendum prouerbium, ad hunc statum venisse Ecclesiam, vt non sit digna regi nisi per reprobos. Idem, MVLTI suspicantur, quòd hæc dissimulauerit Romana Curia, & super hoc Concilia fieri neglexerit, vt posset ad suæ voluntatis libitum plenius dominari, & iura aliarum Ecclesiarum liberius vsurpare. Voce vulgi tanquam stimulo fodit sacerdotes Antonius Lynichanus, Vilis plebs te sacerdotem nunc cachinnis atque ludibriis incessit & odit qui calumniandi ansam vltrò præbueris: Dicit nanque, Tot hic aut ille scorta domi suæ ex patrimonio Crucifixi nutrit, quo non sordida scorta, sed pauperes Christi forent sustentandi. Etiam cæca plebecula per transennam vidit hanc turpem Papistici cleri hospi-

Ante an. 200.

In pœnitentiario Asini.

De Reform. Eccle.

In Orat. ad cler. Colon.

talitatem. Quod in ore est omni populo, quod omnes ferũt, aiunt, prędicant: quomodo non erit Catholicus & plenus vniuersitatis consensus?

Zelus multorũ in repurgãdo stabulo Rõ. Ecclesiæ.

Qvod si vulgi simplicis iudicium tãquam crassum homines polituli contemnent & reiicient: alius subtilior calculus adiiciatur, alia numeratio eorum, qui corrupto Ecclesiæ Romanæ statu grauissimas suas lucubrationes conscripserunt. Extant enim multorum doctissimorum hominum querelæ, extant reformationes, ex quibus quãtum illa aberrarit, quomodo ipsi nobiscum senserint, apparet. Hoc argumentum multum iuuit & permouit Fratres Waldenses, cùm recordarentur nõ solum Dominum ex sua misericordia oculos aperuisse, vt seductionem huius Ecclesiæ perspectam cognitámque haberent: verùm etiam alios idem ipsum tenuisse, & præcipuè aliquos de melioribus, qui id ipsum scriptis suis post se quàm testatissimum reliquerunt. Primus sit Nicolaus Clemingius, qui conquestus est istos idcirco à suis superioribus eximi velle, ídque per Romanæ sedis præsulem magna pecuniarum largitione quærere, vt quod libet, liceat, vtque possint incastigati suo viuere arbitrio: nec esse credẽdum, pro vera & spirituali pace Ecclesiæ niti istos velle, quam nec sapiunt, nec intelligunt: istos prorsus excæcatos, Ecclesiæ Reformationem, quam boni & fideles Plerique ante omnia fieri volebant, impediisse. Alter sit Petrus de Aliaco, qui protestatur de Reformatione Ecclesiæ ideo se plura scripsisse, & nunc ea recolligere, quia Ecclesiæ reformatio quàm necessaria olim fuerit, & nunc multo magis sit, euidenter ostendit deflenda ipsius deformatio, quam spirituales quidam subtilioris intelligentiæ oculo prænidentes, præsentis Ecclesiæ persecutionem, schismata, aliaque mala

In Respõ. excusatoria.

Nic Clemingius. In dispos materia congeneralis.

Petrus Aliacen.

mala sequutura prædixerunt, sicut patet, inquit, in libris Abbatis Ioachim & Hildegardis, quos non esse contemnendos, quorundam magnorum doctorum probat autoritas. Itaque à Pont. Romano tanquam pernicioso capite exorsus, eius vlceribus multis mederi cupit: Deinde vitia Episcoporum & prælatorum corrigit: pòst religiosorum & Monachorum, posteà Ecclesiasticorum cæterorum, postremò laicorum & principum. Reformator alius fuit Humbertus de Romania, Magister quintus ordinis Prædicatorum in Tractatu suo Lugdunensi Con. sub Gregorio decimo oblato, maximè vt hæc tria Rom. Ecclesiæ Grauamina tollerentur, in Exactionibus, Excommunicationibus, Statutis: de quibus etiam G. Parisiensis & alii conquesti sunt: Fran. Petrarcha in multis Epistolis huic vulneri curando manum admouit, Cùm Romam. i. Occiduam Babylonem matrem impiam pessimorum partuum nominasset: & eam quicquid vsquam terrarum abominabile, quicquid fornicationum esset, peperisse, & semper tumere, & talium plenum & grauidum eius vterum fuisse, dixisset, & Apostoli visionem egregiè exposuisset, subdit, Quicquid de Assyria vel Ægyptia Babylone, quicquid de quatuor Labyrinthis, quicquid denique de Auerni limine, déque Tartareis syluis, sulphureísque paludibus legisti: huic Tartaro admotum, fabula est. Idémque multa reformatione non indigna Vrbano quinto suggessit. In opere hoc reformationis piè sed frustrà ad Eugenium laborauit Bernardus, & in Canticis lugubre eius est Canticum, Væ generationi huic à fermento Pharisæorum quod est Hypocrisis, si tamen Hypocrisis dici debet, quæ iam præ abundantia latere non valet, & præ impudentia non quæ-

Hun bertus Parr. 2. c. 11.

In verbo Abbreuiato de ver bis & vitiis. In Epist. cuidã amico in Resp.

V Valdẽs. Petrarcha.

Bernardus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit,&c. Omnes amici, & omnes inimici, omnes necessarii & omnes aduersarii,omnes domestici, & nulli pacifici,omnes proximi,& omnes quę sua sunt quærentes,ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo,honorati incedunt de bonis Domini,cùm honorem Domino non deferant. Omitto quæ Maximilianus de Simonia Palliata aliisque

Adrian. sextus. abusibus scripsit,quid ipse Adrianus sextus confessus est: quid Principes Germaniæ expostularunt. Victus quoque veritate rei, & fœditate

Gratius. tot querelarum Orthuinus Gratius coactus est dicere, Multos in Ecclesia Romana tam secularium quàm spiritualium principum culpa, abusus

In Fasci. re.expet. Lynnichan. esse,& grauamina identidem non pauca, nemo ferè est omnium qui ignorat. Verùm hæc noua non sunt,neque etiam inaudita.Lamentatur Cornelius Antonius in Synodo Coloniẽsi,Quid Deo cum Belial?quid sacra ad Mercurium prophanum mercaturæ Deum &c.Mox,Cùm ipso Euangelico reti æternam nesciamus piscari salutem, iacimus retia ad irretiendum fratrem.Quid multis morer? Intelligenda dediscuntur & negliguntur,erudiẽda dedocentur,

Non mihi si linguæ centum,sint oráque centum
Ferrea vox omnes scelerum comprehẽdere formas,
Omnia cunctorum percurrere nomina possum.

Ad Leonem.10. &con. Later. Picus. Picus quoque nobilissimus Comes,Apud plerosque Religionis nostræ primores,ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset,aut nullus aut certè exiguus Dei cultus, „ nulla bene viuendi ratio atque institutio, „ nullus „ pudor,nulla modestia,iustitia vel in odium vel in „ gratiam declinauit, pietas in superstitionem pe„ nè procubuit. Hanc reformationem Laurentius

Laur. Camp. Cardinalis Ratisbonæ in Germania instituit & euulgauit:vt mores clericorum collapsos instaurarent,

rarent: quæ sicut pauca complectitur, ita etiam & à paucis est recepta,vt ingenuè fatetur Orthuinus Gratius. Atque hinc Lutheranæ religionis occasionem non paruam præbuisse Cleri vitam,& Ecclesiasticorum Canonum abusus,in sua Constitutione idem Cardinalis non dissimulat. Papæ scelera animaduertit,& reformationem quęrit Gil- In Orat. bertus monachus quidam,dum ferè Bernardi ver- Io.Hus. bis sic inquit,Sedes prima, vita ima &c. vultus Gilber. Monach. grauis,actus leuis,ingens autoritas,nutans stabilitas,speculator cæcus,præco mutus, pugil mancus, præcursor lentus, medicus morbi ignarus. Nec dissensit à nobis in hoc Reformationis studio & cura Durandus,dum in libro quodam modum Durand. celebrandi concilii generalis patefacit, & similem habet suo tempore querimoniam,Secuti sunt " viam Balaam ex Bozor,qui mercedem iniquitatis " amauit. Ex quo patet clarissimos hosce omnes " heroas nobiscum collaborasse, idem illos & nos saxum voluisse,vt ex ouili Christi hæc Rom. Pōt. stercora expurgarentur,vt ex vinea Domini lapides tot scandalorum remouerentur, ex agro eius omnia zizania eruncarentur: ideóque spero iam non esse obscuram aut ignobilem hanc Ecclesiæ nostræ genealogiam:sic ipsorum alumni olim Ecclesiam Romanam atro suo carbone notarunt & denigrarunt:sic patres nostri censuerunt cũ Hieronymo,Fidem moram non pati,sed illico,vt apparuit,scorpionem esse conterendum: scilicet ne tuba non clangente grande omnibus bonis periculum impendeat,& corruptæ doctrinæ Gangræna alia corporis Christiani membra inuadat. Si etenim caput ægrum est,an nõ item reliquum corpus?fons si amarus est,an non & riuuli?si radix vitiata,annon & ramusculi? Dominus Apostolicus tot virorum, tot Ecclesiarum æquissimo calculo,

errorum, hæresis, nequitiæ reus est deprehensus & conuictus: annon eodem modo alii eius legati & subditi? Quod verissimum esse & fuisse, iam satis supérque hæc tanta grauissimorum testium Autoritas fidem faciet.

CAMPIANVS.

Cùm scirem aduersarios talia comminisci, quod nulli ætatis Ecclesiæ consuessent, & orbatos tota re, velle tamen inter angustias vocabulum possidere, solabar me vestro acumine, atque adeo mihi pollicebar fore, vt quàm primum huiusmodi technas ex ipsorum confessione cerneretis, statim homines ingenui & cordati stultas argutias in vestram intextas pernitiem discinderetis.

HVMFREDVS.

Hic mecum recolite, Academici, quod multorum sermone percrebuit, In cauda venenum: conclusio tota melle fluit, sed fel propinat imò blandum virus instillat. Acumen nostrum laudat, nos ingenuos & cordatos prædicat: quos alibi hebetes & vecordes, & cum Parmenonis sui sue, cum suitis, Iesuitis (volebam dicere) nullo modo comparandos isti omnes in foro Romano iamdudum iudicauerunt, & tanquam hæreticos aqua, igni, omnibus elementis, sacris omnibus interdixerunt. Sic sunt, sic esse solent, qui simplicem veritatem technarum & fraudis plenam, qui Dei sapientiam & Theologicas rationes ad salutem animarum comparatas, stultas argutias, ad hominum perniciem intextas homines nimium sagaces & nasuti esse suspicantur. Nósne aliquid comminiscimur? nos ab Ecclesiæ omnium ætatum cõsuetudine discedimus? nos tota re orbati, inter angustias vocabulum solum possidemus? Nam siue omnium ab initio mundi aggregationem, siue cõtinuatam doctrinæ & personarum successionem à Christo eiúsque Apostolis ad nostram memoriam: siue Ecclesias in Germania, Bohemia, Gallia, Anglia, Scotia, latissimè diffusas, siue particularia singulorum hominum in quacunque ætate contra Papam testimonia, siue Martyrum infinitum Catalogum, siue liberas hominum de Papa Antichristo Occidentali sententias, siue vniuersalem mundi opinionem, siue suas, sine nostras voces & confessiones, siue has tot abusuum per multos Dei seruos optimo studio sæpe inchoatas Reformationes, ipsorum tamen malitia nunquam absoluras, animo reuoluant, nostram hanc professeminationem legitimam esse non commentitiam, nostram Ecclesiam cum Ecclesiæ Christi consuetudine conspirantem, primam huius fidei nostræ professionem non ad Berẽgarium, aut Wicleuum, aut Hussium, aut alios à Campiano allegatos autores primum & solum referri, sed debito ordine à vera radice in vite Christo, palmites omnes, succum vitámque perpetuò traxisse: & prima tẽpora religionis nostræ fuisse probatissima, intermedia inquinatiora, hæc verò nostra vltima esse fontis limpidissimi repurgationem, in quem Philistæi isti, tantam Camerinam traditionum, tantum cœnum quasi Constitutionum ingesserunt, omnes qui oculis suæ mentis capti non sunt, in hoc speculo Historico vno obtutu videre poterunt. Atque hæc de ortu, statu, sede, propagatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne nostræ Ecclesiæ, quam non solùm Oceanum transuolasse, sed per omnes orbis partes vulgatâ ostendimus: quantumuis papistæ in hoc per hosce quingentos annos intenti fuerint, vt Ecclesiæ nostræ Patres è medio tollerent, quo suæ Ecclesiæ nomine & autoritate abuti possent ad suam libidinem, tanquam equi Fluuiales, qui dicuntur patres suos necare quo liberius & libidinosius cum matre sua coëant.

Anticategoria & Ecclesiæ Romanæ accusatio.

Iam verò, quoniam hactenus pro Ecclesia nostra Apologeticè diximus, cuius isti iniquissimi inquisitores, morosissimi censores fuerunt, & contra eam Dracones magis quàm Solones esse voluerunt: Nos vicissim Romanæ Ecclesiæ naturam, quam pro Ratione palmaria Campianus adduxit, non ipsius plũbea regula, sed veritatis Gnomone æstimemus & metiamur; eámque ex altera parte suis iustissimis criminibus oneremus. Necesse est enim vt omnibus innotescat, quia ad eius nomen tanquam ad Gorgonis caput omnes obstupefiũt: & nullam credunt supereſſe Ecclesiam nisi Romanam, quia in ea Petrus vixit & ambulauit: longè profectè illis superstitiosis hominibus stolidiores, qui nullam aliam terram sanctam esse putant, quàm Palæstinam, quia eam Christus aliquãdo suis pedibus calcauit. Dicendum ergo mihi est de illa, de qua antehac dictum est ab alio, Nõ est tacendum super iniquitate Babylonis. Scilicet illa sola erit Ecclesia, & sancta & Apostolica & Catholica, cuius neque Christus neque Apostoli fundamenta iecerunt, sed quam Romani ipsi vocant non filij Dei Ecclesiam: quam veteri Romanæ multis modis dissimilem scimus, planéque nouam, vbi noua politia, nouũ caput, noui non Ministri sed Domini, noua dogmata, noua fides, nouum Testa-

Onus Ecc. c. 19.

Testamentum, noua Sacramenta, noua omnia: quæ non ouium grex, sed hœdorum, non prudentum virginum chorus, sed fatuarum caterua meritò nominetur, in qua,

A summo capitis, pariter pedis vsque deorsum
Ad plantam, sanum nil supereſſe reor,

In Speculo stultorum seu Brunello. Hier. 4.

vt ante annos centum à quodam propheticè scriptum est: quam ex Hieremia olim deplorauit Episcopus Brixiensis Dominicus ad Pium secundum: Heu quàm obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij: candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, antiquo Saphiro pulchriores erant Nazaræi eius, sed nunc facies eorum sicut carbones denigrata est: de cuius capite idem secundum legem pronunciant, Vulnerato pastore quis curandis ouibus adhibet medicinam? Vnde languenti medico dicetur ei, Cura teipsum? De qua Apocalypticum dictum quasi exponitur, Inprimis sedes bestiæ, i. Ecclesiæ peruersæ, est in Curia Romana, cuius regnum est tenebrosum, cuius Papam sic affatur Christus, Cur tantum odisti me? quare tanta est audacia & præsumptio tua cõtra me? de qua Petrus, Roma erat ciuitas pugilum, cuius plateæ stratæ auro & argento, nunc autem lapides eius saphiri versi sunt in lutum, habitatores eius pauciſſimi, quorum oculus dexter tentus est, dextra manus abscisſa est, bufones & viperę habitant in eis. Hæc enim omnium errorum scilicet causa est: quòd Romam eandem veterem & nouam imaginantur, non diuersam: adhuc fingunt sibi somnia amantes & adhuc Virgilianum illud ipsis placet, de Romana Ecclesia,

inq 1. Hic igitur. Onus Eccles.

Verùm hæc tantũ alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Ibid. ex Birgita.

Adhuc cantillãt de Roma, Cui Iupiter nec metas

Universidad de Deusto
Biblioteca

rerum posuit nec tempora, Imperiũ sine fine dedit. Sed dum Romam quærunt Romæ, tota via errant. Hanc Romæ antiquam fœlicitatem quæsiuit suo tempore Augustinus, sed non inuenit, imò nec vmbram aliquam florentis illius Romæ videre potuit. Ex omnibus enim optatis illa tria præcipua fuerunt, quæ videre inprimis cupiebat, Christum in carne, Paulum prædicantem, Romã triumphantem. Non certè triumphauit Hieronymi ætate, non floruit, nisi forsan occidi, pati, sit triumphare, & florere. Sic enim ad Heliodorum, Romanus orbis ruit: & superius, Viginti & eo amplius anni sunt, quòd inter Constantinopolim & Alpes Iulias, quotidie Romanus sanguis effunditur. Onerat hanc Ecclesiam Liber qui Onus inscribitur, Christo ibi ad Birgittam dicente, Iura domus meæ (Ecclesiæ) asportata sunt in Babylonem: Rursus, Christiani olim erant pulchri fide, dulces charitate, fructiferi bona conuersatione, Nunc autem à priori statu degenerantes ex nomine videntur pulchri, sed conuersatione sunt deformes, fructiferi ad mundum & carnem, steriles ad Deum & animam. Quod sanè maximè in quinto statu Ecclesiæ factum esse ait, quę est ærea, quando Angelus phialam suam super sedem bestiæ effudisse dicitur. De vtraque Roma coniunctim legitur in illo Onere, Olim habitauit in Roma iustitia, & principes eius, principes pacis: nunc autem versa est in scoriam, & principes eius homicidæ. De Roma Christus, nunc flens, sicut antiquitus de Hierusalem, O si cognosceres dies tuos ô Roma, fleres vtique & non gauderes. Hæc est vera Romanæ Ecclesiæ natura & pictura: hæc sunt contra Romanam Ecclesiam nouam præiudicia multorum, etiam Petri, etiam Christi, à quibus tamen omne suum decus

Frid Nauseas 2 Cẽt H. 69.

Ca. 19.

Birgitta.

decus, omnia priuilegia, omnem amplitudinem mutuari se confidenter sed imprudenter gloriatur. Quid est enim illis Ecclesia? quid? nisi cœtus vnctorũ & rasorum, Pontificum, Cardinaliũ, Abbatum, aliorum quos propterea solos spirituales, solos Ecclesiasticos appellitant: & tales prælatos nomine Ecclesiæ subintelligi apertè significat Andradius. Nam alios è Conciliis publicis, è choro in templis, à calicis vsu in celebratione mysteriorum tanquam laicos & prophanos abigunt. Ioannes tamen omnes eos vocat sacerdotes, & sic Primasius interpretatur, Non vtique de solis Apostolis & presbyteris dictum est, sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt vnius sacerdotis de quibus Apostolus Petrus, Gens sancta, regale sacerdotium. Aliis gemmis, aliis saphiris & cristallo, aliis carbunculis, aliis lapidibus pretiosis scilicet spiritualibus suam Ecclesiam apud Iesaiam ornat Dominus. Deinde hanc Ecclesiæ sedem sacratissimam esse volunt Romam: aut ea deficiente, ad quemcunque locum Petri Cathedra translata aut eius Principatus contractus fuerit. Ex florenti statu metiri veritatem religionis, error erat Symmachi iamdudum profligatus. Quæ est autem Ecclesiæ huius forma & species, quæ gloria? non interior, qualis est Reginæ pulchritudo, sed exterior, non in spiritu & veritate, sed in carne & Ceremoniis, non coram Deo sed coram hominibus. Glorioſa est tota hæc Ecclesia, pompoſa, ceremonioſa, Mulier est circundata auro, &c. propinans abominationum poculum omnibus. Hic caput aureum. non sic Christus rex nostræ Ecclesiæ: non de Leuitico genere oriundus, tanquam Ceremoniarum Magister,

Ecclesiæ Romanæ definitio.

Li. 2. Apo. 20.

Ca. 54. Nic. Cusanus Epist. 2. ad Bohemos. In Epist. Amb 30. li. 5. Psal. Forma deformis Ecclesiæ Rom.

Apo. 17.

non sacerdotali veste ornatus, non Tiara, non Mitra redimitus. Non decet membrum esse delicatum, inquit Bernardus, sub capite spinis confixo. Quid? quod Papa incedit deauratus, gemmatus, vario ornatu decoratus, milite stipatus, equo albo vectus, aut à ministris in altum portatus, vt ex Bernardo & Onere clarum est & perspicuum. Hoc pulchrum caput præuidit Sibylla, Erit Rex, πολιοκέφαλος, seu albo galero, vel alba insula Pontifex insignis, habens vicinum nomen Ponto,

L. 3.

Mundum spectans, scelerato pede muxera conferens.

Hoc caput aureum & egregium in sua coronatione, ex Tiara carbunculum sex millium aureorum amisit. Hodie verò non possunt aurei Pontifices cum Petro dicere, Argentum & aurum non est mihi, vt Minoritæ olim dixit Papa Sixtus Thrasonicus: Imò à ratione sunt & à sensu communi alieni, qui hactenus schismatici Christianam Ecclesiam posse primatu carere cauillati sunt, corpus sine capite confingentes, vt inquit Friderici Nauseas. Et ab vnitate huius Rectoris Ecclesia vna est, de qua dicitur, Congregabuntur filij Iudæ & Filij Israel pariter, & ponēt sibi caput vnum. Et Dominus dicit, Fiat vnum ouile, & vnus pastor. Hic autem vnus Præsidens, pastor, rector & gubernator in tota vniuersali Ecclesia Christi vicem gerens summus Pontifex est, vt est in Summa de Ecclesia: cui illud Tertulliani obiicio, Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus: nam bifariam errauit, dum quod de Christo etiam Hieronymi iudicio vnico capite effertur, ad aliud vnum & vniuersale transfertur, & quod in Osea legitur, ex Ioele corruptè & falsò adducitur. Hæc est huius Ecclesiæ Natura, vt Populum Ecclesiæ communione & nomine Christum

De Clem. 5. Plat.

Centur. 1. loc. 7. pro. Of. 1.

l. 1. c. 6. De Præscrip.

Eccl. Rō natura & gloria qualis.

Christum suo Regno, Ecclesiam suo spirituali decore priuet & exuat. Gloriosa est enim in aureis, argenteis, holosericatis sanctis. Deprehendit hoc imò reprehendit vel Abbas Bernardus ad alium Abbatem Guilielmum, Fulget Ecclesia in parietibus & in pauperibus eget, suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. Gloriosa in calicibus aureis, sed iuxta dictum Bonifacij, Lignei sunt sacerdotes. Ita prouisum est à sacerdotibus Populo Dei: Auro loquente vbique nulla concio, muta pulpita. Ad eundem modum tractauit suos hospites Caligula, aureos panes, aureos discos apposuit, præterea nihil, ac iussit edere. Sic gloriosa est, sic conspicua in pompa Episcoporū, vt testis est Bernardus. Conspicua est & visibilis in visionibus & spectris etiam post mortem, ex quibus Missales merces & ignis Purgatorius & preces pro defunctis conflantur. Conspicua est & gloriosa in tot Miraculis, fictitiis, & mira est Cochlæi contra Lutherū insultatio, ostēdat signa: vt quondam impij Iudæi, Volumus exte signa videre: vt etiam petiit à Christo ipse Diabolus magnus ille Mirabiliarius & Thaumaturgus, Mitte te deorsum. Quid amplius? Conspicua est, gloriosa, preciosa, aurea est in scortis elegantissimis, Cuius Leonem grauiter admonet Picus Mirandulanus, Tu verò earum cultores vitularum, quæ maximo numero in vrbe non stabulantur modò sed dominātur, & auro, purpura, & margaritis more regio incedunt ornatæ, vt ad earum aspectum nedum congressum plurimi & obbrutescant & pereant, exilio saltem & honorum mulcta non compescēs? & hæc Circæa monstra grunnientia vocat, Sirenes imò Sirenum multa millia.

Papa Caligula.

S. Cant. ser. 33.

Quemadmodum autē in forma: sic in materia

multò grauius peccat Romana Ecclesia: vt non sponsam quæ pareat, sed dominam quæ imperet, non populum contendentem suppliciter à patre cœlesti, vt nomẽ eius sanctificetur, regnum eius veniat, voluntas eius in cœlo, in terra fiat, sed populum ceruicosum, qui iis recalcitret & contradicat planissimè esse arbitremur. Ecclesiæ est enim tanta quam vsurpat potestas, vt sola nouæ religionis formam induxerit, sola absque verbi diuini autoritate, omnes nostræ fidei articulos, qui inter nos hodie cõtrouertuntur obtruserit. Id si prima fronte durum aut probatu difficile videtur, tamen dum effectum do, quæso oculos & animos aduertite. Nam si bene dixit Eckius, Papam repræsentare totam Ecclesiam: si etiam bene Sanderus, ex Plonio Posnanensi, Quoties dubia occurrunt, & perplexa circa fidem, ad Papam est recurrendum, penes quem est plenitudo potestatis: & in Summa Angelica, Papa summus est inter omnes, quia ipse SOLVS habet plenitudinem potestatis: si Ecclesiæ & Papæ comes & dux indiuiduus est Spiritussanctus: si hoc ducente & docente, omnia dogmata absque scriptura statui possunt: iam Papa est non modò caput Ecclesiæ, sed totum corpus, & via ad cœlum vnica est papatus: & ego hæc credendo facilè ero & in terra Catholicus & in cœlo ciuis beatissimus. Festiuũ est illud, Themistoclem Athenis imperasse, Themistocli vxorem, vxori filiolum: ergo Imperatorem Athenarum fuisse Filiolum paruulum. Nec minus hoc verum, Ecclesiam regi Spiritu: spiritum docere omnem veritatem, omnẽ veritatem etiam non scriptam tradi posse ab Ecclesia: Ecclesiam esse Pontificem Maximum: ergo à Pont. Maximo omnem veritatem, omnem nostram theo-

Ecc. Ro. noua & extraordinaria potestas.

S. 79. de Tẽpore.

theologiam, sine vlteriore indagatione ad nos proficisci: vt iam opus non sit, vel Concilia expectare, vel patres legere, vel scripturas scrutari, vel alias Campiani rariones expendere: cùm ab vno hoc Ecclesię capite tanquã cardine pendeant omnia. Ideóque primum immensam hanc & generalem autoritatem Christo & scripturis æqualem accipite. Magis debet seruari & attendi consuetudo Ecclesiæ quàm autoritas Augustini & quorumcunque sanctorum. Hæc è Thomæ quolibetica Theologia. In re dubia ad fidem & certitudinem valet autoritas Ecclesiæ Catholicæ. Hoc Canonicum est decretum Ecclesiæ Catholicæ æqua cum Christo qui eius est caput, fides debetur: nempe in qua Christus se mansurum perpetuò adfirmauit, neque vllum in errorem fidei labi se permissurum pollicitus est. Hæc Nauseas. Ecclesiæ præceptum habet eandem vim obligandi sicut diuinum præceptum, vnde Lucas, Qui vos audit, me audit. Ista Ioan. Nider. Præter Dei legem & Scripturam præcepta etiam sunt Ecclesiæ. Canisius. Non minor Ecclesiæ quàm expresso Dei verbo vindicanda est authoritas. Censura Colonienſis. Ecclesiam sequamur Catholicam: Hæc est nostra mater sanctissima, multa nos credere ac facere præcepit quæ in sacris literis non habentur, & tamen nos eadem illa credere (modò salui esse velimus) ac facere oportet: Verba sunt Orthuini Gratii in Epistola. Vt Lydio lapide aurum exploratur, & probum ab adulterino facilè internoscitur: ita quid fide syncerum, quid instituto rectum, sit quid contrà, ex Ecclesiæ sensu consuetudinéque intelligitur, ac sine vllo errore diiudicatur. Iterum, Nisi in Ecclesiam tanquam in clarissimos Septentriones intueatis, ad scopulos appel-

Quolibet. 2 q 7. C. pal. d. 11.

Cent. 1. H. 100. Luc. 10.

Præcept. 9. c. 1. Dial 6.

leris, ad vada & breuia adhæresces. Flosculi sunt ex Florebello, Omnis interpretatio Scripturæ, non conformis interpretationi Ecclesiæ, suspecta esse debet, & non amplecti à Catholico, qui Ecclesiam audire iubetur. Hoc Clingij est Emblema, Hinc sequitur, quod Ecclesia in his quæ instituit, ordinat aut prius ordinata pro qualitate & conditione temporum mutat, id faciat spiritu veritatis docente, ac eam dirigente: & propterea in huiusmodi rebus nec errat, nec errare potest. Hæc Tilmanni Catholica doctrina est. Cuculio quidam in Ruchenbergo, postquam asininis salibus diu Lutheranos Gostarienses perstrinxisset, tandem addidit, Ecclesiæ ductorem esse Spiritum sanctum: eoque audiri eandem non aliter quàm Christum oportere. Nam hæc de illo monacho refert Antonius Coruinus. Non omnia si Augustino credimus, ita sunt sacris literis explicata, vt fides non egeat Ecclesiæ patrocinio atque auctoritate. Hæc est detorta ex Augustino Andradij collectio. Effrenis sanè & infinita Ecclesiæ authoritas, quæ tamen intra suum gyrum & circulum cohiberi debet: Testante Christo, Hoc facite stante etiam Tertulliano, Hanc tibi fossam determinauit ipse, qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit, ideoque nec quærere: testâte Hieronymo, Sed vt hæc quæ scripta sunt, non negamus: ita quæ non sunt scripta renuimus: atteſtante autore Oneris, Ecclesia quidem à Spiritu sancto regitur, sed eius Rectores tanquam homines fragiles quandoque à spiritu maligno exagitantur. Ita Papa Liberius Arianæ hæresi consensit: ita fœmina Agnes, quæ vltra biennium Papatum occupauit, imprægnatur, ac palam peperit prolem.

De Ecclesia, Matt. 18.

De Sacramentis. In Dial. de Eccl.

De Præscrip. Aduers. Heluid. 11. ca. 19.

Domata Eccl. au-

Secundo loco probemus quod diximus, singula doctri-

doctrinæ capita, de quibus hodie dubitari & disputari solet, non aliqua euidenti Scripturæ ab illis demonstratione commendari, sed hac sola Ecclesia Romanæ prærogatiua obtrudi. Quod enim in vniuerso doctrinæ pontificiæ corpore membrum, quis articulus ab illis nominari potest, aut proponi suis assecls solet, qui Ecclesiæ Romanæ patrocinio non nitatur? De Sacramentis in genere Scotus, Principaliter videtur monere, quod de Sacramentis tenendum est, sicut tenet Sancta Romana Ecclesia, sicut habetur, Extra de hæreticis? De Sacramentis quinque merum est Ecclesiæ figmentum. In Sacramento Baptismi docent Pontificij citra, imò præter, imò contra verbum Dei, neminem sine Baptismo posse seruari, etiamsi nullus contemptus accesserit. Affertur Scripturæ locus aliquis fortasse, aut Augustini vnum aliquot testimonium: Sed malè: VVidefordus simpliciter ait, Est ergo de fide Ecclesiæ, quòd tales infantes erunt in æternum damnati: Administrant Baptismum hunc hac de causa mulierculæ, Quo iure? Idem fatetur ibidem, Post ascensionem Christi Ecclesia semper reputauit hoc sacramentum tantæ necessitatis, quod à laicis, quod à mulieribus, quod à paganis conferri potest in articulo mortis. Confirmationem paruulorum per solos episcopos docent esse Sacramentum: qua lege? Traditione Ecclesiæ, alioqui si verbo Dei talis confirmatio præcepta fuit, Gregorius potestatem hanc confirmandi sacerdotibus Græciæ nunquam concessisset. Quanquam Durandus de sancto Portiano, Gregorium asserit hominem fuisse non Deum, errare potuisse, & in hac re errasse, quoniam solus episcopus esse posit minister huius sacramenti de-

toritate sola confirmari.

L. 4. dist. 3.

Innocentius.

Cont Io. VVicle. art. 4.

De Sacramentis & Baptismo

De Confirmat.

Can. d. 95. c. peruenit. s. 4. Sent.

V Videf. ar 5. De Conf.

bitus. Volunt nos singula peccata enumerare & in aurem sacerdoti dicere: Quare? Prætenditur Iacobi autoritas, sed color est: In decretis contrarium est: Melius dicitur, Confessionem institutam fuisse à quadam vniuersalis Ecclesiæ traditione potius quã ex Noui vel Veteris Testamenti autoritate. In Sacramento Eucharistiæ horrendum monstrum Transubstantiationis credendum est.

Ex Anselmo V Vid. ar. 3. De Eucharistia.

Qua autoritate? Panis substantiam post dominici corporis consecrationem in altari superesse, semper aborruit pietas Christiana, nupérque dãnauit Ecclesia. Realem Christi præsentiam in eodem Sacramento requirunt sub pœna Anathematis. Qua de Causa? Erasmus, qui Transubstantiationis inuentum nouum esse scripsit, etiam in spirituali manducatione nostræ accedit sententiæ, saluo tamen Ecclesiæ iudicio. Possem equidem in Oecolampadij sententiam pedibus descendere, nisi me moueret tantus Ecclesiæ consensus. Nec Magister, nec Scotus dissentiunt. Communicantibus sub vtraque specie Anathema dicit Concilium Constantiense: Qua ratione? Fingant quantum volent rationes ex sacris scripturis ex aliis scriptoribus Tilmannus confitetur, Iustis ergo rationibus decreuit Ecclesia, vt laici altera specie tantùm Eucharistiam reciperent, sacerdotes sub vtraque. Credere oportet Missæ sacrificium esse propitiatorium: Quamobrem? Ecclesiastica est Traditio: Missa duabus constat partibus, quarum alteram habemus à Christo, alteram ab Ecclesia: à Christo Consecrationem, Communionem & oblationem, & cætera ab Ecclesia. Consecratio magica & papistica est necessaria. Cur sic? dixit ille esse à Christo, sed Widefordus negabit, Constat cuicunque inspicienti textum Euangelij & textum

In Epist.

Missa.

textum Apostoli, quod nullibi in scriptura habetur completa forma Cõsecrationis sanguinis, qua vtitur Ecclesia, & tamen patet omnibus, quod illa est vera forma consecrationis, & quod hæc credi debet. Ornamentis, vestimentis, ceremoniis, Musica elaboratissima, organis, aliisq; multis cõdecoranda est hæc Missalis gesticulatio & actio. Cuius iussu? Ecclesia quæ magisterio Spiritus sancti instructa errare nõ potest, instituit huiuscemodi ritus, ceremonias, vestes, vasa, & id genus multa pro solennitate & decore Missæ, vt Tilmãnus censuit. Ordinis sacramẽtum vocant, gradus ministrorum volunt. Vnde? Hieronymus sensit esse dispositionem & consuetudinẽ Ecclesiæ, vt schismatis tolleretur occasio. & Widefordus adducit Armacanũ in quæstionibus Armenorũ multis autoritatibus Apostoli ostendentẽ, in primitiua Ecclesia non fuisse distinctionẽ inter Episcopos & sacerdotes simplices. Petri Cathedra Romæ erigitur, ibi Petrũ docuisse, rexisse, passum esse traditur. A quo tandẽ? Hæc doctrina est Papę & Ecclesiæ Romanæ, quæ ad nos descendit per successiones patrum à tempore Apostolorũ. Idémque cõcedit in principio Ecclesiæ, immediatè post missionem Spiritus sancti, & diu pòst, omnes creatos sacerdotes dictos esse Episcopos, & omnes Episcopos presbyteros. Voto tanquã laqueo obstringuntur ministri ad cœlibatũ: Quid ita? Respondet Durandus votum continentiæ non esse annexum solennitati Ordinis essentialiter: sed solùm ex statuto Ecclesiæ & accidentaliter. Et Innocẽtius quartus Contrahere posset ordinatus, nisi constitutiones Ecclesię hoc prohibeant. Docet attamẽ Catholica Ecclesia, virginitatẽ esse maximam peccatorũ satisfactionem, & meritum vitæ æternæ, si Petri Soti assertioni credimus. Quid plura comme-

Primatus.

Sen. 4. d. 38. q. 2.

Votum.

In Assert. Cathol. cont Cõf. V Virtẽb.

morem? Cauillantur ex Scriptura licere vti ſermone exotico in liturgia & precibus. Sed ex Tilmanno legimus, Licet in primitiua Eccleſia, Chriſtianis nondum ſatis inſtructis de myſteriis Eccleſiaſticis, orationes & benedictiones publicæ ſolennéſque lingua vulgari dicerentur, &c. ordinatum eſt ab Eccleſia, ex Iudæis & gentibus collecta, vt his tribus linguis, Hebraica, Latina, Græca diuina peragerentur officia. In templis ſuis habent Idiotarum libros Imagines. Deprauant Scripturę loca quædam, & ſe torquent ſed fruſtrà. Widefordus iterum fatetur Leoni Imperatori & Conſtantino Filio reſtitiſſe Gregorium Romanum Pontificem, & Germanum Conſtantinopolitanum, allegantes, morem antiquorum & approbatam ab Eccleſia conſuetudinem. Feſta plurima ex eiuſdem Eccleſiæ honorario arbitrio excogitarunt: vt Nauſeas dixit, De præſentatione Diuæ Deiparæ Virginis Mariæ nihil in Euangelio puritatis Virgineæ traditur. Bernardinus, Ideo omnes debent ſequi conſuetudinem Eccleſiæ in veneratione. Hæc in vita credenda nobis ex præſcripto & verbo ſolius Eccleſiæ offeruntur. Purgatorium & alia poſt mortem in qua tandem officina procuſa habemus? Dicit Tilmannus, loquens de Purgatorio non Papæ ſed Tertulliani (quod tamen longè aliud fuit) Nuſquam quiſpiam ipſum arguit hæreſeos, quòd purgatorium aſſeruerit, quòd oblationes pro defunctis faciendas ſecundum Traditionem Apoſtolicam & Eccleſiæ conſuetudinem docuerit. Ita Gregorius Bonifacio quærenti, an liceret pro obeuntibus offerre: Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſque pro mortuis verè Chriſtianis oblationes offerat. Quid reliquum eſt? Didicerunt Eccle-

Preces.

Art 18. Imagines.

In materiali. Feſta.

Purgatorium.

Eccleſię propugnaculo freti, ſacrę Scripturę rupem, quæ inconcuſſa eſt, adoriri. Hoſij Cardinalis hęc eſt audacia, Dic Eccleſiæ, Iã vides Eccleſiam fuiſſe Noui Teſtamenti, cùm eius nullum ſcriptum haberetur: ex quo loco ille eiúſque diſcipuli Ieſuitę ſuas Traditiones defendunt: quaſi Vetus teſtamentum non ſit occultatio Noui: quaſi Matthęus hoc ſuum Euangelium ſtatim non ſcripſerit: quaſi Paulus de omnibus non dixerit, Quęcunque præſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Quid præterea? Etiam Euangelium ſine Eccleſia ſua nihil eſſe, nihil valere contendunt. Sic enim vaniſsimè Ioan. Maria Viriatus Carmelita, Humiliter confitemur, Eccleſię autoritatem ſupra Euangelium eſſe: ſiquidem Chriſtus tradidit Eccleſię ſuę poteſtatem definiendi, determinandi, circa res contentioſas vel in fide vel in Actionibus. Vide Albertum Pigium li. 1. cap. 2 de Hierarchia. Sic Frideric. Nauſeas, Ex iis modò ſequitur, Si in Nouo teſtamento credendum neceſſariò eſt Euangelio Chriſti, credere neceſſarium eſt & decretis Eccleſiæ, quæ Euangelium probauit: & ſubſequitur credenda, & omnia illa quæ ipſa nobis credenda proponit: ſed hic nodus antea ſolutus eſt: & Eccleſiam iſtam probaſſe Euangelium, mendacium eſt. Decreta Eccleſiæ Catholicæ vt Spiritus ſancti oracula eſſe accipienda docet Corus his verbis, Eccleſia vbi ſemel ſuum decretum & honorariũ arbitrium interpoſuit, etſi alioqui res ea apertis Scripturis non nitatur, fixum, firmum & inuiolatum apud omnes eſſe debet, perinde atque ipſius Spiritus ſancti oraculum. Eſt etiam Eccleſia rectrix chori & Doctorum, & correctrix Patrum. Neque enim, inquit Duræus, Patres cenſentur cùm ſuum aliquid, quod ab Eccleſia non acceperũt, vel ſcri-

Scriptura.

Aug. Euſeb. Rom. 5.

Eccl. ſupra Scrip. Patres Canones Pontificios, &c. 2. Cent. H. 91.

Dial. 6.

Rat. 5.

bunt vel docent. Et quidam Wolphg. Hermannus, Scriptura ab Ecclesiæ autoritate deserta non magis valet quàm Æsopi Fabulæ. In Summa docent penes Ecclesiam esse, librum aliquem nondum in Canonem receptum, in numerum librorum sacrorum & certò Canonicorum referre: vt Stapletonus de libro Hermæ & de Constitutionibus Apostolicis apud Clementem iudicauit: & præterea Scripturis Euangelistarum Canonicam autoritatem impartiri, vt Pighius censuit, & tamen eas Petrus & Ioannes approbarunt, vt in vita Marci & Ioannis Hieronymus testatur. Verùm enimuero satis est si omnia vbique suæ Ecclesiæ deferant, & Christo, Scripturæ, Euangelio auferant. Sed quid isti tot & tanta blaterant de Ecclesiæ eminentia & antiquitate, de interpretatione sua Scripturarum, cùm nec suos quidem Canones satis tueri, aut constanter retinere, aut fideliter explicare vnquam potuerint? Loquatur Gallus & Græcus Budæus ante Lutherum sacrificorum Epicureismi accusator vehemens, loquatur de hoc insigni abusu Ecclesiæ Romanæ, quæ „sibi vni omne ius interpretandi vsurpat: Cano„nes Pontificii ex vsu Ecclesiæ antistitum flexibi„les, plumbei & ærei facti sunt: vt iamdiu insti„tuta Maiorum & sanctiones Pontificiæ non mo„ribus regendis vsui esse, sed propemodum dixe„rim, argentariæ factitandæ autoritatem ac„commodare videantur. Accedat tanquam cumulus ad hanc summam Ecclesiæ consummandam excellentiam, Stapletoni conclusio, Quare hoc solum sufficit dicere & respondere, ad Omnia, Ecclesia Catholica aliter sensit ac docet. Hæc est illa Ecclesiæ Romanæ dignitas, hæc potestas: quam Bonifacius Octauus tanquam vnam, sanctam, Catholicam solam iubet credere, & re & cogit tenere. Hæc est Ecclesia de qua adeo egregiam concepit phantasiam Æneas Syluius, In his quæ sunt fidei, nunquam reperta est Apostolica sedes errasse, aut adulterinis acquieuisse dogmatibus. Quid nunc aliud restat, Fratres, quàm vt Ecclesiam Deam faciamus cœlóque locemus? Hoc verè est, quod Nasica Ennio exprobrauit, ipsum non Domino de se testanti sed ancillæ credere.

l. 9. c. 14.

Hierarch. l. 1. c. 2.

§. 12.

In Extr.

In dial. cont. Bohe. Epist. 130.

Notas habere Pontificii sua Ecclesia non indignas, vagas & vanas: Fingamus enim (nam reuera fictitium est) eos & vnitatem colere & Catholicos esse, seu vniuersalitatem habere, & antiquitatem & successionem. Quid est autem vnitas vbi non subest veritas? Vnitas erat & consensio gentium, populorum, regum, principum, qui aduersus Christum Dominum in vnum conuenerunt: Vnitas erat Pharisæorum & Sadduceorum, Herodis & Pilati contra Iesum: Vnitas Beelzebub, & legionis Diabolorum, ne regnum suum discordes euertant. De Romanistarum pace dicamus,

Notæ Rõ. Eccl.

Vnitas.

Eirenem iactant, sed quærunt sanguine Erynnim.

Vnitas triplex est: cum Deo, secum, cum aliis: Deo coniuncti non sunt, nisi vera fide, qua destituti sunt. Gregorius super Ezechielem, fidem esse charitatis omnis basin & fundamentum: inter se dissident, dum Maiorum acta successores infringunt, dum mutuis lanienis viam ad Papatum sternunt: dum scholastici acriter inter se digladiantur. Et veteres Romani contrà atque Neoterici de tota ferè religione senserunt, & quatuor Patriarchæ Christo coronam suam spineam reliquerunt, sed eius vestimenta & ornamenta inter se diuiserunt: postremò Romani Pontifices soli, vt omnes partes ad se raperent, cæteros primatu Christi deiicerent, inconsutilem tunicam,

prô pudor, fœdis & crebris suis contentionibus disciderunt: & communem totius orbis Christiani pacem turbarunt. Nec seruant pacem cum aliis, quibus bellum inferunt, quos ferro, fame, Flâma, è medio exterminant.

Antiquit. Sed nec ostendere possunt Romanistæ antiquitatem suæ religionis quam iactant vt aliâs fortasis dicetur latius. Antiquus est serpens & mendax & homicida ab initio. Successio nihil probat vt

Onus c.19 ille scripsit, Non locus Pontificis sed vita & mores faciunt Pontificem. An soli Petro sua manet Romæ successio, & non Ioanni Ecclesias annos sexaginta gubernanti? Non ipsi Petro in aliis Ecclesiis, Antiochiæ, Ponti, Galatiæ? non Iacobo & Simoni fratri, qui Hierosolymis diu præfuerunt? Si illic mali aliquot surrogati sunt, sic Romæ plurimi: si hæretici, & Romæ: breuiter sicut Eli bono viro & miti patri filii Belial in Iudæa extiterunt, sic Romæ à Greg. Magno (quod nomẽ fatale esse videtur) ad Grego. vsque 13. pauci admodum Petro similes posteri succreuerunt. Non enim similis Petro fuit Greg. pater primus superstitionum & magnus fundator Papisticæ fabricæ: non Marcellinus sacrificans idolis, non Anastasius secundus, à cuius communione seiunxit se Romanus clerus: non Liberius aut Fœlix Arriani, non Ioan. Octauus fœmina, non Ioannes vndecimus scortator, non Ioannes decimustertius mõstrum, non decimus octauus latro, non vicesimus tertius multis sceleribus infamis & depositus, non Syluester secundus magus, non Gregorius Necromanticus, de quibus legere est apud Hieronymum, Volaterranum, Platinam, alios historicos. Quamuis autem alii sanctimoniæ quadam specie oculos hominum ludificarint, non est mirandum: nec est vlla meretrix quæ non velit videri matrona, nec

na, nec vlla synagoga nollet haberi Ecclesia, & Iesabel ipsa nouit faciei suę fucos illinire. Et quis nescit tempore tot vacationum, tot schismatum, tot pessimorum tyrannorum & hæreticorum, tempore mulieris, imò meretricis Romæ interruptã & intercisam fuisse veræ successionis Romanæ lineam? Quid respondebunt Bernardo? Vbi non est Ad Eug. pastus ouium, sed fastus hominum, non Petro sed Constantino succeditur. Quid Augustino? qui inter sana & putrida Ecclesiæ membra iudicat, Non sum de area Christi, palea si malus, granum L.3.c.12. si bonus. Non est huius areæ ventilabrum lingua Petiliani, nec certè penna Stapletoni, qui persuadet inanissimè huic sedi Romanæ soli adhærescendum, in qua sola hæc successio ad oculum demonstratur. Minimè verò demonstratur à Stapletone, nõ magis quàm si dicas Aharoni, aut Vriam aut Caipham, aut Scribas aut Pharisæos successisse: aut Simonem Magum bonum antecessorem fuisse, à quo vetus ille turpitudinũ gurges vsque in nouissimum Priscillianum continua & occulta successione manauit, vt ex Vincẽtio probauimus. In Præfa. l.13.

Vniuersalitatem autem dum prætendunt, primùm in eo hallucinantur, quòd bonitati causæ aut veritati Ecclesiæ multitudo hominum nõ patrocinatur. In principio Serpens, Adam, Eua, vniuersitas peccauit: pòst omnis caro viam suam corrupit & deleta est. Totus mundus in maligno positus est. Multi dicunt, Nos numerus sumus: Longè prudentius colligit August. Quid gaudemus ad multitudines? Audite me pauci, Scio quia multi auditis & pauci obauditis. Aream video & grana quæro. Idem pòst, Mulier quædã fimbriam tangebat, Turba Christum premebat. Deinde si firma esse posset collectio: tamen nulla tanta est tantæ multitudinis aut vniuersalitatis in Ecclesia Vniuersalitas. Gen.3.6. In Euan. s. Lucam.

Rom. probatio. Agamus Socraticè. Cùm Alcibiades esset habiturus orationem apud Athenienses, pertimuit: hunc vt animaret Socrates, ex tãta multitudine contẽptiores selegit. Num, inquit, erubescis aut times coriariũ? num sutorem? num figulum? num fabrum? num cementarium? num illum & illum opificem? Cùm responderet se apud omnes istos posse intrepidè perorare, omnes facilè contemnere, Tales, inquit Socrates, sunt singuli, quos tu nunc vereris vniuersos. Non admodũ dissimili modo, & nos subducamus rationem, expopulo multo, ex hoc numeroso exercitu Romanensium milites omnes formidolosos, exẽplo Gedeonis omnes in hac pugna spirituali quouis agricola, quouis cementario rudiores & ineptiores, multos Papas, Bonifacios, Paulos, Iulios, Honorios, Vigilios hæreticos, multos carnales Cardinales, multos obesos Abbates & pigros prælatos, Epicuri de grege porcos eximamus, de quorũ turba inutili facetè quidam ex Iesaia dixit, Multiplicasti gentem sed non magnificasti lætitiam: nam sic

C. 9.

Ante an. 400.

iudicauit Elizabetha Germana, Sedes Apostolica obsessa est à superbia, & colitur auaritia, & repleta est iniquitate & impietate. Omnes qui lingua aquas lambunt sicut canes, quorum ope contra Madianitas Dominus vti dedignatur, separemus: paleæ dispellãtur ex aceruo, frumentum solum colligatur, abeant lupi, remaneant oues. Segregemus crassos monachos, ignaros sacrificos, titulo solo commendatos, οὐ γὰρ πλήθει, ἀλλ' ἐπιστήμῃ δεῖ κρίνεσθαι, nõ frequentia sed scientia iudicandũ, vt scitè Plato: è domo sua magna eiiciat Dominus vasa lignea fictilia, ex corpore Ecclesiæ humores malos, ex agro Zizania & scandala, ex ouili fures & latrones, ex Ecclesia idola & stultos pastores, ex sagina pisces malos, ex turri speculatores cæcos,

cæcos, ex nuptiis omnes sordidos veste nuptiali carentes, omnes hæreticos scabie infectos, ex castris omnes leprosos & immundos, ex Ecclesia Dei eunuchos, Mauzeros, è ciuitate sua omnes canes veneficos, impudicos, homicidas, idololatras omnes amantes & facientes mendacium. Eximamus similiter ex toto hoc Catholicismo, & ex hac vniuersali, quã ostentant, Ecclesia sua tot Martyrum millia quos deleuerunt, tot Catholicos qui à nobis sunt, illas quas enumeraui tot oras, tot regiones, tot terras in Asia, & Africa, & Europa quæ Papæ sanctos pedes nunquam osculari voluerunt, aut quæ se ab eius obedientia subduxerunt: an tamen erit Ecclesia Romana vniuersalis? An non potius exiguus numerus? an non pauci racemi in hac vinea relinquentur: hac ratione sic inita, his sic deductis & computatis, quid hoc nomẽ vniuersalitatis sibi vult? an vt omnes homines, & omnes Ecclesiæ Põtificis Romani nutui & ditioni pareant? Quid hoc monstri est? Ecclesia Rõ. (particulare Ecclesiæ membrũ) erit ipso capite Christo fœlicior? Iesu Christo vniuersitas nõ obediuit, sed vniuersitas deseruit. O bone Iesu, inquit Bernardus, vbi est modò discipulorũ societas, cũ quibus discubuisti? quibus pedes lauauisti, & corpus & sanguinẽ dedisti? Heu vbi est modò Petri loquacitas? vbi est Ioan. familiaritas, qui in cœna super pectus Domini Dei sui recubuit? vbi modò sunt consanguinei tui omnes? O bone Iesu, heu, heu, omnes te hodie reliquerunt. Nunquã omnes Christum sequuti sunt, nunquam tota hominum vniuersitas Deo suum obsequiũ præbuit, aut ceruicem subdidit. Et vniuersalis Episcopi titulũ, & Catholicæ Ecclesiæ nomẽ vendicare audebit Romanus Põtifex? & omnes Ecclesias suas oues esse confirmabit? Excludantur iterum è societate

Anno D. 1120. Dial. de Prædest. & L. Arb.

Ecclesiæ Monialium myriades, quēadmodum fecit Honorius Augustodunensis, Aspice, inquit, habitacula monialiū, &c. Cernes in eis bestiæ præparatum thalamū: hæ à tenera ætate impudicitiā discunt, &c. Hæ animas Iuuenum illaqueant: Auferantur omnes Episcopi Apostopi, sal terræ infatuatum, mundi tenebræ, de quibus vetustum extat Petri Blesensis præiudicium, Episcopi domo, vt cum familia dominum comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum. Non ego omnibus Romanistis hisce detraho: non sum iudex viuorum aut mortuorum, sed credo in omnibus hisce ordinibus habere Deum seruos bonos & fideles quibus dicet, Euge: qui & Romę Apostasiam agnoscunt, & ex imis penetralibus ingemiscunt: qui nobiscum sentiūt, non omnes qui dicunt patrem Abrahamū, esse Abrahæ semen: non omnes qui dicunt Domine, Domine, intrare regnum cœlorum: non omnes qui habentur ab hominibus capita & columnæ, fore vllam partem populi Dei: sentiunt verū esse quod habet Augustinus, Modo quæris Iudæum in ciuitate Hierusalem & non inuenies: itemque illud, Difficile est stare loco Petri & Pauli: & difficile est vt omnes qui locum Petri tenere ambiunt, virtutes imitentur Petri, ac doctrinam profiteātur, vt à cathedra Petri accipiant sanctitatem.

Ante an. 400.

S. Ps 120.

Cōclusio ad Academicos.

Hoc modo si fiat in hoc terrestri foro quoad fieri potest, talis discretio: nō est mihi dubium vos, doctissimi Academici, ex his quæ allegata sunt à nobis & probata, æquā laturos sententiā: & spes magna certè affulget, vt perdix perdit pullos, sic Romam breui multos suos amissuram filios. Nos verò, Fratres, spargamus semen, vt cadat in terram

terram bonam, vt qui audit nos intelligat & fructum ferat, alius sexagesimum, alius tricesimum, alius, Domino fœcundante, centuplum. Colligamus lapides viuos ad structuram Dei, doceamus ne fides adhibeatur tali Ecclesiæ, quæ sua natura & vera definitione non est Ecclesia: nec seruat formam virginalis Ecclesiæ: nec veritatem materiam habet sibi subiectam, nec caput vnum & verum, nec proprias Ecclesiæ notas, nec se intra fines modestiæ sponsa dignæ continet, sed deserto capite, repudiato sponso, & politia Christi derelicta, nouam rempublicā fabricat, nouum prætorium solium conscendit, nouas leges rogat, antiquas abrogat, quemadmodum ex generali & particulari commemoratione enucleauimus. Dicamus illis, ne pudeat illos Euangelij nostri, non Christi, non pauperis Ecclesiæ, Beatus qui non offenditur. Dicamus vt desinant esse ciues nouæ Babylonis: aggregent se nobis, imò Christi soli sancto contubernio: quoduis & dignitatis & vitæ periculum adeant, potius quàm ab eo auelli se patiantur. Audi Filia, & vide, & inclina aurē tuā, & obliuiscere populum tuū, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, & incuruate ei.

Matt. 13.

Matt. 11.

Ps. 45.

DE CONCILIIS, QVARTA RATIO.

CAMPIANVS.

Grauis, Ecclesia nascente, quæstio de legitimis cæremoniis, quæ credentium animos disturbauit, coacto Apostolorum & seniorum Concilio, soluta est, Credidere parentibus filij, pastoribus oues, in hæc verba mandantibus: PLACVIT SPIRITVI SANCTO ET NOBIS.

Act. 15.

HVMFREDVS.

COGITATO mus pusillus quàm sit sapiens bestia
A Etatem qui vni cubili nunquã committit suam,
Quia si obsideatur vnum, aliunde præsidium gerit.

Prudenter mus vt scitè notat Plautus. Hunc ad modum Campianus, quia in Scripturæ & Ecclesiæ recessu se tutò conquiescere non potuisse existimauit, ecce aliud atque aliud latibulum inuenit tanquam prouidus & cautus musculus. Ecclesiam nostram quam isti abstrusam, nulla regione cognitam & infrequentem finxerunt: hanc nos multis nominibus & notis illustrem, Catholicam, frequentissimam esse defendimus. Hinc repulsus aliò diuertit, in antrum non Tro-

In Truculento.

non Trophonii sed Conciliorum scilicet corre-ptat, si fortè illic aliquem securiorem & meliorem receptum habere possit. Sed miseri homines omni spe sua deciderunt, & vbi portum ac fidam stationem esse putauerunt, ibi charybdim & naufragium causæ suæ reperient. Exordium commune cum Eckio habet: à quo videtur mutuatus: sed comes cæcus vnà cum duce suo cæco turpiter & multipliciter errauit.

1. Rationis Campiani de Conciliis. Ἀναστκευὴ seu refutatio. In locis Comm.

PRIMVS error & generalis est, quòd Concilii Hierosolymitani fundamento omnes suos errores, abusus, omne synodorum suarum fœnum & paleas inædificauit. Hinc laicos à suis conuenticulis vel abigunt prorsus, vel tanquam spectatores aut testes aut suggestores, aut suorum decretorum executores ægrè & quasi per posticum intromittunt. Campiani enim magister Eckius in hæc verba decidit, Ecce ad clerum ascenderunt, non ad laicos, & laicorum in hoc Concilio nulla fit mentio. Itaque vniuersæ Ecclesiæ libertatem à Christo datam adimunt, & plenum concilium in ore habent, sed particulare faciunt, dum magnam Ecclesiæ partem Dei populum exturbant, & contra Scripturæ phrasim & contra sui Petri interpretationem se in clero solos computant, huius Concilii verba & sensum omnem manifestè euertunt. Mentio est virorum fratrum, apud quos Petrus & Iacobus orationem suam habuerunt, mentio fit presbyterorum, quos non solùm verbi ministros, sed præterea alios populi senio-res, morum censores, disciplinæ fuisse custodes ex Scriptura sacra cognitum est & exploratum. Ad hoc concilium ascenderunt nõ solùm Paulus & Barnabas, sed & quidam alii fidi comites Antiocheni: & Hierosolymis non modò ab Apostolis accepti sunt, verùm etiam ab ECCLESIA:

In Conc. Hierosol.

Laici.

In locis Comm.

1. Pet. 5.

Act. 15.

& in publico cœtu Christianorum auspicatissimam conuersionem gentium exponunt. Hic grauis disceptatio extitit: cum quibus, apud quos? Hîc adfuit, tacuit, audiuit Paulum & Barnabam magna MVLTITVDO: & non tacuit solùm, sed decretum cõfirmauit cum Apostolis: Tum visum est Apostolis & senioribus vnà cum TOTA Ecclesia, mittere primarios inter fratres viros Iudam & Silam, vt omnium nomine Epistolam synodicam redderent, & eadem verbis referrent. Quod illi non in aliqua priuata sacerdotum synodo, sed coacta multitudine Ecclesiæ diligenter præstiterunt, & Antiocheni libenter receperunt. Portentum est ergo quod narrat Eckius, A Christo nato, nunquam habuerunt vocem definitiuam. Definiuit Ecclesia Antiochena vt Paulus & Barnabas Hierosolymam hac de causa proficiscerentur: Definiuit cum Apostolis & aliis senioribus tota Ecclesia Hierosolymitana, vt hoc decretum gentibus promulgaretur. Forma in conuentibus obseruãda à Paulo traditur Corinthiis, vt vno prophetante cæteri diiudicent. In quodam Concilio quod ex Isidoro affert Durandus, locus datus est laicis: nec primis temporibus fando vnquam auditum est Paradoxum Eckij & Clingij, Maiores & præsules Ecclesiæ in cõcilio totam repræsentãt Ecclesiam. Spiritus sanctus non alligatur ordini vel gradui, vel Cathedræ: sed spirat vbi vult: & homo politicus sæpe plus videt quàm clericus: & laicus spiritualis & simplex donum interpretationis habet, quando magni nominis Theologi non magis loqui possunt quàm lapis, non magis quàm quercus interpretari, non magis quàm beta sapere: adeo vt ipse Panormitanus affirmare ausus fuerit, Plus credendum esse vni priuato fideli, quàm toti Concilio & Papæ, si meliorem autoritatem

1 Cor. 14. Tit. 11.

Ca. 52.

De Electione & electi potestate c. Significasti.

ritatem vel rationem habeat. Nec enim, vt inquit Hieronymus, iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. In Niceno Concilio non aliquis argutus disputator, non aliquis reuerendus Episcopus, non prẽsul, sed illiteratus homo, confessor, laicus magnum illum dialecticum & Philosophũ confutauit. Con. Minerium & Alex. Socr. l. 1. c. 10. Sozom. l. 1. c. 12.

SECVNDVS error, quia Petrus Apostolus prior loco dixit sententiam, ideo Romanum Episcopum non solùm Conciliorum præsidem esse debere, sed etiam primatem totius Ecclesiæ: ex quo hæc sylua errorũ supullulauit: Concilia absque consensu Romani Pontificis non esse congreganda: nec absque eius autoritate regulariter celebrari posse ab Episcopis, Et ad id credendum multis Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis regulis nos instrui: Concilia sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quoniam præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdidisse: Romanum Pontificem vt pote caput totius Ecclesiæ Conciliis anteponendum: & Papæ potestatem omnibus Conciliis prẽferendam. En quò dementia ciues perduxit miseros? Hanc pernicioſam adulationem qui paulò saniores sunt, ferre non poterant, non Theologi Parisienses, non patres Constantienses, vbi cautum, vt Romanus Pontifex Synodi decretis subiiceretur: non patres Basilienses, qui idem repetiuerunt: non Gerson, indignum & monstrosum ratus, vt Concilium ab vno vim omnem atque dignitatem obtineat: censuitque eos qui rogant vtrum Papa maior sit an Ecclesia, perinde facere, ac si quærant vtrum parte maius sit totum. Mera sanè iactantia est dicere aut Romanam Ecclesiam matrem esse & magistram omnium cõ- Papæ primatus in Concil. Lindanus d. 17. Alph. l. 1. c. 8. Caiet. Sleidã. l. 1. f. 8 Syl. Prierias in sua Epitome. 4. & 5. sess.

ciliorum, cùm hîc Hierusalem omnium prima & sit & habeatur: aut Petrum vel Petri successorem Romanum primas tenere, cùm Petrum Iacobus simplici nomine Simeonem vocet, non glorioso titulo Papam suum aut supremum Episcopum: cùm non Petrus sed Iacobus & vtatur vocabulo iudicandi,& personam induat iudicis,in cuius etiam sententiam tota Synodus pedibus descendit. Quin & in illis ipsis quatuor Conciliis quæ tanti faciunt Pontificii, non Romanus Pontifex non eius vllus legatus, sed aut Imperatores, aut Episcopi alij Patriarchę primas in dicendo partes obtinuerũt. In Sardicensi cõcilio Protogenes Sardicensis,& Hosius Cordubẽsis præsiderunt: ac de

Li.2.ca.15. isto quidẽ Theodoritus: Cuius non fuit ille Concilij princeps? Aut quis illius refragari potuit rectæ sententiæ? Quæ Ecclesia non habet pulcherrima illius patrocinij monumenta? Ille verò error vt affectatus sic fœdissimus est, non valere

Con. Nic. & de Cõstantini in propaganda religione studio. Theodor. Li.1.c.9. Constant. cõuocauit Nic. Con. ca.10. Concilia, quæ de Papæ voluntate non coguntur: Concilium Nicenum conuocauit non Syluester nec Iulius, sed Constantinus, Ex sacerdotum sententia conuocauit: & Arium & alios adesse iubet. Et ex Epistola Concilij Niceni multò clarius, Diuina gratia & opera piissimi regis coactus est magnus & sanctus conuentus Nicææ ex diuersis prouinciis & vrbibus. Constantinus Episcopos iuuit sumptibus: Constantinus citat etiam Romanum præsulem, sed hominis absentia ipso morbo senectutis excusatur. Constantinus Christianissimè profitetur, in hoc se ante omnia elaborare, vt à beatissimis Ecclesiæ Catholicæ cœtibus, vna fides, concors dilectio, erga præpotentem Deum pietas obseruaretur: ipse sua Epistola decretum de Paschatis obseruatione Ecclesiis commendat: ipse Arrianæ factionis amicos iubet in remotis-

motissima loca deportari: ipse in scripto ad Nicodemienses regalem sanè & Constantino dignam profert sententiam, Si quis audacter inconsultéque ad memoriam, ad laudem pestium illarum exarserit, illius statim audacia mininistri Dei, hoc est, mea executione coercebitur. Diserté Epiphanius, Duo maxima constituit nobis Deus per Constantinum, quòd congregauit vniuersalem Synodum, edidítque fidem in Nicæa, &c. & quòd curauit Pascha. Idem ferè legitur in Tripartita Historia, vbi eadem causa redditur, & non Romanus Pontifex, sed Hosius Cordubensis ciuitatis Episcopus designatur ad componendas hasce controuersias. Cùm autem bonus Episcopus voti impos remearet, Tunc illud nobilissimum in Nicæa Concilium " feruor principis excitauit, publicis asinis atque " mulis & curracibus equis, Episcopos & qui cum " eis erant, ad synodum venire præcipiẽs. Hæc sunt " vltimi capitis eius libri verba vltima. De Constantini hoc facto & de propagandæ veræ pietatis studio sic in catalogo Cæsarum, Religionis curam gessit diligentem & glorioſam, cùm aliorum se monitionibus opponendo, tum cogendo illam memorabilem ac sacrosanctam Nicenam Synodum. De Constantino Martianus Imperator præclarum testimonium tulit, qui & ipse Concilium Chalcedonense indixit, & non interfuit modò, sed præfuit. Nos ad CONSERVANDAM FIDEM non ad potentiam ostendendam, exemplo gloriosissimi principis Constantini synodo interesse voluimus. Et tantum abest vt Episcopus Romanus Leo succenseuerit aut restiterit, vt etiam Valentiniano & Martiano gratias egerit. De Constantino Sozomenus scripsit eum Acesium Nouatianorum Episco-

Ca.19. L.3.Tom. 1.H.79 Li.1,c.21. Ad Synodum. Li.1.c.22.

pum ad hoc Concilium vocasse, & suum Catharismum ac puritatem iactantem, & aliis lapsis in persecutione certam pœnitentiam negantem publicè compescuisse, egregiè refutasse, ac falsè illusisse: O Aceſi appone scalam & tu solus in cœlum ascende. De Constantino Augustinus, eum
Epist. 168 in causa religionis iudicium suum interposuisse, Donati schisma damnasse, Cęciliani innocentiam defendisse.

Rom. Epiſcopi non sunt Apostoli. TERTIVS quoque error elidendus est: quando scilicet, quantum Scriptura sacra tribuit Apostolis, tantundem ipsi sibi Pontificali quodam supercilio arrogant. Visum est nobis. Nos autem sci-
Luc. 10. „mus nominatim dictum esse Apostolis, Qui vos „audit me audit: Christum singulariter orasse pro
Luc. 22. Petro & Apostolis, ne fides eorum in tot Satanæ cribrationibus deficeret: & pro Apostolis vt in veritate præcipuè sanctificarentur, & de illis e-
Ioan. 17. nunciasse, Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognouerunt verè, quòd à te
Io. 17. exiui, & crediderunt quòd tu me misisti: Et ego tradidi eis sermonem tuum. Non sic Christus de surreptitiis Apostolorum successoribus, Non Romanis Papis eam doctrinam oretenus tradidit, nec illi omnes, quod dolendum est, scripto consignatam Apostolico spiritu vel accipiunt vel credunt. Imò verò qui se Apostolico stylo venditant: & in sinu Dei se considere, atque in tertium vsque cœlum rapi & non reuelanda mysteria speculari putant, ab illo concionatore Heremita de quo legitur, discant eam humilitatem, quâ monachos hisce speculationibus immodicè indulgentes non insipienter docuit, Si vidêris
Dictũ Heremitæ. tibi ascendere in cœlum, & iam vnum pedem „in ipso limine cœli habere, statim eum retra-„he, nec sequaris pede altero. Altum qui sapiunt, planè

planè desipiunt, & quia multi sunt oculi, dum se multa videre imaginantur, lippiunt & caligant. Hoc tumore seu furore sic elati sunt, vt quidam Georg. tempore Concilii Basilienſis verissimè dixerit, Heimbur Multis annis liberius & tutius fuit, de potestate genſis. Dei quàm Papæ disputare. Hunc Papam Iudicem iudicum statuũt. Duobus enim, inquit Clinglius, de passu scripturæ contendentibus oportet esse Ca. 52. Papæ præ iudicem: Et quis ille apertius erit, nisi Petri sedes, sumptio aut Concilium? Hinc Papæ licet contra genera- in Cone. lia decreta, specialia priuilegia sibi indulgere, & speciali beneficio concedere, quod generali decreto prohibetur. Certè suæ phantasiæ alis sic est in altum euectus, vt quemadmodum olim sine Romani Senatus suffragio Christus esse Deus nõ potuit: sic nisi annuente hoc Pontifice, nec Chri- Tertul. stum esse Christum, nec Scripturam esse Scripturam, nec veram religionem esse vllam religionem opinantur. Sedenim si verius & planius loqui de tantis Ecclesiæ Atlantibus liceat, ambulant quidem, sapiunt, vident, in aere vagantur & volitant, sed veluti noctuæ in tenebris. Pessimè & iniquissimè faciunt qui se Apostolico pede & non suo metiuntur: & qui ad Euangelium Apostolicè recto pede non incedunt, Apostolorúmque vestigiis minimè insistunt, tamen Apostolicorum Conciliorum prætextu sua omnia deliramenta colorant. Atenim Nic. Clemingius negat maiorem autoritatem aut prærogatiuam Conciliorum aut Episcoporum huius temporis esse debere, quàm congregationis Apostolorum, qui tamen ipsi omnes declinauerunt & trepidauerunt, nimirum quando adhuc fragiles & frigidi erant, donec diuini spiritus igne calefacti consolidarentur. Propriè autem Christus de conuersis A- Matt 5. postolis locutus est, Vos estis lux mundi Sal ter-

rę. Ita Basilius, Veniente luce Dei, ægritudines alleuiantur, homines à somno excitantur, garriunt bestiæ, ad latibula sua fugiunt. Sic luce Apostolorum veniente, mundus fuit ædificatus in credendis, fœcũdatus in operibus bonis, alleuiatus peccatis, excitatus à negligentiis, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus à potestate Dęmonum. Ita Ioan. Hussius, Ipsi Apostoli sunt lux mundi, qui missi sunt ad illuminandum mundum, quorum doctrina fulget Ecclesia. Deleto igitur Papatu, intercidentibus omnibus Pontificum Decretalibus & Nouellis constitutionibus, nihilominus tamen salua & partibus suis omnibus & articulis integra erit Ecclesia sola Scripturæ Sacrę perfectione. Non audienda est Nauseæ Blancicampiani superba collatio, Spiritu sancto autore vltra ea quæ Christus docuit, Apostoli in Concilio Hierosolymitano decreuerunt abstinendum ab Idolothytis, &c. Paulus eodem Spiritu suggestore, quod Dominus non dixit, docet mulierem velato capite orare debere. Et rursus, Dico ego, non Dominus, Si quis vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: ergo licet Ecclesiæ, & Petri successoribus similia decernere, Quæ, inquit, haud secus sunt seruanda, quàm si à Domino præsente dicta fuissent: quandoquidem ait Apostolus, Qui hæc spernit non hominem spernit sed Deum. Sed qui ex Petro didicit, Prophetis & Apostolis omnem veritatem esse infusam & reuelatam, qui Paulum audit, An capitis experimentum eius qui in me loquitur Christus? qui Christum attendit, Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris qui loquitur in vobis: qui Augustini iudicium de Scripturæ & aliorum scriptorum discrimine perpendit: huic nodo expeditam promptámque solutionem facilè inueniet. Non diffitendum tamen omnem Apostolicum doctorem posse dici os Scripturæ, dum ex Scriptura legis & prophetarum loquitur, Lucem, dum obscura ex verbi lucerna illustrat, Salem, dum omnia sic condit, Sermone diuino vt spiritualiter sapiant. At cùm Pseudapostolicorum omnis doctrina humana insulsa planè sit: dicamus nos apertè Papam esse Papam, scapham esse scapham, inter Apostolum & Episcopum distinguamus, illius autoritatem ex diuinis literis sacrosanctam, huius sine Scriptura suspectam, imò nullam iudicemus, asino autem Romano τὸν λύρην detrahamus.

Homiliarum 2. Cent.

2. Cor. 11.

1. Thes. 4.

Aug. l. 2. de vnico Bapt. ep. 9 ad Hierō.

Ex hoc capite subnascitur & alius eorum error de Spiritu sancto, quem sibi nullo iure vendicãt, quem omnium suorum Conciliorum indiuiduum ducem & comitem iactitant: Sicut enim hîc dicunt Apostoli, Visum est nobis & Spiritui sancto: ita isti Concilium Tridentinum suum legitimè in Spiritu sancto congregatum esse gloriantur. Iactat Eckius de omnibus Pontificiorum Conciliis, Idem Christus, idem spiritus, eadem fides, cur non æqua Conciliorum potestas? Gloriatur Clingius, Hoc certissimum signum est præsentiæ & Spiritus sancti in Conciliis, quatenus nunquam Concilia statuerunt diuersa vel contraria in rebus fidei & sacramentis, sed æquanimiter & conformiter docuerunt. Et tamen quemadmodum multorum Paparum diuersi spiritus, & contraria Acta leguntur: ita Conciliorum pugnæ inter se infinitæ inueniuntur. Clamat iterum Clingius, Quicquid ordinauerint (Prælati) post inuocationem Spiritus sancti pro communi bono Ecclesiæ, hoc seruandum est. Clamitat Martinus Eisengrenius Academiæ Ingolsta-

Error 4. de Spiritu sancto.

In Io. Cō. c. 52.

Cap. 44.

C.6.Soiut.de signis Eccleſiæ.

dienſis quondam Procancellarius, Eccleſiæ, hoc eſt, Patrum & Conciliorum ſpiritum ſequimur, quod eundem eſſe Chriſti ſpiritum, certum & indubitatum habemus. Proclamant omnes, quando Miſſam de Spiritu ſancto canunt & eius præſentiam requirunt, Si Concilia errore aliquo abduci poſſe cenſeamus, iam Spiritum ſanctum culpam grauiſsimam effugere non poſſe, qui conuocationem tot lectiſsimorum hominum errare permiſit: proclamant, Conciliorum actis reſciſſis, ſummam diſciplinæ & religionis perturbationem neceſſariò conſequi. Cæterùm, Fratres, clauam hanc è manibus iſtius Herculanę generationis extorquere facilè poſſumus: ſi reminiſci velimus quod obliuiſci non debemus, in Concilio Romano olim Ioanne viceſimo tertio in ſublimi Cathedra præſidente non columbam ſed bubonem deſcendiſſe, inuocato Spiritu: & olim patres hymnum ſuum, Veni ſancte Spiritus, cantaſſe, tamen in ſcheda affixa reſponſum accepiſſe à Spiritu ſancto. Aliis rebus occupati, nunc adeſſe vobis non poſſumus: Vniuerſitatem Pariſienſem ſcripſiſſe, D. Leo Decimus Romanis plus debito fauet, in quodam cœtu in Romana ciuitate, quæ contra nos eſt, neſcimus qualiter, non tamen in Spiritu Domini congregato. Quoniam igitur duplex eſt ſpiritus, erroris & veritatis, alius ex maledicto ſemine ſerpentis, alius ex benedicto ſemine mulieris: & Spiritus ſanctus diſertè loquitur, Fore nouiſſimis temporibus, qui ſpiritibus impoſtoribus attendent: hinc ſpiritus probandos eſſe, vtrum ex Deo ſint, D. Ioannes monuit. Spiritus ſanctus in Apoſtolos miraculoſè deſcendit in ſpecie viſibili, in linguis igneis, in valido vento, vt doctrinæ tum per ipſos plantādæ maior autoritas accederet, & vt infideles

Florebell.

In Teſt. verit. f. 543.

In Apell.

1. Tim. 4.

1. Io. 4.

Act. 2.

ad credendū hoc ſigno permouerentur: aliter hodie mittitur in corda fidelium, vnde noui homines efficiūtur, iudicium nouum, motus noui in animis exoriuntur. Certum eſt huic ſpiritui ſoli patere, quicquid ſublime, quicquid profundum eſt, quia omnia etiam ſecretiſſima Spiritus ſanctus ſcrutatur & perueſtigat: & homo ſpiritualis ſolus omnia diiudicat. Sed hic ſpiritus non habitat in corpore peccatis ſubdito: nec ſapit omnibus, nec ſentitur à porcis, qui ſiliquis ſuarū Traditionum ventrē diſtendunt: non inuadit omnes qui ſpirituales dicūtur, quibus in ore natat illud, Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus, & tamen ſæpiſſimè eſt Spiritus Phanaticus: aut qualis eſt Pythoniſſæ ſedentis in antro, ex Tripode oracula fundentis, ſcilicet immundus & Satanicus, à quo multæ impoſturæ & ocioſæ reuelationes inuectæ ſunt in Eccleſiam. Verè Baſilius, Carnalis homo, qui mentem inexercitatam ad ſpeculationē habet, imò potius in ſapientia carnis velut in cœno defoſſam geſtat, ad ſpirituale lumen veritatis oculos non poteſt attollere. Scilicet Meles ſeu taxus animal relinquit habitaculum, quod vulpes callidè ipſo abſente ſubintrans fœdat ſtercoribus. Sic Spiritus ſanctus in animo impuro commorari non ſolet, nec in eo poteſt requieſcere. Stultum eſt credere, vbicunque eſt Pontifex Romanus, vnà comitari & aduolare Dei ſpiritum: ſtultum eſt dicere illum errori nulli ſubiectum eſſe, quaſi in eum duplex Petri ſpiritus influat, quaſi à Petri Cathedra ſanctitatem accipiat, quaſi inſpirante ſpiritu omnem veritatem reconditam habeat in ſcrinio ſui pectoris. Eraſmus hanc futilitatem iſtorum meritò deriſit, ſi verū eſt quod quidam aſſeuerant Romanum Pontificem errore iudiciali non poſſe vnquam errare, quid opus

Gal. 4.

1. Cor. 2.

Li. de Spū ritu ſancto. c. 22.

In Annot. in 1. Cor. 7

„ generalibus Conciliis? quid opus in Conciliis ac
„ cersere Iureconsultos, ac Theologos eruditos, si
„ pronuncians labi nõ potest? Cur datus est Appel
„ lationi locus, vel ad Synodum, vel ad eundem re-
„ ctius edoctum, posteaquam semel de causa pro-
„ nunciauit Pontifex? quorsum attinet tot Acade-
„ mias in tractandis fidei quęstionibus distorqueri,
„ cùm ex vno Pontifice, quod verum est, audire li-
„ ceat? Hæc ille. Itaque non Conciliis, non papis credendum est, nisi cùm in vera clauium administratione & in recta Scripturarum interpretatione versantur.

ERROR 5. De separatione Spiritus sancti à Scriptura sacra.

EMERGIT enim istorum alius error hoc loco: cùm Spiritũ sanctum à Scriptura sacra diuidũt & discerpunt. Simplex enim & verè fatua est Eckij confessio, Apostolos in huius quæstionis decisione nullam scripturam induxisse: & Concilium hoc Apostolicum potestatem habuisse statuendi aliqua necessaria: & cur non, inquit, eadem potestas esset nunc in Ecclesia, quando necessitas sæpe exigit? Grauiterque expostulat cũ Luthero, (quem Ludder semper contumelioſè vocat) quòd cum Antiochia, concluſa Hierosolymis recipiat, ille concluſa Romæ respuat: nec tamen cæcus cau sam animaduertit: quia Roma sine Christi verbo concludit, quod Apostoli non fecerunt. Itaque, quemadmodum antea monstraui, nulla Ecclesiæ placita absque Scripturæ pronunciato & autoritate placere, nulla eius scita in argumentãdo valere: Nullus enim, opinor, vt cum Erasmo loquar, Ecclesiam Christi, quæ constat hominum consortio, sic omni prorsus errore liberat vt nihil ignoret: Similiter & hîc sentio hanc Campiani nouam de Conciliis rationem in Academicis spatiis non posse admitti, nisi Concilium Spiritum sanctum in consilium adhibeat, nisi illum magnum &

Verbum Cõciliorum lumen, sine quo tenebræ.

& admirabilem Consiliarium apud Iesaiam Christum Iesum Dei Filium habeant, nisi Concilia illorum sint Apostolico huic similia. In illo Concilio declarat sui ministerij limites Petrus, Antiquitus elegit Deus, vt per os meum gentes audirent non Agrapha, non meas fictiones sed VERBVM Euangelij: In illo Concilio Iacobus pronuntiat, Scriptum est: Huic consonant verba prophetarum: Denique sciendum est Apostolorum decreta omnia, siue temporaria illa de suffocato & sanguine, vt Iudæis nouitiis satisfieret, siue perpetua, vt de fornicatione, esse literis mox consignata, hodie in sacris literis contineri, nisi quis effrons Acta Apostolorum partem Scripturæ esse perneget. Canus qui habetur Catholicus Eckio non dissimilis, hac in controuersia dissimilem protulit sententiam, Apostoli & Seniores congregati in Concilio Hierosolymitano, magna facta conquisitione, tum ex rebus anteactis, tum ex SCRIPTVRIS Prophetarũ sentẽtiam de re proposita atq; in quęstionem vocata tulerunt. Quæcunq; Concilia hanc regulã non sequuntur, ea non Spiritui sancto placent, sed spiritui prophano, non sanctis Apostolis, sed prophanis hominibus. Sermo meus quem locutus sum, inquit Christus, ille iudicabit nouissimo die: Si in illo vniuersali hominum & Angelorum Concilio: cur non etiam hîc in generalibus & particularibus consessibus? Sine hac sacra ancora Nauclerj & gubernatores Ecclesiæ in consultationibus suis fluctuabunt: Ecclesia in verbo & in Christo sic cõgregata germẽ est & plantatio Domini: opus est ergo vt Deum colonum habeãt, vt falce huius scripturæ errorum omnium sarmenta resecentur. Nisi hoc semen in Conciliis spargatur, in illa terra spatiosa nullus fructus amplus, aut

Iesa. 28.

Act. 15.

Canus & Eckius põtificij discordant.

Loc. Theol. l. 2. c. 7.

Ioan. 12.

Deo acceptus, aut Ecclesiæ salutaris producetur. Hoc verbo solummodo veritatis hostes fodiuntur, hinc solummodo in animis hominum stimuli relinquuntur: hæc sagitta est quæ ferit & vulnerat: Hoc buccinarum clangore Madianitas omnes fidei inimicos Christiani perterrefacient & deuincent. Sine hoc verbo non thesauros nobis dabunt consultores isti sed carbones. Proinde ad hoc verbum, ad hanc legem & Testimonium, ad vocalem prædicationem non ad spirituales speculationes nos propheta remittit. Hoc fundamento non substrato, omnis Conciliorum exædificatio ruit. Quid enim in illis clamosis Conciliis effecerint sine iusto Verbi diuini examine, testetur Concilium Constantiense, testentur alij conuentus solennes & celebres, in quibus ludibrio expositus est Christus, in quibus serui Iesu sannis & sibilis explosi sunt, in quibus Appellatio non ad Papam non ad Concilium generale, sed ad ipsum Christum patrem æternitatis contempta est & proculcata. Verbum Dei solum facit fidem: sine quo in Concilio pugnaces homines & velites iaculantur quidem argumenta, sed procul à scopo, imò verò Papistarum Synodi omnes suos syllogismos habent, non in Modo & in Figura sed in calcibus, vt bene Hieronymus.

Iesa.

I. Hus.

Aduersus Iouin. li. 2.

Iterum quæso repetite memoria quod in principio fundaui tanquam basim meæ responsionis, in omnibus istis Campiani rationibus digressionem esse à Scriptura, & eos apertum scripturæ campum refugere, & nos diuerticulis suis & obliquis ad Ecclesiam vt Concilia flexionibus in spinas & dumeta suarum constitutionum seuocent & contrudant. Non sic patres nostri, non sic aut crediderunt aut sanxerũt antiquitus, qui conuenientibus in Conciliis Episcopis cõsueuerunt sacrum

Fraus aduersariorum.

sacrum Bibliorum codicem in medio ponere: quem prò pudor in Concilio Constantiensi vix reperiri aut inueniri potuisse intelligo. Ex hac sacrosancti libri contemptione tot vocum dissonantiæ, tanta discordia, tot, vt in cõuocationibus fieri solet, exclamationes & variationes, & planè simè, vt habet Comœdia, Alius ait, alius negat, alius deliberandũ cẽset, alius screat, alius execratur, alius ignes ore euomit, alius ridet & tumultuatur, alius in sinu dolet, silet, miseretur, aut quod in Accursio & in aliis notant iuris studiosi, cùm in aliquo obscuro Scripturæ loco hæsitant, Vel sic accipiendum, vel sic, vel dic, vel aliter sic: nec quicquam habet talis scholastica Theologia, sine verbo Dei, nisi opiniones vagas & volaticas: ita vt iuxta prouerbium, Septem conuiuium sit nouem imò nonaginta conuicium. Breuiter infero, rationem hanc Campiani ratione carere, nisi ratione diuina, prophetica aut Apostolica nitatur. Quam huius rationis solutionem attulit & approbauit ante multos annos Augustinus, vt qui Synodis inter se pugnantibus nihil certò definiri posse sapienter perspexit: sicut ille Maximino, sic ego Iesuitis vno verbo respondendum censeo, Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquã præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius autoritate nec tu illius detineris, scripturarum autoritatibus, non quorumque propriis, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Audient saltem Conciliorum propugnatores suum Clemingium, Non debent, vt mihi videtur, qui Concilium agunt pro fiducia & libertate agendi quæcunque libuerit, nimis illi inniti æstimationi, Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus.

Illyricus.

Pontificii Accursiani.

L. 3. c. 14.

In disput. cum Schol. Paris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Error sextus. De materia Concilii.

Est & alius error Campiani in ipsa Concilii Hierosolymitani materia & fundamento: putat enim esse de Ceremoniis quæstionem, vel vt Magister Eckius præmonstrauit, de rebus ad fidem simpliciter non necessariis. Qui causæ ipsius caput & cardinem non vident, hi profectò in omnibus aliis controuersiæ partibus cæcutient. Agitur non tantùm de ritibus quos paucos esse

Con. Hierosol. pro iustificatione solius fidei.

volunt: quos tamen Romanenses contra hoc Apostolorum præceptum quotidie multiplicant ex suo cerebro, sed maximè de Religionis præcipuo capite, de nostra coram Deo Iustificatione: vtrum lege an sola gratia seruemur? Certamen idem est hodie nobis cum Antagonistis: Pharisæorum secta persuasit, homines absque circumcisione & legis Mosaicæ obseruatione non posse salutem consequi, Paulus & Barnarbas contrauenium: Itur ad Apostolos & ad Ecclesiam Hierosolymitanam Christiani orbis tum vnicum Oraculum. Concilium totum nobiscum contra nostros Pharisæos determinat, & Petrus Pauli sententiam de iustificatione corroborat, fide nostra corda purgari: Pharisæos opera ad salutem requirentes Deum tentare, iugum intolerabile cerui-cibus discipulorum imponere: nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluos fieri: alias obseruationes suum quidem locum & curriculum habere, sed minimè in hoc iustificationis negotio: ne illo pernicioso Pharisæorum dogmate fratres turbentur, & animæ piorum labefactentur. Faxit Dominus, vt Campianistæ omnes in hanc primã Apostolorum Synodum oculos omnes defigant, vt ex illa omnem suarum opinionum rubiginem à me subindicatã deterant & abstergant, vt nobiscum amicè & fraternè ex Apostolorum præscripto in hoc cardinali articulo consentiant, quo in

quo in aliis postea melius nobis cum illis conueniat. Qui secus faciunt, qui his primis & veris in Euangelio parentibus non parent, non germani Filii sed degeneres: qui his optimis pastoribus non cedunt, non oues sed hœdi: qui hæc Apostolorum mandata & Spiritus sancti dictata de salutis ratione & de Ceremoniarum paucitate violant, non Apostolici sed Apostatici à nobis sunt existimandi.

CAMPIANVS.

Sequuta sunt ad extirpandam hæresim, quæ varia quibusque seculis pullulauit, œcumenica veterum Concilia quatuor, tantæ firmitudinis, vt iis, ante annos mille, singularis honos tanquam diuinis vocibus haberetur. Non abibo longius. Etiam domi nostræ, comitiis regni, eadem Concilia, pristinum ius, inuiolatámque dignitatem obtinent. Hæc citabo, téque ipsam, Anglia, dulcissima patria, contestabor. Si quemadmodum præ te fers, quatuor ista Concilia reuerebere, summum honorem primæ sedis Episcopo, id est, Petro deferes: Incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium in altari recognosces: Beatos Martyres, diuósque omnes cœlites, vt pro te Christo supplicent, obsecrabis: Mulieroso Apostatas ab infando concubitu & incestu publico coercebis: multa facies quæ demoliris, multa quæ facis, infecta voles.

Greg. l. 1. Epist. 14. An. 1. Elizab. Nic. Con. 6. Chal. Act. 4. & 16. Constantinop. c. 5. Eph. con. in Epi. ad Nest. Nic. can. 14. Chal. Act. 11. Nic. con. apud Soc. lib. 1. c. 8. Chal can. 4. 15. 23.

HVMFREDVS.

A divinis vocibus & Synodis ad humanas

De quatuor primis Con. delabitur Campianus: quantum autem interfit, iam demonstrauimus. Concilium enim Apostolorum Concilium est Spiritus sancti, diuinum, Canonicum: Concilia humana errare, labi, falli possunt: illa credenda statim sunt sine vlla hæsitatione, & sine examine: hæc Lydio lapide diuini verbi probari debent. Non enim quemadmodum parum Catholicè dixit Stapletonus, hæreticum est illud Caluini, qui spiritus omnes ad veritatis cœlestis regulam exigendos censuit. Hac enim sacræ Scripturæ veritate nihil syncerius, dignitate nihil augusti⁹, autoritate nihil grauius, in omni genere laudis nihil perfectius. Cur non eadē ratione Augustinū proclamant hæreticū qui in hoc Caluino consentit? Cur non etiā Vincentius erit hæreticus, qui tamen cōtra hæreses librū edidit? Nam ille nobis idem tradidit, hanc esse Ecclesiæ sententiam, hunc Conciliorum scopum, vt quod in Scriptura nudè propositum est, planius & plenius exponāt.

Stapletō.

„ Sic enim loquitur, Christi Ecclesia sedula & cau-
„ ta depositorum apud se dogmatum custos. Nihil
„ in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil ad-
„ dit, &c. Denique quid vnquam aliud Conciliorū
„ decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter
„ credebatur, hoc idem postea diligentius crede-
„ retur? Hoc ipsum actum est quatuor hisce Concī-
„ liis, quæ hæreses tum gliscentes damnarunt, &
„ veritatem in sacra Scriptura ante traditam illu-
strarunt.

Qvia, verò illa fidei Christianæ dogmata Euangelio consona fuerunt, ideo ea Gregorius Euangeliis quatuor adæquauit. Nihil hîc fingo, nihil diuino, Gregorij sensum eius verba nobis aperient: quæ non in Epistolis solùm ipse scripsit, verùm etiam inter decreta referuntur, Sicut sancti Euange-

L. 1. Epi. 14. D. 15.

Euangelij quatuor libros, sic quatuor Cōcilia susci-
pere & venerari me fateor. Quænam illa sunt? “
& quare? Nicenum scilicet, in quo peruersum Arij “
dogma destruitur, Constātinopolitanum quoque “
in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, “
Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij im- “
pietas iudicatur, Chalcedonense verò, in quo “
Eutychetis Dioscoríque prauitas reprobatur, to- “
ta deuotione complector, integerrima approba- “
tione custodio. Hæc est Gregorij óratio: hæc etiā “
ratio quam subnectit, Quia in his velut in quadra
to lapide sanctæ fidei structura consurgit. Nunc videamus quænam sit rationis Campianicæ conformatio. Gregorius Nicenum Concilium tanquam ipsius Euangelij vocem recipit, de diuina natura Filij Dei contra Arium, & Constantinopolitanum, contra Macedonium, &c. ergo nos debemus omnibus aliis articulis, Canonibus & cōstitutionibus tanquam Euangelio assensum præbere & subscribere: nempe primatum Papæ, missæ sacrificium incruentum, mortuorum inuocationē, cœlibatum Pontificiorum, aliáque multa velut ipsum Euangelium approbare & credere. Si omnia Campiani argumenta sophistica in vnum aceruum coniicerem, facilè illam Nonā Rationem suis ipsius sophismatis in hoc libró congestis implerem. Interim vos quæso hāc fallaciam ad illam Campiani Rationem reducite & inter Sophismata reponite. Nam aliò vocat Gregorius, aliò trahit Campianus: ille ad fidei Catholicæ Euangelica capita respexit, iste ad Papisticas corrupelas detorquet: ille de certa specie doctrinæ loquitur, iste in genere de quouis suo phantasmate. Itaque paralogismus est, à dicto secundū quid ad dictum simpliciter: Hoc non est cum Gregorio ratiocinari, sed cum Gelasio hallucinari, qui “

Argumentum Campiani.

Dilutio.

alio modo sic ampliauit,Sed & si quæ sunt Concilia à sanctis patrib⁹ hactenus instituta post istorũ quatuor autoritatẽ,etiã,custodienda & recipiẽda mandamus & decernimus.In hoc vasto tot Conciliorum & sanctionum pelago,in quot deuia, in quot voragines incident?

Anno 1. Eliz. Synod. Lond.

Ad eandem Sophismatum rationem etiam illam Campiani collectionem ex nostrorum Comitiorum decretis reuocate.Nam illa quatuor Concilia eadem de causa solummodo nostrum Parlamentum recepit, nec extendit latius, vt etiam ex Articulis Christianæ religionis in Synodo Londinensi potest apparere. Quòd autem dignatur Campianus nostra Comitia citare, & ex illis aliquid boni elicere:ille quidem bene fecit: & nostri Angli in illo Parlamento nihil nouum, imò antiquum obtinent.Sic enim olim erga ista Concilia affectos esse Patres ex Beda patet in quodam Concilio:Suscipimus Synodos vniuersales, Nicenum Concilium, &c. Qui hæc in nostris legibus animaduertunt, qui nos Patrum vestigia sequi & antiquitatis notas præ nobis ferre vident: cur nos pro Catholicis non habent?cur ipsi non obtemperant?Hoc statutum quia bene intelexit Campianus, non malus: sed quia statuto & regni legibus submissè non paruit,miser: O si a lium Oxoniẽsis Concilii canonem legisset & obseruasset:Omnes illos(seditiosos)excommunicationis sententia innodamus, qui pacem & tranquillitatem Domini regis & regni iniuriosè perturbare præsumunt.Dulcis patria,quam contestatur,filio tali iam gausa fuisset:& filius patriæ nullam securim impegisset:

L.4.c.17. Cõ Oxõ.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Alanus & Campianus non

Saltem hic Alanus noster duram de nobis sententiam emolliat & mitiget, qui dubitat an dicendum

dum sit in nostris Parlamentis,Visum est nobis & Spiritui sancto:quandoquidem Campianus nostri Parlamenti autoritate,suam de Conciliis opinionem communit, & inter nos & Gregorium Magnum summum esse consensum deprehendit.

consentiunt.quo Spiritu?

Sed accedamus ad Campiani citationem, & quid proferat,quæ citet Concilia,quomodo dulcissimam patriam appellet, audiamus. Principiò citatur Concilium Nicenum de primatu.Primùm redolet ambitionem, toties tot modis velle anhelare, & aspirare ad principatum.De hoc Concilio Niceno,quanta exarserit contentio, quot scholæ caluerint,quo fastu,qua fronte Romanenses primatum sibi vendicare conati fuerint: hoc opus, hic labor est percensere. Nicenum Concilium,ait Iesuita,summum honorem primæ sedis Episcopo, id est, Petro defert:Patria Anglia, quam testem citat, Academia quam iudicem cõstituit,negabunt. Neque enim Petro hoc concedit Ecclesia Anglicana,à scripturis sacris edocta, licet Petrus eximiis dotibus honoratus,& à Christo nobilitatus hominum fidelissimus piscator fuerit. Nimirum Petrus se agnouit sympresbyterum:Petrus quando se lauandum obtulit, tum pario:quando humilior, tum sublimior extitit. Sed Petrus Romæ captiuus, vt fertur,ad magnum Pontificii honoris fastigium nunquã euectus est equo albo aut mulo,aut hominum humeris non inequitauit:pedum oscula principibus non obtulit,non deposuit Neronem,sed à Nerone obtruncatus esse dicitur: Petrus solus Romæ non præsidebat, Paulus socius & doctor ordinarius gentium, Petro si non superior certè par fuit: nec Petrus inuasisset Romanam Ecclesiam, quantum ego concipio, cùm ad Iudæos ablegatum

Nic. Con. c.6.

Primatus R. P. ex Con. Nic. non probatur.

Petri primatus.

gatus & vocatus esset: & nisi viderem aliquot monumenta antiquitatis, nunquam crederem Romæ fuisse. Suppetunt argumenta, quæ suadent, & Scripturæ loca, rem totam oculis tanquam in tabula subiiciunt. Verùm enimuero detur Petro quantum licet & quantum iure possumus: Petrus iamdudum obiit: de primæ sedis Episcopo, de Romani Pontificis primatu in hoc regno & in Catholica Ecclesia disputat Campianus: & Canonem Concilii Niceni consideratus & prudés homo in margine interlinit. Canon sextus è Græco Latinè sic transferri potest. Consuetudines antiquæ vigeant in Ægypto & Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus harum omnium habeat potestatem, quandoquidem Romano Episcopo hoc consuetum est. Similiter autem & in Antiochia & in alijs prouincijs τὰ πρεσβεῖα, id est, suæ antiquitatis priuilegia & prærogatiuæ seruentur Ecclesiis: & postea ex more & secundum vetustam Traditionem Hierosolymitano episcopo idem honor exhibetur. Patriarchatus est quadripartitus: isque ex consuetudine & more, non ex vlla Scripturæ sacræ Traditione inoleuit. Quis nunc vestimenta Iesu Christi diuidit? quis illam inconsutilem tunicam discindit? nósne qui Christo soli primatum suum sartum tectum esse cupimus? An isti qui inter se distribuunt? Certè boni patres aliquid humanitus patiuntur dum patiuntur: quandoquidem Christus solus est vnicum vniuersale caput, & vnicuique Ecclesiæ suos Episcopos & presbyteros Apostoli præfecerunt, & proculdubio consultius. At ex hoc tamen Synodi decreto sic posset aliquis disputare contra Romani Pontificis Monarchiam: facta est partitio inter quatuor Metropolitanos: ergo non est vnitas aut vniuersalitas, sic vt vnus Romanus Pontifex

Obiect.

Can. 6.

Solut.

Tit. 1.

tifex vniuersa occupet. Est æqualitas inter quatuor, ergo non aliqua præcellens vnius supra reliquas eminentia. Nos enim dicimus ex Senatus huius Ecclesiastici consulto esse hanc politiam de separatione Eparchiarum, à quadam consuetudine introductam: At Romanus Pont. nec sua portione contentus, nec Conciliis acquiescens petit totum ex iure diuino: Sic enim Nicolaus Pontifex disertis verbis, Animaduertendum est, quia non Nicena non denique vlla synodus quicquam Romanæ contulit Ecclesiæ, priuilegii, quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis pleniter meruisse. En primò statim impetu labefit Campiani omnis ratiocinatio. Cur enim Conciliorum autoritate primatum sui Pontificis propugnat, quam ipse Papa non agnoscit? Cur tanquam donum Concilii Niceni memorat, cùm ille velut Petri meritum vendicat? Cur parasiti idolo suo Pontifici Romano sic adulantur, vt illi concedant, quod ipsemet negat, & quod verba Concilij prorsus abnuunt? Vt tamen suo Papæ hanc autoritatem asserant, quot tricæ, quot tendiculæ, quot effugia quæruntur? Duræus Campiani paraphrastes ex hoc capite posito quantam caudam annectit? Sic enim hunc Canonem amplificat, hinc Romanæ sedis autoritatem in omnes Ecclesias probari: Romanum Pontificem consuesse Alexandrini Episcopi potestatem confirmare, Alexandrinam Ecclesiam, à Romana Ecclesia tanquam à matre pẽdere, & autoritatem omnem à Romana accepisse: & hoc esse patrum in eo Cõcilio argumentum, QVIA Hoc Romano Episcopo consuetum est, Imò verò Hoc consuetum non est, sed alienum & monstrosum. Turrianus idem extendit, sed aliquanto modestius, Quia Hoc, inquit, consuetum est E-

Ad Michael. Imper.

Duræus contra VVhitakerum.

Turrian.

Universidad de Deusto
Biblioteca

piscopo Romano, scilicet potestatem habere in omnes Episcopos: ἐπειδὴ Quia exponit: sed Gratianus & Gentianus Heruetus, sic reddunt, Quandoquidem & Episcopo Romano parilis est mos: vt non sit causa sed continuatio & copulatio, qua Alexandrini Episcopi, Romani & Antiocheni iurisdictionem certis suis finibus Concilii Niceni Canon circumscribit. Sed iterum animaduertite quas rimulas ad elabendũ inuenerint: Pro eo quòd legit Cõcilium, ἐπειδὴ ἡ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τὸ συνεζὸς ἐστί, & nos cũ Gratiano interpretamur, Quandoquidem & Episcopo Romano parilis mos est. Turrianus ex sua causali particula, Quia, Aristotelicum axioma elicit, Propter quod vnumquodque est, & illud magis est: ergo Romanus Episcopus qui Alexandrinum constituit, maior est, & ad eum cùm necesse est datur prouocatio. Glossator rursus, Parilis mos est, id est, inquit, similis in quibusdam, ne sit inter illos Episcopos æqualitas, vel Dic, inquit Romano Episcopo, Constantinopolitano. Surius verò ex quodam Latino codice, Romano, id est, Metropolitano. Commenta ista sunt non commentarij. Nos verò Concilii sensum non contortum sed rectum & sua sponte fluentem hunc esse dicimus: primò ponitur generalis propositio, Antiquæ consuetudines obtineant: hanc sequitur distributio particularis, vt Alexandrina & pari modo Romana & similiter Antiochena, & deinceps Hierosolymitana sua vetera priuilegia seruent. Astipulatur dilucida narratio Ruffini, qui manifestam hanc copulam adhibet, Vt apud Alexandrian, Et in vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur: eaque cuiusmodi sit, apertè denotat, Vt ille Ægypti, hic suburbicariarum Ecclesiarũ solicitudinem gerat: cuius praxim expressè posuit aliis verbis, Damasus

D.65.

Glossator.

Surius.

In trip. hist. l. 2. L. 1. c. 6.

Ruff. l. 1. Eccl. hist. c. 6.

masus post Liberium per successionem SACERDOTIVM IN VRBE ROMA susceperat: vnde collecta seditiosorum hominum manu per Vrsinum competitorem loca orationum humano sanguine replentur. Hoc alius Canon explanare videtur in eodem concilio, vt qui ab aliis Episcopis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur. Huic tota historia congruit. Quę est enim Romani Pont. in hac synodo Nicena celsitudo? Constantinus Concilium cogit, Arrium adesse iubet: proximum ad dexteram Imperatoris locum occupat non Romanus sed Antiochenus Episcopus quem Theodoretus Magnum, Nicephorus Coryphæum seu Concilij principem nominat. Pontificum assentatores suo Romano Episcopo primas tribuunt: at Constantinus curam omnem demandat Eusebio, & leges duas promulgat, & alteram vt ceremoniæ gentilium prohibeantur, alteram, vt templa Christianorum instaurentur. Nominantur hoc tempore celebres Spiridon Cyprius homo coniugatus, Paphnutius coniugij defensor, Alexãder Episcopus: aliáque doctissimorum hominum corona pulcherrimè concinnata, Romanus obscurè latuit, & domi se continuit valetudinarius. A Sylvestro Romæ baptizatum Constantinum censent Romanenses, ab Eusebio iam senem baptismum Nicomediæ accepisse refert apud Eusebium & Hieronymum Historia. Syluestrũ tempore huius Synodi præfuisse Romæ volunt Romanenses: at Iulium potius Romanum præsulem tum fuisse narrat historia: cui etiam per literas Constantinus vt adesset, mandauit. Constantinus purpura indutus oratione sua præit, hortatur Episcopos ad concordiam tanquam Euangelista pacis, vt omnes

Can. 5. Nic. Con.

Constantini primatus. Ruff. Camerarius in hist. Con. Nic. Leges Constant.

Theod. l. 1. c. 7. Cartanza. in Catalo go Cæsarum. Invita Cõstat. Pet. Crabbe. Soz. l. 1. c. 17.

contentionum nodos dissoluãt, iubet: potestatem dicendi pòst facit Episcopis, non Papa aliquis Romanus, non legatus Romani Episcopi. In hoc Concilio laicos admittit Constantinus, nec vetuit Romanus, qui senio confectus abfuit. Sic enim Camerarius, multi etiam de vulgo Christianorum, qui λαικοὶ vocantur, tum ad Concilium fluxerunt. In hoc Concilio iudicem Scripturam sacram proponit Constantinus, Euangelici libri & Apostolici & prophetarum veterum oracula perspicuè nos instruunt, quid de nomine diuino sentire debeamus. Hoc non vult Romanus Pontifex, sed suum iudicium præponit omnibus. Multo grauius & laudabilius etiam Romanus Imperator Antoninus Pius, qui æquius esse dixit, vt ipse tot suorum amicorum concilia audiat, quàm vt tot & tales amici suam vnius sequantur voluntatem. Alius verò est sensus & fastus Romani Pontificis, Vos sedulò consulitis, sed aliud mihi suadet pileum meum. In Epistola tamen Sardicensis Concilij Iulius vocatur frater & Coepiscopus, & sic ipse Iulius vocauit Athanasium. Iterum hinc Turrianus probat contra quendam Molinæi clarissimi viri patronum hanc absolutam potestatem Romani Episcopi, & probat hanc Synodi Nicenæ mentem esse ex Anacleti Epistola tertia, & tamen Anacletus ipse non ab Apostolis, non à Conciliis primatum acceptum ait, sed à Domino: probat etiam exemplo Athanasij ad Papam Fœlicem, quam adulterinam & vanissimam esse prodit stylus, indicat Gnanonismus à spiritu Athanasij alienissimus, arguit tota narratio. Non ergo possumus aut Petro aut primæ Sedis huius Episcopo summum honorem deferre, vt Campianus requirit, quia Petrus ipse nunquam honorem summum requisiuit, nec illam supremam potestatem habuit. Cyprianus vtrumque illi denegat, cùm Petrum & Apostolos pari consortio honoris & potestatis præditos affirmat. Nullum excellens meritum Petro hîc tribuimus: quia Hieronymus non tribuit, Vbicunque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij, &c. eiusdem meriti, eiusdem sacerdotij. Quãta verò illa audacia? Quòd ex Concilio hoc Niceno ad suam hanc eminentiam adrepant, Papæ aliquot hoc Concilium corruperunt: vt ex Actis Concilij Aphricani liquidò apparet, nullasque Serpentis antiquas artes intactas reliquerunt. Caueant autem caueant, ne iuxta illud dictum, dum sibi terram subiiciunt, cœlum sibi auferant, idque Deo eiusque piis & humilibus sanctis & seruis relinquant.

In hist. Con. Nic.

Theodor. L. 1. c. 7.

Eras. in Apoth.

Soer. l. 2. c. 23.

In Sum. Con.

Ad Enag.

Primatum R. P. non stabilit.

Cõ Chalc. Act. 1. Con. cogit Imperator.

Ad Anatolium.

Ep. 9.

Ep. 23.

AT procul dubio CONCILIVM CHALCEDONENSE primatum suffulciet. Scilicet egregiam victoriã reportabunt ex eo Cõcilio quod in gratiam Constãtinopolitani Archiepiscopi maximæ collectũ est, quod non à Papa, sed à Marciano Imperatore coactũ est: ad quod Papa non vocat sed vocatur, quò suam legationem decreuit & direxit, ne omnino nullus sit, sed vt è multis vnus esse possit. Leo contestatur studio Christianismi principis synodum hanc esse congregatam. Leo sic humiliter ad Theodosium scripsit, Pietas vestra suggestioni ac SVPPLICATIONI nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis Episcopale Concilium. Idemque per literas rogat clerum & plebem Constantinopolitanam, vt à Marciano plenariæ synodi indictionem postulent. Supplex petit Leo primus, quod Leo Decimus homo audax imperare voluit. Atque hæc ex inscriptione Græca, ex indictione Concilij, ex euocatione omnium Episcoporum per literas principum ad Synodum, & ex Archimandritarum

petitione ad Imperatorem, & ex Historiis omnibus satis nota, satis confessa sunt. Siquidem Epistolas suas ad omnes Episcopos mittunt Valentinianus & Marcianus, vt ad Nicenam ciuitatem primo quoque tempore venire festinent, dein vt migrent Chalcedonem, alioqui qui recusant, eos & in peccatum contra ipsam diuinitatem, & in offensionẽ Cæsareæ Maiestatis incursuros denunciant. Hactenus nulla est, vel Romani Pontificis, vel aliorum Episcoporum dominatio, vbi tanta est subiectio. Quid ergo causabuntur? Leonem per suos vicarios ibi præsedisse: Sit ita sanè, Paschasinum, Lucẽtium, Bonifacium legatos Romani Episcopi primum locum in eo consessu tenuisse: non tamen vlla rationis consecutione inferri inde poterit, Romanum Pontificem esse omnium Ecclesiarum Dominum & principem: nisi idem concludant de Cyrillo qui Synodo Ephesinæ præsedit, vt confitetur ipse Leo, & de Hosio qui Epist. 45. Sardicensis Concilij Præses dicitur, & de Dioscoro qui Ephesino Concilio posteriori præfuit, vbi Euag. l. 1. c. 10. Iulius Leonis vicem gerens vltimo ferè loco nominatur, vt attestatur Euagrius. Non ergo Papæ semper primi sunt, nec ideo aliquãdo primi quia Romani sunt, sed vel quia sanctitatis, vel eruditionis opinione alios superarunt, vel quia Imperatoris Sedi eum honorem patres deferre non recusarunt. Nunc alij mores, alia tempora sunt, nullum Romæ palatium Imperatori relictum, nullæ tantæ Pontificum virtutes emicant. Demades orator verè & venustè dixit, Alexãdro defuncto, exercitum Macedonum esse Cyclopi vel Polyphemo similem, cui oculus adẽptus est: sic post Anacletos, Clementes, post hunc Leonem subingressi sunt, Sylvestri, Vrsini, noui Leones, Bonifacij aliique quasi magna Paparum phalãx, sine magno

Roma, hodie semicæco Cyclopi similis.

magno Alexandro, vnde Ecclesia, si non vtroque at certè vno oculo capta est, planeque efficitur Cyclopicus exercitus. Si nobis restituerent primos Romanos Patres & Martyres, daremus illis primas cathedras, & primam nominationem in conuentibus.

Deinde primatum honoris cum Cusano distinguimus à primatu potestatis, & aliud esse dicimus, esse primatem, aliud esse vniuersalem: alterum concedi poterat, vt priore loco & sedeat & recenseatur: alterum negamus, quia abnegat Chalcedonensis Synodus. Nam quod Duræus ex Euagrio asseuerat Leonem non solùm honoris dignitatem, verùm etiam primatus super omnes autoritatem consequutum esse, id non esse verum ex ipso autore demonstro, quippe qui decretum Concilij Chalcedonensis de æquali iurisdictione vtriusque Episcopi Romani & Constantinopolitani, & de eminentia huius in alios recitat. Videbatur, inquit, Nouæ Romæ Thronum, « eò quòd secunda esset post veterem Romam, τῶν, « ἄλλων τὰ πρεσβεῖα φέρειν, aliis Ecclesiis in præroga- « tiua debere præponi. Verũ Surius Carthusianus « & alij obiiciunt Papam ipsum in Epistolis huic constitutioni reclamasse, & legatos suos præsentes restitisse: verè: sed tamẽ totius Concilij præualuit sententia, Confirmauimus centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in Constantino- « poli congregati sunt, regulam, sub piæ memoriæ « maiore Theodosio, quæ præcepit, post vestram « sanctissimam & Apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est « ordinata. Et Pergamius Antiochenus Episcopus « ait, In omnibus sanctissimum Archiepiscopum regiæ ciuitatis nouæ Romanæ in honore & cura « sicut Patrem præcipuum habere nos conuenit. «

De concord. Catthol. l. 2. c. 13.

Act. 4.

Duræus.

Euag. l. 2. c. 4.

In Epist. ad Leo.

Act. 3.

Quibus omnes alij acclamant, Sponte ſubſcripſimus. Marcianus quoque Imperator ad quem hac de re Epiſtolam miſit Leo contra Anatolium, af- Act.3.
„ſenſu ſuo regio comprobauit, Sacroſanctæ noſtræ
„ſerenitatis edicto venerandam Synodum confir-
„mamus. Ne verò dubitationi aut tergiuerſationi Can.28.
„aliquis locus ſit, ipſe Canon loquatur, Nos vbiq;
„inſiſtentes ſanctorum patrum definitionibus,&c.
„eadem ſentimus, definimus, & decernimus de
„dignitate ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ
„nouæ Romæ. Etenim ſedi veteris Romæ patres
„meritò priuilegia dederunt, propterea quòd ea
„vrbs imperium tenebat. Eundem quoque ſcopum
„habentes, centum & quinquaginta Dei amantes
„Epiſcopi, eadem priuilegia tribuerunt Sedi nouę
„Romæ, cum ratione iudicantes vrbem imperio
„& ſenatu honoratam, & ÆQVALIBVS cum ve-
„tere regia Roma priuilegiis frui, & Eccleſiaſticis
„quoq; in rebus ÆQVE vt illa magnifieri, cùm ſe-
„cunda ab illa exiſtat.

Præterea qui ſic Romani præſulis cathedram euehunt, vt Reges de ſuo regali throno deiiciãt, cur non Imperatoris titulos & ampliſſima elogia in eodem Concilio animaduertunt? Dominus o- Act.1.
mnis terræ & Dominus vniuerſi mundi. Ex quibus ſanè cõſtat in omnibus æqualem poteſtatem concedi Archiepiſcopo Conſtãtinopolitano, niſi quòd illa Romana vetus ſit tempore & ordine prior, noua poſterior, vtraque ratione throni Imperialis ſedibus reliquis ſuperior. Hìc nunc mihi obſeruate, Fratres, iſtorum hominum primum ſtupendam cæcitatem. Si enim primatum Petro hoc Concilium dedit, cur legati in Concilio rixantur? cur Pontifex in Epiſtolis ad Marcianum, ad Pulcheriam Auguſtam, ad ipſum Conſtãtinopolitanũ Archiepiſcopũ Anatolium obluctatur? cur

cur Andradius grauiter inuehitur? cur omnes, ſi modò vori compotes facti ſunt, huic ſententiæ non acquieſcunt? Deinde ſpectate iſtorum hominum in dirumpendis omnium Conciliorum vinculis mirandam audaciam. Synodus Chalcedonẽſis infringit Canones Nicenorum Patrum, qui conſtituerunt, vt Romanus, Alexãdrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, ſinguli ſingulas ſuas gubernarent prouincias: nec tum Conſtantinopolis in huius prærogatiuæ ſocietatẽ eſt admiſſa. Chalcedonenſis autem ſynodi decretum & ipſe Pontifex Leo & eius internuncij, vt iam oſtenſum eſt, reiecerunt. Leo omnibus patribus ambitionem & inconſultam temeritarem obiicit: Gelaſius arguit quædam eſſe in eo Concilio per incompetentem præſumptionem ventilata, & propterea à Romana ſede improbata. Omnes verò Pontificij nunc vtramque & Nicenam & Chalcedonẽſem ſanctionem hac Papæ ſui Monarchia prorſus ſuſtulerunt. Hi ſunt qui hæc Concilia tanquam quatuor Euangelia recipiunt & ſuſpiciunt. Vt autem ad Leonem reuertar, Si ipſe Anatolio locum illum primarium cupidè ambienti offenſus, callidè primatum ſuæ Sedis affectauit, ambitioſus Pontifex: ſi Canones Niceni Concilij ab Epiſcopis nefariè violatos viriliter defendere voluit, fortis vir: ſi Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ iura, non autem ſua commoda quæſiuit & curauit, pius frater eſt habendus. Rurſus cogitẽt aduerſarij, ſi Leo in Anatolium, qui totius Synodi aſſenſione vnum tantummodo locum primarium obtinuerat tantopere deſtomachatus eſt, eiuſque propterea elationem, præſumptionemq; aſperrimis verbis exagitauit: quomodo ſuos ſucceſſores inſectaretur, qui omnia omnium priuilegia inuadunt, qui omnes alias ſedes metropoli- Cõciliorum contrarietas.

ricas suo honore per fas nefasque priuare atque fraudare & suæ ditioni subiicere conãtur? In hos transgressores limitum alienorũ multò acerbius inueheretur, & sicut olim, ita nunc multò magis

Leo in Epist. 51. diceret contra tot nouos Anatolios, Virum Catholicum & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Diceret, sanctissimos patres Nicenos leges in finem vsque mundi permansuras condidisse: Diceret, manentibus terminis quos constituerũt patres, nemo in ius tendit alienum: sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine charitatis se extendat: certè hanc infinitam & insatiabilem in omnes Patriarchatus euagandi libidinem coercendam putaret; nisi forsan in sua causa magis quàm in aliena, sicut Papæ solent, sciens & videns cæcutiret. Concludo, & Leonis verbis hortabor Gregorium Decimum tertiũ, qui maiores nido pennas extendit, & in Angliam atque Hiberniam tanquam Harpya rapax toties inuolare contendit, Si charitas non quærit propria, quantum peccat, qui concupiscit aliena? A quibus volo, vt tè prorsus abstineas memórque sis eius sententiæ

Exhortatio ad Greg 13.

Apoc. 3. quæ dicit, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam si inconcessa quæsieris, ipse tè tuo opere atque iudicio vniuersalis Ecclesiæ pace priuabis. Distinctio enim illa Nicolai Papæ gnatonica est, & ex Theatro exibilanda qua arguit, Non esse dubium, eum qui cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facere: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hunc proculdubio labi in hæresim. Sed blanditur sibi & aliis successoribus Nicolaus. Non enim illud verbum, quo constructum est cœ-

Nicolai P. distinctio Gnatonica.

D. 22.

lum & terra, per quod denique omnia elementa condita sunt, Romanam fundauit Ecclesiam, vt ibidem in sublimi dicendi genere magnificè se effert: sed eodem iure Niceni Canonis omnes illi Patriarchæ quatuor suam sortem spartámque nacti sunt, qua si contenti vixissent, non sic Dominus eos è tanta throni sui celsitate deiecisset. Id enim Roma quotidie sentit si non desipit sibi imminere quod Alexandrino, Hierosolymitano, Antiocheno, Constantinopolitano iamdudum accidit. Hæc inexplebilis cupiditas honorúmque contentio si Turcicam tyrannidem in Constantinopolitanos inuexit, certè aliquem Turca sæuiorem hostem contra Romanos, nisi sitire & tot ac tanta deglubere desinant, accerset. Sed propter hoc decretum synodi, an talis extet Leonis prophetia, de Turcis, ego quæstionem moueo, Duræus ex Leonis omnibus siue dictionibus siue prædictionibus respondeat.

Romani fastigii ruina.

Duræus.

De Constantinopolitano Concilio nihil attinet dicere, cuius in hac quidem re velut appendix est Chalcedonense. Nam quod Constantinopoli de primatu eius Archiepiscopi patres sanxerunt, id post annos plus minus octoginta Chalcedonenses repetunt & confirmant. Et mirandum est Campianum & alios pro Romana Hierarchia afferre Constantinopolitanum concilium. Quis enim sanus non intelligit Constantinopolim Nouam Romã veteris Romæ fuisse semper æmulam & aduersariam, & quæsiuisse non Romana, sed sua dilatare pomœria? Hæc Ecclesia Niceni concilij vera & authentica exemplaria ad Carthaginenses Concilij patres trãsmisit, vnde Zozimi, Celestini, Bonifacij fraudem & falsitatem in corrumpendo, & ambitionẽ in prehensando, & arrogantiam in vsurpando

Ex Constant. Cõ. non confirmatur primatus.

principatu supra Aphricanas Ecclesias deprehen derunt. Hunc primatum vendicauit Ioan. Constantinopolitanus, cum quo litigauit Magnus Gregorius. Summa est, Constantinopolitani primatum inuaserunt Conciliis approbantibus: Romani vsque ad annum à Christo sexcentesimum nullum probatum Concilium, nullam iustam causam, nullum probabilem colorem tantæ vsurpationis proferre poterunt. Hîc quoque manifestè ostenditur Imperatoris Theodosij & in cõuocanda synodo, & super omnes personas Ecclesiasticas, quam nos principibus damus, aduersarij demunt, autoritas. Theodosius enim Episcopos omnes & Macedonianos quoque negantes Spiritus sancti diuinitatem ad conuentum euocat, vt est apud Nicephorum. Constantinopoli secundũ "scriptum tuæ pietatis conuenimus, aiunt omnes "in sua præfatione ad Theodosium. Hæc decreuerunt Episcopi qui ex Christi gratia Constantinopoli cõuenerunt ex diuersis eparchiis κατὰ κλῆσιν, secundum euocationem religiosissimi regis Theodosij. Hoc idem alij Imperatores & in Ephesino & in multis aliis Conciliis generalibus & particularibus bene præstiterunt, quod ex omnibus aliis bonæ fidei scriptoribus & inprimis ex historia Niceni Concilij vno aspectu videre licet, collectore Ioachimo Camerario. Ergo ex hoc prologo, ex hac prima parte in conuocando Concilio, Romani Pontificis nulla potestas euincitur. Quis igitur Canon aut quæ clauis nobis hanc supremã dignitatẽ Romanæ Ecclesiæ recludet & aperiet? Nimirum vt post Rom. Pontificem Constantinopolitanus honoris priuilegium haberet, eò quòd sit noua Roma. Efficitur proinde aut duos fuisse vniuersales Episcopos constitutos, quod nec in cœlis sol, nec in terris Monarcha facilè admitteret:

Autoritas Impe. in conuocando Conc.

Li. 12. c. 10.

teret: aut vtrũque pari honore cohonestatũ fuisse, vt in suo certo regimine, vel Orientis vel Occidentis Ecclesiæ, reliquis præferrentur. Hoc tempore Damasus Præsul fuit Romanus, & Romam ab illo & Occidentalibus Episcopis Orientales quidem inuitati sunt, vt illic maximum Conciliũ celebrarent: sed profectionis molestia deterriti & nihil lucri inde sperantes renuerunt. Quinimo Constantinopolitani in suo consessu definierunt, vt si quid in qualibet prouincia emergeret, prouinciæ Concilio finiretur, quibus omnibus Imperator suum assensum præbuit. Damasum ex Hieronymo & historiis semper nobis obiiciunt: sed quæ tum fuit eius prærogatiua, quando Orientales ab eo non quidem suo nomine, sed Imperatoris & nomine & literis vocati venire noluerunt? quando conuenerunt illo nec præsidente nec præsente? quando Constantinopolitanus eiusdem honoris particeps & consors omnium consensu declaratur? quando singulos intra suos limites prouinciali Concilio omnia sua dubia dissoluere litésque dirimere oportuit? Cæterũ quid habet ex hoc Canone vetus Roma eximiũ? quid singulare? quod non vnà cum illo commune Cõstantinopolis aliæque Metropoles habuerunt? Nam si vocatur Romanus Pontifex Vniuersalis, idem nomen accommodatur aliis: Tryphon miseratione diuina Archiepiscopus Constantinopolitanus nouæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha: tamen homo illiteratus, ideóque iussus est in pura charta hunc suum titulum perscribere: pòst artificiosè à quodam subscribitur recusatio seu Resignatio muneris, quod Imperator Theophilacto cuidam dedit, qui itidem venationibus indulgẽs in periculum incidit ac moritur. Tales successores habuit Constantinopolis, tales solet habere

Trip. hist. l. 9. c. 13.

Damasus nunquam vniuersalis Episcopus.

Tryphon.

Nic. in Chronologia.

Roma : talibus dominis Oecumenicum imperium committitur : Vtinam omnes qui in pari culpa sunt, pari pœna plecterentur, vt magnifici sui tituli subscriptione sua, pastoralis officij resignationes consignarent. Quid? Romani Episcopi admonuerunt Constantinopolitanos & obiurgarunt? Idem factum est à Constantinopolitanis in Epistolis ad omnes Metropolitanos & ad Papam Romanum, canon Synodi Constantinopolitanæ affertur, vt si quis pro precio Episcopos aut alios clericos ordinauerit, venalémque fecerit inuendibilem gratiam: de gradu suo deiiciatur, vel alio supplicio mulctetur: Monétque Papam, omnem Episcopum vel presbyterum, vel laicum, de quo canon, huic crimini obnoxium communi Pontificum calculo esse damnatum: gratiam esse gratiam, nec debere argentum intercedere, & oportere ipsum curare vt missis vndique exemplaribus omnibus hoc innotescat & omnis radix auaritiæ plantata cum omnibus malorum germinibus excindatur. An excommunicarunt aliquando alios Romani? an prouocarunt ad Romanam Ecclesiam Athanasius & alij? In pœnis, & Appellationibus constitutum erat semper & consuetum, vt essent Maiores qui pœnam infligerent, minores qui Censuræ subiicerentur, aliqui nullus esset ordo, nulla respublica. Talis erat inter Patriarchas vltrò citróque cõmeans Iurisdictio. Acatius Ecclesiastica censura percussit Alexandrinum & Antiochenum: Gelasius rursus Acatium: etiam sine Concilio, Leonem Papam Dioscorus. An quia ista lege talionis aut ex consensu communi Ecclesiarum fiunt, ideò Romana Ecclesia in sublimiore throno locabitur? Gregorius profectò Magnus Gregorio Decimo tertio non assentiret, quia dixit contrarium, Cùm verò

Gennad. & Syn. Constant.

Romanæ Ecclesiæ & aliarum prærogatiuæ æquales.

Dist. 21. Greg. 1. & 13. dissentiunt.

verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sumus. Admittit Gregorius æqualitatem, cui non subscribunt omnes Romanistæ, qui non solùm in hoc pœnarum & Appellationum casu, verumetiam in omnibus aliis & conscientiæ & fidei casibus dominari cupiunt. Nihil est licitum Romanis, quod aliis Patriarchis non licebat. Quod satis perspexerunt ipsi Romanenses oculati homines, qui sicut aliis conciliis fidem derogarunt, sic & huius Concilij autoritatẽ abrogarunt. Euangelicè scilicet factum ab his, qui conciliis hisce quatuor, Euangeliis inquam suis non verentur oblaterare. Surius Carthusianus perstringit Episcoporũ Constantinopolitanorum arrogantiam, quòd in hanc curam incubuerint, vt proximam à Romano præsule vel etiam parem obtinerent autoritatem, & illum Canonem in hac synodo, qui eum locũ amplissimæ vrbi Nouę Romæ tribuit, omnino non esse receptum contendit, quia, si Deo placet, Leo Romanus obrugiit: & tamẽ qui Episcopum Constantinopolitanum Romano æquari non ferunt, hi Romanum non modò primum omnium sed vniuersalem esse volunt, & illum vnum cæteris omnibus anteponi æquissimum iudicant: obliti canonũ suorum Euangelicorum, obliti canonis Anglicanæ Synodi, Nullus Episcoporum sese alteri præferat per ambitionem: obliti ipsius Leonis sententiæ, Mens potentiæ auida, nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis. Leonem verò ipsum indignari & hac constitutione offendi illa verba declarant, Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum, ante sexaginta, vt iactas, annos (sic enim numerat à Constantinopolitana

Greg. in. Syracusano.

Ex comment. rerum gest.

Syn Ang.

Ad Anatolium.

"synodo ad Chalcedonensem) facta subscriptio,
"nunquámque à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam. Ex his duo patent, & Papam vtrique Concilio se opponere, id est, vtrique Euangelio suo obstrepere: & alios Orientales Antistites Papam Romanum non tanti fecisse, vt eius vel præsentiam, vel notitiam, vel confirmationem tum magnopere necessariam existimarent. Nam & à Niceno & à Constantinopolitano hoc, & à Chalcedonensi abfuerunt: & legati in Chalcedonensi præsentes quod volebant nō impetrarunt: & Iulium Antiochenæ synodo non interfuisse sed Constantinum Imperatorem præfuisse testatur Ecclesiastica historia. Quanquam non inficias iuerim in eo loco Tripartitæ historiæ fuisse regulam Ecclesiasticam, vt ex consensu Romanæ Ecclesiæ Concilia celebrarentur: sic & illud mihi non debent inficiari, idem ius fuisse & aliorum Patriarcharum, vtque si vellent & possent ad ista generalia Concilia venirent. Quid aliud vendicant Romani? Petitum est, inquit Duræus, à Damaso, vt Nectarii, Fabiani, Cyrilli ordinationem confirmaret. Et priuilegium illud magnum huius Ecclesiæ Constantinopolitanæ memorat Socrates, Lege fuisse cautum non modò vt in illis diœcesibus ordinandi potestatem habeant Constantinopolitani, quod Duræus ipse fatetur, sed etiam ne præter consensum & sententiam Constantinopolitanorum vlla χειροτονία vel ordinatio Episcoporum fieret. Cùm ergo omnes istæ seu libertates seu dignitates sint communes, & eadem sit istorum in rebus Ecclesiasticis Maiestas: non est cur omnia ad se tāquam sua & propria abradant, aut aliquem Petri principatum ex his Euangelicis conciliis colligant: Non est cur Duræus Whitakerum liberalissimis

Trip. hist. l. 4. c. 9.

Duræus.

l. 7. c. 18.

disciplinis à Domino ornatum imperitiæ insimuler. Imò eruditè Whitakerus, qui pares eos fuisse dicit: nisi etiam imperitus sit Surius, qui antè aiebat Constantinopolitanos hoc impensissimè & studiosissimè egisse, vt parem autoritatem obtinerent: nisi imperiti fuerint tot Episcopi qui in Concilio Constantinopolitano τὰ ἴσα πρεσβεῖα, & autoritatis æqualitatem concesserunt. Non enim de loco primo vel secundo in quo sederunt, sed de potestate qua vtuntur, & de priuilegiis quibus fruuntur, inquirimus: de quibus singulis constātinopolitanæ Ecclesiæ indultis, & ab ipsa sede possessis, particulatim suprà diximus. Quare septimus ille canon Vigilii Papæ de antiquitate & primatu Romanæ Ecclesiæ perabsurdus est, Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamentum & forma sit Ecclesiarum, à qua omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat: quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt cæteris præemineret, vnde & Cephas vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolorum. Videlicet digna tali capite Ecclesiç sententia, & digna tali sententia ratio, qua Cephas, id est, lapis, in caput, scitè & citò transubstantiatur.

Con. Constant. c. 36.

In decretis Vigilii.

Papaliter Cephas caput Io. 1.

Ephesini concilii nullus canō extat, quod sciam, quomodo Romana Ecclesia possit in alios imperium vllo iure exercere. Quare statim omne robur huius argumenti infirmatur, quia nulla lex producitur. Sed quænam sunt ista firmamenta Duræi qui Campiani patrocinium suscipit? Patres scribunt ad Celestinū, & significant per literas ea quæ consecuta sunt in Synodo. Vnde id tantùm sequitur illum fuisse certiorem fa-

Ephesinū Concil. non fulcit Cathedram Papalem. Duræus.

ctum, quid definitum & transactum fuerit, non autem fuisse designatum iudicem, quid fieri aut quid rogari aut abrogari aut definiri oporteret. Post bellum, aiũt, auxilium: post factum cõsilium: sed hic post concilium & factum, concilii & facti nuda tantùm est recitatio. Patriarchæ ex præscripto Concilii Niceni debebant mutuas operas in hoc tradere, vt alii Acta ad aliorum cognitionem referrent, & in conciliis suas sententias quasi symbola conferrent. Nam sicut Romana synodus cui Episcopus Celestinus præfuit contra Nestorium determinauit, & ad Orientales perscripsit, vt nisi intra decem dies præfinitos resipiscerent, & detestandas opiniones execraretur, pœnam subiret: sic idem in synodo Ephesina visum est patribus, & idem vicissim Romanis renunciant. Sic ipsi patres testantur, Epistolis ab Alexãdrina Ecclesia tuæ religioni directis, consensum præbuit, "tam ea, quæ apud vrbem Romam conuenit sancta synodus, quàm etiam nos omnes velut rectè irreprehensibilitérque conscriptis. Rursus ex Epistola Celestini ad cyrillum obiicit Duræus, Papæ vice & potestate functum esse cyrillum, ideóque Cyrillo & aliis omnibus præeminere: vtrumque negari potest, quia non modò Celestini absentis locum supplenit, verùm etiam suam pro merito suo sedem habuit, & dignitatem eam cum laude sua sustinuit. Annon enim illæ voces & acclamationes de Cyrillo audiuntur? Illyriciani & omnes Episcopi reuerendissimi clamauerunt, "Nos sicut Cyrillus credimus, sic credimus, "sic credimus, Anathema qui sic non credit. Cyrillus solus ferè totum pondus & æstum perfert, & se defensitando, & contra alios Anathema proclamando, & contra Nestorium, Theodoretum, Ioan. Antiochenum velitando, scribendo,

Ad Nestorium

Alia Duræi obiectio.

Confutatio.

Act. 1. cõ. chal.

In con. Eph. c 33.

do, dicendo ferè omnia. Deinde sit & vocetur Celestinus sanctissimus, reuerendissimus: eadem tamen cyrillo exhibetur reuerentia, qui & venerandus & diuinus nuncupatur, imò & caput congregatorum Episcoporum, & sanctissimus Archiepiscopus: nec idem inuenitur de celestino, quamuis eum caput vocitet Duræus, & pessimam glossam interserat in margine Surius. Intelligant enim qui legunt, concilia honorificè omnes Metropolitanos, Episcopos doctos Dei ministros & acceptos semper fuisse & vocatos: & tum vnà recognoscant in hac synodo celestinum quantumuis talem, quantumuis tantum, familiari nomine consacerdotis & comministri donari. Nec modò cyrillus, verùm etiam Arcadius & Proiectus & presbyter Philippus, vicem ac præsentiam celestini confessu suo exhibuerunt, vt loquitur ea ad celestinum quam citat Duræus Epistola: ideóne vel Proiectum Episcopum vel alterum presbyterum, cyrillo, qui in eo conuentu duplicem personam induit, imò qui ferè solus egit omnem fabulam, aut etiam aliis omnibus Archiepiscopis, aut vniuerso concilio præferent? Sed non puto campianum sic insaniuisse, vt ex hoc concilio primatum aliquem Petri extruere voluerit, vbi Petri & Ioannis æqualis dignitas monstratur. Hic verò vt in reliquis quoque synodis, primæ partes Imperatoribus meritò deferuntur, non celestino, homini scilicet meticuloso, qui propter nauigationis pericula ad concilium non appulit, sed in vmbra sua, id est, per vicarios comparuit, synodo adesse detrectauit, inquit Nicephorus, ad cyrillum tantum, vt locum ibi suum teneret, scripsit. Expendantur autem verba quæ sequuntur, quæ nisi fallor, cyrilli Alexandrini Episcopi eiúsque

In relatione synod. ad Imp.

In Epist. ad Nestorium.

l. 14. c. 34.

successorum honores pares cum Episcopo Romano edocebunt, Ex quo tempore, inquit, fama est, mitram illum & Papæ appellationem, atque vt orbis vniuersi iudex appellaretur, accepisse: quæ deinde omnia per successionē ad eos etiam peruenerint, quibus sorte Alexandrinæ Ecclesiæ thronus legitimè obuenisset, sacros Episcopos. Ecce mitræ honor, Papæ appellatio, orbis vniuersi iudicium ad Alexandrinam sedem pertinent: de Romano Papa nullum tale verbum synodi huius patres enunciant. Cæterùm istas voces accipiant prout voluerint: modò Theodosij autoritatem in conciliis & congregandis & corroborandis agnoscant, de qua re dixi superius, & hîc quoque repetitur. Nam cyrillus ante celestini surrogationem, ad Imperatorem & sorores libellos contra Nestorium doctè compositos misit, & vt vniuersalis synodus cogeretur, petiit. Deinde capite sequente ait Nicephorus, Theodosius imperialibus literis suis in Metropoli Epheso locorum omnium Episcopos conuenire iussit. Imperatorum verò Theodosii & Valentiniani Confirmatio, illa clausula continetur, „candido sanè lapillo signanda, Oportet vt omnia „primùm iuxta id quod Deo placiturum est, sine „contentione & cum veritate examinata, tum demum à nostra pietate corroborentur. Idem appareret ex Actis Concilii constantinopolitani, quando Episcopi Theodosiū obsecrant vt decreta corroboret sua sententia.

Imperat. in Synodo conuocanda autoritas.

ca. 33.

In. Ep ad Synod.

INCRVENTVM *corporis & sanguinis Christi sacrificium in altari recognosces.* In hac Sacramentorum disciplina quid Christus primus eorum institutor fecerit, & docuerit, respiciendum, sicut nos docuit Cyprianus. In sacrificio quod Christus instituit, quis dubitat non nisi

De sacrificio Missæ ex Nic. Con. l. 2. Ep. 3. ad Cæcilium.

nisi Christum sequendum esse? Idem dixit Ambrosius in Epistolā ad Corinthios, inter indignos recēsens eos quicunq; aliter mysterium celebrāt. Si ergo concilia aliter quàm Christus constituerent, & pro Sacramento sacrificium obtruderēt, patrum iustorum iudicio minimè eos audiendos existimamus, quicquid campianus & Duræus ex conciliis conentur elicere. Sed non fauent Missæ celeberrima concilia: nam si fauissent, in aliquo concilio istorum quatuor aliqua mentio huius Missæ, quam Christi & Apostolorum prolem & fœtum esse volunt, iniecta fuisset. Nunquā hîc legitur Missa de Spiritu sancto: vt in posterioribus conciliis Tridentino aliisque habemus: nusquam canitur, Veni sancte Spiritus. Protestatur Episcoporum synodus in Epistola ad Theodosium, Principium suarum literarum esse ad Deum gratiarum actionem, quòd Cæsareæ Maiestatis auspiciis ad communem Ecclesiarum pacem, & ad sacræ fidei confirmationem omnia spectauerint, neque aliud prooemium missaticum reperitur. Iā qui ex Niceni concilij canone decimo quarto hoc suum incruētum sacrificium colligunt, iidē, credo, ex pumice aquam exprimere se posse spetabunt. Verba ita se habent, Peruenit ad sanctum „ & magnum cōcilium, quod in locis quibusdam „ & ciuitatibus, presbyteris Eucharistiam Diaconi „ porrigant. Hîc lapsus est Duræus, primò quia conuertit Sancta latinè quod Græcè est Eucharistia & gratiarum actio. Nam Eucharisticum sacrificium à propitiatoria Missa papistarum differre plurimum vel ex suo concilio Tridentino ipse discere potuit. Alius deinde lapsus est ex deprauata translatione, in qua προσφέρειν offerre sacrificium perperam vertitur. Est enim non offerre sacrificium (quod ab ipso assuitur) sed proferre &

In Con. Constantinop.

Duræi lapsus.

exhibere Sacramentum communicantibus, & quemadmodum alius exposuit, dare Eucharistiã. Quæro hîc, quinã sunt huiusce mandati obseruantiores, illíne qui Sacramentum soli sacerdoti reseruant & populo auferunt, an nos qui omnibus offerimus? Et quomodo hoc ad suum institutum torquebunt? Presbyteris siue Episcopis, Diaconi porrigunt vel offerunt Sacramẽtum Eucharistiæ: Sequetúrne inde hæc larga & longa sutela, licere sacerdoti Christi corpus patri offerre? & quemlibet sacrificum esse creatorem sui creatoris, & sacerdotem Altissimi, & Christum Agnum Dei in altari illo sacrificari, & eum realiter præsentẽ debere cultu latriæ adorari? Sed benè faciunt, semper antiquum obtinent. De Diaconis offerẽtibus Episcopo queritur concilium: nostri in Missa volunt Filium patri suo manu & consecratione sacerdotis offerri. Sed quàm procul à scopo? Eadem " est eius qui canonem Missæ consarcinauit præua " ricatio, quando missifex precatur vt sereno vultu " respiciat Deus suum hoc sacrificium, sicut acce- " pit sanctum sacrificium & immaculatã hostiam, quã ipsi (Deo) obtulit summus sacerdos Melchisedech: & tamẽ Scriptura dicit eum Abrahæ & militibus panem & vinum, id est, cibos protulisse, vt lassos reficeret, & famelicos refocillaret, sicuti Ambrosius quoque & Augustinus fidelissimè exponunt. Obiicit porrò Duræus, Whitakerum, dum ex sententia & decreto concilij Eucharisticum sacrificium constituit, ex sacrificio non sacrificium efficere: Perinde quasi vnum tantummodo sit & non duo genera sacrificiorum, communi omnium opinione receptissima, Expians, quod solius est Christi, & alterum omnium Christianorum, Eucharisticum. Nullúmne aut contemptibile est Sacrificium Laudis, quod vnicè & singulariter

Theod. Balf. In Nic. con. c. 18.

Duræi nouã obiect. cõfutata. In Epist. ad Heb. c. 7.

Aug. in q. ex vtroque 109.

2. Sacrificia.

lariter aliis repudiatis Dominus in vtroque Testamento præcipit: Immola Deo sacrificiũ laudis: Vbi Augustinus, O sacrificium gratuitum, gratia datum. Et, Hoc odore Dominus delectatur. Nullúmne, de quo honorificè Chrysostomus, de hac Gratiarum actione loquens, Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est, hæc fiduciæ nostræ ad Deum materia. Sed addit Duræus, Si incruenti sacrificij nomine nihil aliud quàm gratiarum actionẽ intelligere debeamus, ineptè admodum Niceni Concilij Patres, solis sacerdotibus huius sacrificij offerendã potestatem esse concessam dixissent. Quis hoc vnquam dixit, sacrificium solùm esse gratiarum actionem? Dicimus esse Sacramẽtum, dicimus esse Eucharistiam, vt nominant Patres. Non dicimus esse Sacrificiũ quod offertur, quia Concilium sacrificij non meminit, sed Eucharistiæ quæ profertur & exhibetur: non dicimus solis sacerdotibus potestatem offerendi esse concessam, quia ne verbum quidem vllũ est de vestris sacerdotib⁹ sed de nostris presbyteris. Gratias agere est omnium, fatemur, sed Eucharistiam seu Gratiarum actionis sacramentum administrare, omnium esse diffitemur. Nobiscum etiam facit canon Missæ, & sic intelligit, Memento eorum pro quibus tibi offerimus hoc sacrificium LAVDIS. Sed cur hîc quærunt aliud sacrificium propitiatorium, quod in nullo canone Niceno inuenitur? Et quàm absurdè in suo Missali Canone loquuntur? hanc oblationem esse hostiam puram, sanctam, immaculatam, esse corpus & sanguinem Christi, esse Christum: tamen rogant Deum, vt accepta habeat ea sacrificia, sicut munera pueri sui Abel, sicut sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ: & vt iubeat hæc perferri per manus sancti Angeli in sublime

Sacrificii Eucharistici digni tas. Ps. 50. in Gen. c. 1. H. 9.

Alia obiect.

Confutatio.

Canonis Missalis Examen.

altare suum in conspectu diuinæ Maiestatis suæ: cùm Christi sacrificiũ omnium aliorum summũ & sublimissimũ sit, cuius omnia illa typi solũ & vmbræ fuerunt, cùm in terra eũ non vlla Angeli aut Archangeli manus ad patrem deportare aut potuerit aut debuerit, sed ipse patri suo in cruce sese obtulerit, cùm etiam nunc in cœlo tali Angelorum mediatione opus non habeat, cùm se ipse quotidie patri sistat, & præsens assideat? quàm absurdum, vt hoc sacrificiũ, scilicet Christus, quod ipse sacerdos, vt verè ait canon, indignus Trinitati offert, fiat acceptabile, & sibi aliisque omnibus, pro quibus offert, propitiabile, idq; propter Christum Dominum nostrum? vt Christus propter Christum mediatore sacerdote Trinitati placeat? vt homuncio sacrificulis peccator inter Deum & Christum intermedius orator sit & sequester?

Respondemus igitur primò, hoc in loco nullam fieri in Græco textu mentionem sacrificij, dein tale propitiatorium sacrificium Patres istos ne somniasse quidem: quod sit omni ratione vacuum, impietatis & absurditatis plenissimum: postremò aliquot Veteres sacrificium quidem nominare, sed vel benedictionẽ & laudes Ecclesiæ, vel sacrificij in cruce peracti memoriam significare. Paulus vocat Ἀνάμνησιν, & annuntiationem mortis Dominicæ: Ambrosius recordationem eius: similiter Chrysostomus, Magis autem recordationem sacrificij operamur: Magister, Vocatur sacrificium & oblatio, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificij. Nec certè possunt vllo glutino illæ contradictiones Papistarum cohærescere, vt idem sacrificium sit reale & tamen inuisibile: idem in cœna & in cruce, idem verè sacrificium, Verus Agnus Dei, & tamen sine victima, sine

1. Cor. 11.

Heb. c. 9. Sent. l. 4. d. 13.

sine sanguine. Hoc non modò est adulterinorum sensum paleas colligere, vt peruenustè dixit Cyrillus, verumetiam Heterodoxa & Paradoxa astruere. Sed vsque adeò præceps est & vehemens contradicendi studium, vt quid verum sit nec ne, nequaquam attendat, vt idem alibi pulcherrimè. Quale Heterodoxon & planè absonum est illud Duræi, Ἀναίμακτον siue incruentum dici nõ quòd sanguinis omnino expers sit, sed q̃ sine sanguinis effusione in illius sacrificij memoriam offeratur, quod cum sanguinis effusione in ara crucis oblatum est? Quis Proteus vnquam versatilior? vt idẽ sacrificium incruentum, simul & cruentum, exangue & sanguineũ sit & habeatur? Cyrillus istas tolas aranearum subtilissimas nunquam texuit: quando simpliciter loquitur, Incruenta sacrificia esse doxologias: & incruenta sacrificia esse gratiora, eáque sic exponit, Sacrificamus mentaliter & spiritualiter virtutum fragrantias, quodammodo consecrantes illi: Et paulò antè, Offerimus in odorem suauitatis Deo, virtutes omnigenas, fidem, spem, charitatem, &c. perpetuas laudes & alias virtutes. Istud enim sacrificium minimè carnale simplicem & secundum naturam incorporeum decet Deum. Nicenum verò Concilium hoc mentis sacrificium exigere, alius locus planũ faciet, quem Tonstallus noster citauit, & Surius in editione concilij Niceni non reticuit. Canõ enim ille si vero intelligentiæ oculo inspiciatur, totam hanc sacramentalem actionem ad viuum & ad plenum exprimit: non oportere nos in diuina mensa, humiliter intentos esse ad propositum panem & poculum, sed mentem attollere, & fide intelligere situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à

In Dial. cum Hermia.

In Ioan. l. 6. c. 2.

Duræi Paradoxum.

Ad Reginas con. Iulianum l. 10.

Tonstallus de Cæ. Nic. Con. In l. de ver. Corp. & sang. Christi.

sacerdotibus immolatũ, & precioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumẽtes, credere hæc eſſe noſtræ Reſurrectionis ſymbola. Menſa nominatur non altare, perceptio non dentis ſed mentis, non manducatio carnis ſed ſpiritus: quæ nimirum veriſſima eſt, & ſola Chriſti comeſtio & communicatio ſalutaris. Vrgebunt ex illis verbis nos verè corpus Chriſti ſumere: reſpõdemus veritatem hanc credendo conſummari, & fide conſiſtere: Caro enim & carnalis ſumptio non magis prodeſt, quàm carnalis Chriſti in terris Epiphania & aſpectus Iudæis incredulis profuit. Sed quia par eſt ratio in ſacramentis, inde etiam noſtra ſententia confirmari poteſt: De Baptiſmo eodem tono & ſono concilium idem pronunciat, Baptiſma noſtrũ non ſenſibilibus oculis ſed mentalibus conſiderandum eſſe: Aquam videri, ſed conſiderandam diuinam vim, quæ in aquis latet: nobis ſic putandum, aquam eſſe plenam ignis diuini: Nos in Spiritu ſancto & igni baptizari, traditum eſſe in ſacris elogiis. Hinc diſputari poteſt, in Baptiſmo eandem Analogiam eſſe obſeruandam: in Baptiſmo eandem eſſe vim & virtutem, in Baptiſmo Chriſtum indui, imò non modò flumine nos ſed & flamine & flamma baptizari. In Baptiſmo tamen non vllam eſſe aquæ tranſſubſtantiationem: non vllam realem Chriſti præſentiam, ſed neceſſariò eſſe admittendas tropicas locutiones: itaque nec aliquid aliud ſublimius aut potius non aliquid carnalius in Sacramento Euchariſtiæ cogitandum. Duræus premit nos autoritate Euſebii, cui nos ſubſcribimus libenter & quidem meritò, quia ille qui concilio interfuit, poterit optimè mentẽ & quodammodo ſpiritum illorum patrum aperire. Primus locus qui ab eo citatur, apertè ſignificat Chriſtum admirãdæ ſuæ hoſtiæ

Con. Trãſ ſubſtãt. & realem præſ.

Con. Nic.

Duræus obiicit ex Euſebio. In demonſt. Euang. lib. 1. c. 10.

hoſtiæ & eximiæ victimæ quam patri ſuo ipſe litauit, nobis tradidiſſe memoriam, μνήμην, quod ſupra dixit corporis & ſanguinis Chriſti ὑπόμνημα, non oblationem ſed recordationem & monumentum. Sed inſtituit, inquit, vt iugiter Deo offeramus: at qui? Chriſtiani, omnes gentes, non ſolùm Sacerdotes: & quid? Num corpus Chriſti? non, ſed Laudis ſacrificium, quod Duræus bonæ fide non expreſſit, ſed planè omiſit. cùm enim Euſebius Malachiæ teſtimonium, de munda gentilium oblatione produxiſſet, ſic ſplendidiſſimis verbis ex aliis Scripturæ locis illuſtrat, & ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem oſtendit. Sacrificamus igitur Deo Altiſſimo, ſacrificium laudis, ſacrificamus diuinum & auguſtum & ſacroſanctum ſacrificium: ſacrificamus nouo more: ſecundum nouum Teſtamentum hoſtiam mundam. Hoſtia quippe Deo ſpiritus contritus dicitur. Spiritum contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Hanc etiam ibidem vocat ſuauiſſimum fructum omni virtute abundantis Theologiæ, & oblationem τῶν λόγων precum. Mox adhuc clarius, Itaque ſacrificamus & incendimus tanquam thymiama, aliàs quidem memoriam magni ſacrificii ſecundum ea quæ ab ipſo tradita ſunt myſteria celebrantes, & gratias pro ſalute noſtra agentes, & religioſos hymnos & preces Deo offerentes: aliàs verò noſmetipſos in totum ei conſecrantes, eiúſque Pontifici, ipſi vtique Verbo, corpore & animo dicantes. Qui memoriam corporis Chriſti, aut preces aut ſpiritum confractum & afflictum, aut myſteriorum celebrationem, aut ſuorum corporum immolationem audiunt: quomodo horum verborum occaſione de carnali præſentia Chriſti, aut de propitiatorio Miſſæ ſacrificio ſomniare poterunt? In eodem capite ſacri-

Reſponſ.

Cap. 2.

Pſal 51.

ficij Memoriam, & Mensam, & corporis & sanguinis Christi salutaris symbola videre possunt, non Missam, non altare, non reale sacrificium: Legent mysticam vnctionem, incruentas & rationales Deoque gratissimas hostias, quas in tota vita supremo Deo per eminentissimum Pontificem Iesum Christum docemur repræsentare.

C.6. Legent etiam in eodem libro eandem Malachiæ interpretationem, non sacerdotem hostiam corporis Christi in altari, sed nos & omnes gentes in omni loco precum thimiana, & non per sanguinem sed per opera pia mundam hostiam offerre, sicuti Iesaias dixit, Erit Altare Domino in regione Ægypti, & notus erit Dominus Ægyptiis. Et ne iterum ad voculam Altaris, tanquam ad scopulum impingant, legant quæ sequuntur, preces fundunt non amplius Diis pluribus, sed vni soli Domino iuxta sacrum eloquium, eique Altare incruentorum & rationabilium sacrificiorum secundum noua mysteria noui Testamenti, non solùm in Iudæa sed in toto terrarum orbe erectum

Catena ferrea Duræi. est. Iam ex istis intelligi potest illâ connexionem Duræi, Vbi est sacrificium, ibi sacerdos, vbi sacerdos, ibi altare, catenam esse non auream sed ferream: scalam hâc correlatiuorum non reiicimus,

L.5.c.3. sed aliter exponimus. Eusebius enim ipse totam hanc actionem spiritualem esse docuit, & in alio loco ait, Melchisedech non corporalibus sacrificiis vnquam functũ esse, sed vino & pane vsum, sic Christum: sic eos qui ab ipso profecti sunt, Sacerdotes in omnibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obire, & vino & pane, corporis & salutaris sanguinis MYSTERIA repræsentare, Hic spirituale sacerdotium designatur ad offerẽdum spirituales hostias, & non ad conficiendum corpus, sed ad repræsentandum

tandum corporis mysterium. Christus enim vnus & verus & solus est sacerdos, si propriè loquimur. Christus catholicus patris sacerdos est: Christus altare est, vt habet Apostolus. Ara tua conscientia tua, sic voluit Augustinus. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare & vnum sacerdotium, non potest. Ita sensit beatus Martyr cyprianus. Vnum est sacrificium propitiatorium, sicut vnus est sacerdos propitiator. Illi quidem plures facti sunt sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere: at iste propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium, & ἀπαράβατον, quod scilicet ad alium transire non potest, vt est in Epistola ad Hebræos. Accedit huc Epiphanii suffragium, Num quadraginta annis sacrificium mihi obtulistis &c. vt discerent quòd Deus per aduentum Christi sui omnem sacrificiorum vsum tolleret, vno sacrificio omnia, quæ antea fuerunt, complente ac perficiente: quod est sacrificium & victima Christi. Nam Pascha nostrum immolatus est Christus. Quale igitur est sacrificium, talis est sacerdos: qualis sacerdos, tale esse debet altare: sive de Christo propriè loquamur, sive de nobis Christianis impropriè.

Tertul. l. 4. con. Marc. Heb. 13. S. Pf. 49. L. 1. Ep. 8. C. 7. Con. Mar.

Adscribitur in margine campiani locus ex Synodo Ephesina, quò, vt auguror, nobis hasce Missæ suæ merces iterum diuendat. Sic enim contra Nestorium à natura Sacramenti patres argumentantur, & Gratianus in sua decreta retulit. Quod ad hanc rem satis sit, recitabo? Necessariò & hoc adiicimus: Annunciantes enim sunt secundum carnem mortem vnigeniti Filii Dei, id est, Iesu Christi, & resurrectionem, & in cœlos ascensionem, pariter confitentes, incruentam celebramus

In Epist. ad Nesto. De Consec. d. 2. c. Necessario. Alia confutatio Missæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

" in Ecclesiis sacrificii seruitutem: sic etiam ad my-
" sticas benedictiones accedimus, & sanctificamur,
" participes sancti corporis & pretiosi sanguinis
" Christi, omnium nostrũ redemptoris, effecti. Du-
Duræus. " ræus etiam ex eodem Concilio citat alia verba
Cyrilli eius Concilii præsidis, Sanctum ac viuifi-
cum incruẽtúmque in Ecclesia celebramus sacri-
ficium, &c. Hæccine sunt Missæ Papisticæ fulci-
menta. Similis est Ecclesiæ Anglicanæ locutio &
In Litur gia Angl. confessio, Hoc nostrum sacrificium laudis & gra-
tiarum actionis benignè accipias, indigni sumus,
qui tibi vllum sacrificium offeramus, rogamus ta-
men acceptam habeas hanc NOSTRAM SERVI-
TVTEM & debitum obsequium. Offerimus tibi
nosipsos, &c. Ecclesia nostra in publicarum pre-
cum libro, meminit oblationis, sacrificii, seruitu-
tis, sicut etiam synodus Ephesina: ergo Ecclesia
nostra credit Missam esse sacrificium expiãs? Quis
est tam omnis rationis & artis expers, qui hanc
firmam esse cõsecutionem dixerit? Cyrilli aliquot
synceræ expositiones iam à me allatę sunt. Est igi-
tur incruentus sacrificii cultus, qui in Sacramenti
Dominici ad ministratione adhibetur, in quo est
carnis Christi quam pro nobis obtulit, & sangui-
nis quem profudit commemoratio. Augustinus
Cõ. Faustum. L. 20 c. 21. appellat huius sacrificij carnem & sanguinem Sa-
cramentum memoriæ. Cyrillus eodem modo ex-
plicat, Participatio mysterii vera quædam confes-
sio & commemoratio est, quod propter nos &
pro nobis Dominus & mortuus sit & reuixerit, &
diuina nos benedictione propter hoc replet. Et
quod incruentum sit apud Cyrillum & alios Cõ-
cilii patres, edocere potest ille alius eius liber De
Ad Regi nas. recta fide, dum ait, Christum innumeros habere
in Cœlo offerentes sibi, spirituales & menta-

les scilicet & incruentas hostias: quas? hymnos
& glorificationes: non enim crediderim in cœ-
lo Missam cani ab Angelis: neque certè in terra
celebrari debet ab hominibus. Quis omnium An-
tagonistarum in Patrum antiquissimorum lectio-
nẽ diutissimè & diligentissimè versatus, hãc thea-
tricam Missæ pompam, & tam efficax omniũ mor-
tãlium pharmacum, & tale sacrificiũ viuis & mor Biel sCã.
tuis ex arbitrio & intentione sacrifici specialis- Miss. lect.
simè, specialiter, generalissimè dispensantis pro- 26. 27.
pitium & salutare, ex veris eorum monumentis
potest certò & euidenter demonstrare? Desinant
ergo sacrifici & vnctæ Romani Pontificis creatu-
ræ, desinant eleuare corpus Christi, ostentare,
consecrare, ex opere operato applicare, circum-
gestare, exorcizare: desinant ineptire & delirare.
Nullum extat eiusmodi sacrificium propitiato-
rium alicuius sacerdotis ab orbe condito, præter-
quam solius Christi, vt etiam hæc synodus a-
pertissimè mox subiicit, Ex Deo secundum natu-
ram filius vnigenitus, " NEC HOMINI PRÆTER-
" EVM ALTERI SACERDOTII NOMEN ET OF-
" FICIVM DEPVTAMVS. Factus est enim Me-
" diator Dei & hominum, & reconciliator ad pa- In Epi. ad Nest.
" cem, SEMETIPSVM DEO ET PATRI PRO
" NOBIS OFFERENS IN ODOREM SVAVI-
" TATIS: ideóque dicebat, Sacrificium & obla-
" tionem noluisti, &c. Græci Doctores assen-
" tiuntur: Theodoretus, Hoc sacerdotium sempi- S. Pf. 109.
" ternum esse volens, iurasse inquit, nequaquam
" fore, vt pœniteat: At contrà Romanistę insinuant,
" pœnituisse Deum facti sui, qui alios sacerdo-
" tes in eodem loco, & æquali dignitate sufficiunt:
Theodoretus iterum, Offert Ecclesia corporis e-
ius & sanguinis symbola: Romanistæ offerunt idẽ

corpus sed velatum panis & vini accidentibus.

In Catechesi Mystagogica 5.

cyrillus Hierosolymitanus vocat spiritualem hostiam & incruentum cultum:& Nicephorus nuncupat sacrificium hoc sacram Doxologiam seu glorificationem:Et Græcæ Liturgiæ Basilii & aliorum,dum profitentur se offerre Christo rationale & incruentum obsequium, Antitypa seu figuras sancti corporis & sanguinis sui:& Christum reliquisse ὑπομνήματα & monimenta suæ passionis, in quibus illud rationale & incruentum Memoriæ sacrificium peragatur: at Duræus hanc incruentam hostiam non esse symbolum,aut exemplar sacrificii,non gratiarum actionem, aut commemorationem,sed in Cyrillo & aliis Græcis,Incruenti sacrificii nomine ipsam cruentam corporis & sanguinis Christi oblationem intelligi asserit. Quomodo ergo sacrificium nominetur,& quomodo nos simus participes corporis Christi , sicut Ephesini patres hoc loco dicunt,ex Cyrillo & aliis ostendi hactenus:

Duræus contra VVhitakerum.

Assueueramus esse sacrificium veræ carnis Sacramentum:sanguinem cum Cyrillo esse verum potum:verum autem cibum aut potum non esse vllo modo, nisi sit pastus & refectio animę:animam non carne pasci sed alimento congruo & fide in Christum,vnde solidè & solummodo alitur,simile simili,spiritualis res spiritu , creatura toto & integro merito creatoris,qui solus vita nostra est & panis & instar omnium.Sic enim intelligit cyrillus, Reformabit omnino ad immortalitatem

In Ioan l. 4. c. 14.

" suam participes sui. Nec velis Iudaicè Quomodo, quærere,sed recordare , quamuis naturaliter " aqua frigidior sit,aduentu tamen ignis,frigiditatis suæ oblita æstuat : hoc sanè modo etiam nos, " quamuis propter naturam carnis corruptibiles " simus,participatione tamen vitæ ab imbecillitate nostra reuocati ad proprietatem illius ad vitam reformamur.Et capite Decimo sexto,Sanctum Christi corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus est:Quo autem pacto erit nutrimentum,nisi manducetur caro,nisi bibatur sanguis? Quomodo edimus Christum,quomodo bibimus? Respondet Cyrillus,Res ardua est,& fide magis quàm alio modo recipitur: ideo multis atque variis modis mirabilem eius vtilitatem exponit,basim fidem esse confirmans. Ca. 17.

Incruentum verò corporis & sanguinis Christi sacrificium in Altari recognoscere non possumus , Concilii Chalcedonensis autoritate: quia neque illa nota marginalis Campiani eò nos dirigit: nec puto illi hoc vnquam venisse in mentem:tamen quia etiam Duræus hinc illud defendit, respondeamus. Bassianus Episcopus in suis ad Imperatores supplicibus literis dicit suos aduersarios , à quibus postea vim & iniuriam se passum esse queritur , virtutem Mysteriorum & humillimis manibus suis suscepisse: à se perfectionem mysteriornm celebratam esse:& demum ab illis sacerdotii sui pallium abreptum. Quid facit ad probandum incruentum in Altari sacrificium sacerdotalis aut Episcopalis pallii direptio? Nam patres sacerdotii nomen à lege Mosaica mutuati sunt,& ad Episcopi aut ministri functionem significandam transtulerunt. Mysterium est nostrum sacramentum , aut vt Cyrillus loquitur, mystica benedictio , quod multis parasangis distat ab illorum sacrificio Papistico & propitiatorio : dum autem refertur , illos à manu Episcopi Mysteriorum virtutem accepisse:videmus hominem planè sui immemorem , iaculum quo vtitur in suum iugulum contorquere. Multum enim differunt Missa priuata & publica commu-

Nō probatur Missa in Con. Chal. Act. 11. Duræus obijcit.

Ob, remotio.

„nio. Sed pergit, inquit, ille Episcopus, Crastina „die Missas celebrauimus omnes simul, & post „Missas, manus iniicientes incluserunt me, & vi ab„ripuerunt pallium sacerdotii mei. Cur non porrò pergit Duræus? cur reliqua fraudulenter dissimulat? Nam statim pro sacerdotio quo ipse erat priuatus, ponit Episcopatum ad quem inimici Stephanum tumultuosè promouerunt. Statim id quod dixit, *Missas simul celebrauimus:* exponit *simul communicauimus*: Nam vt Missæ nomen apud patres antiquos rarissimè occurrit: ita sanè nunquam priuatum sacrificium Misisificis, sed communionem, aut solennem conuentum vel ad cœnam Dominicam vel ad preces aliáque pietatis exercitia significat, vt ex Cassiano patet, & ex Leone, & Concilio Agathensi, & Aruernensi ante nos Iuellus fœlicis memoriæ Episcopus Sarisburiensis demonstrauit. Nam quod interpretes è Græco sic conuertunt, error est: vt apud Ignatium δοχὴ quod est conuiuium, & apud alios Liturgia, quod est publicum officium, Missæ nouo & barbaro vocabulo perperam rẽdditur. Hoc nudum Missæ nomen quàm libenter arripiunt? quò ex re communi priuatam faciunt: quod non ad salutem hominum, sed ad quæstum sacrificorum valet: quo vnam partem sacramenti auferunt laicis, cùm eodem iure totum auferre possent: quo ex Testamento Christi vnde nos promissiones diuinas accipere iubemur, sacrificium & opus suũ constituunt, vt non accipiant, sed dent Deo, & satisfaciant pro aliis viuis & mortuis: quo pernicioſæ sectæ imitatores Dominum Iesum qui eos mercatus est, & vendunt & negant, eius sanguinem conculcarit, , fructúmque ementiti sui sacrificij stãtes in altari quibuslibet pro sua sapientia vel stultitia potius diuidunt: quo opus operatum, id est, Satanæ operationem efficiunt: quo panem Corpus Christi consecrant, consecratum includunt, inclusum equo imponunt & circumgestant, vt olim Rex Persicus suum Orimasda seu ignem sacrum circumferre solitus est, quasi nobis Christi corpus vsui aut fructui esse possit, cùm solenni pompa vehitur in spectaculo. Hæc omnia Missæ appellatione tanquam pallio obtecta sunt & inuoluta, quibus populo simplici nihil plausibilius esse solet, Deo autem nihil est odiosius, nihil Christi merito iniuriosius, nihil hominum sanorum iudicio & existimatione stultius.

Vide Cẽt 5.

Iuell. in art. 13 de Miss. multitud. Missæ nomen non est reale argumentum pro Missæ sacrificio.

2. Pet. 2.

Beatos *Martyres, diuósque omnes cœlites, vt pro te Christo supplicent, obsecrabis.* Vt hoc nobis ostendat Campianus, autoritatem Concilii Chalcedonensis videtur in margine obtendere. Quare ea verba proferamus & expendamus. Qui in Cõcilio agunt causam Bassiani, vt in sedem suam Ephesinam restitueretur, & Stephanus qui per vim inuasit, deiiceretur, præter alia argumenta, Flauianum Episcopum clarissimum allegant ei in vita fauentem & suffragantem, Cecropius reuerend. Episcopus Sebastopolis dixit, Domine Stephane, cognosce quantum potest Flauianus beatæ memoriæ & post mortem: Reuerendi Episcopi & clerici Constantinopolitani clamauerunt, „ Veritas sic habet, omnes hæc ipsa dicimus, Flauiano æterna memoria, Ecce vltio, ecce veritas, Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret, Flauianus post mortem fidem exposuit, „ Flauianus hic est, Orthodoxus hic est. Multos annos Imperatori, Flauianus nobiscum iudicat. Num hac oratione compellant sanctum aliquem? num mortuum Flauianum inuocant? Et cur in margine Concilium citat, cùm

Act. 11. Inuocatio sanctorũ.

hæc non sit Concilij sententia, sed eorũ oratio qui concilio repulsam tulerunt, & patrocinantes Basiano causa ceciderunt? quem Leo Episcopus Romanus antea damnauerat,& nunc Indices totius huius confessus consensu remouerunt. Et qualis est hæc oratio? annon pathetica quædam & figurata loquendi formula oratoribus & Theologis vsitata? *Martyr pro nobis oret.* Deprecatio est vt Basianus restituatur saltem Flauiani mortui causa, qui eum amauit, eique tanquam Episcopo communicauit. Causam apud vos agat Flauianus, cuius adhuc nomen viuit, cuius etiamnum recens & calens est memoria & efflorescit: ille vos oret & exoret. Non dicit, Sancte Flauiane, ora pro nobis: sed Martyr Flauianus pro nobis in hac causa apud vos loquatur,& hanc gratiam impetret. Similis est locutio apud Socratem, de Paulo quodam ab Alexandro ante mortem Ecclesiæ Constantinopolitanæ commendato, In Ecclesia quæ Pacis cognomen habet, vicina ei quæ iam magna est Sapientiæ nomine vocatur, Paulus ordinatur, in quo & demortui (Alexandri) suffragium prævalere videbatur. Quare errauit Campianus, atque etiam huius magister Copus noster multò magis, qui & verba ad suæ papisticæ Litaniæ formam inflexit, & sensum nouum affixit: Sic in Dialogo Irenæum Anglum Critobulus Germanus alloquitur, Neque enim quisquam ex his sexcẽtis Episcopis ad hanc inclamationem, sanctus Martyr Flauianus oret pro nobis aures obturauit, neque hanc Inuocationem tanquam Idololatriæ affinem, vt hodie Magdeburgenses tui, reiecit. Hęc fraus est verè Catholica, & voces immutare, & absurdissimam inde colligere sententiã. Dicut Constantinopolitani & alii Basiani fautores, Valeant apud vos merita

Li. 2 ca. 6. Eccl. H.

Li. 3. Dial. ca. 5.

merita & martyrium Flauiani, moueant eius sanctissimi viri è tumulo vos affantis preces, moueãt, vt causa nostra & Bassiani promoueantur vestris calculis: Dicit Alanus, Oret sanctus Flauianus pro nobis, ita vt oratio quæ fit ad Patres congregatos pro Bassiano ad Episcopatum prouehendo, ad Deum pro patribus interceſſione Flauiani in cœlo adiuuandis torqueatur. In posterioribus Conciliis alia crassæ inuocationis forma est vsurpata: in Concilio Lateran. hæc, Vt Maria Angelorum Domina, fons omnium gratiarum, quæ omnes hæreses interemit, cuius opera magna reformatio, &c. fieri debet, opem ferre dignetur,& metricè,

Omnium splendor, &c.
Sola tu virgo dominaris astris,
Sola tu terræ maris atque cœli
Lumen, inceptis faueas rogamus
Inclyta nostris.
Vt queam sacros reserare sensus, &c.

Sed de hac sanctorum interceſſione aliâs.

MVLIEROSOS *apostatas ab infando cõcubitu & incestu publico coercebis.* Adducitur Nicenum Concilium apud Socratem à Campiano: quod sanè mirum videtur mihi eius testimonio stare Campianum, cui Alanus Copus quodammodo fidem omnem derogat. Cùm enim videret Nicenum Canonem nostram causam tueri, & tyrannicam hanc legem cœlibatus manifestè rescindere, Scriptorum autoritati obtrectat: Tota hæc historia à solo Socrate pendet, Sozomenus eam à Socrate mutuatur. Nemo tam obtusæ & crassæ naris est, qui Socratem cæteris patribus anteponet: Aut nulla, aut fragilis, & infirma est hæc omnis de Paphnutio narratio: Nos Occidentis sacerdotes respicere maximè debemus, non Orientem: quid

Nic. Con. apud Socr. L. 1. c. 8. Sacerdotũ Coniugium. Copus & Campianus non cõcordãt. Li. 1. c. 23.

» in Oriente fecerint, minus est laborandum. Cùm ergo ipsi Historicos antiquos Ecclesiæ reprehendant, & patribus detrahant: æquiores eos nobis esse oportet si quando vel Socrati vel Sozomeno, vel alteri de Monachis aliisq; rebus superstitionem olentibus, quædam portentosa inferenti parum credimus. Affert autē Campianus hanc Synodum, vt eius quasi autoritate & sententia Anglia patria suos mulierosos Apostatas ab infando concubitu & incestu publico hoc est sanctos Antistites & ministros verbi à legitimo cōiugio prohiberet. Hæccine est Concilij doctrina, an potius Campiani insciti atq; impudentia? Adeóne impurè loquitur de puro & sancto Ministrorum coniugio? Non in Octauo capite, vt notat Campianus, sed in vndecimo hæc res sic tractata est, vt Socrates affirmet Episcopos voluisse quidē νομοθετῆσαι νόμον nouam legem in Ecclesiam introducere: ne sacris initiati cum suis vxoribus dormirent: intercessisse verò reuerendum senem Paphnutium, cuius etiam oculum effossum exosculari solitus est Imperator, eum valde proclamasse in Concilio, non esse hoc graue iugum imponendum sanctis hominibus, honorabile esse, cubile & nuptias impollutas: nimia seueritate Ecclesiæ nocumentum non inferendum: rigidum illud exercitium nec maritos nec vxores ferre posse: congressum cum legitima coniuge esse CASTITATEM, satis esse, si clericatu potiti ante nuptias, amplius ad nuptias non accederent: & hanc esse solummodo Ecclesiæ Traditionem, non verbi diuini institutionem: seiungi autem ab vxore nullo modo debere Episcopos aut presbyteros. Ne verò putet quis hanc esse vnius Paphnutij sententiam, subiicit historicus, Totum sacerdotum conuentum verbis Paphnutij obtemperasse, vt cuiusque voluntati liberum relinqueretur. Quare separare coniugatos & sacrum coniugij vinculum abrumpere, quod Marianis temporibus factum est, Niceni Concilij decreto damnatur: prohibere etiam nuptias, & voto continentiam exigere & extorquere, vis est non ius, coactio non castitas: & illa traditio siue mos priscus quē narrat, inoleuit quidem tempore persecutionis, quo volentes à nuptiis abstinuerunt: nec vllæ tum Catholicæ Ecclesiæ leges latæ sunt, de votorum necessitate, aut seruitute hac continentiæ. Ex quo adhiberi potest commoda & vera solutio obiectionis Duræi, cùm dicit veterem Ecclesiæ traditionē fuisse, vt qui in Clerum antè conscripti erant, quàm duxissent vxores, hi deinceps à nuptiis abstinerent, in quo peruertit totam Concilij formam, & à verborum simplicitate recedit. Scopus erat vt mariti Episcopi sua libertate vterentur, néue vlla esset legitimi thori diremptio. Hoc omnes partes comprobant. Postea non Socrates dicit esse cautum vel lege illa, vel constitutum aliqua veteri Traditione, vt abstinerent, sed hoc dicit, Satis esse, vt qui in clerum antè ascripti essent, quàm vxores duxissent, hi secundum veterem Ecclesiæ Traditionem deinceps à nuptiis se abstinerent. Satis est, inquit, si velint abstinere, quemadmodum ipse Spiritus sancti donō sponte sua cœlibem vitam elegit, non iugum aliis imponens, sed arbitrio cuiusque permittēs. Ex rationibus etiam Paphnutij grauissimis colligi potest, connubium ministris non minus post nuptias quàm antè esse permittendum. Memorat Socrates eo in loco, & etiam Sozomenus de Spiridone Cypri Episcopo qui vxorem & liberos habuit, neq; tamen ob id fuit ad res diuinas deterior. Non vocarunt sancta Concilia antiqua, sicut

Socr. l. 1. c. 11. Nouatex. prohibitio nuptiarum, & Coniugū separatio.

Duræi obiectio confutata.

De coniugij libertate Conciliorum suffragatio.

Con. Nic. Li. 1. c. 11.

Campianus, infandum concubitum aut inceſtum publicum hoc miniſtrorum licitum & laudabile matrimonium, ſed contrà, Niceni Concilij iudicium ſequuntur, quod ex multis Cõciliis oſtendi poteſt, ego paucis contentus ero, vt clarum planumque fiat nullum hîc fuiſſe votum aut profeſſionem caſtitatis niſi voluntariam. Quinimò cum Euſtachij hæretici ſuaſu, mulierculæ quædam religionis prætextu matrimonij votum & vinculũ diſſoluerent, & alij in domo coniugatorum orationes non haberent, ſed inter miniſterium cœlibum & maritorum diſcernerent: Concilium Gangrenſe pronunciat Anathema. Concilium Toletanum apertè ſtatuit, tolerabilius eſſe, ſtultæ promiſſionis reiicere vota, quàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam horrendam criminum menſuram implere. Sed de votis ſuprà. Cur autem noſter Copus Paphnutij ſententię contradicat, & ſynodo ſe opponat, & hiſtoriographi autoritatem eleuet, cauſam nullam video, niſi quia videt hoc Concilium omnes Pontificiorum conſtitutiones de coacto cœlibatu euertere. Imò Lex Pontificia idem refert & idem probat quod nos, ſine vlla autoris nota vel ſuggillatione, cuius hęc eſt coronis ſeu concluſio, Suaſit Paphnutius concilio ne talis lex poneretur, ne fornicationis occaſio ipſis cõiugibus exiſteret. Synodúſque, inquit Gratianus, laudauit ſententiam eius, & nihil ex hac parte ſanciuit, ſed hoc in vniuſcuiuſque voluntate nõ neceſſitate permiſit. Gratianus agnoſcit hoc decretum, & noſtræ opinioni & expoſitioni accedit: Copus vtrumq; arrodit: Ecce quàm malum quàm iniucundum eſt non habitare catholicos in vnum? Eadem eſt conſenſio vnanimis, ſeu, vt verius dicam, Orientalium & Occidentalium Eccleſiarum digladiatio, de qua quædam ſupe-

Con. Gangr.

Con. Toletana.

D. 31. c. Nicena.

Copo cũ ſuis parũ conuenit.

ſuperius attuli, ſed nunc Gloſſatorem loquentem introducamus. In Romano canone, inquit, ſtatutum erat, quòd Diacones & presbyteri Orientalis Eccleſię deberent continẽtiam profiteri. Quid Græci? quid Orientales fecerunt? num iuſſui Romani Pontificis obſequentes fuerunt? Statuit ſexta ſynodus, iuxta antiquum canonem Apoſtolorum, vt vnuſquiſque clericus ſuam poſſit habere vxorem, nec propter hoc repellatur à promotione, ſi dignus fuerit, nec tempore ſuę Ordinationis cogatur continentiam profiteri, eo tamen tempore, quo miniſtrat altari, debet abſtinere. Sed extant ipſa verba ſextæ ſynodi, Si quis præſumpſerit contra Apoſtolicos canones, aliquos presbyterorum & diaconorum priuare à contactu & à communione legalis vxoris ſuæ deponatur. Et diſertè apponit Decretiſta, Orientalis Eccleſia, cui ſexta ſynodus regulam viuẽdi præſcripſit, votum caſtitatis non ſuſcepit: Et ibidem accinit Papa Stephanus, Aliter ſe Orientalium Traditio habet Eccleſiarum, aliter huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Audimus hîc coniugii libertatẽ eſſe antiquũ canonem Apoſtolorum, & antiquis canonibus Apoſtolicis contrariã eſſe hãc nouam nuptiarum interdictionem & à thoro ſeparationem. cui licet noui canones Pſeudoapoſtolorum non aſſentiantur, interim tamen antiquitatem prætexant: quæ ſit veri allegatio & probatio, Academiis diſcutiendum relinquo. Deſinant autem aduerſarii vituperare nuptias quas Deus ſuo verbo & benedictione in Paradiſo conſecrauit, quas in Nouo Teſtamento Chriſtus ſua præſentia honorauit. Deſinant mulieroſos appellare pios in Chriſto coniuges: niſi velint Petrum quoque ſuæ Eccleſiæ caput & alios Apoſtolos & Epiſcopos mulie-

D. 31. Græci.

rosos dicere. Desinant Apostatas nominare: nos enim non aliter ab illis defecimus quàm Paulus
Act. 21. à Pharisæis, cui idem crimen Apostasiæ in Actis Apostolicis est obiectum. Sed nunc quid porrò demonstret, ex conciliis videamus.

Multa *facies quæ demoliris, multa quæ facis infecta voles.* Quoniã more suo Iesuita omnia generali cõplexu inuoluit, & muto quodã Margine generali indicat tantùm, nihil apertè exprimit: agedũ diuinãdo perueſtigemus singula. Margo habet quasdam Actiones concilii Chalcedonensis: ex quibus fortassis discemus quænam ista Multa sunt, quæ aut facere, aut infecta velle debeamus. Primo loco ponitur canon quartus, cuius hæc sunt capita: Qui verè & syncerè vitam solitariam sectantur, eos honore afficiendos illo, qui conueniat & competat. Honoramus & nos veteres omnes pios qui purè in Monasteriis versantur. Nam olim monasteria fuerunt non lustra latronum, non receptacula otiosorum Heremitarum,
Ca. 16 q. 1. vt Glossa exponit, sed gymnasia & palæstræ bonorum ingeniorum, & scholæ iuuenum, vbi in pietatis & liberalium artium studio & stadio exercentur. Qualia sunt collegia nostra, seminaria veræ literaturæ & religionis, quicquid aduersarii nostri obganniant: cuius rei testis est vtraque Academia, in qua nisi ipsimet ante suum discessum artibus præculti & instructi fuissent, non sic armis nostris nos oppugnassent. Testis Erasmus Roterod. qui cùm vtriusque Vniuersitatis nostræ gymnasia, instituta, mores, exercitia cognouisset, fertur Monachorum regulis & ordinationibus prætulisse. Synodus Toletana hanc rationem expeditissimam & commodissimam esse perspexit, quæ sanxit ne impuberes & adolescentes

Ex Conc. Chal. Monachatus Papistici refellitur.

lubricæ ætatis suæ annos in luxuria consumant, sed in vno quasi conclaui aut collegio maneant, vni seniori seu magistro traditi, quem & vitæ & doctrinæ testem habeant. Alterum caput in hoc Ca. 22. q. 1. canone est illorum Monachorum accusatio grauis, quòd sub Monachi habitu res Ecclesiasticas cum politicis confunderent, per ciuitates obambularent, omnia conturbarent & commouerent, & monasteria sibi constitui & ædificari curarent. Quid obsecro dicerent isti patres, si nostrorum Querelæ perpet cõtra Monachos. Iesuitarum circuitus & oberrationes, nostrorum monachorum in amplissimis vrbibus habitationes & latifundia cernerent? qui turbas excitant, Ecclesiastica & ciuilia tractant, ad omnes aulas & aures principum aduolant? Videte, Fratres, quomodo statim à primordio Ecclesiæ Christianæ isti monachi in optimorum hominum instam reprehensionem incurrant. Sic enim habetur in canone Chalcedonensi, Quidam monachi nihil Cap. 22. habentes iniunctum à proprio Episcopo, inter- " dum verò ab eo excommunicati, veniunt ad ci- " uitatem Constantinopolin & in ea perturbatio- " nes tranquillitati Ecclesiasticæ inferunt, & diuer- " sorum domos corrumpunt. Hæc ergo querela aduersus errones & superbos monachos, non est Lutherana tantùm aut noua, vetus est & peruagata, Gratianus cùm hunc canonem recitat, hanc Ca. 16 q. 1. Qui verè puréque. patrum Chalcedonensium conquestionem epunxit, fortassis vt ordinis Monastici honestati hoc pacto melius consuleretur. Paschalis secundus, de his conquestus est suo tempore ad Victorem Bononiensem Episcopum, quod officii sui metas transilirent, Peruenit, inquit, ad nos, (vnde valde miramur) quòd quidam Monachi & " Abbates in parochia vestra, contra sanctorum "

» decreta, Episcopalia iura & officia sibi arrogan-
» ter vendicant, &c. cùm absque proprii Episcopi
» vel Apostolicæ sedis autoritate, hoc nullatenus
Paschalis assumentum, sedis Apostolicæ Fulcimentum. præsumere debeant, sicut in Chalcedonensi con-
cilio de huiusmodi à sanctis patribus statutum
est. Hìc rursus videmus aliud papale assumen-
tum, vt Apostolicæ sedis primatum euehat, de
Ibidem. quo tamen sancta illa synodus ne verbum qui-
dem vllum fecerat, sed tantummodo de Episco-
po. Conquestus est de his Monachis sua ætate
Alexander secundus, ideóque iuxta huius opti-
mi concilii tenorem monachis quantumuis re-
ligiosis præcipit, vt ad normam sancti Benedicti
intra claustrum vocentur, eósque vicos, castel-
la, ciuitates peragrare & populo prædicare pro-
hibet. Est & hic alia fraus papalis, quòd autori-
tate concilii huius regulas Benedicti confirmare
videatur: cùm tamen ea tempestate nullus ordo
Benedicti, vel Franciſci, vel Dominici institutus
fuerit. Non ausi sunt illi Chalcedonenses Episco-
pi Patres suos spirituales nominare in terra, ni-
1.Cor.3. mirum edocti ab Apostolo, Ego sum Pauli, ego
sum Cephæ, esse maculam Corinthiaci schisma-
tis. Sic nimirum multifariam à multis hic canon
deprauatur, sicut à Campiano qui inde sancire
vult suum ordinem Monasticum, qui tum ordina-
tus non fuit, & inde commendari, vbi manifestè
Ad Paulinum. reprehenditur. Conqueritur de his Hieronymus,
Si cupis esse quod diceris monachus, id est, solus,
quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solo-
rum habitacula sed multorum? Ex hisce omnibus
perspicua est Monachorum & religiosorum arro-
gantia, qui semper negotia secularia tractare, in
alienam messem falcem immittere, domini orbis
esse, rore cœli, pinguedine terræ frui, tanquam
hæredes & successores Esau, & in optimis vrbi-
bus &

bus & in delicatissimis locis habitare volue-
runt. Insolentiam istam reprehendit schola Pa- Test. verit
tisiensis, censuitque non admittendos ad socie-
tatem suam, vtpote homines diuersæ professio-
nis, quia dicitur, Non arabis boue simul & asino,
& quia penetrant domos, Pseudoprophetæ; curio
si. Et certè hanc nouam Iesuitarum sectam audio
non ferri hodie Lutetiæ ab omnibus. Sunt in Duo erro
hoc Canone duo alij errores istorum notandi, pri rores in
mò ex corrupta Translatione vota sua stabiliunt, Cã. Conc.
volúntque hoc tempore Monachos vouisse con-
tinentiam, *In locis in quibus semel se Deo voue-
runt, permaneant*, cùm tamen Græcus Textus ne-
que Dei neque voti vllam faciat mentionem, est
ergo sensus germanus, Manendum esse in illis lo-
cis in quibus collocantur vel in quibus mundo
renunciarunt, nam ἀποτάσσεσθαι vtrumque deno-
tat. Alia editio sic legit, Oportere eos quietem
amplecti, soli ieiunio & orationi vocare, & in
quibus ordinati sunt locis fortiter perseuerare,
nec Ecclesiasticis vel secularibus negotiis se in-
gerere. Alius eorum error ex hoc canone repre-
hendi meritò potest, qui volentes nolentes in
suum monasterium detrudunt, vel blanditiis im-
pellunt, vel minis cogunt suam religionem in-
gredi. Hoc Canon prohibet hisce verbis, Nemi-
nem seruorum recipiendum in monasterium, vt
fit cum eis monachus præter voluntatem sui Do-
mini, vel, vt Græcus codex habet, non nisi con-
sensu, ἰδίου ἐπισκόπου, proprij Episcopi. Quamobrem
Anglia nullo modo docetur ex hoc Canone, vt
multa faciat quæ demolita est, vel multa quæ fe-
cit, infecta volet, vel vt leges votarias, quæ hìc
non attinguntur, restituat, vel vt cœnobia, do-
mos scilicet non Dei, sed domos iniquitatis in-

ſtauret. Sed quia plura & quidem atrociora ſcelera noſtri Monachi patrarunt, & quia turpitudines Babylonis ſectati ſunt, meritò plagas Babylonis ſenſerunt, iuſto quidem Dei iudicio, qui dixit, Faciam domui huic ſicut feci Silo. Hier.7.

CANON alter eſt, de Diaconiſsis, non debere ordinari ante annum quadrageſimum, idque cum accurata probatione. Si verò ſuſceperit ordinationem, & aliquantū temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradiderit nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur, vnà cum eo qui eidem copulatur. Quò ſpectat iſta Annotatio? An fortè vt Sanctimoniales, quæ ſuo merito electæ ſunt, in ſua luſtra retrudat Anglia? At nihil eiuſmodi ſenſit Concilium, loquitur de Diaconis mulieribus, non de Nonnis aut Monialibus. Diaconiſſæ enim erant ætate prouectiores, & viris iam quodammodo minus aptæ: Moniales autem Papiſticæ allegabantur iuuenculæ, luxuriantes, laſciuientes, & quæ viuentes etiam mortuæ ſunt, quales Eccleſiæ ſtipe ali vetat Apoſtolus. Diaconiſſæ fœminæ erant fideles, in vera religione educatæ & edoctæ: contrà Moniales in omni ſuperſtitionum genere enutriuntur. Diaconiſſę miniſtræ ſunt diaconis ſubiectæ, vt pauperibus atque ægrotis ſubſidiariam operā præſtarent, & quæ à viris commodè fieri nequeant, ea ipſæ honeſtius adminiſtrarent. Moniales ignota lingua cantillare, ridere, nugari, voluptatibus indulgere, Monachis contiguas ſæpe domos, imò communes cum illis lectos non rarò habere quis neſcit? Diaconiſſæ non modò pietati deditæ ſed & literis præditæ fuerunt, vt Iſchyrias Diaconiſſa quæ huic Concilio Chalcedonenſi videtur interfuiſſe, & cum aliis libellum contra Dioſcorum exhibuit. Moniales ſi preculas aliquot bene legere & bene canere poterant, ſatisfactum ſuo officio putarē. Hæ ſunt Diaconiſſæ veteris Eccleſiæ, non Abbatiſſæ, vt perperam Gloſſa hunc Canonem interpretatur. Itaque totus hic Canon aliud agit: nec quicquam Nonnarum inſtitutum adiuuat. De ordinatione verò hac Diaconiſſarum quid ganniunt aduerſarij? quam ipſi nec obſeruāt, nec habent, quæ tamen vt ex aliquot Conciliis apparet, in prima Eccleſia diu permanſit. Duræus quia intellexit hanc Campiani Annotationem marginalem non fuiſſe ſatis locupletem teſtem, vt ei ſuccurrat, alium Canonem ſubſequentem adiecit, qui ſtatuet poſt principia, & firmiſsimè nobis probaret, inceſtas eſſe omnes ſacerdotum & miniſtrorum nuptias. Si quæ virgo ſe dicauerit Deo, ſimiliter & Monachus, non licet ei iungi nuptiis. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati: ſtatuimus verò poſſe in eis facere humanitatem, ſi ita probauerit loci Epiſcopus. Nihil hîc dicitur de Apoſtatis mulieribus, nihil de inceſtis miniſtrorum nuptiis: qui dum eā continentiam non vouent, nec ad id ſolitarium viuendi inſtitutum adſtringuntur: illis & libertum eſſe & licitum vxores ducere, quis ambigit? Canon hic agit de virginitate, non quæ obtrudi-tur ſed quæ eligitur: agit de Monachis, qui vt trices & turbas mundi & perſecutionis tempeſtates vitarent, & Domino Deo quietius ſeruirent, in ſolitudinem hanc tanquam in portum profugerunt. Agit de his, qui ætate & iudicio maturi, potuerunt Dei gratia innupti manere, & certū vitæ genus ſibi deligere. Si qui deprehendantur adeo leues, qui poſt hāc diligentē ſui probationē, con-

Can.15 de Diaconiſſis.

1.Tim.5.

In Gloſſa c.20.q.1.

Euagr.l. 2.c.16.

c.27.q.1. Can. Diaconiſ.

In Can. Næoceſ. Cath.

tra hoc firmum propositum mutent sententiam, & grandæui iam subito impulsu, & leui quodam animi impetu quasi vento & sine graui causa nuptias ineant, si illis pudor aliquis incutiatur, si temeritatis pœna infligatur, vt sint ad tempus ἀκοινώνητοι, à communione & societate hominũ segregati, fortassis nec à ratione alienum nec iniquum fuerit. Sed quid hęc ad nostras sacratas & velatas virgines? quid ad nostros monachos? quid ad voto obstrictos sacerdotes? Longè alia est ratio personarum, & legum magna est diuersitas. Nam quod ad ætatem attinet, sunt dissimiles. Cõcilium Chalcedonẽse supra annum quadragesimum prę-
Can. 15. scripsit Diaconissis, statuitque anteà non debere ordinari: quod etiam Concilium Carthaginense constituit sanctimonialibus, ne ante annos quadraginta velentur. Paulus autem suas viduas
c. 20. q. 1. Sanctimoniales. 1. Tim. 5. In Registro. diaconissas voluit esse sexagenarias: & Gregorius idem decreuit de suis Abbatissis, vt sint sexagenariæ virgines probatæ vita & moribus. Cæterùm isti patres qui sunt qui Paulum correxerunt, & tempus breuius præfiniuerunt? Consultius profectò fecissent, si ex Spiritus sancti optimi Doctoris sententia sapuissent. Sed posteritas magis delirauit. In Concilio Aphricano sancitum est, vt virgo ad annum vicesimum quintum consecretur:

A Gregorio dictum est, Pueros in Monasteriis ante octodecim annorum tempora suscipi prohibemus: à Marcello, vt nouitii anno decimo quinto examinentur, vtrum in ipso habitu permanere cupiant: si annuant, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti poterunt. Concilium Tridẽtinum quod Campianus quintum quasi Euangelium esse simpliciter credidit, & cum istis quatuor comparat, à Chalcedonensibus & Carthaginensibus patribus dissentit, & fœmellis ante annos viginti

ginti votum continentiæ permittit. Ita & Concilia & patres inter se discordant, & posterior generatio putat se plus videre quàm prior vidit, & qui tantopere Canones horum Conciliorum à nobis requirunt, ipsimet non obseruant. Præterea quod ad leges legúmque pœnas spectat, ingens interuallum atque discrimen. Nam canon hic excommunicationis quidem pœna tẽporaria ferit: tamẽ relaxationem concedit, & potestatem eius loci Episcopo, vt in illos humanitatem misericordiámque largiatur. An eadem est legum Põtificiarum moderatio? Nequaquam, sed quoniam monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit: pueris semel ingressis omnem egrediendi & ad mundum reuertendi aditum intercludunt. Si qui etiam à parentibus in monasterium relegentur, nouerint sibi esse perpetuò ibi permanẽdum. Hæc est Isidori opinio: quæ ratio? Nam Anna Samuel puerum suum natum & ablactatum Deo obtulit, qui in monasterio templi mansit, & vbi constitutus fuerat, deseruiuit. Suaues profectò homines, qui Templum Dei in monasterium conuertunt, & Eli sacerdotem Abbatem & Samuelẽ monachum faciunt: quem tamen sciunt & Iudicis officio functum, & maritum & patrem liberorum fuisse. Quanta verò illa inhumanitas, vt quos progenitores ad monasterium adduxerũt, qui illic canere & legere cœperunt, hi nũquam vxorem ducant, nunquam monasterium deserãt? Si discesserint, rursus tõdeantur: si vxorem vsurpauerint, dimittere compellantur. Sed quid mirum in hoc stultè sæuire Triburienses Patres, cùm in fures & raptores adeò sint inclementes, vt pro eis orare & dare eleemosynas omnino prohibeant? Dura admodum Sanctio, inquit Carranza. Sic egit crudeliter Augustinus Monachus iussu Gregorij cum

Sess. 25. c. 15. Papistæ & eorum Canones discordãt.

Tol. cõ. 4.

In Con. Tribur.

Tributiũ sium & Carranzæ discordia.

Augustini in Anglos dura lex.

nostris Maioribus Anglis. Cùm enim quæsitum esset, vtrum infanti disciplinæ monasticæ tradito à parẽtibus liceret è Monasteriis septis egredi & matrimonio copulari, postquam ad annos pubertatis peruenisset: Gregorius denegauit, & nefas esse iudicauit, vt fræna laxentur his sic Deo scilicet oblatis à parentibus. At hoc non est Deo offerre filios sed Molocho tradere, & non disciplina aliqua instituere, sed in perpetuos carceres coniicere. Non est hoc patrizare, sed omnia patrum decreta peruertere, dum infantes in seruitutem detrudunt, adultos & nubiles inuitos in ergastulo detinent, egressos ad nouam rasuram, coniugatos ad cœlibatum, ad vxorum repudium, & abdicationem cogunt, quod & huic Concilio & aliis aduersatur. In Concilio Constantinopolitano statutum est, si quis sacris deditos, siue presbyteros, siue diaconos, siue subdiaconos à consuetudine & societate vxoris legitimæ auderet remouere, esse deponendum similiter si presbyter aut Diaconus vxorem suam religionis prætextu reiiceret, excommunicandum. Erasmus disertè & veterem monachatum, & virginum illarum & nostrarum conditionem diuersam pinxit, Rem tum mansisse integram: fuisse tum commigrandi & remigrandi potestatem: tum mansisse dulcissimum ac liberrimum otium: tum monachos hominum constitutionibus non fuisse astrictos, non certo cultus genere ab aliis distinctos, sed vestitum fuisse simplicẽ, aitque, Dolere se eò delapsam esse Christianorum pietatem, vt virginum integritas claustris ferreis & repagulis murorum sit extorquenda, cùm ea demum religio sit accepta Christo, non quæ vi extunditur, sed quæ vltrò à volentibus affertur. Ita quantum ista distent, quantum

6. synod. c. 13 in Trullo.

In vita Hier.

ibid.

noua ab antiquis, istorum rationes à nostris autoritatibus dissideant, ex his potestis augurari.

CAMPIANVS.

PORRO *Synodos aliorum temporum, nominatim verò Tridentinam eiusdem autoritatis ac fidei cum primis illis fuisse, quãdo vsus venerit, demonstraturum me spondeo atque recipio.*

HVMFREDVS.

ITERVM prodit ex Stoica schola Iesuitarum nouum Paradoxum, Posteriora Romanorũ Pont. Concilia & nominatim Tridẽtinum autoritatem parem & æqualem cæteris quatuor Oecumenicis primis obtinere, ideóque quatuor ipsorum Euangeliis adnumerat, & hoc se probaturum spondet, atque recipit. Audax sponsio, egregius conatus, magna hominis animositas & confidentia: si verbis vires, si masculo animo fœlix euentus respondisset. At magnifica promissa non semper fausto exitu comprobantur. Tridentinum Concilium placere Campiano, mirum non est, quia magnus partus est suorum patrum, in hac delira mundi senecta, & Actus vltimus ipsis Actoribus simillimus, & eiusdem scenæ amicis & spectatoribus gratissimus.

Concil. Trident.

Res mira non est ista si sic proloquar,
Ipsique nobis si placemus inuicem.
Pulchréque nati si videmur, Nam & cani

Diog. Laertius.

Pulcherrimus canis videtur, bos boui,
Asin asello pulcher est, & sus sui.

Duræus. Postulat à nobis Duræus argumenta, quare hæc Campiani de concilio Tridentino sententia refellenda & reprobanda videatur: afferamus sanè quædam hîc & plura deinceps, vbi erit locus cõmodior. Non est eadem Conciliorum quatuor & Tridentini autoritas, quia non est eadem veritas. Coactæ fuerunt illæ Synodi contra hæreticos, vt eorum praua dogmata euerrantur: ista contra Orthodoxos, vt eorum sana fides conuellatur. Nam ad illud Germani quidem inuitantur, non vt inquirant aut disputent, sed vt obediant & pareant. Et tamen Germanorum causa & rogatu omnem hunc laborem susceptum, omnem hunc cõuentum esse celebratũ, ipsi patres testantur. Petunt Germani vt verbum Dei & veteris Ecclesiæ praxis sint loco Iudicis, vt quæ ante ipsorum aduentum clam agitata sunt doctrinæ capita, denuò examinentur & retractentur, ne quid altera parte absente fiat, vt omnia legitimę cognitioni deferantur: patres non concedunt: respondet Pictauius, Scripturam non posse esse Iudicem sine interpretatione Concilij: Scripturam esse rem inanem, iudicis vocem accommodandam: se nimirum esse arbitros & sine vlteriori inquisitione audiendos. Confitentur Rom. quidem Pontificis amplissimam potestatem intra certos fines includendam, tempora ipsa emendationem requirere: quantum verò attinet ad doctrinam, Hunc esse certum & indubitatum sermonem, concilia errare non posse, hîc nullum se errorem agnoscere. Et planissimè scribunt ad Gallum se non conuenire, vt suam fidem in dubium vocent, aut censuris nostrorum Theologorum subiiciant, sed causa à Paulo tertio recen-

Sleidan. l. 14.

Paradoxa Tridentinorum de Scriptura & Con.

L. 23.

censetur, vt extirpentur hæreses, & illas hæreses ait vagari per Germaniam. In ipsa tamen legatorum ad patres hortatione, confitentur sua peccata, confitentur malis vndique Ecclesiam esse oppressam: ea mala esse innumerabilia, ea multitudine arenam maris superare, magnitudine ad cœlum vsque clamare. Cùm ergo iudicium & examen fugiant, scripturarum sententiæ, & Concilij ipsius disceptationi se nolint summittere, sua repetẽda & disquirenda esse negent, malorũ quibus Ecclesiam opprimi fatentur repurgationem nullam quærant, aliorum obedientiam & palinodiam solùm absque causa exigant: quæ spes esse potest reformationis, cùm à luce suas tenebras argui, cùm à Deo eiúsque verbo suas opiniones diiudicari recusent? Alia fuit Cõstantini & Episcoporum in Concilio Niceno mens aliud de Scripturæ autoritate iudicium, vnde omnes suas lites dirimendas cẽsuerunt, Alia patrum in Chalcedonensi Synodo sententia, aliud Imperatorum Valẽtiniani & Martiani edictum, Qui post semel inuentam veritatem aliud quærit, mendacium quærit, non veritatẽ. Ergo hæc tam longa & laboriosa post tot annos parturitio, quid nobis produxit? non veritatem, sed mendacia, Satisfactiones, purgatorium, Petri fictas claues, Exequias pro defunctis, cõfessionem auricularem, septem sacramenta, Missam, primatum, inuocationem mortuorum, aliaque multa, quæ in quatuor illis plenis & primis Conciliis non inueniuntur. In hoc Concilio isti qui volunt soli esse iudices: sine verbo, sine hoste, in vmbra secum disputant hoc modo: Gropperus etiam Germanus cõtra legem à seipsis datam Melanchthonem & Bucerum hæreticos esse dixit: Omnes debere laicos vna specie communicare, contra illud Ephesini Concilij, Ad

Act. 3.

Conc. Ephes.

» mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes corporis & pretiosi sanguinis » Christi. Concilium etiam hoc Tridentinum à Papa & suis conuocatum est: Bulla enim sic ebullit, De venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium cõsilio & assensu, hanc Synodum indicimus, annunciamus, conuocamus, Sed Concilij Constantinop. Patres aliter instituti aliter loquuntur, Constantinopolim secundum tuæ pietatis scriptum cõueniemus. Aliud » etiam sonant ad Martianum Archimandritæ, Suggerimus pietati vestræ, vt præcipiat vniuersalem fieri synodum. Concilium Tridentinum auspicatur Paulus tertius, In nomine patris, Filij & Spiritus sancti & beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum autoritate in terris fungitur: Concilium Constantinopolitanum ab oratione ad solum Deum sumit principium. In hoc Concilio Tridentino Iulij tertij indulgẽtiæ ad valuas templorum affixę sunt, non minus Tridenti quàm Romæ salutares, si quis Salutationem Angelicam & orationem Dominicã quinquies recitaret. Ex hoc Concilio exiuit & alius monstrosus abortus, in concione Franciscani, eos, qui Christi cognitionem nullã haberent, vitam tamen agerent honestè, salutem consequi. Deniq; vt vno verbo cõcludam, cùm reliqua Cõcilia quatuor, Christi doctrinam, naturam, personam, diuinitatem, gloriã asserant: eaque de causa in honore ac pretio haberi debeant: cùm Tridentini patres commentitias Papæ sui traditiones, eiusque regnum sacerdotale, sua & sanctorum merita & opera extollant, & Christo multis modis derogent: cùm nec Deo suã gloriã, nec eius verbo suã integritas, nec Imperatori sua autoritas salua & sarta tecta maneat: opinor abundè ex his elucere Concilium hoc

In Bulla Pauli tertij.

Imperat. conuocãt Conc.

In Epist. ad Marti.

In Epist. ad Theodos.

In sermone ex epist. ad Rom. c. 2.

hoc postremum illis prioribus Conciliis nulla ratione adæquandum, sed cum istis pugnare ex Diametro, siue congregantis personam, siue rerum quæ tractantur materiam, siue actionis modum, siue ipsum Conciliorum finem spectemus.

CAMPIANVS.

AVCTVS *igitur conciliorum omnium valido & exquisito præsidio, cur non ingrediar in hanc palæstram animo tranquillo & præsenti obseruaturus aduersarium quò se proripiat? Nam & euidentissima producam quæ distorquere non poterit, & probatissima quæ respuere nõ audebit. Fortasse verbosius obloquendo diem extrahere conabitur: sed ab intentis hominibus, si vos ego bene noui, nec aures nec oculos compilabit. Quod si quis erit omnino tam demens, qui se vnum opponat senatoribus orbis terræ, & iis quidem omni exceptione maioribus, sanctioribus, doctioribus, vetustioribus, libenter aspiciam illud os, quod vbi vobis ostendero, reliqua cogitationibus vestris relinquam. Interim hoc monebo: Qui pleno Concilio ritè atque ordine consummato momentum & pondus abrogat videri mihi nullo consilio, nullo cerebro, neque stultum in Theologis tardum, sed etiam in politicis inconsultum. Si vnquam Dei spiritus illuxit Ecclesiæ, certè illud est tempus immittendi Numinis, quum omnium Ecclesiarum quæ sunt in terris patentissimæ, religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas vnam in vrbem confluxerint, adhibitisque modis omnibus, diuinis & humanis quibus indagari veritas possit, promissum implorent Spiritum quò salutariter & prudenter sanciant.* Matth. 28. Ioan. 14.

Prosiliat nunc aliquis factionis hæreticæ magistellus, attollat supercilia, suspendat nasum, frontem perfricet, iudicesq; suos ipse scurriliter iudicet: quos ille ludos quos iocos dabit?

HVMFREDVS.

REDIT ad suum dialecticum artificium Campianus, Ex particularibus Conciliis vniuersaliter colligit: synodus Hierosolymitana, quatuor Concilia generalia, Concilium Tridentinum & aliorum quoque temporum aliquot nobis fauent, ergo omnium Conciliorum præsidio auctus sum, & ingrediar palæstram: producam euidentissima & probatissima, In hoc Concilio homines sunt doctissimi, Concilia plena sunt, Spiritus sanctus nó adesse non poterit: factionis hæreticæ magistelli omnium ludibrio exponentur. Quam multorum verborum congeriem licebit vno verbo refutare, si negemus omnia: Nam quando sex tantùm Concilia nominat solùm, & ex illis nullam probationem affert, nec vlla verba reponit, sed incertis citationibus locorum marginem replet, alia verò Concilia ne nominat quidem sed prætexit: quomodo generalis inde conficietur conclusio? Sed enim & illa priora Concilia nostra esse firmissimè demonstrauimus: quomodo igitur argumenti huius Antecedens vel prima pars consistet? Nec illa quæ animosè magis quàm verè dicuntur, probabunt, credo, nostræ Academiæ. Intersunt Concilio aliquot sancti, docti, aut plenú est Concilium, ergo hìc Spiritus sanctus illustrabit Ecclesiam, & omnia hìc salutariter & prudenter sancientur. Nam cùm tria sint genera Conciliorum, vniuersalia quæ à Papa, particularia quæ à Metropolitanis, Episcopalia quæ ab Episcopis congregantur: ad quæ procul dubio electissimi multi viri accesserunt: in illis certè, siue antiquioribus siue posterioribus errores multi defensi sunt, & propagati, quorum autor nunquam fuit Spiritus sanctus. De prouincialibus seu particularibus non dubitauit Alphonsus dicere, ea etiam in fide errare posse, sicut de multis talibus Conciliis compertum est: idcirco per generalia Concilia corriguntur: Et Augustinus perscitè scripsit, Vniuersum partibus semper iure optimo præponitur: Et idem pater non diffitetur etiam plenaria ipsa sæpe priora posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat sine aliquo typho sacrilegæ superbiæ. Equidé amplector quod dicit Campianus, Qui pleno concilio ritè atque ordine consummato momentum & pondus abrogat, eum videri nullo esse consilio, nullo cerebro, neque solùm in Theologicis tardum, sed etiam in politicis inconsultum. Iudicat idem August. Non facilè pro vno vel paucis aduersus innumerabiles eiusdem religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & vberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus ferendam esse sententiam. Sed tamen idem prudentissimè dixit, Nulla nos certè deterret autoritas à quærendo quid verum sit. Multi simul inepti unt sæpe, imò omnes semel insaniunt: & doctissimi delirant, & sapientissimi desipiunt, & sanctissimi decipiuntur, & vetustissimi fallúntur: vt in Cõcilio Niceno aliis Episcopis vnus Paphnutius fuit, Dei gratia, oculatior. Cæterùm ingrediamur palæstram, Primùm negamus hanc Campiani ad Concilium Tridentinum applicationem, negamus Concilium Tridentinũ fuisse ritè & legitimè

Errores Conciliorum. D. 17. Glo.

L. 1. c. 8 con. H.

L. 2. con. Donat. C. 9.

C. 3.

L. 3. c. 4.

C. 3.

congregatum, atque ordine consummatum: sicut historia indicat, & nos hactenus docuimus, & digito monstrabimus latius. In hac palæstra contendo & singularum prouinciarum, & omnium Christianarum Nationum Concilia non solùm in minimis & exilibus Spiritus sancti ope destituta errauisse, vt Duræus arguit, verumetiam in iis quæ vera esse ac Catholica fide ab omnibus credenda, ex instituto in Synodis decernuntur. Nam hoc vnum discrimen est quod à Duræo ponitur inter Concilia & Scripturam sacram: quòd hæc nihil habet tam paruum quod non sit verissimum, & à Spiritu sancto profectũ, illa in minutis errare possunt. Alterum verò discrimen quod statuit, erroris causa & offensionis lapis esse poterit, si obsequamur. Scriptores, inquit, sacri solanituntur diuina reuelatione. In Conciliis Patres ad inquirendam veritatem præsidiis quibusdam & mediis vtuntur, Dei verbum siue scriptum, siue non scriptum consulunt antequam indubitatam sententiam proferant. Qui sanè locus est lubricus si sequamur, & statera fallax, si sic argumenta expendamus. Nam qui præter Dei verbum scriptum, etiam non scriptis Traditionum, vel Ecclesiam Dei vel conscientias hominum, vel fidem Catholicani superstruit, non castè annunciat Euangelium, sed in multos errores irruat necessum est. Aliud discrimen animaduertere debuit Campiani patronus, de Scripturæ principiis non esse dubitandum vel disceptandum. Episcoporum verò etiam diligentissimorum & doctissimorum Concilia, quia humana sunt, & hallucinari possunt, examinari ad Scripturæ Lydium lapidem oportere. Hoc discrimen vidit Augustinus. Quis nesciat sanctam scripturam Canonicam tam Veteris quàm Noui Testamenti certis suis terminis

Duræus male distinguit & peius diuidit.

L. 2. cont. Donat. c. 2

terminis contineri, eámque omnibus posteriorib. Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris & per aliorum Episcoporum gratiorem autoritatem, doctiorúmque prudentiam, & per Concilia licere reprehẽdi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est. Ex quibus verbis in hac palæstra hoc telo vti possem, omnes literas & sanctiones omnium hominum, siue ab Episcopis, siue in Conciliis fiãt, & à vero deuiare posse, & debere posteriore cura elimari. Conuenerunt in vnum, in Carthagin. Vrbe Calendis Septembris, Episcopi plurimi, ex prouincia Aphrica, Numidia, Mauritania, cum presbyteris & diaconis, etiam præsente plebis maxima parte, lectæ sunt literæ Cypriani optimi & sanctissimi viri, item Iubaiani, censuerunt hæreticos ad Ecclesiam venientes, Ecclesiæ Baptismo baptizari, & sanctificari oportere: Credidit Cyprianus, crediderunt alii Spiritum sanctum assistisse. Et tamen spiritu papali non pronunciat aliis Anathema Cyprianus, sed quò vir peritior, eò humilior fuit, Supereſt, inquit, vt de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem indicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Errauit cum Cypriano totum Concilium, & tamen hoc tanquam verum, tanquam fidem Catholicam, ex instituto decreuerunt. Num propterea huic Anabaptismo subscribet Duræus? Certè Trullæa synodus recipit Canonem illum, in quo damnata est Cypriani Episcopi Aphricani sententia, vt

Ibid. Aug.

In hist. Syn. Nic.

Universidad de Deusto Biblioteca

ex Pſello refert Camerarius: & ita Concilium Concilio,& patres patribus ſe oppoſuerunt,nullus tamen ſapiens eos propterea dementiæ inſimulabit. Septima Synodus, Nicena ſecunda collecta eſt,ab Irene Imperatrice: in ea decretum factum eſt de cultu Imaginum: at quia ſuperſtitioſum eſt, quia illi trecenti quinquaginta patres à ſimplicitate & fide ſacrorum librorum receſſerunt, & cõuentus ille in ea tempora incidit, quibus totus Chriſtianiſmus in obſeruationes quaſdam à puritate religionis alieniſſimas & penè in Idolomaniam delapſus eſt:ideo actis illis nõ conſentit,erroribus illis non ſubſcribit noſtra Eccleſia: nec idcirco demens ſed prudens exiſtimanda eſt. Erat Synodus Epheſina ſecunda, ſed errauit & ληςεινὴ dicta eſt, id eſt, prædatrix & quaſi latronum conciliabulum: nec enim debuit aut potuit dici Cõcilium, vt ſcripſit Leo ad Martianum, quia ad euerſionem FIDEI fuiſſe conſtat agitatũ: agitque cum Pulcheria Auguſta, vt Eutychetis & prophanæ illius pſeudoſynodi errores in alia Synodo retractentur. Sicut etiam in Concilio Baalitico Micheas,in Phariſaico Chriſtus,in Hieroſolymitano Apoſtoli damnati ſunt: ita Antiochenum & alia nonnulla optimum virum Athanaſium condemnarunt. Niceni Concilij fides in Seleucia Aſpera, in publica ſynodo euerſa eſt, aliáque fides edita expræcepto Conſtantij,& ſummatim decem Concilia contra hãc fidem ab Arianis celebrata numerantur. Itaque Petrus à Soto & alij qui negant Spiritum ſanctum non permiſſurum Concilia errare, ipſi in eo errant grauiſſimè.Hæc reſpexit indubiè Gregorius Nazianzenus, cùm Epiſcoporum omnes cœtus fugeret, quia expertus eſt Synodorum infœlices exitus. Diximus de Concilio Chalcedonenſi, tamen in publico

Tõ.Cõ.1. Epiſt.41. Epiſt. Leon.24.

Summa Concil. Epiph l.3. Tom.1.

Ad Procopium.

publico congreſſu fuerunt,qui ei reſtiterunt, qui Neſtorij reliquias quæſiuerunt, qui dixerunt, Quare Anathemate damnandi ſancti? Nulla ex Conciliis fides certò fundari poterit, ne in Niceno quidem: Nam Patres qui de eſſentia & Maieſtate Chriſti & de ſymbolo toto Catholicè ſenſerunt, iidem de militia non ſatis rectè iudicarunt. De papalibus Conciliis quid dicam? Errorem ſynodi Nicenæ ſecundæ iam oſtendi: quid de Baſilienſi ſcribunt ipſi Pontificij? Cochlæus licèt putet reuera non poſſe eſſe ſimul duo vniuerſa Concilia, tamen ſic ſcribit, graue illud tempus fuiſſe piis mentibus quod ſimul & ſemel habebat duo Oecumenica Concilia: vnum Baſileæ, alterum Florentiæ, & duos Romanos Pontifices, Eugenium quartum & Felicem.Quæ pax?quæ vnitas? Clemingius narrat Scholaſtico Pariſienſi de Actis Piſani Concilii multos ambigere,quò non tam ſchiſma ſublatum erat,quàm auctum & corroboratum. Quæ concordia?? Quid ergo nobis venditant ſuum Tridentinum Concilium quantumuis generale, quaſi Catholicum,quaſi omni errore liberatum? Addamus iſtis,illa quatuor Concilia prima omni errore non carere: imò illud Hieroſolymitanum omnino valere non poſſe, ſi verum eſt quod in ſuis decretis habent, Concilia ſine autoritate Papæ congregata eſſe irrita, & nullius roboris, vt Symmachus & alij decreuerunt. Nam Petrus tum in Synodo Hieroſolymitana Apoſtolus erat,non Romanus Epiſcopus:& quatuor Concilia non Papæ ſed Imperatores indixerunt. Quid de Synodo Conſtantienſi memorabo? Illa tempore ſchiſmatis coacta eſt,tribus Papis de pontificatu decertantibus: illa præclariſſimus heroas Ioan.Huſsium & Hieronymum Pragenſem com-

In hiſt. Huſsitarum l.9.

In diſputat.cum Schol. Pariſ.

D. 17.

busit,illa laicis vnam speciem abstulit: illa VVicleuum nostrum etiam mortuum cæco zelo condemnauit: illam non tam Romanus Pontifex aliquis quàm Imperator Sigismundus conuocauit. Vesselus aiebat,summorum Episcoporum plerosque pestilenter errauisse, vt nouissimis diebus in Constantiæ celebri Concilio, Benedictus, Bonifacius,& Ioan.vicesimus tertius grauiter FIDEM lacerarũt.De patrũ sessionibus,decima sexta,decima septima,decima octaua in eo cõcilio Carãza dicit nihil eas habere lectione dignũ.In Paralipomenis Abbatis Vrspergensis habetur,hìc nõ tot sanctos,tot Doctos,tot orbis Christiani senatores comparuisse, sed huc mulieres publicas quadringentas quinquaginta, Barbitonsores sexcentos,ioculatores,fistulatores,cocos,eiùsque farinæ homines tercentos viginti conuolasse. Hic „ si prosiliret aliquis hæreticę factionis magister, „ annon rectè posset attrollere supercilia, & na„ sum suspendere, & tales iudices scurriliter iudicare, eósque ludos & iocos facere? Omitto ineptias & deliramenta concilii Neocæsariensis de secundis nuptiis, quibus non debẽt scilicet presbyteri interesse:item concilii Hilerdẽsis impiam „ constitutionem, Non oportere à septuagesima vs„ que ad Octauam Paschæ & tribus hebdomadi„ bus ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, & „ ab aduentu Domini vsque post Epiphaniam nuptias celebrare, Quod si factum fuerit,separẽtur. Cõ.Oxõ. Ad nostra Concilia referat se oratio, Oxoniense „ concilium vobis,Academici,quale videtur? Auto „ ritate Dei patris & beatæ virginis & omnium san „ ctorum,&c.excommunicamus.Dubitari profectò potest hìc, vtrum Spiritus sanctus tum Ecclesiæ illuxerit,cùm loco Christi & Spiritus sancti beatæ virginis nomen sine lege,sine exemplo, fuerit suppo-

Test.verit.f.220.

Pag.404.

C.31.q.1.

C.33.q.4.

situm. Tali exordio conueniunt decreta concilij, Concubinæ sacerdotum admoneantur ab Archidiacono, vt castè viuant, si non resipuerint, prohibeantur osculari pacem, & accipere panembenedictum in Ecclesia. Iniquissima sanè istorum hominum censura, vt coniugatos in Domino ministros seueriſsimè plectant, & concubinariis adeò tenerè imò temerè indulgeant. Meritò Wicleuus noster Synodum in qua indigniſsimè tractatus est, in qua doctrina eius iniustè exibilata est,Terræmotum appellauit. Hunc Terræmotum in concilio Basilienſi depinxit Cardinalis Arelatensis , cùm turbæ & tumultus exorirentur, strepitus, & vbique iurgia audirentur, liberè dixit, Nempe si sic proceditur , nequaquam fas erit integris hac prouincia exire capitibus. Quæ hìc charitas ? Hoc hoc illud est, quod viri sapientes animaduerterunt semper, & deplorarunt , nec veritatis inuestigandæ , nec pacis publicæ causa Papistas congredi. Elegans & facetum est quod refertur de legatis quorundam principum, qui rogati quænam esſet catastrophe comitiorum Spirensium, responderũt, Minus pecuniæ,multum peccatorum, plus inquietudinis. Istiusmodi patribus credendum nobis est, in casu conscientiæ, in causa salutis? ab horum ore aut oracuio pendebimus? An ista sunt quæ in sua palæstra Campianus obiiceret? Ista sic euidentia sunt, vt nemo nostrum distorquere possit , sic probata vt nemo resipuere audeat? Innumerabilia sunt in Lateranensi, Florentino, aliisque Conciliis errata, sed prætermitto ne nimis molesta sit prolixitas.

In Const. Edmundi Cantuar. Archi.

Sess.19.

Abb. Visp. f.494.

CAMPIANVS.

Li. de Ca. Babyl.

Mart. Kēnilii examen Cō. Tridentini.

REPERTVS *est Lutherus qui diceret, anteferre se Conciliis, duorum suffragia bonorum & eruditorum hominum (putatote suum & Philippi) si quando in Christi nomine consensissent. O circulos. Repertus est Kemnitius qui Concilium Tridētinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit: quid lucratus? infamiam. Dum iste, ni caverit, sepelietur cum Arrio, Tridentina synodus quò magis inueteraſcet, eò magis indies eóque perennius efflorescet: Bone Deus, quæ gentium varietas, qui delectus Episcoporū totius orbis, qui Regū & Rerūpublicarū splendor, quæ medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lachrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & studiorum diuitiæ, augustum illud sacrarium impleuerunt? Audiui ego Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiscopum Pragensem, à quo sum creatus presbyter, amplissimos & & prudentissimos viros, quòd in ea schola hæsissent aliquot annis: vt nullum Ferdinandi Cæsaris, cui multum debuerāt, regalius & vberius in se beneficium colerent, quàm hoc fuit, quod in Tridētino gymnasio, legati ex Pannonia consedissent. Intellexit hoc Cæsar, qui reuersis ita gratulatus est:* ALVIMVS VOS IN SCHOLA OPTIMA.

HVMFREDVS.

Defensio Lutheri de con.

NVNQVAM repertus est Lutherus suum & Philippi

lippi Melāchthonis suffragium Conciliis anteferre: tamē si in Christi nomine cōsentirēt, cur priores ferre duæ illæ egregiæ domus diuinæ lāpades, cur Cōciliis impiorum & cōgregationi malignorum præponi non debeant, equidem non video. In hoc loco modestissimè loquitur de se, itaque illa Campiani parenthesis (*putatote suum & Philippi*) omnino quia falsa est, delenda est. De se ita, In his, inquit, nihil definio. De aliis sic, Sola autoritate Papæ aut Episcoporum hîc definiri nihil volo, sed si duo eruditi & boni viri in nomine Christi cōsentirent, & in Spiritu Christi pronūciarēt, eorum ego iudicium præferrem etiam Cōciliis, qualia nunc solent cogi, tātùm numero & autoritate, citra eruditionem & sanctimoniā iactata. Intelligitis ne, de quibus viris, de quibus Cōciliis, & quā ta cautione suam opinionem proferat? Hęc decurratio & deprauatio verborum in hac Iesuitarum schola nimiū vsitata, satis euincit, ad quas absurditates eos mendax spiritus abripiat. Habet quidē Lutherus complures ibi præclaras sententias, quę dignę sunt & laude & memoria, vt, Sæpius errauerunt Concilia, præsertim Constantiēse, quod omnium impiissimè errauit: Id enim solum est fideliter probatum, quod ab vniuersali Ecclesia, nō tātùm Romana, approbatur. Suprà etiam, Metuēdum est, nusquam minus de fide & Ecclesia esse, quàm in sacerdotibus, monachis & Episcopis, & eos ipsos esse reuera gentiles & hypocritas, qui se Ecclesiam aut cor Ecclesiæ, item spirituales & rectores Ecclesię arbitrātur, cùm sint nihil minus, Et paulò superius, Dico itaque, Neque Papa, neque Episcopus neque vllus hominum habet ius vnius syllabę constituēdæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu: quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. Hæc fortiter & verè

De Cap. Bab.

An semper plures sint prudētiores paucioribus.

dicta sunt. Gerson non dissentit, Non potest (Episcopus) in eos obligationem ferre, quos non habet in iurisdictione subiectos. At Papa ipse summus Episcopus in Lutherum & Lutheranos nullum ius habuit, in regnum Angliæ nullum imperium obtinet: cur ergo audet nobis toties bullis & bellis negotium facessere? cur Regiæ Maiestatis subditis imperat? cur illis leges dictat? cur illos ab obedientia auocat? Nec modò Gerson iste &

Li. 3. con. Donat. ca. 4. Panormitanus consentiunt, verùm etiam Augustinus dixit similia: qui non solùm duos sed vnum præfert hominibus pluribus. Fieri potest vt in obscurissima quæstione verius pluribus vnus paucisue sentiret. Similiter & Arelatēsis asseuerat in Cōcilio nō dignitatem patrum, sed rationē, imò veritatem ante omnia spectādam: se nullius Episcopi mendacium, quantumuis ditissimi veritati pauperis presbyteri præponere, cuius rei exēpla quędam apponit. Similis est Æneæ Syluii fortitudo,

In Con. Bas.

Ab. Vrsp. pag. 412. Si quando aduersus Euangelicas Traditiones aliquid astruitur, surgendum populariter est, & ad commune restinguendum incendium, afferre aquam omnes tenemur, &c. Resistendum est, quibuscunque in faciem, siue Paulus, siue Petrus sit, qui ad veritatem non ambulat. Nec dissimile est quod dixit Vesel us, Concilium Constantiense pluris fecisse Ioan. Gersonem quàm Ioannem vicesimum tertium Papam, olim pios magis obseruasse Bernardum quàm Pōtificem Romanum Eugenium. Quare nec ex numerò hominum, nec ex personarum celsitate, sed ex causæ veritate omnia sunt æstimanda. Qui Lutheri binario numero eruditorum & verè spiritualium hominum offenduntur, recogitent quomodo Erasmus vnum multis religiosis prętulerit, Vnius oppiduli, vnius vici pastor, qui rectè suo fungitur munere, multis Carthusianis, multis Brigittanis anteferendus est. Re-

Vnus interdum multis præferendus.

In Eccles. hist.

cogitent quid de vnius hominis eminentia supra Concilia Albertus Piggius scripserit, Papæ sententiæ standum per omnia, adeò vt ad explicandas controuersias ne Concilijs quidem opus sit. Recogitent quid Caietanus in illo suo cum Luthero congressu effutiuerit, Pontificis Romani dignitatem prædicans, omnibus eum scripturis & Concilijs anteponens, & Concilii Basiliēsis quod diuersum statuisset, abrogationem recitans, Gerson etiam quoque Parisiensem, & alios eius sentētiæ approbatores damnās. Etenim Gerson etiam hac in causa Luthero suffragatur, vnum pium literatū Papæ ipsi prępones his verbis, Quòd aliquis simplex nō auctorizatus esset tā excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinali suæ affectioni quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Euangelio quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nesciret vel vltrò erraret, putet cuius præferendum sit iudicium. Duræus hanc primam Gersonis veritatem omnino præteriit, & ad secundam trāsiliit, quò Whitakerum iniustè carperet: cùm tamen veritatis vtriusque sensum optimè & synceriſsimè referret. Est enim illa altera veritas consimilis, Talem eruditum debere se generali adeò Concilio opponere, si sentiret maiorem eius partem ad oppositum Euangelij malitia vel ignorantia declinare, eiusque exemplum profert Hilarium. Pigii verò aliorúmque Papæ Gnatonum blandam orationem idem Gerson reiicit, Determinatio solius Papæ in his quæ sunt fidei non obligat. Et mox, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Cui legi haud dubiè subest Papa: licet hactenus MVLTIS hæc veritas non placeret,

Sleid l. 1. Com. De Exam. Doct. P. 1. cons. 5. Defensio Gers. con. Caiet. & Duræum.

„ propter inordinatum fauorem ad ſummum Pon-
„ tificem, vel ſcripta ſua malè ſuſcepta, plus quàm
„ ad Chriſtum & Euangelia. Et in prima Conſide-
„ ratione, Perſona quælibet ſingularis de Eccleſia
„ cuiuſcunque dignitatis, etiam papalis circumda-
„ ta eſt infirmitate, & deuiabilis eſt, vt fallere poſ-
„ ſit & falli. Hæc Gerſon dixit animoſè & probauit
neruoſè, ideóque non miramur, ſi ei Caietanus &
Duræus parum honoris deferant. *Imperitè admo-*
dum Gerſonem Concilij Conſtantienſis moderatorem
Defenſio VVhit. con Duræum. *VVhitakerus appellat*, inquit Duræus. Qui ſtudij
Pariſienſis Cancellarius, & ab eo & à Rege Gal-
liarum legatus ad concilium Conſtantienſe miſ-
ſus eſt, qui diſputando, prædicando tot ac tanta
præſtitit, vt, publica fama teſte, dictus ſit Chri-
ſtianiſſimus Doctor, quòd humanas conſtitutio-
nes ad Chriſti legem reduceret & reformaret,
qui, vt iam dictum eſt, à quibuſdam in concilio
Conſtantienſi, Ioanni Papæ prælatus eſt, qui di-
ligentia incredibili, ſaniſsima doctrina, vehe-
In vita Ioa. Gerſ. mentiſsima vi dicendi, Patres mouit, confirma-
uit, quid facto opus eſſet, apertiſsimè monſtrauit,
qui ad mutuã animorũ cõiunctionẽ induxit, qui
tantũ effecit pro cõmuni pacis, quæ exulauit illo
ſchiſmatis tẽpore, recõciliatione, vt nõ minus ne
ceſſarius fuiſſe videatur illi ſuę calamitoſę tẽpeſta
ti, quã olim glorioſiſsimus Doctor Auguſtin⁹ æra
ti ſuę Pelagianorũ hęreſi cõtaminatę, qui Acade-
miã prudẽter rexit, legationes multas honorificè
in cauſa religionis obiuit, qui incrementũ & de-
corẽ regni Gallici ſicut alter Leodegarius appri-
mè dixit: cuius ſcripta plurima, Homiliæ, ꝓpoſitio
nes. Apud Anglos in cõcilio Piſano & de huius
Cõſtãtiẽſis cõcilij materia extãt: ánnõ merito ſuo
Defenſio Kemniſij. concilii Conſtantienſis Moderator dici poterit?

REPERTVS EST KEMNISIVS, inquit Cam-
pianus, QVI TRIDENTINVM CONCILIVM AD

SVOS VERTIGINIS IMPORTVNÆ CALCVLOS EXEGERIT. Kemniſio cur denegat id Campia-
nus, quod omnibus & Dei verbo & omnium ex-
emplo in libera Eccleſia nunquam non licuit? Si Matt. 16.
Phariſæi fermentum doctrinæ habent, Chriſtus
iubet cauere: ſi quid præter doctrinam traditam
affertur, Paulus monet conſiderare: imò quan- Rom. 16.
tumuis eſſet ipſe paulus aut Angelus. Et ſi rectè Gal. 1.
dictum eſt, Omnia probate: rectè facit qui ei di-
cto paret, & qui probat & examinat etiã Cõcilia.
Cur enim non liceat Kemniſio quod aliis? Licuit
Clemingio liberius de Concilio Piſano ſcribere.
Licuit Pariſienſibus quadam Parrheſia vti aduer- Errores Con.
ſus Romanum quoddam Concilium. Licuit Pa-
normitano dicere audacter, Concilium errare po
teſt, ſicut aliàs errauit in cauſa matrimonij con-
trahendi inter raptam & raptorem, quando di-
ctum Hieronymi fuit toti Concilio prælatum. De
libera voce Nazianzeni contra omnes ſynodos,
& Paphnutij de Niceni Concilij Patribus quos
pro ſua ſapientia correxit, & pro autoritate ali-
ter direxit, paulò antè diximus. Et non licebit
Kemniſio Tridentini Concilij examẽ edere? Edi-
dit ſanè opus adeò arte limatum, ſtudio elabora-
tum, autoritatibus ſpiſſum, rationibus firmum,
vt eum non vertiginis ſpiritũ correptũ ſed à Deo
inſpiratum fuiſſe, & non infamiam ſibi ſed glo-
riam, non ſepulchrum cum Arrio, ſed manſionem
cum ſanctis in æterno Tabernaculo comparaſſe
omnes boni & moderati homines iudicent. De Con. Tridentino Florido ſeu ſpinoſo.

Quò facilè vno verbo quaſi vno ſpiritu expiret
Kemniſius, exclamat ilico Cãpianus, *Bone Deus*,
ſuſpiciens nimirum & admirans Cõcilij Triden-
tini ſplendorem, Patrum multitudinem, varieta-
tem gentium, medullam Theologorum, flores
Academicos, eorũ lachrymas, ieiunia. Equidem
vt aliquot Patres doctrinæ & ſanctitatis quadam

Universidad de Deusto
Biblioteca

specie decoratos adfuisse non negauerim: ita tamen vt fit, maiorem partem fuisse peiorem auguror: quod in eo multum temporis consumptum est: & tantæ molitionis nullus successus Ecclesiæ vtilis est consequutus. Audiuimus ibi clamores, rixas, discordiam. Audiuimus Hispanos, Neapolitanos, Siculos actionem illam continuare voluisse: Pontificios autem, quòd eos emendationē curiæ Romanæ conari suspicarentur, omnia quæ poterant impedimenta intulisse. Audiuimus istos sanctissimos senatores orbis, Episcopos, nonnullos in adulteriis enecatos, è fenestris suspensos, & productos in publicum orbis spectaculū: quos ego, non Synodi flores, sed potius vrticas nominarem. Audiuimus multos annos effluxisse, dum pars Tridenti, pars Bononiæ altercatur: Hoc tempore Paulus & Iulius Papæ, Cardinales aliquot, aliique complures vitam obeunt. Iudicia hic sua Dominus exercuit mirabiliter, ita vt Crescentius legatus Pontificius, qui Protestantes ne audire quidem sustinuit, qui medicum quendam pium libros Wirtenbergicæ professionis euulgantem increpauit, repentina & monstrosa morte sublatus fuerit. Visus est enim ei canis ater tanquam Diabolus, ad ipsum rectà contendens, mox sub mensa latitās, dum ille ad Pontificem scribit literas, famulos inclamat, adferri lucernam iubet vt canem quærant, sed inueniunt nusquam, quo nocturno spectro perterrefit, ægrotat, desperat, furit, moribundus suis acclamat, vt canem illum nigrum, quem lectum suum putauit conscendere, enecarent, moritur. Si ista deliria passus fuisset Lutherus, si isto vertiginis aut desperationis spiritu percussus & vexatus fuisset aut Caluinus aut Kemnisius: omnes istorum Pontificiorum libri, chartæ omnes illinerentur, & istiusmodi narra-

Crescentij legati Papæ misera mors Sleidan. l. 23.

narrationibus refercirentur. Hic præcipuus fuit Concilij Tridentini flosculus. Memini legisse me sæpius de Clemente septimo Papa, qui Cardinalis primùm creatus, homo planè illiteratus, literas demum latinas cœpit discere. Hi plerumque sunt præsides & Iudices Conciliorum: hi sunt flores imò moderatores orbis Christiani, sine quorum autoritate & suffragatione nulla Concilia celebrari aut coire, nedum determinari aut dissolui possunt. Estnè hoc vel rationi consonū, vel ab ipsa, quam iactitant, antiquitate petitum? Polydorus Virgilius inficiatur, Item vt nullum conuentum indici, nullumque à quibusuis actum haberi ratum liceret, sine Romani Pontificis autoritate, Marcellus primus sanxit, deinde Iulius & Damasus & Gregorius illud idem statuêre: Hinc nuper Carolus Imperator verè Heroicus, quem in Papatu non paucæ deformitates offenderunt, qui reformationem cleri Romani sæpe instituit, à Papa obiurgatur, quasi obliuisceretur se Ecclesiæ esse filium, & Domini nomen vsurparet. Itaque dum solus omnia sumit & arrogat, & Imperatoribus tanquam mancipiis suis abutitur: dum ipse & rei & Iudicis personam induit, dum facit omnia, perturbat omnia. Prouidit olim hoc malum Franciscus Zarabellus Cardinalis Florentinus, ac propterea infinitam Papæ Romani potestatem intra certos cancellos includendam ratus, suasor autorque fuit, eum in futuro Concilio astringendum esse, vt non possit nisi quod liceat. Et qui tandem sunt isti Concilij Tridentini flores? Sunt flores, sed fructum nullum afferunt, flores sunt qui marcescunt, flores sunt qui ad tempus aliquod virescunt & blādiuntur. Flores sunt, Papa non omniū semper vir optimus, licet nomine sit Pontifex Maximus,

Clemēs. 7

Polyd. de Inuent. rerū l. 8. c. 5.

" Origo primatus Papæ in Conciliis quādo? à quibus?

Flores Cō. Trid.

& Cardinales & Abbates & Fratres Minores, & ordo Eremiticus Diui Augustini, & ordo Fratrum Seruorum, & Officiales, Notarij, Cantores, Cursores, & ad extremũ Thomas Oyerloith Episcopus Hibernicus. Iocatus est seriò olim nomine Hardingus pro Concione temporibus Regis Edouardi de hoc Concilio Tridentino, non potuisse esse plenum & generale, donec ex nescio quo loco obscuriore aliquis syluester & agrestis Pontificulus, veste vndulata & viridi, quantum memini, indutus ad cõcludendum & subscribendum aduolaret. Sicut olim de alio Concilio dictum est, non minus iocosè, Illud nec floridum nec generale fuisse, quia scilicet magni nominis vir Abdysus, qui illuc ex vltimis Assyriis venire decreuerat, in via nescio quo fato retardatus non poterat accedere. In hoc autem Concilio Tridentino ego recenseri fateor nomina quorundam eruditorum hominum, in Catalogo legatorum & Theologorum, sed animaduerto etiam duo remoramenta, alterum quòd iurati non audent Papæ contradicere aut renuere, alterum quòd Cursor ille Pontificius equis celeribus Romam petens, semper papali sanctitati nunciat quid factum sit à patribus, & reuersus per literas mandata & dictata affert Roma, ad legatum suum, quid fieri & perfici debeat. Ortum est hinc prouerbium celebre, Spiritum sanctum Romam subinde Tridentum venire inclusum manticæ.

Hardingi iocus de istis Tridenti floribus.

Prouerbium de Cõ. Trid. Spiritu S. Sleidan. l 22.

Quorsum autem istæ Campiani Rhetoricę nugæ, de tot regionibus, principibus, Episcopis? Iterum denuncio argumentum à Multitudine ductum non multum valere: & cum Gersone dico, O fallacissima & hæreticis atque erroribus fauens calumnia, Non sequeris, inquit lex, Multitudinem ad faciendum malum, quare? quòd stultorum & etiam malorum infinitus est numerus. Hæc ille respondet ex parte Regis Franciæ dicentibus assertiones suas plures habere defensores quàm oppugnatores, & idcirco veras esse vel saltem opinabiles. Quod autem subdit idem Cãcellarius, se habere plures atque maioris autoritatis viros, in illo Concilio & alibi, sicut inquit, de Anglicana natione fertur, quæ nondum consensum suum præbuit, & sic de reliquis: id ostendi poterit in Tridentino Concilio, Iesuitam hunc frustra & friuolè allegare multitudinem, cùm narrat tot Monachos, tot scholasticos, tot legatos, tot infimæ sortis homunculos adfuisse, quasi ex his Oecumenicum Concilium esset nominandum.

Argumẽtum à numero. In propos. in Concil. Const.

Sed Campianus Antonium quendam citat testem, & Ferdinandum Cæsarem asserentem Tridentinum Concilium scholam fuisse optimam: sed non intellexit Imperator bonus & simplex, istius scholę astutiam & artificium, non intellexit in hac schola quas fraudes & fucos, quas competẽdinationes, & hæreses, quos nouos Anathematismos contra Christianam Ecclesiam & didicerint & docuerint. Andreas Fricius Regis Poloni Secretarius, & in hoc Concilio legatus designatus liberrimè dixit, De Concilio hoc Tridentino pudet tædetque loqui. Fuit autem iste Campiani Pater & Consecrator, quantum ex actis Concilij colligere possum, Antonius de Muglitio, Moranus, Orator Cæsaris, Archiepiscopus Pragẽsis, à quo se presbyterum ordinatum & vnctum noster Campianus gloriatur. Sed non est bona hæc gloriatio: Augustinus, Nemo dicat, illũ sequar, quoniam ipse me Christianum fecit, aut illum sequar, quoniam me baptizauit. A bonis ministris in Sa-

Schola optima.

Andreas Fricius.

cramento vel in verbo regenerari malum nõ est. Basilius tamen loquens de Voce, (cum Spiritu sancto) hoc modestè profiteri potuit. Ipse quidẽ, „si quid de me propriè loquendum est, vocem hãc „tanquam hæreditatem paternam conseruo, acce„ptam à viro multo tempore in seruitio Dei ver„sato, per quem & baptizatus sum & Ecclesiæ mi„nisterio admissus. Non eodem modo hoc dicant Romanistæ, quia sunt à tali sacerdote in tali formula fidei vel Baptizati vel ordinati: in quorum Sacramenta & ordines multi inepti ritus & errores tanquam in sentinam confluxerunt. Audétne hoc dicere aut hoc iactare Campianus? Quid? Illéne Gampianus, qui non diu antea Gloceſtriæ ordinibus sacris nostro ritu & more, ab Episcopo Richardo Chenæo initiatus est, qui & Oxoniæ in disputando, & Londini in cruce Paulina concionando nostram Religionẽ profiteri se velle mihi sanctissimè recepit, illéne qui à me gigni, & meus in Theologiæ gradu filius esse cupierat, illéne inquam, velis & ventis aliò versis nauigauit ad exteros, vt nostrum hunc characterem Euangelicum deleret, & nouum indelebilem suo vertici imprimeret? vt nostro ministerio seu diaconatu relicto, nouum Missaticum sacerdotium susciperet? O circulos, clamat Campianus: ego verò multò verius hîc, O circulatorem! O circumforaneum, omnes circulos adeuntem, omnes angulos quærẽtem, omnes terras obeuntem, vt nouis suis ordinationibus se popello cuicunque prostituat!

cap. 29. de Spiritu sancto.

Cãpianus Diaconus Gloceſtriæ inſtitutus.

CAMPIANVS.

Huc inuitati fide publica cur non properarunt aduersarij, vt eos palàm refellerẽt, in quos ranunculi coa-

culi coaxant è cauernulis? Hussio & Hieronymo fregere fidem inquiunt. Qui? Constantiensis Concily proceres. Falsum est: nullam enim dedere. Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus quas scripto pepigerat cum Cæsare vim omnem illius diplomatis eneruasset. Fefellit Hussium præcipitata malitia. Iussus enim, cùm barbaras in suâ Boemia tragadias excitasset, semetipsum sistere Constantiæ, despexit prærogatiuam Concily, securitatem petiit à Cæsare, Cæsar obsignauit, Christianus orbis resignauit, maior Cæsare, redire ad mentem hæresiarcha noluit, periit. Hieronymus verò Pragensis furtim venit Constantiam, protectus à nemine, deprehensus comparuit, perorauit, habitus est perbenignè, liber abiit quò voluit, sanatus est, hæresim eiurauit, relapsus est, exustus est. Quid toties vnum exemplum de sexcentis exagitant? Repetant annales suos. Martinus ipse Lutherus, odium Dei & hominum, Augustæ positus coram Cardinale Caietano, nónne quod potuit, eructauit, & Maximiliani literis communitus excessit? Idẽ accitus VVormatiam, cùm & Cæsarem & plerosque Imperij principes haberet infensos, nónne Cæsaris verbo tutus fuit? Postremò Lutheranorum & Zuinglianorum capita, præsente Carolo quinto Hæreticorum hoste, victore, Domino, nónne datis induciis, cõfessiones suas toties innouatas exhibuere comitiis Augustanis, & sospites abiere? Haud secus, literæ Tridentinæ locupletissimas aduersario cautiones prouiderant: vti noluit,

Hieron. Prag.

Anno 1518.

Anno 1521.

Augustana Confessio.

Vide acta Cõ. Trid.

Nimirum se iactat in angulis, in quibus vbi triá verba Græca sonuerit, sapere videatur: abhorret à luce, quæ literatorum in numero poneret, & ad honesta subsellia deuocaret. Catholicis Anglis tale chirographum impunitatis impetrent, si diligunt salutem animarum. Nos Hussium non causabimur, in curiam, verbo Principis innixi, conuolabimus.

HVMFREDVS.

DICTVM est à Campiano de Concilii Tridentini laudibus: nunc quæstionem mouet quare nos eò non venerimus? Respondeo, nos Papam non agnoscimus, neque eius Dominio subiicimur: neque causam vllam videmus, cur Serenissima Regina Angliæ exteræ potestati & aduersariæ & suo nomine contra veterē Canonem synodos conuocanti, cur tali seruo seruorum libera pareat. Et hæc Campiani vanissima quæstio iamdudum soluta est in Ecclesiæ Anglicanæ Apologia, quæ plus minus sex rationes attulit, cur Angli non venerint ad Concilium: & eas sic Hardingus numerat, & tamen illas omnes sicco pede transiit Campianus, & aliam quandam reddit causam nostræ absentiæ, & tanquam responsionem nostram apponit, conatúrque refellere sed frigidissimè, vt mox videbimus. Sed nec valde curauit, nec expressè vocauit nos ad Concilium Pontifex, Germanis potissimum hæc destinata fuit legatio. Nunc argumenti partes omnes aspiciamus, & quæ verbosius à Campiano dicta sunt, colligamus, & redigamus in aliquem ordinem & gyrum dissolutas eius propositiones, eáque multa in pauca conferamus. Nostris hominibus Pro-

In Apol. par 6. c. 8 diuis. 1.

bus Protestantibus, inquit, publica fide cautum semper fuit, nempe Husio, Hieronymo in concilio Constantiensi, Luthero, Zuinglio, VVormatiç, Augustæ, & eadem cautione tunc quoque in Tridentino concilio prouisum fuit, cur ergo inuitati tanto securitatis munimento ad illud se conferre recusarunt? Quæ omnia sunt vanitate ipsa vaniora, nec vllo planè veritatis fundamento nituntur. Nunquam enim nostri legitimè vocati adesse in liberis conciliis aut vllis conuentibus detrectarunt: & quantumuis *ranunculi* è cauernis semper prorepsimus. Si Campianus veteres legisset, & eorum expositiones allegoricas obseruasset, aliter ranarum significationem accepisset. Vincentius ranas vocat magistros illos qui suum Coax strident, & Dei voces non resonant. Primū enim, quid Dei ministros docere & promulgare oporteat, hæc eius verba significant; Adnunciare ergo aliquid Christianis catholicis præter id quod acceperunt nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit: & anathematizare eos, qui adnuncient aliquid præterquam quod semel acceptū est, nunquā non oportuit, nusquam nō oportet, nunquā nō oportebit. Quid ranúculi cōtrà faciāt, hæc declarant, Contrà reclamāt ranæ quædam & cyniphes & muscæ morituræ, quales sunt Pelagiani, & hoc Catholicis: Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis. Istæ profectò sunt Coaxationes tanarum Romanarum, quæ nos à maiorum institutis, à Decretis Christi & Apostolorum ad suas nouas constitutiones & inuentiones & expositiones conantur abducere. Caput autem causæ & iugulus quem tangere voluit Campianus, est nostros Protestantes subterfugisse: quod iterum dico esse falsissi-

Aduersus Hæreses.

Ranunculi Romanen ses.

mum. Venit Ioannes Hussius & Hieronymus Pragensis, venit Lutherus & alii, quomodo ipsemet narrat & fatetur Duræus ad hoc Concilium venisse Wittembergenses ministros. Ergo quomodo refugerunt, quomodo è cauernis coaxarunt, qui cum aduersariis pedem sæpe contulerunt? cõuentus multos habuerunt? articulos Smalcaldicos, Augustanam Confessionem & Apologiam edi-
Sleid. l. 23. derunt? Sphynga interim vulgò dictam constituerunt? in aprico & in sole & ser& Ecclesiam suã collocarunt? Tridentum etiam venerunt Mauriciani Theologi, legati principis Wirtenbergici, & D. Brentius Confessionem suæ doctrinæ obtulit, Venit Ioan. Sleidanus & alii Argentinenses, quibus se coniunxerunt Elsinga, Rauesburgum, Lindania &c. vt omnes communi consensu agerent causam Christi, si audiri potuissent. Sed de eo pòst dicemus suo loco: primum exemplum ab eo adductum videamus, quomodo probet illam propositionem de libertate nostrarum Ecclesiarũ &

Securitas oblata in Cõ. Cõst. Hussio & Hier.

Theologorum in curia & Synodo. Nostri dicunt non esse tutum venire ad concilium Leoninum, quòd vestigia aliorum terreant, quòd patres nostri I. Hussius & Hier. contra fidem datam in concilio Constantiensi exusti fuerint. Affirmat Campianus esse falsum: *Non*, inquit, *fregere fidem, quia nullã dedere*. Qui affirmat, nõ statim cõfirmat. Imò non vnum tantùm falsum affert Campianus sed

Campiani triplicata vanitas.

tria splendida mendacia. Nam primò Sigismũdus missis ad Ioan. Hussium literis publica fide vocat Constantiam, quo solicitante & primas obtinente concilium hoc & coactum est & celebratum: & quæ fides illis habenda est, qui Imperatori Vn-

Generat. 48.

cto Domini non modò non parent, sed etiam quæ ille rata esse voluit, irrita faciunt? Deinde scribit Nauclerus saluum quidem conductum esse à Sigis-

Sigismundo datum, sed Wenceslaum regem Bohemiæ requisitum non à Sigismundo fratre solũmodo sed à concilio ipso ad Ioannem Papam misisse Hussium Constantiam: eadem procul dubio conditione securitatis, vt liberè suam sententiam proponere & probare, & ire ac redire incolumis posset. At, inquit Campianus, iussus se Constantiæ sistere, despexit prærogatiuam concilij, securitatem petiit à Cæsare, Cæsar obsignauit, Christianus orbis resignauit, maior Cæsare. Assentitur eius Hyperaspistes Duræus, Neque enim, inquit, ille à concilio fuit Constantiam inuitatus, neque publicam ab eo fidem accepit. Alterum horum falsum esse ex Nauclero ostensum est: nam rogatu & iussu concilii venit Constantiam, & prius fuit Romam citatus ad Alexandrum quintum vt narrat Ioan. Sleidanus, & etiam Ioan. Dubrauius. At iste quidem conuincit vtrumque & autorem Campianum & patronum Duræum manifestæ vanitatis: qui ait, Italis, Gallis, Hispanis, Britannis, aliisque ad Concilium in Germania celebrandum euocatis, Ad quos accersitus Hussius, tametsi Romam antea citatus ire noluerit, fide tamen publica à Concilio accepta, ipse primùm, deinde Hieronymus eius consectaneus Constantiam venit. Hîc quoque patet alterum in Campiani narratione mendacium, non enim Hieronymus furtim, sed palam accessit, & quidem protectus, sicut etiam habetur in Palipomenis Vrspergensis, Decernitur citatio contra Hieronymum de Praga, & datur saluus conductus, sed salua iustitia. Cùm tales salbos conductus largiantur Romanistæ, cum hac exceptione, Salua Iustitia, Cur non contra vlpes istos sibi omni arte & sapientia prouideant & caueant Protestantes? De hoc Hie-

l. 3. Ioan. Dubrau. Hist. Boë. l. 23.

Pag. 393.

Dubrau. ibid.

ronymo sic prædicat ipse Dubrauius, Acutus & disertus habebatur, eandémque in scholis, quam Hus in Templis palmam ab auditoribus obtinebat. Quid? quod ipse Poggius Florentinus in eo arguit Campianum falsitatis, quòd eum dicit esse habitum perbenignè. Vbi enim descripsisset Hieronymum in durissimis carceribus, in squalore, in sordibus, in stercore, in compedibus, in summa rerum omnium inopia vilem & oppressum diu iacuisse, & interim patres aduersariorum obtrectationibus tam longo tempore aures suas patefecissent, ipsum verò ne vnam quidem horam audire sustinuissent, sic infert, Illud verò admirabile memoriæ argumentum: Centum quadraginta diebus fuerat in fundo turris fœtidæ atque obscuræ: cuius asperitatem ipse questus est, asserés se, vt bonum & fortem virum decet, nõ propterea ingemiscere, quòd indigna perpessus esset, sed mirari aduersus se inhumanitatem. Quo in loco nedum legendi sed ne videndi quidem habuit facultatem. Mitto anxietatem mentis qua oportuit illum quotidie agitari: quæ omnem memoriã executere debuisset: tamen tot doctissimos ac sapientissimos viros in testes suarum opinionum allegauit, tot doctores Ecclesiasticòs in mediũ protulit in sententiã suam, vt satis supérque satis fuisset si toto hoc tempore, summo in otio, summa in quiete, sapientiæ studiis operam dedisset.

In defcr. obitus Hieron.

Perbenigna Protestãtium tractatio in curia Romana.

Hæresim, *inquit, eiurauit*: Præclaram fidei cõfessionem, Hæresim vocant. Hîc succurrit illud Erasmicum contra nostrum Standicium, Et hi sunt Reuerendi Rabini, Sal terræ, lux mundi, quorum arbitrio sumus Christiani aut secus: qui nobis post Apostolos, nouos dictant articulos fidei, qui sic nobis pronunciant oracula, velut Dii: nec dignantur nobis homunculis reddere suæ opinionis rationem: Sat habent dixisse, Error est, suspectum est, hæresis est. De Ioanne verò Hussio aliud mendacium profert Campianus, quod in eum nunquam fuisset animaduersum: nisi *homo perfidus & pestilens fugisset* & violatis etiam conditionibus, quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eneruasset. Aliter planè determinat Concilii sententia, vt loquuntur ipsi, definitiua, Quia ex Wicleui libris multa dogmata hausit & ea propugnat & propagat & sua quædam addit, quæ in libris continentur, neque adduci potuit vt retractaret, idcirco hæc Synodus eum tanquam hæreticum pronunciauit, condemnauit, & ab ordine sacerdotali deponendum & degradandum declarauit. Illud autẽ de fuga Hussii quod interserit, nihil est. Animaduertit homo pius & prudens salui Conductus sui nullam patres rationem habere: vidit Concilium attendere facta sua, vt refert Nauclerus, vidit sibi nondum plenam fidem haberi à Catholicis, & suspectam adhuc esse patribus conuersationem suam, & callidè obseruari sua colloquia: vt loquitur ipse Cochlæus, hinc cœpit de fuga meditari. Quis enim honesta fuga sibi non caueret, cùm illi & publicæ cautionis omnes conditiones, omnem suam & Cæsaris fidem perfidiosè perrumperent?

In Epist. ad Her. Buschiũ.

Gen. 48.

l. 3. Hist. Hussit.

Sed qui de fuga Hussii sic garriunt, de fuga aliorum trium suorum pontificum eodem tempore silent. Fugit Papa Ioannes vicesimustertius indutus, vt eorũ verbis vtar, grisea chlamyde & cappa grisea incognitus: quod altera die iussit Imperator proclamari. Fugit & latuit Petrus de Luna, Papa Benedictus Decimustertius, & in castello Peninsulæ loco munitissimo se cõtinuit. Fugit Papa Eugenius mutato habitu, sumpta monastica

Naucl. gen. 48.

Fuga 3. Papa rum.

cuculla, vnà cum Arsenio Monacho nauiculâ ingressus subitò, vt scribit Nauclerus, Romani quidam hominis fuga cognita, eum lapidibus sagittisque incessunt.

Mors Hus.

Sed quid de fuga Husij blaterant, & de morte fortissimè oppetita conticescunt? De Husio & Hieronymo simul idem autor refert, ambos constanti animo necem pertulisse, ambos ad incendium quasi ad epulas properasse, nullam emittentes vocẽ, quæ miseri animi posset facere iudiciũ: & vbi ardere cœperunt, hymnũ cecinisse, quem vix flamma & fragor ignis intercipere poterat. Et Poggius, qui Hieronymi exitum vidit & singulos Actus perspexit, hęc de eo subiicit, Cùm lictor ignem post tergum (ne id videret) iniicere vellet, Huc, inquit, accede, & in cõspectu accende ignẽ. Si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum (quem fugiendi facultas erat) accessissem. Hæc læta & Christiana mors huius Martyris & rectæ fidei & bonæ vitæ & serenæ conscientiæ testimoniũ est. De Ioanne Papa fugitiuo quid memorat Nauclerus? Supplex ad Martinum Pontificem venit, nec superfuit his rebus diu Cossa, vita ex animi (vt aiunt) dolore excedens. In Epistolis Ioan. Husij quædã inserta sunt, quæ omnino prætermittenda non sunt, quia & fœtidos huius Cõcilij flores, & ipsius ardentem pietatem, & Ioannis Papæ horrendum exitum indicant. De illis sic, Parisienses multi sunt, & Italici, &c. Cardinales sunt copiosi in mulis equitantes: De se concludit in eadem Epistola, Datum Constantiæ, Oretis Dominum pro constantia: De Ioanne Pape, In eodẽ concilio Papam caput suum propter horrenda scelera dignum morte iudicarunt. Nec errat hoc loco Whitakerus, sed vehementer errat Duræus, qui illum erroris insimulat. Nam quando affirmat

In descript. ad Leonardũ Aretinũ. Vox Hieronymi Pragensis cygnea.

Ioan. 23. aliàs Balthasar Cossa.

In Epi. 13. Decretũ Constantiense de fide hæreticis non seruanda cont. Duræum.

mat in concilio Constantiensi de fide hæreticis non seruanda decretum nullum fecisse, verum non est. Pantaleonis Chronologia tale decretum commemorat, quam mendacem vocat Duræus, in suo tamen quantumuis breui opusculo Campianus eam non semel & citare & sequi dignatur. Et quid aliud colligamus ex illis verbis quæ ipse Duræus recitat? qui tamen more suo multa quæ sunt emphatica & ad rem valde pertinentia callidè præteruolauit. Sic enim ad verbum: Præsens sancta Synodus ex quouis saluo conductu per Imperatorem, reges & alios seculi principes hæreticis vel de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic à suis erroribus reuocare, quocunque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum fidei Catholicæ vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentum prœstari posse seu debere declarat, quominus (dicto saluo conductu non obstante) liceat iudici competenti, & Ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdémque punire, quãtum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerit, etiam si de saluo çonductu confisi ad locum venerint iudicij, &c. Punire possunt competentes iudices quantum iustitia suadebit etiam eos qui saluo conductu Imperatoris communiti & comitati venerunt: An non hoc idem est quod suprà diximus, de Saluo Conductu conditionali, SALVA Iustitia? Imperator concedit vt viui & incolumes discedant: & hic Canon nihilominus decernit, hoc saluo conductu non obstante, hæreticos esse supplicio affiçiendos, quæ omnia Duræus omisit. Hunc sensum Canonis ipsa inscriptio innuit, quod non obstantibus saluis cõductibus Imperatoris, Regum, &c. possit per iudicem

Sess. 19 cõ. Const.

competentem de hæretica prauitate inquiri. Aperit hoc Papistarum mysterium ipse Surius cõciliorum consarcinator in margine. Confutat etiam Duræum bonus imprimis scriptor Ioannes Sleidanus, cuius fidem spectatam & grauitatem suspiciendam mecum alij multi nouerunt. Ait verò Husium post colloquium cum Ioanne vicesimotertio & cardinalibus absente Sigismundo captiuum esse detentũ, & cùm hoc Sigismundus ægrè ferret, pontificij responderũt, non esse fidem seruandam hæreticis. Formam quoque Canonis sic proponit, Lex quoque lata, ne seruetur fides hæreticis aut suspectis de hæresi licet fide publica Cæsaris ad Synodum venerint, cognitionis causa. Atque si Ioan. Sleidano non credét, saltem Cochlæo suo auscultabunt. Sigismundus eum libenter propter saluum conductum liberasset, nisi à doctis responsum accepisset, Nullo iure deberi saluum conductum hæretico in hæresi sua persistéti. Accedat his & alius interpres huius Canonis, Autor parali. Sessione decima nona decernitur hęreticis non esse seruãdam fidem, quam vocant, Saluum conductum. Itaque aliis superioribus Campiani mendaciis hoc quoque Durçi nouum annumeretur. Hęc est Pontificiorum erga Husium doctissimum & Hieronymum eloquentissimum misericordia: sed verissimè scriptum est à Luthero, his occisis semper ab eo tempore cœpisse regnum Papę retrò sublapsum referri: Nec minus verè prophetauit quidam Seuerus: Ciuitas Constantia iam est miserrima: Credo Deũ puniuisse eam, quòd Husium ad ignem armata deduxerit. *Repetant*, inquit Campianus, *Annales suos M. Lutherus Odiũ Dei & hominũ, Augustæ postus corã Cardinale Caietano, nõne quod potuit, eruct auit, & Maximiliani literis communitus excesserit* Luthe-

L. 3.

Hist. Hus L. 2. pag. 74.

Pag. 401.

In Collectaneis locorum Lutheri.

An. D. 1518.

Lutherus odium Dei & hominum? Quid ita? quia apud Põtificem in magnum odium est adductus, peruersitate ipsius Papæ & aliorum calumniis: alioqui non diffido eum fuisse Deo & piis omnibus dilectum. Lutherus non eructauit quicquam, sed errorem suum ex sacra Scriptura petit demõstrari: quæ hominis sobrij non eructantis est oratio. Maximiliani literas quidem testes & commendationis, & tutelæ suæ accepit, quas Fridericus optimus princeps aliíque nobiles impetrarunt. Sed quid? Num Caietanus ausus est cum eo venire in disputationem? Minimè, sed Augustam profectus duras hasce tres conditiones audit, vt Mandatu Papæ ad cor rediret, id est, ad sanitatem, & errores quos diuulgauerat, reuocaret: vt deinceps ab iisdem abstineret: & tertiò, vt ab omnibus, quæ Ecclesiæ trãquillitatem perturbare possent, sibi temperaret. Hæc verè eructauit Caietanus, ad quem etiam dedit literas suas Leo Papa, vt Lutherum Augustæ caperet, & vt, si constaret sibi & in sententia sua persisteret, sacris omnibus interdiceret. Præterea Romam euocatur, nihil intactum, nihil intẽtatum relinquitur, quò prorsus hominem nihil malè meritum, sed veritatis studiosum indagatorem opprimãt. Scribit etiam Leo ad Fridericum, vt aut Romam Lutherus mittatur, & in suam potestatem veniat, aut ex ipsius finibus exterminetur. Hæccine est fides Romanæ Aulæ? Hæccine reuerentia Romanorum sacerdotum erga Maximilianos, Carolos, Sigismundos, Cæsares, Dei vnctos? Hæccine est Christiani orbis resignatio, quę à paucis homunculis facta est, ex qua & Imperatorum existimatio lædítur, & dignitas obfuscatur, & Conciliorum omnis autoritas concidit?

Quis Lutheri salnus Conductus.

In Paralip. Abb. Vrsp. pag. 471.

Sleid. l. 1.

Prosequitur alias securitatis species Cãpianus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

1521. "quando Cæsaris verbo tutus fuit Wormatiæ, cùm "alios plerosque Imperij principes infensos haberet. Imò Pontificios infensos habuit non principes, A Caduceatore Cæsaris productus est salvus: sed quid tum? quid postea non tentarunt? Sub idem tempus in Bulla Cœnæ Domini ante Pascha, vt fieri solet, cum Arnoldistis, Wicleuistis, aliisque Lutherus diris & imprecationibus Sleid l. 3. ad Inferos vsque deuouetur. Alij censent acerrimè & iniustissimè Concilij Constantiensis decretum contra hæreticos renouandum: Alij sic impulerunt Imperatorem alioqui æquissimum, vt Lutherum post Concilium Wormaciense proscriberet, libros aboleret, edicta nescio quæ sanguinaria promulgaret. Dominicanus quidam homo totus charitate scilicet ardens Leonem sua sponte satis rugientem instigat vt Lutherum vi & flammis tolleret. Lutheri libros damnant etiam Parisienses, nominatim de Captiuitate Babylonica, & ex illis quædam Themata captiosè & calumniosè decerpunt. De his omnibus superius & copiosius scripsimus, & ad illum locum candidos lectores remittimus. Nec multum ad rem facit quod de Augustano Conuentu præsente Carolo quinto affertur. Non erat generale Concilium, sed erant Comitia quædam particularia obtentu conciliandæ religionis & expeditionis Turcicæ: in quibus nihil definitum, nihil planè actum, nisi quod nostri suas Confessiones conscriberent & exhiberent: & Sleid. l. 7. apertè Cæsar respondet Argentinensibus, prohibitam esse omnem de fide disputationem; tantùm petit ab omnibus, vt ad Pontificias partes se aggregent: sed iustis de causis optimi principes & liberæ Ciuitates renuunt. Verùm nunc tandem Concilij Tridentini æquitatem & libertatem

Libertas Concilio rum Papalium seruilis. In resp. ad Rat. primam.

tatem indultam Protestantibus consideremus. Con. Tridentini conditiones quales. *Haud secus*, inquit, *literæ Tridētinæ locupletissimas aduersario cautiones prouiderant, vti noluit.* Ostensum est à me Protestantes vsos fuisse, & eò se contulisse. Sed quàm libera sint concilia Paparum, In. Rat 1. satis exploratum habet orbis Christianus. In Conuentu Spirensi, de quo antè dixi, Faber qui etiam Augustæ magnus cum Eckio Actor fuit, Simoni Grynæo insidias struxit, & à magistratu cōprehensus fuisset, nisi diuina prouidentia subitò è faucibus tyrannorum eum liberasset: Et tamen hic libertatis spes facta est vel maxima. Quod olim Leonardo Aretino Secretario suo Papa in aurem insusurrauit: In loco concilij totum est, Naucle-rus. nec alicubi esse volo, vbi Imperator plus possit: quo sanè dicto neque alios neque Cæsarē ipsum planè liberum se esse velle declarauit: id omnino de concilio Tridentino verum est, quod summa. Papæ fraude in maximum præiudicium ac damnum Imperatoris totiusque Imperij Bononiam (quæ est Ciuitas Pontificis) translatum esse, notum est omnibus. In Comitiis Noribergensibus respondit legatus Pontificius, cùm omnes Imperij status concludissent, & Papæ subscriptionem & approbationē postularēt, Id nihil aliud esse quàm Papæ manus ligare. In hoc concilio Tridē. Paulus tertius omnes omnibus ex locis conuocat, quibus iure aut priuilegio in conciliis generalibus residendi & sententias in eo dicendi potestas permissa est, & vi iuris iurandi & in virtute sanctæ obedientiæ adesse iubentur. At tale Iuramentum nostri Protestantes sedi Apostolicæ non præstiterunt. Itaque nec Imperator, quia Cameræ Apostolicæ filius aut potius seruus est, neq; nos propter periculū, neq; Papistæ propter religionem Iuramenti vlla libertate in conciliis

Illyricus in scriptis Papæ & Monarchārum.

donantur. In iuramento Ioannis Vicesimi-tertij quanta sit sub iugo Pontificio aliorum ad Concilia accedentium seruitus, perspicuum est, vbi profitetur, spondet, vouet Deo & Ecclesiæ & sacro concilio se non modò cessurum, sed iuxta deliberationem concilij facturum & impleturum omnia. Seruitus hæc non reticetur in libro de septem statibus Ecclesiæ, In conciliis humilibus & fidelibus non libera est expressio, vt in eis lentè corrigantur ea quæ diuinum cultum & Christianam religionem reformationemque concernunt. Vnde crimina iamdiu incorrecta vsque adeo increuerunt, vt multa modò flagitia reputentur esse licita subfictione scilicet longæ ac inolitæ consuetudinis. In Syntagmate Actorum Tridentini huius concilij grauamina multa commemorantur, vt etiam testatur Andreas Fricius, & legati ducis Wirtembergensis expostulant, post eorum aduētum res friuolis dilationibus extractas, nec eis factam esse potestatem agendi quæ è republica & religione essent, rumoré sparsum esse per vrbem, consilia patrum Tridentinorum turbata esse appulsu Theologorum Protestantium, vtpote quos illi venturos minimè sperabant. In summa: quid vnquam à nostris liberè in Synodis dici, aut quæ syncera Reformatio ab illis obtineri potuit? Hic Paulus tertius inchoare visus est Reformationem, ad quam rem Iacobum Sadoletum, Reginaldum Polum & alios delegit. Cùm autem illi occiperent de potestate Papæ imminuenda, de sacerdotibus & Cardinalibus corrigendis, de Ordine conuentualium abolendo, de virginum collegiis reformandis, de Diui Antonij reliquiis abrogandis aliquid constituere, Paulus cōniuet atque dissimulat, & caudis vulpinis quasi scopis ad Longurios alligatis, vt ait Sleidanus, omnia

Naucle-Gen. 42. Onus Ecclesiæ ca. 19.

In Præf. ad Com. Tarnouium.

Sleid. l. 12

omnia repurgant cardinales: Nicolaus Archiepiscopus Capuanus, omnis emendationis impatiens repugnat, clamitans hoc modo futurum, vt Lutherani iactent, quasi ab ipsis ad hanc emendationē propemodum adacti fuerint. Scripta Papæ & monarcharum satis docent quæ in hoc concilio libertas fuerit, cùm iuris ordo omnis contemneretur, nulli contradicere liceret, cùm Protestantes nunc ad Pictouium, nunc ad Toletanum Hispanum, nunc ad Episcopū Tridentinum Germanum ægrè admitterentur, nusquam liberā vocem in conciliis haberent: cùm Paulus tertius scribat, synodum de hac deliberatione tractare non posse, nisi Germanica natio se submittat, nisi gymnasia, quæ ibi promulgata sunt de fide, recipiant, quòd videlicet, quæ synodus pro catholica veritate statuit, nouis retractationibus non debeant mutilari, quódque fiat iniuria Reuerendissimo concilio, siquis semel iudicata reuoluere & publicè disputare contenderit. Ac propterea ægerrimè tulit Mauricius & alii Protestātes, quòd postulata eorum iustissima reiicerentur, Papa sibi autoritatem summi Præsidis sumeret, se concilio non subiiceret, Episcopis suis iuramentū non remitteret, quódque suis Theologis nō satis idoneè caueret. Nam quę tandem erat illa locupletissima cautio, quæ à Campiano iactitatur? Petit Mauricius vt ad formulam decreti Basilienſis sibi, sicut olim Bohemis, caueatur: Negatur, & multa quæ in illa formula fuerūt, omittuntur. In ipso Actionis feruore Ambrosius Pelargus Dominicanus concionatur, Hæreticis fidem non esse seruādam, tollenda esse Zizania. Wirtenbergicis respondet cardinalis Tridētinus iussu Pontificii legati, inter Patres ita conueniſſe, ne cui publicè quid proponere liceret, nisi cuiusmodi sit illud prius consta-

Nic. Archiepiscopi dictū.

Pauli 3. dictum. In Epist. ad Ioan. Mariæ Card.

Sleid. l. 23

Concio Dominicanica nō Dominica.

ret:cúmque vellent suæ confessionis scriptum offerre, indignabundus Crescentius ait, Oportere eos regulam accipere non tradere patribus: præterea hîc contra decretum legatus Argentinensis inuitus retinetur, ac respondet Monfortus, hoc esse expressum mandatum ne quis recedat. Sed libertas hæc seruilis est, vt in reliquis conuentibus, sic in hoc Tridentino maximè. Cur autem nostram absentiam notat Campianus, cùm Imperator ipse hanc concilii indictionem, loci mutationem, & agendi rationem non probauerit? cùm idē exhaustis iam viribus & morti proximus pœnitudine quasi ductus lamētaretur se in statu Ecclesiastico fulciendo omnia ferè impendisse, pecuniam fortè reparari posse, existimationem autem nominis, valetudinem bonam, studia hominum quæ recuperaturus esset nunquam, prorsus amisisse: cùm Rex Galliæ non solùm Heluetios ab eo deterrūerit per literas, verùm etiam ipse abfuerit, eóque nullū Episcopum suæ ditionis mittere dignatus fuerit: ratus id non communis reipublicæ vtilitatis gratia, nō restituendæ disciplinæ causa esse congregatum, sed vt priuatis quorundam rebus ac rationibus inseruiretur. Vergerius de Tridentina Synodo fugienda librum edidit, & scripta Regis Galliarum & aliorum procerum atque nobilium protestationes extāt, ex quibus patet, multos non pauca in hoc concilio improbasse. Libertas hæc qualis fuerit, indicabit ipsius Papę manifesta protestatio, Synodum velle protestantes audire, solenni tamen hac protestatione præmissa, quòd per hanc audientiā non intelligit sancta synodus aliquod præiudicium sibi, neque etiam sanctissimo Domino Papæ concilii capiti inferri, per quod minus possit ad vlteriorē prosecutionem & celebrationem, expeditionem sacri

ibidem.

Cæsaris pœnitentia.

Rex Galliæ.

In protest. ex parte Papæ.

sacri concilii Deo dante procedere, cuius publicum instrumentum mandat fieri à Notariis. Deuenio nunc ad conclusionem seu insultationem Campiani, *Aduersarius se iactat in angulis, in quibus vbi tria Græca verba sonuerit, sapere videatur, abhorret à luce, quæ literatorem in numero poneret?* Catholicis Anglis si tale chirographum impunitatis impetretur, non Hussium causabuntur, mox in curiam, verbo principis innixi, conuolabunt. Sonare & scire Græca verba, non est, neque haberi debet probrosum. Si enim ipse Campianus requisitus, hæc tria verba Græca in publico suo congressu Londini afferre eadémque interpretari potuisset & voluisset: non ita tanquam Græcæ linguæ rudis explosus, nec ita ludibrio hominum expositus fuisset. Vincentius Lyrinensis qui hæreticorum hostis fuit, ne inimico quidem suo Photino iustas laudes detraxit, sed vt hominem ingenii viribus valentem, & monumenta librorum partim Græco partim Latino sermone cōponentem verè & amicè collaudat. Quid illud? Nostri à luce, à celebritate conciliorum abhorrent: & se iactant in angulis? nostri publicos congressus refugiunt? qui Tridentum venerūt? qui Smalcaldiæ, Noribergæ, Augustæ, Spiræ, Wormaciæ, Bonnæ conuentus celebrarunt? Animaduertant nunc vicissim, quomodo ipsi latitando, & fugitando concilia, sibi prouiderint. Cùm in conuentu respondēret Lutherus, Si quis testimonium reddere velit aduersus doctrinam suam, paratissimum fore se quemcunque errorem reuocare, si ex verbo Dei edoctus fuisset, & primum fore qui libros suos in ignem proiiceret: Eckius Canonista & Antagonista excandescens, Quid, inquit, attinet nouam disputationem celebrare, de rebus per tot secula in Ecclesia condemnatis, quasi liceret cuiuis

Aduers. Hær.

Fuga Cōciliorum in aduersariis.

In vita Luth.

» de quocunque rationem reddere : quod si semel
» peruicerit, vt Scripturis conuincendus sit, qui
» conciliis contradicit, nihil habebimus Christia-
» nitatis certum vel determinatum, & ab eo petit
» non cornutam at simplicem responsionem. Veris-
simè enim scriptum est, in eos, Qui antè fauebant
In Parali. Ab. Vrsp. Pag. 431. concilio, iam impugnant, lusus iam Ecclesia est, qualem de pila fieri videmus, dum lusorum ictibus percussa huc atque illuc impellitur. In ipsum Papam torquetur & illud, Eum hoc vniuersale concilium, hanc sanctissimâ Christianorum conuentionẽ libertatis alumnam, velut Iliacam horrere passionem. Papam conciliis inimicũ esse declarat, quod Vergerio dedit in mandatis nominatim, ne prouinciæ Germanicæ fiat concilium, sed vt Ferdinandus eam omnem actionem impediat.
Sleidan. l. 7.
Lib. 8. de Inuent. rc. c. 5. Idem odium conciliorum obseruauit Polydorus Virgilius, Iam penè desitum est à cõciliis habendis, in quibus multa ex æquo tractarentur, Pontifice Romano eiusmodi negotium non magnopere curante. Cúmque Martinus quintus decerneret, vt decimo saltem quoque anno in vnum locum coirent ac de summa rei consultarent, id quoque hactenus minimè est seruatum: quamobrem religio in dies singulos maius proculdubio damnum fecit. Quomodo semper resilierint, argumento esse potest quod tradidit Vrspergensis, ante cõcilium Constantiense quadraginta annis horrendo schismate diuisam fuisse vnitatem Ecclesiæ, & plurima ibidem & maxima negotia pro gloria Domini, pro publica vtilitate & honestate poterant agi, si putris caro Ecclesiasticorum potuisset ferre salem Euangelicum. Et mox deplora-
Pag. 396. » tissimum statum cleri, & neglectum conciliorum
» & Ecclesiæ vastitatem lamentatur, Spiritus ex-
» tinguebantur, Prophetias aspernabantur, Chri-
stum in

stum in membris persequebãtur, erátque planè
persecutrix Ecclesia. Hæc vna causa neglectionis Synodorum: alia ex Dialogismo Alani Chartieri peti queat, Luxus nimirum & corrupti mores inferiorum sacerdotum, Hinc sancta concilia, inquit, non secus refugiunt, quàm pueri scholam. In Aulico
Nec diffitetur Iouius vt ex eo narrat Ioan. Sturmius, concilij nomen Pontificibus maximo terrori esse consueuit. In Antip.
Quod exemplo Pij secundi optimè monstratur, qui ante Papatum concilia laudare & frequentare solitus est: postea sexennio sedit & sanxit, ne quis à Pontifice Maximo ad concilium appellaret. Abb. Vrs. pag. 425.
Quare valeãt nebulæ quas obducunt, vt fallant simpliciores, ne toties in orẽ habeant concilia quę horrent & reformidant, quod tradidit ipse Platyna, cùm à Sylueſtro decretum esset, vt singulis annis Concilium in prouincia haberetur: inquit, Quare hoc sanctum institutum aboleuerint nostræ ætatis Pontifices, non video: nisi censuras benè viuentium ac sentientium reformidabant. In vita Syl. t.
Vrget hanc Conciliorum necessitatem, & eorum neglectionem, (non obstãte huius Sylueſtri decreto) post Constantini tempora deplorat Ægidius Viterbiensis. Constantini, inquit, tempora vt sacris rebus multum adiecere splendoris & ornamenti, ita morum & vitæ seueritatem, non parum eneruarunt, quoties à Synodis habendis cessatum est, toties vidimus diuinam sponsam à sponso derelictam. In Con. Latet.

Libera Cõcilia nos poscimus, ad libera prouocamus, vbi non tumultuosè sed moderatè, non imperiosè ex nutu vnius, sed theologicè ex dictato Spiritus sancti & scripturarum omnia agi dicique possent. Alioqui non tam legitimæ sunt congregationes quàm Catilinariæ coniurationes, sicut acta & euenta Tridentini concilii satis ar-

Parlamenta nostra liberiora Papalibus

guunt: & dum nostrarum regionum synodos & Parlamenta Conciliabula vocitant, magnam Spiritui sancto blasphemiam irrogant, qui Hierosolymis in conuentu paucorum magis quàm in aliis Romanistarum cœtibus vniuersalibus præsedit. Non enim de nomine sed de re contẽdẽdum est: Voca panem si placet lapidem, & da mihi dum fameſco. Non vocatur Concilium, vocetur Conuentus, vocetur conciliabulum, cõgregatio, Synagoga, nihil interest, dum schisma depellat, vt alicubi Syluius. *Catholicis Anglis*, inquit Campianus, *tale chirographum impunitatis impetrẽt, nos Hussium nõ caussabimur, in curiam verbo Principis inimici conuolabimus.* Vtinam in nostra manu esset omnes Iesuitas ad hæc subsellia deuocare, aut hoc chirographum impetrare, vt oblatum certamẽ ingredi bonis conditionibus licitè & liberè possemus. Non miror Campianum verbo Principis inniti velle, quod sanè firmius & certius est, Paparum diplomate, Imperatorum scriptis sub Papismo, & pontificiorum Conciliorum saluis conductibus omnibus, sicut iam planum fecimus. Ex his tria Theoremata emergunt, Primum, non videri Pontificiis veram Petri sententiam de rege honorando: nisi quantum ipsis æquum videbitur eos honorare. In papatu seruiliter regnant Cæsares & reges, imò regũtur à seruis seruorum, quoniam eorum verba, & scripta, & salui conductus tantum valent quantum ipsi volunt. Secundum: Papam esse agens liberrimum, posse sine vlla nota leuitatis dicere, negare, fidem dare & datam soluere. Nam, teste Cochlæo, sicut Hussius sub saluo conductu Regis venit Constantiam: ita eum Regis Romanorum saluum conductum Papa ratum habuit, vsque adeò vt dixerit se nec impediturum nec permissurum impediri illum Conductum,

Papistarũ triplex stratagema.

Hist. Hussit li. 2.

Li. 5. pag. 203.

ductum, etiamsi fratrem suum germanum interfecisset. Hinc iusta fuit querela Bohemorum nobilium, quòd Hussius contra publicam fidem & regis & Papæ fuerit combustus. Tertium: Ne ipsis quidem Conciliis Pontificiis, in quibus & Papa & Imperator & patres omnes considunt & consentiunt, vllam fidem esse habendam, nam aut fallent apertè aut interpolabunt sophisticè. Suprà dixi etiam concilii fide publica Hussium ad Concilium venisse. Et in Hieronymi Pragẽsis citatione Cochlæus refert hunc fuisse Synodi saluum conductum. Cùm enim pollicitus esset se venturum, dummodo saluus & securus esse posset, rescribunt patres, Compareas secundum tenorem prędicti tui scripti, &c. Ad quod à violentia (iustitia semper salua) omnem saluum conductum nostrum quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus. Qui has cautas & cautelas admiscent suis promissis: qui semper aut vi leonina aut fraude vulpina sanctos irretiunt, eorum certè & fides & religio suspecta esse debet prudentibus.

Li. 2. Saluus cõductus papisticus, Ignis.

CAMPIANVS.

SED, *vt vnde sum egressus eò regrediar, Concilia generalia mea sunt, primum, vltimum, media, his pugnabo. Hastam expectet aduersarius amentatam, quam euellere nunquam poterit, prosternatur in eò Satanas, Christus viuat.*

HVMFREDVS.

EST sanè vel inuito Campiano expressa veri-

Campiani excursio.

tas, nam reuera digressus est: si quis digressiones istius hominis congereret, totum hoc capitulum παρεκβατικὸν comperiet. Argumentum propositum est, vt in hac Ratione nobis persuadeat, omnia vel pleraque Concilia nostræ religioni aduersari, Catholicorum autem, vt vocant, opinionibus suffragari: Bene cœpit ab Hierosolymitani & quatuor Conciliorum autoritate: sed quò postea prorupit, quos limites, quæ septa non transiliit? Excurrit in campos Concilii Tridentini, expostulat cur eò non venerint Protestantes: causam ipse fingit, quæ tamen Concilii illius macula sempiterna dici debet. Narrat Concilii Constantiensis contra Hussium & Hieronymum Pragẽsem illegitimum & violentum processum: narrat de conuentu Wormacienſi, Augustano & cæteris historias imò fabulas: præmittit fictitia, concludit similia, lusit, à proposito suo planè exorbitans. Post tot egressus, inquit, regrediar: omnium Conciliorum primorum, mediorum, vltimorum autoritate pugnabo, hastas iactabo amentatas, quas euellere nemo poterit, quibus Satanas prosternetur, viuet Christus. Prolusio Campiani prima fuit vel potius illusio, non seria pugna, amens iacit amẽtatas hastulas. In pompa fortassis pulcher comparuisset, sed in acie fortis nunquam futurus. Nam vnde hastas ille acceperit, notum est: & eas homo imbellis suis infirmis lacertis torquere nunquam potuit. Placet hîc Iesuitam verbis Hieronymi affari, Tuæ propositiones, quia sine ferri acumine mittuntur, hostem non valent perforare. Hanc igitur hastam, quam totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, vno, vt aiunt, digitulo repellam.

Hieron. cont. Luciferian.

Primum, vltimum, media, id est, omnia Concilia sua esse vmbratilis gladiator iactitat, quod an ita

ita sit, experiamur, & ex immenso Conciliorum armamentario aliquot hastulas proiiciamus: ex tanta sylua tantùm decerpamus ramulos. Non loquor de Conciliis infimorum subselliorum aut posteriorum temporum, aut de omnibus. Quis enim Conciliis omnibus fidet, qui scit in Concilio Romano à senatu Christum non potuisse Deum renunciari, nec inter Deos ipsorum numerari? Sit hoc antiquum & in veteri Roma ante Papatum Senatus consultum, idem certè probari potest Romanistas de Christo, quod ad eius officium spectat, sentire. Et posteriora Concilia nequiora idcirco fuerunt, quia vel in Papæ verba iurabant Episcopi, vel tanquam Parasiti eius tribunal lambebant, vt olim dixit Orator, de Verris asseclis. Præterea non eodem tendunt omnes in Conciliis, nec eadem est Conciliorum omnium definitio. Quare in hac dissensione vel ad plura & saniora, vel ad priora & vetustiora prouocandum. Lex ipsorum sic iamdudum determinauit: Cùm in gestis Conciliorum discors sentẽtia inuenitur, illius concilii debet teneri sententia, cuius antiquior & potior extat autoritas. Dictum est aliàs de Romano Concilio: cùm Spiritus sanctus in specie Bubonis compareret: & Ioannes Pontifex obstupesceret & erubesceret, omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irrisionem concilii, hac re adducerentur, paulatimque toto dilapso concilio, nihil illic prorsus actum esset fructuosum. Eiusmodi planè est omnium Actuum in Italiæ conuenticulis catastrophe, vt aut nihil omnino, aut nihil boni effectum reddatur. In concilio Basiliensi id subnotare videtur Syluius, ex tota Italia vix duos prælatos, ex Hispania nullum, ad

κατάστασιν, Concilia nostra esse.

Cic. 3. in Verren.

D. 50.

commune Ecclesiæ commodum animi & ingenij neruos intendisse. Quod etiam Sorbonista quidam non est veritus reprehendere, Meritò, inquit, dolebat in concilio Basilienſi Ludouico Arelatenſi eius præsidi, id demum semper in Conciliis factum iri, quod nationi placebit Italicæ. Hac ergo cautione & conditione nos ad concilia appellabimus & congrediemur, imprimis freti testimonio scripturarum, quò ipsa concilia nostra videntur respexisse. In hunc ergo modum ex aduerso ego contenderem, si Campianus concilium suum Tridentinum tanquam æquale illis quatuor conciliis primis per omnia defenderet: eum illa vetera repudiare, si prima & antiqua amplecteretur, Tridentino prorsus valedicere necesse est. Confitetur Ecclesia nostra & nos & patres nostros Gratia Domini nostri Iesu Christi seruari, corda nostra fide sola purgari, vnde in præsenti iustificamur, & in futuro glorificamur. Facit nobiscum prima & Apostolica synodus Hierosolymitana in concionibus Petri & Iacobi: repugnat Tridentinum, Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eũ suæ voluntatis motu præparari atque disponi, Anathema sit. Nos dicimus liberum arbitrium, quoad spiritualia post Adę lapsum, esse parum efficax, imò amissum & extinctum, ac rem de solo vt loquuntur titulo, nobis concilium Tridentinum denunciat Anathema: nobis fauet concilium Arausicanum, in quo manifestè dicitur, qui sic de naturæ viribus sine gratia sentit à fide alienus, dicitur resistere Apostolo, Quid habes quod non accepisti? Et, Gratia Dei sum quod sum: dicitur falli

Claudius Espenseus in 2. Tim. 4.

Tridenti ni Con. & aliorum Con. pugna.

Sess. 6. c. 9. Iustificatio.

Lib. arbit.

Sess. 6. c. 5. Con. Arausic. c. 6. 7. c. 1. 2. Cor. 4. 15

falli spiritu hęretico, & non intelligere vocem Dei in Euãgelio, Sine me nihil potestis facere: Et illud Apostoli, Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Canone Octauo eiusdem concilij. Hoc quàm sit contrariũ, ipse Dominus probat, qui non aliquos sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem pater attraxerit, sicut & Petro dicit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et Apostolus, Nemo potest dicere Dominum Iesum Christũ, nisi in Spiritu sancto. Placuit Tridentinis patribus legem à nobis impleri posse, & neminem debere illa temeraria & à patribus sub Anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: super qua arena suas perfectiones, opera debita, indebita merita sibi & aliis, opera supererogationis & concilia ædificarunt. At patribus Mileuitanis & nobis placet, quod Diuo Ioanni placuit, Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: quod placuit Christo, Dimitte nobis debita nostra: quod placuit Danieli iustificato, Peccauimus, iniquitatẽ facimus, Et Iacobo viro iusto, In multis offendimus omnes. Nec modestiæ causa humiliter hæc dicunt, sed ingenuè confitentur: nec de venialibus aut minutis sed de grauibus peccatis loquuntur: & orant seriò ne intret Dominus in iudicium cum seruis suis, quia non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens, sed damnationis subibit sententiam. Docemus nos, legitimè conuocari synodos per Imperatores & principes, sic in primis quatuor conciliis iam ostendimus: & Rhemensis per Carolum congregata est, idque vt ait Carranza, more

Ioan. 15. 2. Cor. 3.

Sess. 6. c. 11 Legem à nobis impleri non posse.

Con. Mileuit. c. 6. 7.

Dan. 9.

Conc. per Imperatores coacta

priscorum Imperatorum. Idque Socrates vna & vniuersali clausula complexus est: Passim in Historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo Christiani esse
" cœperunt, Ecclesiæ negotia pendebant ab ipsis,
" atque adeò maxima concilia de eorundē sententia
" & cōuocata fuerūt & adhuc conuocātur. De sella
Cōstantini in concilio Niceno quod nuper Wintoniæ quidā fabulati sunt, eum intrasse vltimū, & sedisse infimū, id omnium Historiarū exploratissima narratione exploditur, Nam Thronum aureum & Maximum & aliis sublimiorem sibi paratum habuit, reliquis occupantibus subsellia, Eusebio in vita Constantini & Sozomeno testibus. Quo igitur iure hanc Concilii Tridentini indictionem vsurpauit sibi vel Paulus, vel Iulius, vel Pius, ab hac prærogatiua excluso Cæsare? Arelatensis Episcopus hoc decretum necessarium fuisse asseruit, ad reprimendam Pontificum Romanorum ambitionem, qui se supra vniuersalem Ecclesiam extollentes, omnia pro libidine sua se posse arbitrabantur, ne posthac Ecclesiam vnus homo, nunc Bononiam, nunc Florentiam, rursus Bononiam, mox Ferrariam & deinde Florentiam, vt Eugenius attentauit, traduceret. Nobis videtur conciliorum vnicam regulam & cynosuram esse Scripturam sacram: quod etiam visum est concilio Hierosolymitano ductu Apostolorum, & Niceno, iussu Constantini. Concilii Tridentini Patres censuerant omnem veritatem & disciplinam libris & scriptis & non scriptis contineri & comprobari: ideóque in ipsis Concilii sui auspiciis, Missam de Spiritu sancto canunt, nullius Scripturæ autoritate, & satis esse putant, si sub verbo, PLACET, opiniones suas proferant. Nos cum Laodicensi Concilio quod

In Hist. Eccle. li. 5. c. 1.

Bodæus & Sladus VVintoniæ.

l. 3. l. 1. c. 19

In Con. Bas. Syl. l. 1.

Concilium regula scriptaria Sess. 3.

quod in Trullo etiam confirmatum est, sentimus in Ecclesiis solos Canonicos libros Veteris & Noui Testamenti autoritatem habere, Tridentini patres dissentiunt, alia legunt, & aliter canonem disponunt. Nos libertatem creaturarum Dei, & ciborum omnium atq; adeo carnis esum licitum asserimus: nobis patrocinantur Apostoli in concilio Hierosolymitano prohibentes solùm abstinere à suffocato & sanguine, & patres concilij Gangrensis, ante concilium Nicenum, qui propterea Eustachianos anathematizant: & patres concilij Carthaginensis, qui censent eum, qui aliis contemptis, alimenta lautiora vel induimenta austeriora quærit, esse superstitiosum: & patres Toletani damnantes eos qui esum carnis & auium prohibent: ita cum illis Tridentini condemnationis eiusdem sententiam incurrunt. Nos ministrorum licitum esse coniugium, & concubitum cum propria coniuge castitatem, & interdictionem eius fornicationis occasionem causamque existere iudicamus: Astipulatores habemus Paphnutium & Nicenos & Constantinopolitanos in Trullo, quorum Decimus tertius canon de cohabitatione Episcoporum cum Vxoribus à Surio Carthusiano scilicet reprehenditur: & in Synodo Basilienſi, Fœlix dux Sabaudiæ vxoratus creatur Romanus Pontifex. Vnde in conuentu Basilienſi electum in Papam vxori debitum soluere teneri, & coniugatum recipi posse & fuisse in matrimonio Pontificios, nec Petrum Apostolorum principem caruisse vxore, narrat historia. Et in Gangrensi, Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosum detestatur, proclamatur Anathema. Remitto vos ad Bracarense, ad Agathense & Toletanum. Omitto Ancyranum Niceno antiquius, licet prouin-

Libri Canonici.

D. 41. Cā. Cler.

In. Cō. 13.

Syn. Cōst. 6.

Syl. l. 2. c. 11. 15. 12.

q. 2. Cùm Episcopus. It. 33.

q. 2. Can. Placuit. C. 10.

ciale, tamen Constantinopoli concilio sexto receptum, in quo nuptiæ Diaconis initiatis permittuntur. Vota quoq; fictæ & fucatæ continentiæ illicita affirmamus: sic enim à cõcilio Toletano accepimus: atq; idcirco impium decretum Siricij in concilio Carthaginensi iubentis abstinere ab vxoribus reiicimus, & Tridẽtinos patres parricidas & tyrannos existimamus, qui quod Dominus permisit interdixerunt, quorum opera factum est, vt pij sacerdotes contrahentes sacrum matrimonium crudeliter submersi fuerint, & alij sacrificuli scorta impudenter fouerint, interim & tanquam sancti Hypocritæ, Missam quasi mundam sacrificium quotidie obtulerint: & tamẽ Concubinarij presbyteri Missam nõ esse audiendã ipsorum legibus constitutum est: Et concilium Toletanum tales ad pœnitentiam relegauit. Præterea qui relinquunt parentes aut vxores ob religionẽ aut prætextu diuini cultus, nec illis debitum officium præstant, percutiuntur à concilio Gangrensi Anathemate: & nos eos omnes qui in Monasteria eiusmodi se temerè & sponte trudunt, eo sanè dignissimos esse credimus. Anathematizat etiam eos qui singulari quodam habitu sibi placent, & qui veste communi vtentes fugillant & iudicant. Et qua autoritate Conciliorum Monachi tanquã picæ & pictæ auiculæ, à reliquis Christianis cultu diuerso circumuolitant? De vagãtibus Monachis & iis qui Tabernas ingrediuntur statuit Rhemensis Synodus. Papatum Ecclesię vniuersalis primatum occupare nouimus: sed quo vniuersali & antiquo concilio iubente? Veterą omnia, vt iam probatũ est, negarunt: Hinc Eugenij præsumptionem non tulerunt Basilienses, sed, vt refert Antoninus, aures suas obturarunt: & Theologi has cõclusiones posuerunt,

Barth. VVesthemerus in Cõciliat. Script. & Patr.

D. 32. D. 81.

Naucl. Gen. 45. In Paral. Abb. Pag. 411.

1 *Veri-*

1 *Veritas est Catholicæ fidei sacrum generale Concilium supra Papam & alium quemcunque habere potestatem.*

2 *Generale Concilium legitimè congregatum sine ipsius consensu nec dissoluere, nec transferre, nec prorogare ad tẽpus autoritate sua potest Romanus Pontifex.*

3 *Qui pertinaciter se iis veritatibus opponit, hæreticus est censendus.*

4 *His veritatibus Eugenius repugnauit, ex plenitudine potestatis Concilium Basilienſe trãsferre attentans: itaque definiunt esse hæreticum.*

In hoc concilio Paparum Annatæ, Simoniæ, aliæque exactiones prohibentur. Stapletonus cùm respondere nequeat, consilio Basilienſi derogat: non legitimum concilium, sed iniquum conciliabulum est censendum, & tamen à duobus Papis Martino quinto, & Eugenio quarto indictum esse fatetur. Cùm verò attentius perpendissent quàm nihil lucri soleat esse Pontificibus ex conciliis, idem disturbare & dissipare conantur: itaque meritò à Iuliano Cardinali mira libertate taxatur Eugenius, & concilij Basiliensis legitima autoritas multis rationibus astruitur. Quare in hac re & Stapletonus à Cardinali, & Cardinalis à Papa, idemque de Papæ supra concilia potestate à duobus conciliis & Basiliensi, & etiam Constantiensi discordat. Sed disgregent concilia ipsi sua quæ congregarunt. Aliæ Synodi contra Papas à nobis stant, Wormatiense etiam rege Henrico præsente vniuersis penè Teutonicis consentientibus, Hildebrandum tanquam indignum abdicat, & eius introitum periuriis commaculatum declarat: Et Brixiense eum Ecclesiastici Ordinis submersorem, Christiani imperij perturbatorem nominat,

C. 15.

In Epist. ad Eugenium.

Ab. Vrsp. pa. 234.

vt qui regi Catholico & pacifico mortem corporis atque animæ intentarit. Parisiensis conuentus obiecit crimina Bonifacio Octauo: In Comitiis Francofordiæ Ludouicus Bauarus Ioāni vicesimo secundo. In Parlamento Londinensi quæ fuerit Anglorum querimonia de immodicis expilationibus Romanensium, & imperiosa exactione pecuniarum, demonstrauit Illyricus. Imagines nos è templis sustulimus: Quid ni? suffragantur concilia. Non probauit concilium Nicenum, & Constantinus cœpit pro humilibus Christianorum conuenticulis, quæ tempore persecutionis necessariò adiuerunt, Templa excelsa quidem, sed nullis imaginibus diuorum ornata erigere. Quid si Gregorius secundus in Italica synodo diuorum statuas in Tẽplis & collocari & coli voluit? Quid si Leonem Imperatorem tertium excommunicat? quid si edicit ne subditi tributum pendãt, ne vlla ratione obediant? Leo tamen disiecit & disfregit imagines, & Constantinus Leonem patrem imitatus in Græco concilio statuit contrarium. Quid si Irene muliercula superstitiosissima Theodori Pontificis fatigata precibus in Nicena secunda Synodo simulacra restaurat, & ad cultum prostituit? Constantinus eius Filius confringit, Nicephorus comminuit, Philippicus in concilio sexto Constantinopolitano & alij ferè omnes Græci Imperatores destruxerunt. Quid vetus illud concilium Elibertinum? Tantum abest vt imagines sanctorum aut venerationem aut aliquam idoli speciem mandari aut tolerari voluerit, vt omnes etiam picturas in parietibus Ecclesiæ, omnia idola in domibus, omnes cereos & lampades diurno tempore accendi vetuerit. Præterea nostra concilia in Occidente, concilium Toletanum duodecimum, Frãcofordianũ sub Carolo Magno damnant

An Domi 1301.

In Test. verit. Cõtra Imagines.

Euseb. l. 9. c. 10. Eccl. Hist. Sigon. de Reg. Ital. 3.

Plat. in vita Const. Papæ. Cõ. Elib. c. 36.

damnãt cultum imaginum, quem tamen septima synodus defendit. Hæc nõ sunt à Tridentinis approbata. In lingua Latinobarbara vulgatã Translationem solam facit authenticam cõcilium Tridentinum: At Viennense linguarum doctores in Gymnasiis conquirendos decreuit, certè non ob aliud, nisi vt sacrorũ Bibliorum fides ad normam linguæ Hebraicæ & Græcæ examinaretur, quemadmodum ad Hieronymum scripsit Augustinus. De vtraque specie, contra Missæ sacrificiũ est sancitum in Synodo Marpurgensi. Ex his fontibus conciliorum si quis maiora Religionis nostræ dogmata petere vellet diligentius: facilè & abundè plurima hauriret. Dixi suprà de communione sub vtraque specie multa, quibus adiungite concilii Basilience, quo Bohemis permissum est, sic recipere Sacramentum. Adiungite concilii Toletani tertii canonem secundum, concilium Nicenum, Symbolum Ephesinum, conciliũ Carthaginense tertium, concilium sextum, Adiungite alia posteriora, & quanta sit in illis Spirituum & Iudiciorum discrepantia, reperietis. In concilio P. Martini, De cõsecratione, Distinctione secunda grauis scilicet quæstio proponitur in Glossa, vtrum vinum & aqua transeant in sanguinem, & simili grauitate respondetur, Quidam sic, quidam non, Solutio est ænygmatica, Hæc tria sunt tria, & vnũ tria: quod vinum in sanguinẽ, & aqua in aquam, & panis in corpus conuertitur. Ita vno absurdo dato & Transubstantiationis monstro concesso, mille sequuntur. Sedenim & nimium in conuocandis liberis cõuentibus negligentes, & in obseruandis immodicè remissi, & in reformandis abusibus segnes Pontificii semper fuerunt. Celebrata tot sunt diebus nostris concilia, ex quibus nulla sequuta est Reformatio: Hoc enim tãquam

Epist. 8. Ad Vrsp. P. 495.

populate prouerbium citat Cardinalis Iulianus: Quàm multos canones conciliorum violarunt? Concludamus igitur fratres, cum Gratiano, à patribus grauiter accusari & à Spiritu sancto damnari, quia contra hosce tot sacros canones non compulsi necessitate, sed libenter ac voluntariè, & agere proteruè & loqui superbè præsumpserunt. Breuiter nostra sunt concilia quæcunque antiqua sunt, aut in nomine Christi & in Spiritu sancto ad testimonium veritati dicendum, sepositis affectibus, congregata: Non enim moror quid alii vel dicant vel consultent. Non est consilium nec concilium aduersus Dominum. Beatus qui non ambulauit in consiliis impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra derisorum sedit.

In Epi. ad Eug. 4. C. 25. q. 1.

DE PA-

DE PATRIBVS, RATIO QVINTA.

CAMPIANVS.

Antiochiæ, qua primùm in vrbe, Christianorum nobile cognomentum increbuit, Doctores, id est, eminentes Theologi, & prophetæ, id est, concionatores perquàm celebres, floruerunt. Huiusce generis scribas, & sapientes, doctos in regno Dei, noua promentes & vetera, Christum callentes & Moysen, Dominus ipse futuro gregi prospexerat. Hos ingentis beneficij loco donatos explodere quanti maleficij est? explosit aduersarius: quid ita? quia stantibus illis concidisset. Id ego cùm pro certissimo comperissem, pugnam simpliciter exoptaui, non illam iocularem qua turbæ velitantur in compitis, sed istam seueram & acrem qua congredimur in vestris philosophorum spatiis,

Pede pes, densusque viro vir.

Act. 13.

Matth. 13.

HVMFREDVS.

HVmano capiti ceruicẽ Pictor equinã
Iungere si velit, & varias inducere plumas
VNdique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur enim totam clarissimi Poetę similitudinem non assumam, cuius extrema particula superius abusus est Campianus? Incipit enim in hoc alio capite venustè ab aureæ ætatis Heroibus,& à Patribus Maiorum gentium: sed mox ad alios vel ænei vel ferrei seculi homines descendit,omnesque Patres, Apostolicos,posteriores,vetustiores, recentiores in vnum quasi globum promiscuè coniicit, & sine vllo discrimine cõuoluit:omnes primos,medios,vltimos suos esse confirmat & ad hanc conclusionem propugnandam aduersariorum arma mutuatur, celebrem illam Iuelli cum Hardingo congressionem, meam publicam de ea confessionem, familiare suum cum D. Matthæo colloquium, tacitum D. Hutteni de patribus iudicium tanquam corollaria adnectit. Siquidem omnium quæ in hac Ratione à Campiano dicuntur hæc est perfecta complexio.Apostolici viri & primi Antiocheni Patres, Dionysius & alii inferiores idem quod nos sentiunt, atque adeò ipsi aduersarii nostram causam promouent,& nobiscum faciunt,ergo Patres omnes nostri sunt,ideoque tanta Cataphractorum cohorte adiutus & stipatus, securus in aciem descendo. Quam argumentationem vna hac ratione subneruamus, Inficiatione totius Antecedentis. Euolua mus singula.

Summa Rationis Cãpiani collecta.

Confutatio Argumẽtationis.

Exordium est à primis & purissimis verè nostris Maioribus,quos si habet fautores, cõfectum est prælium:secus,ille suo telo confectus occidit. Conueniamus in eo, horum patrum testimonio vel standum esse vel cadendum.Si huic principio sanè pulchro reliquus orationis Campianicæ cursus congrueret, neque illi opus fuisset toties arenam exoptare,neque vllam nos cum illo congrediẽdi occasionem haberemus.Sed quia in limine offendit, & quod subitò & citò dixit, fieri nunquam potest, vt Antiochenæ & primæ Ecclesiæ patres suos esse ostendat,ratio hæc prima nõ modò falsa est, verùm ex dissimilibus & disparibus tota conflata, nec magis præcedentibus sequentia coniungi queant,

Quàm si placidis coeant immitia,quàm si
Serpentes auibus geminentur tigribus agni, vt eiusdem Flacci verbis terminetur oratio.

Prima classis Doctorum est sacer chorus Apostolicorum,in quo segregati sunt ad opus Euangelicum Paulus & Barnabas: vbi Doctrinam Domini,sermonem Dei, lectionem legis & prophetarum,& dogma de Iustificatione fidei & remissione peccatorum per Christum audimus, à quibus per legem iustificari non poterant.

Prima classis Apostolica. Act 13.

Principium ergo nostrum hoc est, nos horum patrum autoritatem solummodo venerari,nos ad horum Synedriõ sacrosanctum prouocare,horum nos fidem & religionis candorem amplecti à quo Papatus recessit plurimum. Verè ac propriè nostros Patres in terris vocamus Prophetas & Apostolos,Patres non à Patrepatrato, sed à Patre patrum delectos,nec vllus pater carnalis aut spiritualis sine illo audiendus. Deus solus pater est communis omnium & illorum & nostrorum:Ille nos semine verbi sui genuit solus,ille pater futuri seculi,pater qui in cœlis est,Pater vnus, & alii secundariò patres, quotquot eius discipuli sunt: puta Elias pater Elizei, Paulus Pater Corinthiorum,qui in Christi Euangelio eos genuit.Si enim Christus non suam voluntatem, sed eius qui misit ipsum Patris annunciauit:etiam nos Christiani hunc quoque patrem solum prædicare & audire debemus,& quotquot ab eo eiúsque filio Iesu Christo nobis singulari & eminenti vocatione

Qui verè & propriè vocandi Patres.

Iesa 9. Matth. 6. 23.

1 Cor. 4. Ioan. 5.

commendantur. De quibus omnibus peculiare est testimonium, Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Quod verbum, non ad contentiosos Theologistas pertinet, sed ad veros Theologos, ad Apostolos, ad Euangelistas, ad nuncios verbi Dei, qui dicunt, non audeo aliquid loqui, quod per me non efficit Christus, vt illud etiam Cornelius Agrippa exposuit. Huius Apostolicæ Ecclesiæ patres hoc nostro sensu intellexit Hieronymus dum illa Psalmi enarrat, Dominus narrabit in Scripturis populorum & principũ qui fuerunt in ea. Ex qua explanatione tria ad euertendam superstitionem Papisticam valida munimenta colligo: primò, Quomodo narrabit? Non verbo, inquit, sed Scriptura: vnde innuit non verbis traditis aut non scriptis sed Scripturis hodie adhærendum. Secundò, sicut nos, sic ille Scripturæ verba interpretatur, de Apostolis, Quod „ Paulus loquitur, Christus loquitur, Qui enim vos „ recipit, me recipit, Et mox clarius, Et principum „ hoc est Apostolorum & Euangelistarum, horum „ qui fuerunt in ea. Videte quid dicat, Qui fuerunt, „ non qui sunt, vt exceptis Apostolis quodcunque „ aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat po„ stea autoritatem. Tertiò, Quod aduersarij popu„ lo inuidẽt, id Hieronymus largitur, Plato scripsit „ in scriptura, sed non scripsit populis, sed paucis. „ Vix enim intelligunt tres homines, Isti verò, hoc „ est principes Ecclesiç, & principes Christi, nõ scripserunt paucis, sed vniuerso populo. Qui alios sibi patres adsciscunt, & ad alios diuertunt, nomen patrum malignè & malè accipiunt, populum in hæreseos barathrum præcipitant, atque inexplicabilibus ignorantiæ laqueis implicant. Patres sunt Moses & prophetæ, Christus & Apostoli. Erubescimus, inquit quidam, sine lege loqui.

De Vanit. scient. c. 99. Ps. 86.

Non modò Oratoris, vt Æschynes bellè, sed & Theologi vox cum lege congruat. Aristoteles, His qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam. Annon ipsi patres hanc de nostris patribus interpretationem agnoscunt? Annon Iustinus? Apostolus pater patrum aliter sensit. Annon Epiphanius? Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei & Apostolorum Traditiones & Scripturæ sacræ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis? Alludit fortasis ad illud in prouerbiis, Non esse mouẽdos terminos antiquos quos nobis patres posuerũt, scilicet prophetæ aliique scriptores Canonici. Nonne sic accepit Athanasius, Nostra fides recta est, & ex doctrina Apostolica & traditione patrum confirmata, & Nouo & Veteri Testamento, vbi Iesaiam, Petrum, Paulũ, aliósque sacros autores nominat. Nonne Cyprianus eodem pede recto ingreditur? Si ad originem Dominicam & caput Apostolicum reuertamur, cessat omnis error humanus. Nonne sic Tertullianus? Nonne sic Augustinus? Nonne sic ante illos Irenæus? Apostoli discipuli veritatis existentes, extra omne mendacium sunt. Nonne sic de semitis antiquis prophetarum exponit Hieronymus, Vt in ea bona via ambulemus & inueniamus refrigerium animabus nostris? Standum, inquit, in prophetis. Nonne sic intellexit Leo, Euangelica & Apostolica fides omnes expugnat errores? Nõne sic Theophylactus? Qui aliquid afferunt præter Apostolorũ doctrinã & dogma, scandala, hoc est, hæreses & dissensiones ab his induci ait. Nonne eadẽ quoque sententia videri posit Thomæ Aquinatis, qui à Papistis inter diuos relatus, Sanctus & Doctor Ange-

L. de bona fortuna.

q. 109. Cõ. hæreses. l. 2. Tom. 1.

Prou. 22.

Orat. 5. Cont. Ari.

Cont. Mart. l. 4. In Ps. 43.

Con. Hære.

In Hier. c. 6.

Ad Anatolium. Ep. 46.

Rom. 16.

licus perhibetur, tamen in agone mortis Biblia accipiens hanc Protestantis vocem edidisse fertur, Credo quicquid in hoc libro scriptum est.

Selnec. Instit. l. 2. Cent. 1. H. 9. Luc. 2.

Nónne idem sensit etiam Nauseas Blanco Campianus? Qui tractans illa Christi verba, Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse, inquit, Discant hîc boni filii ita præ omnibus cæteris obedire parentibus & complacere, vt Deum summum parentem præferant. Si tales filii Diuini patris reuerentes, ex Seminariis Papisticis emissi fuissent, non sic Iesuiticos Patres coluissent, & opus Domini minus impeditum, imò fœlicius promotum habuissent. Quid enim illorum Patrum sacrosanctis sermonibus nobis ad docendum syncerius, populo ad credendum securius esse potuit? Qui omnes fidi dispensatores mysteriorum Domini solidum cibum dederunt in tempore famulitio Dominico, nec fragmenta sua, sed ex manu & imperio Christi demensum salutariter distribuerunt. Nec aliò tendunt illa verba Christi, *De Scribis doctis & sapientibus patribusfamilias qui Noua & vetera promunt.* De his intelligit Chrysostomus quos Christus misit ad Hierosolymitanos Scribas & sapientes, nimirum Apostolos. Et mox, Vides quomodo vetus Testamentum non eiicit, sed laudibus effert, & thesaurum appellat? Quare qui diuinarum Scripturarum imperiti sunt, non erunt hi certè patresfamilias. Nec dissentit ipse Lyranus exponés Noua & vetera, autoritates vel processus Nouj & Veteris Testamenti. Obseruent hic mitrati & cornuti Episcopi quod sequitur, Ex quo patet quòd Episcopi qui successores sunt Apostolorum, debent habere notitiam vtriusque Testamenti, in cuius signum portant mitram in capite, cum duplici cornu. Hanc admonitionem aduertant Romani,

Matth 13.

In Matth. H. 48.

In Matth. 13.

mani, vt suis nouellis constitutionibus relictis tãdem incipiant vetera & vera surrogare. Sed quid Lyranum adduco? Vetustissimus Irenæus sic accipit, Scribas & doctores regni cœlorum suos dicebat discipulos, de quibus alibi ait Iudæis, Ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas & Doctores, &c. Ea autem quæ de thesauro proferunt noua & vetera, sine contradictione duo Testamenta dicit. Origenes interpretatur scribam, qui eruditus est in omni sermone Veteris Testamenti, & qui in omni scientia Nouæ legis Iesu Christi, habet in thesauro suo has cœlestes diuitias recondi- Matth. 13. tas. Et ibidem, Quisquis non profert de Thesauro suo Noua & Vetera, non est Scriba doctus in Regno cœlorum. Sed quid ego ista tam multis prosequor? Hos Antiochenos Maiores, hos Scribas Eph 4. doctos, hos prophetas, Euangelistas, Apostolos, Doctores, (quos solùm in margine notat Campianus,) tãtum abest, vt explodamus, vt reuereamur: quia illis stantibus nunquam religio nostra concidet: ad hoc augustum Collegium Christi Doctorum appellamus, quos solos pro patribus nostris habemus: de aliis posthumis & degeneribus minus soliciti. Etenim nisi vt aurum ad Lydium lapidem, sic omnes Doctorũ tractationes ad Scripturæ examen reuocemus: fluctuabit conscientia, nec potest in illis hominum commentis tutò recumbere. Nam vt bene Agrippa, Adducat quis in C. 100. certamen horum aliquem sensuum, citet etiam eius quantumcunque grauem autorem, citet interpretem, citet Glossam, citet expositionem quorumlibet sanctorum patrum, non ita nos adstringunt, quin liceat reluctari. Ex litera autem Scripturæ, ex illius ductu & ordine vincula nectũtur, quæ nemo perrumpere, nemo euadere potest, quin omnes argumentationum machinas

" elidens ac dissipans dicere ac fateri compellat, " quia digitus Dei est , quia nunquam sic locutus " est homo, quia non vt Scribæ & Pharisæi loqui- " tur, sed vt potestatem habens. Hanc arenam, hanc seueram & acrem pugnam, non aliquam è compitis hominum iocularem velitationem, has verorum Theologorum scholas, non vt Campianus, Philosophorum spatia desideramus. Hic

Pede pes densusque viro vir.

CAMPIANVS.

AD *Patres si quando licebit accedere, conflictus est prælium, tam sunt nostri, quàm Gregorius ipse Decimus tertius, filiorum Ecclesiæ pater amantissimus. Nam vt omittam loca sparsa, quæ ex monimentis veterum conquisita, nostram fidem appositè affirmatéque propugnant, tenemus horum integra volumina, quæ de industria religionem quam tuemur Euangelicam distinctè copioséque dilucidant.*

HVMFREDVS.

ALIVS nunc descensus est Campiani ad nouos & secundarios Patres, ad horum castra se recipit, his se addicit, primos illos fidei nostræ parentes satis fuit in margine notauisse. Hæc est de qua dixi ceruix equina: vnde constat totum hunc tractatum esse deformem & monstrosam picturam, *Cuius*

Secunda Patrum ætas.

Cuius velut ægri somnia, vanæ
Finguntur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Quanquam enim permultum Ecclesia debet hisce patribus, qui non pauca, non inutiliter docuerunt, obscuris locis lucem attulerunt, difficultates enodarunt, ac sæpe in ipsos intimos Scripturæ recessus intrarunt, hæreticis nonnullis ora obturarunt, religionem propagarunt, & vitæ probitatem dicto factóque commendarunt, ac propterea eos non tanquam sexagenarios senes de ponte deiicimus: tamen aliter de illis patribus, aliter de primis iudicemus. Placet ergo quædam in genere præfari, & Cautiones non indignas lectu de hoc Patrum ordine præmittere. Non sunt ilico omnes auidè imbibendi, aut eorum dicta temerè obtrudenda, quia patres sunt. Est enim inter ipsos patres quoddam discrimen. Fuerunt patres planè mali de quibus propheta, In statutis patrum vestrorum nolite ambulare. Et patres fuerunt de quibus Daniel & Dauid, Peccauimus cum patribus nostris. Quare à patribus testimonium qui petit absque diligenti inspectione rationum, næ ille cum patribus facile errauerit.

De Patribus Cautiones. 1. Ezech. 20. Ps. 106.

Patres isti qui scripserunt, diiudicandi sunt, qui patres, qui paterculi, rursus ne eorum maculas tanquam virtutes, omnem eorum scabiem tanquam orthodoxam fidem deosculemur. Sed ex illis excerpamus pulchra, prætereamus deformia, omnia probemus, quod bonum est teneamus. Si empturus vestimenta, vt bellè Chrysostomus, omnes officinas circuis, vnum negotiatorem adiens, mox alterum, & vbi meliores vestes inueneris, & precio viliori, ab illo comparas, " quomodo non oportet populum consulere omnes " Doctores & inquirere, vbi syncera veritas Christi "

2. In Matth. H. 44. in opere Imperf.

"venundatur? & vbi corrupta proſtat, & omnium
"confeſsiones cognoſcere, & verioꝛẽ eligere pluſ-
"quam veſtimentum? Hieronymus & Auguſtinus
"fatentur ſe aliter iuuenes, aliter ſenes & ſcripſiſſe
& ſenſiſſe. Sic Origenes, qui iuuenis multa di-
ctauit, ſed ſcribere cœpit ſexagenarius, & multa
Librorum millia in publicum edidit, de quo le-
Ep. 7. gite Ioannem Trithemium. Auguſtinus quædam
retractauit, & ex eorum numero ſe eſſe profitetur
qui ſcribunt proficiendo & ſcribendo proficiunt. Videndum etiam quando loquuntur populariter & Homeliticè, quando dogmaticè, quando ἐριστικῶς ſeu agoniſticè, vbi contentionis feruor caliginem alioqui acutis offundit: quando vel beneuolentia & amore ſuorum quædam dicunt: vel timore quorundam alia reticent. Auguſtinus vtriuſque viuum exemplar eſt:
In Enchi. ad Laur. Nam de Purgatorio & de oratione pro mortuis, quodammodo & alios & ſe nimia amoris abundantia hîc erraſſe fatetur: vt quando de amicis & de chariſsima matre Monica cogitat. De alte-
Ad Ianu. ro timore ipſe teſtatur, Multa huiuſmodi pro-
"pter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulen-
"tarum perſonarum ſcandala deuitanda liberius
improbare non audeo. Aliquando etiam non tam Theologicè docent, quàm Rhetoricè declamant, quæ plurimum inter ſe differunt. Non malè hæc diſtinxit Eraniſtes ille apud Theodore-
Dial. 3. tum, Non ego dogmatum ac Decretorum regulam ea duco, quæ in Eccleſiis panegyricè & declamatoriè dicuntur. Et ſanè hoc ipſum fate-
Cont. Heluidiũ. tur Hieronymus, Rhetoricati ſumus, & in morem declamatoriũ paululum luſimus. In quo certè non luſit, ſed verè dixit, vt etiam nugatur contra Iouinianum de Virginitate & nuptiis. Eſt alia
Heſiodus. quoque iuniorum Patrum, alia ſeniorũ ratio. Ve-

tus lex optima: Quæ Religio ſequenda? quę eſt in more Maiorum, At in illis moribus qui ſępe variant & mutantur, qui tenendi? Qui ſunt optimi. Sic olim Athenienſibus conſulentibus oraculum reſpondit Apollo Pythius. In hoc genere Anti-
Xenoph. Cic. Daniel. Apoc. 1. Ioan. 1. Iſ. 53. quitatis palmam omnem fert ipſa vetuſtas, quæ eſt ipſiſsima veritas, qui eſt Antiquus dierum, qui eſt primus & nouiſsimus, Verbum in principio, cuius generationem quis enarrabit? Deinde alij qui ætate ſunt proximi: Nam lumen quanto ſoli vicinius eſt, eò ſplendet illuſtrius: ſic venerandi patres quo primis viciniores, eo puritatem illius antiquitatis retinent magis & referunt nobis fidelius; & quo propius diſtant ab origine, eò à ſuſpicione vanitatis abſunt longius. Nam pauci filij
Li. 1. Strꝛo. patribus ſimiles ſunt, vt Clemens Alexandr. illud poetæ de poſterioribus Apoſtolorum ſucceſſoribus rectè accommodat. Illud igitur laudabile fa-
Trip. Hiſt. li. 9. c. 19. ctum Theodoſij nos quoque laudamus, quem nobis Ieſuitæ toties opprobrant: Huius conſilium ſacroſanctum putamus, & vtrinque imitandum. Ille verbo Dei plurimum imò totum honorem & prærogatiuam detulit: ille in decidenda controuerſia legendo & precando in primis Deũ conſuluit: vnde quantumuis laicus, de Religione optimè ſententiam tulit, & reiectis libellis Eunomianorum, Macedonianorum, hæreticorum omnium, Orthodoxam Religionem prætulit, & ſuis ſubditis tradidit, nec tum quid vicarius Iouis Capitolini definiret, expectare voluit. Dein, quod ſecundum eſt, ex omnibus Bibliothecis vetuſtiſsimis autores conquiri iuſsit, qui cùm ante ea diſsidia eſſent incorrupti, & nullis præiudiciis infecti ſimpliciter ex verbo ſententiam dicerent, & hæreſes ſubnaſcentes reprimerent. O factum prę-clarè: cui ſi ſtarent Pontificij, victi ſuccumberent,

nihilque aut paululum admodum sui Catholicissimi sibi relinquerent.

3. In Patribus aduersarij sonum non sensum reddunt, & voculas arripiunt, sententiam amittunt. Quibus non immeritò illud Augustini obiicio, „ Inepta hæc & viribus satis effœta argumentatio, „ vt quia de re mihi respondere non possis, de solis nominibus confles inuidiam. Legunt oblationes pro mortuis apud Tertullianũ & Cyprianum: ergo proculdubio Missam suam, Purgatorium, preces pro defunctis, omnẽ suam pompam funebrẽ iam inuenerunt. Ex æquiuocis & ambiguis ratiocinari, est sine ratione disputare. Oblationes illę non erant in Missa, pro animabus eorum, qui è vita migrarunt: sed eleemosynæ & subsidia ad solatia pauperum. Erant ἀγάπαι in diebus natalium & funerum, in quibus cibos aliáque munera adferebant, consuetudine, quæ ab Ethnicis accepta, à Christianis emendata, sed posteà omnino prohibita est. Et qui illud vnicum tantopere vrgent, quia in rem, iidem alias primorum ceremonias à patribus illis commemoratas, & non minus vetustas antiquarunt: in templo Agapen & publicum conuiuium in die cœnæ non habent: stato die antelucanum carmen Christo quasi Deo non canunt, probati Seniores honorem hunc non pretio sed testimonio adepti apud eos non præsident: nec pro natalitiis annua die faciunt: nec calicem & panem crebro vt tum sumunt, nec baptizati post hebdomadam lauant, nec eunt in balneum, nec susceptí lac & mel prægustant: nec suis paruulis recèns baptizatis lac & vinum præbent, quod tamen sua olim Ecclesia Occidentalis obseruauit, & Scripturæ dictis confirmauit. Sed hunc abusum vocabulorum offerẽdi & sacrificij suprà ostendimus. Patres bona opera laudãt: isti

Li. de Coro. Militis

In Conc. Nic. Rhenan. in præf. de Cor. Mil.

Tert. ad Vxor. Plinius ad Traian.

In Apol.

L. de Cor. Milit.

Hieron. Con. Lucifer.

isti meritum & liberum arbitrium colligunt. Patres figuratè & Hyperbolicè ad maiorem Sacramenti reuerentiam loquuntur? Transubstantiationem exugunt. Celebrant viros sanctos? Inuocationem eliciunt. Sacrificij meminerunt Iudaicè? Missæ monstrum nobis dabunt & suum sacerdotium. Ceremonias aliquot propter paganos neophytos ad tempus retinent? Isti semper paganizant, firmis & infirmis hodie in sole meridiano obtrudunt, cruce signant, candelas die accendunt, aqua lustrali aspergunt, & reliquis næniis ac superstitiosis ritibus Ecclesiam onerant. Sed quid Beatus Rhenanus scribat, parumper attendant. Opus erat olim multa Christianis indulgere, qui plerumque iam senes de Paganismo ad nostram religionem conuertebantur, difficulter ea relinquentes quibus per omnem vitam assueuerant. Secus est hodie. Quare & à prophanis gentium ceremoniis & à Iudaicis quoque ritibus paulatim abstinuerunt, ne semper vel cum illis pueraſcerent, vel cum istis Mosaizarent. Quod & his temporibus in matura ætate Ecclesiæ fieri debet, sicut factum est à primis nostris parentibus. Non emo capiti coronam, dicebat quondam Tertullianus. Miles libero capite esse voluit, coronamẽto in manu otioso: cui Tribunus, Cur tam diuersus habitu? Christianus sum. O militem in Deo gloriosum acclamat Tertullianus. Quoniam igitur patres aut malè citant, aut non bene intelligunt; optandum, vt commodis interpretationibus aut ipsi lenirent, aut patres quorum lectores esse volunt, eosdem suæ mentis interpretes esse sinerent. Exempli causa: Vox meriti à patribus parum considerate quidem admiscetur: tamen perappositè exponitur. Augustinus & Chrysost. Meritum mereri

In Præf. in Lde Cor. Mil.

In Apol.

In Cor. mil.

fæpe habent: sed Augustinus vt dictionem sic etiam habet correctionem. Et in libro Retractationum, Dixi in libro sexto Quæstionum contra paganos, salutem religionis nulli vnquam defuisse, qui dignus fuit, &c. Non autem ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus, Non ex operibus sed ex vocante. Acutè hoc vidit Andreas Fricius Polonus doctissimus, Hosmeisterum Dominicanum ex Augustino & aliis suos locos communes ad Papæ decreta extruenda comportasse: & Coruinum ex eodem Augustino contrarias afferre sententias: permultos de peccato Originis bene sentire, naturam humanam Adæ lapsu sauciatam, & propagatione vitiatam, idq; ex Scripturis & libris August. defendere: Pighium diuersam tueri opinionem, & eandem variis Augustini testimoniis comprobare. Optandum etiam vt Græci scriptores suo legantur idiomate, quia ex nomine Liturgiæ & λοχῆς & προσφορᾶς, Missam nobis & oblationem suam conficiunt falsò: Optandum vt Latinos & omnes cãdidè interpretemur. Propono etiam Campianistis regulam Augustini pulcherrimam, vt eam in Scripturarũ & Patrum lectione semper ob oculos habeant, Non ea colligant & commemorent, quæ obscurè, ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur, secundum sensum suum. Talia enim rectè intelligi exponique nõ possunt, nisi prius ea quę apertissimè posita sunt, firma fide teneantur: sed aliquid proferte quod non egeat interprete. Breuiter respondeo ex Tertulliano Iesuiticæ sectæ, Malo te ad sensum rei quàm ad sonum vocabuli exerceas.

L.2. Retr. c.31.

£248.

Aduersus Praxeam

4. Cum iudicio & delectu sunt à nobis legendi, ne cum synceris notha, cum germanis adulterina quæque deglutiamus. Apocryphas Scripturas sub nominibus Apostolorum multarum habere seminarium falsitatum, affirmat Leo, & interdicendas & cremandas iudicat. Gelasius quædam vitanda catholicis esse decreuit, & concilia, & patres, & libros Apocryphos. Quid alios nuper in lucem extractos patres memorem, qui solemi antea nunquam viderant? Legatur Erasmus in suo Ecclesiaste, de multis suppositiis patrum fœtibus. De Chrysost. sic ait, in eius nomen multa esse congesta, quæ ipsius genium non referunt. Quod ex Chrysost Commentariis in Matth. in Opere Imperfecto luculentissimè multis argumẽtis probauit. Censuræ in Augustinum extant quæ docẽt multa impia, inania, inepta, ipsi à sciolis attribui, nonnulla adeò falsa, vt palpari sanè queant. Nam Sermones grossos, vt cum illo autore loquar, ad Fratres in Eremo, ipsi Louanienses damnarunt: quam Censuram Basileæ vidi, sed propter longitudinem tum temporis imprimendam nõ censuit Typographus, maximè quia ipse Erasmus argumentorum momenta eruditè & satis prolixè antea indicasset. Deprehendit hoc Trithemius vt in Augustini vita videre licet ex his verbis, Ego in hoc opere quosdam tractatus non absque consilio omisi: qui à plerisque beato Augustino ascribuntur, E quibus est liber de Spiritu & anima, in cuius capite 37. Boetius allegatur, qui longo tempore post Augustinum natus est. Item liber de vera & falsa Pœnitentia, sub Augustini nomine iam impressus, mendaciter ei ascribitur, quoniam in cap. 17. circa finem ipse Augustinus allegatur. In Ambrosio non solùm Erasmus, verùm etiam Costerius Louanienſis aliique multa subdititia notarunt. In Athanasio miseri homines primatum sui Pontificis quærunt ex quadam ad Felicem

Leo 1. Cã. 15 D. 15 S. Romana.

Lib. 2.

Hier Frobenius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Papam Epistola,quæ tota est commẽtitia: ex alio tractatu ad Monachos;adorationẽ crucifixæ imaginis, cuius passio ridiculè narratur, in Syria, in ciuitate Beritha inter terminos Tyri & Sidonis, cuius vanitas in ipsa statim fronte proditur:dum sic orditur: Dilectissimi itaque omnes filij sanctæ Ecclesiæ. Longum esset enumerare cætera, quæ irrepserunt: cùm ea ab omnibus mediocris iudicii hominibus possint internosci.

5. Est & alia fraus aduersariorum in corrumpendis patribus. Quàm enim multa sunt,quæ vel deprauauit malitia,vel obscurauit insciti a,vel amisit negligentia,vel submouit audacia,vel suppositit astutia?Obtruduntur,Deus bone,Decretales Epistolæ quales? Num enim elucubrationes esse possunt tot Martyrum,tot primæ Ecclesiæ Episcoporum? tot bonorum patrum, Clementis, Anacleti, Euaristi? Minimè. Nec illis temporibus conueniunt,nec illis grauissimis viris digna sunt: Non malè iudicant Ecclesiasticæ historiæ collectores,quos si placet inspicite:Vnum nomino,vt de reliquis quæratis in otio diligentius. Periculosa porrò quædam & quasi errorum semina in iis extant, vt est illud in Latina versione de Missa; quamuis irreptitium videri queat, cùm nullus ex autoribus huius seculi hoc vocabulum vsurpet, nec in Græco sit: Erasmi præfatio in Hieronymum egregia esse potest harum corruptionum „demonstratio quasi ad oculum, Ipse, inquit, plu„rimis & manifestis argumẽtis deprehendi, quen„dam fuisse,cui præcipuum studium fuerit,vt coc„cycis in morem,suas nænias alienis operibus in„sereret,potissimum Ambrosii, Augustini, & Hie„ronymi. Nam stylus palàm arguit eundem fuisse. „Hinc prodigiosa quædam fuit libido, vel insania „potius, omnes Hieronymianas lucubrationes modis

Cent 2. c.10.

In Tom. 9.

modis omnibus conspurcandi,adeò vt non con„tentus fuerit Epistolas suas & libros huius libris „adiungere, veluti si quis putres pannos insigni „ affuat purpuræ &c. Addamus istis aliam eiusdem politissimi hominis censuram,Solœcismis ac sordidissimis verbis & nuper in culina natis vndique referta sunt omnia, &c. Sic notis omnibus „discrepat ab Hieronymo, vt non sit facilius suem „ab homine dignoscere, nisi si quis sit omni sue „stolidior. Et tamen hæc, ô rem pudendam, Hie„ronymi titulum occupant. Hi videlicet sunt Aristarchi & noui Censores patrum,alios in quibusdam libris & locis lacerarunt,vbi displicet: istis ademerunt,illis addiderunt,cæteros adulterarũt, omnes mutarunt & deprauarunt in aliquibus. Prodiit nuper arte mira nouus Chrysostomus verè nouus in Matthæum, si tamen sit Chrysostomi. Locus est illustrissimus de Scripturarum autoritate, Solam Scripturam esse diremptricem & iudicem omnium controuersiarum: Locus inquam est quem nullus locus communis Iesuitarum,nulla Tropica,Logica,Philosophica,Theologica possunt demoliri. Extremum ergo remedium excogitatum est prudenter, gladio non Herculano sed Typographico penitus abscindere Parisiis, ne deinceps tale aliquid vlli prelo committatur. Si nos audire nolunt, saltem Concilium audiant, Non conuenit Orthodoxis ita circumtruncatas sanctorum Patrum voces deflorare.

Præf. in 3. seriem. 4. Tom.

In Matt. 49.

In 8. per Stelsium.

Concil. Const. 8. Act. 8.

6. De patribus omnino censendum est, sicut de hominibus,multa possunt videre sed non omnia. Dicam maius, errarunt, caligarunt, cæcutierunt,quod patebit in sequentibus.Cæterùm non omnia loca Scripturæ bene interpretatos fuisse patres commentaria Augustini & aliorum in

" Psalmos, indicio esse possunt. Vnum profero instar multorum, ex Psal. 119. Anima mea in manibus meis, quomodo intelligatur, ignoro. Itaque ex aliis codicibus legit, In manibus tuis: & hoc dicit esse planum, sed in eo ipse planè πλάνος est, & ex Hebraico & Chaldaico corrigendus. Nec Augustinus adeò fuit cæcus vt hoc non viderit, nec adeò superbus vt non confessus fuerit, Tantum absum, inquit, ab eo quod putasti me nihil latere, vt nihil in Epistola tua legerim tristius, quia & apertissimè falsum est: & miror, quòd hoc te latet, quòd non solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multò nesciam plura quàm sciam. Et fatetur se non intellexisse Paulinum illum locum, 2. Thess 2. Tantum nunc qui tenet teneat, donec de medio fiat. Quod idem de Origene habet Picus Mirandulanus, Ipse, inquit, suam non ignorabat ignorantiam, & veritatem illarum quæstionum se nõdum consequutum planè cognoscebat ante suæ ætatis sexagesimum annum: nunquam à Notariis excipi publicè voluit, quæ in Ecclesiis prædicabat. Hæc ille in Apologia ex Eusebio. Imò & Ignatius ingenuè fatetur idem, Possum intelligere res cœlestes & Angelicos ordines, tamen postea, Licet hæc cognoscam, non iam omnino perfectus " sum aut discipulus qualis Petrus aut Paulus: multa enim mihi desunt. "

Aug epist. 119.

Euseb l. 6. c. 26. & c. 17 Ad Trallianos.

7. Patrum eò est minor autoritas, quò est inter ipsos maior digladiatio. Non libenter istam narrationem ingredior: de patribus & maioribus nostris non est loquendum nisi modestè & parcius. Rixæ fuerunt tamen inter patres, inter Hieron. & August. de Petri lapsu, inter Rufinum & Hieronymum de Scriptis Origenis, inter Orientales & Occidentales Ecclesias de Paschate, inter Ioan. Con-

stantinop. & Gregorium Romanum de Primatu, inter Chrysostomum & Theophylum, inter Epiphanium & Augustinum de quartæ & prosabbathi ieiunio, inter Cyprianũ Aphricanósque patres Catholicos de rebaptizandis hæreticis, inter ipsos sanctissimos Romanæ Ecclesiæ Pontifices, de facto, de Iure, de compluribus. Sunt Patrum, vt hominum aliorum, multa capita & tot ferè sententiæ. Hieronymus & Gregorius videntur tenere Salomonem esse damnatum, Ambrosius & Augustinus esse seruatum. Augustinus arguit iustè Petrum à Paulo reprehensum, Hieronymus autem super Epistola ad Galatas dicit, peccasse eum, qui Apostolorum caput reprehendit. Fuit contentio inter eosdem Hiero. & August. de cessatione legalium. De assumptione Mariæ litigatur. De Patrum dissensione extat etiam confessio Alphonsi Castrensis, Neque solùm ipsi inter se discordant, verùm etiam ipsi à seipsis non tarò dissentiunt.

Bernardinus in prima parte Ser. 3 de Concep. Mariæ.

L. 1. cõtra. h. c. 7.

8. Quare vltima & prouidentissima Cautio erit, quoniam hæc ita se habent, vt firmum inde argumentum non possit colligi: nullius patris dicto credamus absque autoritate & mandato eius, à quo est omnis paternitas. Non ego sed Augustinus suam autoritatem minuit. Nolo autoritatem meam sequaris, vt ideo putes ibi aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur. Clarissimus quoque ille vir Dionysius Alexandrinus de Nepote Millenario, In aliis quidem multis ego amplector & diligo Nepotem, &c. sed reuera plus omnibus & amanda & prefereda est veritas. Laudare oportet, & absque inuidia amplecti, si quid rectè dictum est: discuti verò & discerni, si quid minus sanè dictum est. Idem planè illis antiquior Irenæus, l. 4. cap. 43. Idem alio in loco Augustinus

Ad Paulinũ epist. 112.

Epist. 19. de Scripturis & patribus statuit æquissimè: Scripturarum Canonicam esse autoritatem: alios autem ita à se legi: vt quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putet, quia ipsi ita senserunt, sed quia sibi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreret, persuadere potuerunt. Idem Baptismum paruulorum confirmat, non tantùm antiqua aut Apostolica traditione, verumetiam ex Sacramento Circuncisionis Iudaicæ eam consuetudinem probat, & ad Scripturas appellat. Idem est processus, eadem methodus Tertulliani de Præscriptionibus, vtrumque coniungit: imò de se & aliis omnibus pronunciat, Nobis non licet ex nostro arbitrio indulgere. Idem iterum in alio loco Augustinus docet, Solis Canonicis Scripturis sine vlla recusatione consensum debeo. Et alibi, Audi, dicit Dominus, non dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Hilarius, aut Ambrosius, aut Augustinus, sed dicit Dominus. In qua etiam Epistola, generali regula docet omnes Episcoporum calumnias, omnia scripta Cypriani, Agrippini, denique totum hoc genus literarum ab autoritate Canonis distinguere. Omnino totus noster est Augustinus qui nec aliis, nec sibi, nec carni, nec sanguini, nec vetustati, nec nouitati quicquam reseruat, de aliis patribus quos verè patres nominaui superius, magnificè sentit, déque his solùm cogitat. Pro patribus his nati sunt tibi filij. Genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi patres. In Epistolis passim obuiæ sunt egregiæ sententiæ, in Epistola 111. & 112. In Epistola ad Hieronymum timorem & honorem solùm illis deferre se contestatur. Et Hieronymus ad Demetriadem Virginem, solùm Dei voluntatem per has literas cognosci

De Bapt. cont. Donat. l. 4. c. 24.

De natura & grat. c. 61.

Ad Fortunatianum

gnosci asseuerat. Omnia huc tendunt, vt Deo magis obediamus quàm hominibus, vt eos Christi Patres, Matres, Fratres, Sorores iudicemus, qui patris cœlestis voluntatem faciunt & sequuntur: Ne Deus dicat, inquit Nauseas, quod Adæ dixit, Quia audisti vocem vxoris: vt inter hosce Canonicos & alios quantumuis Catholicos differentiam statuamus, quia illis simpliciter & religiosè, istis non nisi cautè & hypotheticè credendum est: vel vt Aquinas loquitur, Autoritatibus Scripturæ ex necessitate argumentemur, autoritatibus Doctorum probabiliter arguamus, vt eos solummodo nos loco patrum habeamus, cùm nobis probant se esse illorum natos, vt non vni omnia assentiamur, nisi ille omnia sua ex scriptura astruat. Quare nostrorum Pseudochristianorum quæstionem ex omnibus scholis explodendã censeo, dum pro hominibus contra Deum, pro creaturis contra creatorem, dum de Ecclesiæ autoritate supra Scripturam disceptant. Est enim stulta quæstio: quoniam de hominum scriptis & Ecclesiæ scitis liberum est iudicium: Probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, quod fit si scripturas scrutemur. In Controuersiarum diiudicatione, Scriptura est via qua euadamus, norma qua dirigamur: meta quò tendamus, si à recta linea non discedere, si aberrare nolumus. Hac fide è scripturis hausta, omnes opiniones prauæ eliminandæ sunt, iudice Chrysostomo. Quamobrem si Iesuita nobis Patris opinionem cum diuina Scriptura coniunctam in medium protulerit, accinimus: si nudum patris nomen sine re & ratione attulerit, diffidimus. Illud si effecerit, verè ratiocinatur, & confectum est prælium: sin minus, nos in prælio victores euasimus. *Patres tam nostri sunt,* ait Campianus,

Act. 5.

Matth. 12.

1 p. q. 1. art. 8.

Quæstio inuita an maior sit Ecclesiæ quàm Scripturæ autoritas.

1. Ioan. 4. 1. 5.

1. Tim. 4.

quàm est Gregorius decimusfertius Filiorum Ecclesiæ pater amantissimus: Ergo, ait noster Whitakerus, vestri non sunt Patres, quia Gregorius vester non est filiorum Ecclesiæ pater amantissimus. Hęc responsio videtur curioso & captioso Duræo imperita & puerilis. Erítne Gregorius Duræo pater amantissimus qui Pater durus est, qui filios nunquam pascit? aut si pascit, non nisi suos pascit, sicut coruus suos pullos non nisi nigros? aut potius pro bono pastu malum virus porrigit? Dicam ex Laurentio Valla Papas dici nomine patres, re parricidas. Sic enim experientissimus homo de omnibus suæ memoriæ enunciauit: Dico & exclamo: Neque enim timebo homines, Deo fretus, neminem mea ætate in summo Pontificatu fuisse, vt fidelem dispensatorem, aut prudentem, qui tantum abest, vt dederit familiæ Dei cibum, & escam panis: Papa & ipse bella pacatis populis infert, & inter ciuitates principésque discordias serit. Papa & alienas sitit opes & suas exorbet, δημοβόρος βασιλεὺς. Non modò Remp. quod non Verres, non Catilina, non quispiam peculator auderet, sed etiam rem Ecclesiasticam & Spiritum Sanctum quæstui habet, quod Simon ille Magus detestatur. En cuiusmodi patres nobis Roma pariat. Audax Campianus gloriatur de victoria ante certamen, & classicum canit, sed non potest sic bellum confici, nisi audiatur clangor diuinæ buccinæ. Herinaceus cornua sæpe eleuat, & videtur magna velle aggredi: sed modica festuca tanget, vnus verbi diuini apiculus feriet, & quamprimum cornua retrahet. Audiamus ergo quid porrò crepet noster Iesuita, quomodo testudo proreptet & petat suis cornibus: quàm appositè & affirmatè loca ex monimentis patrum conquisita Religionem Papisticam propugnent, quomodo

De donat. Const.

modo illam fidem volumina eorum integra distinctè copioséque dilucident.

CAMPIANVS.

DVPLEX *Hierrachia Martyris Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum tam valde, vt huius opera similima somnijs, nec non perniciosissima iudicaret. Imitatus parentem Caussæus, nescio quis terræ filius ex Gallia, non erit veritus hunc Dionysium inclytæ gentis Apostolum vocitare delirum senem.*

HVMFREDVS.

QVID VELIT hoc loco dicere Campianus, coniicio: quid dicat, non inuenio: vellet colligere Dionysium papismi sui columnam esse, ideóque nostros eum non ferre sed carpere. Quod à vero remotum est, itaque qua facilitate ab eo dicitur, eadem à me negatur. Sed quid dicit? Nihil. Dum enim admiratur, dũ exclamat, *Duplex Hierarchia Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet?* Vtrum nostras classes, nostra sacra, nostros ritus dicat, an suos, quis sciet, cùm nihil aperiat? Facillimum est ad hunc modum libros scribere, si liceat Textum dubiis sententiis, marginem falsis notis implere. Sequamur tamen ordinem Campiani, & primum Dionysium, eiúsque scripta atque doctrinam inspiciamus, dein crimina Lutheró & Caussæo obiecta expendamus. Dionysius Ariopagita quomodo prædicatione Paulina ad

Dionysij tota historia aut incerta aut falsa. Act. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christianam fidem cõuersus sit, narrat Lucas: nec quicquam est exploratius: reliqua tota narratio de hoc tanto patre, quem ex Chrysostomo volucrem cœli, ex aliis Magnum quasi Angelum esse volunt, omnino est incertissima, vt illi non magis quàm baculo arundineo innitendum videatur.

Hîc ergo nobis aurem vellicaret, hîc nos submoneret Æschynes Orator, Capite hos prædones qui nauigant in mari verborum. Certum est, à Iesuitis istis nihil certè aut verè aut solidè dici de vita aut doctrina Dionysij. Hunc Ariopagitam Episcopum Athenièsium esse scribunt Dionysius Corinthiorum Pastor, Suidas, Rupertus noster, Lincolnienſis, Maximus, Legenda aurea: At Beda & Comestor Corinthiorum Episcopum: Dionysius Carthusianus vtrumque successiuè fieri potuisse respondet. Nicolaus Cusanus vocat Philosophum & Platonicum: hoc negat Faber Stapulensis. Sed Legenda hoc ipsum pernegat: Dionysius summus erat Philosophus, ideo antonomastícè dicebatur, Ionicus. Suidas etiam in Ægypto cum Apollophane studuisse confirmat, & in illa magna Ecclipsi tempore passionis Christi, dixisse, Ἄγνωστος πάσχει θεὸς, Ignotus Deus patitur, propter quem omnia obscurata & conculsa sunt.

Euſ. l. 2. c. 4. Act. 17. In scholastica historia. In vita S. Dionysij

Martyr Dionysius, inquit Campianus, sic arbitror sanè: at inter historicos non constat de Martyrii tempore: Suidas sub Traiano Cæsare, quando etiam passus est Theophorus Ignatius: Contrà Nicephorus sub Domitiano. Hunc Ariopagitam Suidas, Adon, Michael Singellus, Gregorius Turonensis & alii Pauli Auditorem credunt fuisse & illum scriptorem Cœlestis & Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quam nominat Campianus: At hunc suppositítium esse Dionysium indicat Laurẽtius Valla,

Eccl. Hist. l. 3.

la, cuius tempore multi viri & quidem docti autorem esse alium iudicarunt, nempe Apollinarium. Rursus hoc à Ioan. Nouio infringitur in sua Apologia. Atqui Magdeburgenses, Erasmus, & contra Parisienses, & in Annotationibus suis, item Io. Coletus, Selneccerus, & alii dubitant, imò firmis rationibus contrarium euincunt: quod mihi & ex forma locutionis & ex materia librorum verisimillimum esse videtur. Stylus & forma loquendi obscurior & horridior, certè nõ Paulina aut Apostolica. Epistola ad Lectorem, in Dionysium Carthusianum super Commentaria, Dicit hũc Dionysium, quisquis fuit, esse asperiorẽ, multis mendis anteà scatuisse, vix intelligibilem, nonnullis etiam Theologis facessere negotium. Sed ipsam librorum materiam atque doctrinã inspicia mus. Campianus ait, *Quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet?* Tales scilicet edocet, quales nũquam à Paulo didicit: Imò, inquit Legẽda, à Paulo didicit, nõ ab alio: adeò luculẽter de Angelorum dispositionibus & officijs disseruit, perinde quasi cũ illo raptus in tertium cœlum, ibi hæc omnia conspexerit. Nõ è cœlo, nec à Paulo habuit quod nobis tradidit, scripsit ad Polycarpum tãquam Põtificem, qui tamẽ altero pòst seculo floruit: scripsit ad Timotheum tanquam ad filium, cùm tamẽ isto fuerit in Euangelio frater maior: scripsit ad Ioan. Euangelistam: scripsit de Bartholomæo & de Ignatio, quæ omnia suspecta sunt, si annos computemus, & fideles historiographos consulamus. Si fuit Pauli discipulus iste Dionysius, qui ante eum scriberent libros, habere multos maiores nõ potuit. Ille tamen qui Dei, qui Christi, qui Pauli præceptoris, qui aliorum Apostolorum aut nũquã aut rarò meminit, alios præceptores multos subinde

In Commẽt. Dionys Car. sup. Dion. Ariop.

Act. 17.

Cen. 1. l. 2. c. 10.

L. de Mystica Theol. l. de diuinis nominibus.

De Hiera. Eccle c.3. inducit: Alibi ait, Eucharistia est iuxta inclytum præceptorem nostrorum, πλεῖον τελετὴ Ceremonia ceremoniarum, id est, consummatissimum Sacramentum: vbi Scholiastes, τὸν ἅγιον ἱεροθέον λέγει Sanctum Hierotheum dicit, ergo non Paulum „ præceptorem: Mox, de Chrismate, Atque ideo „ præceptores nostri istud quasi æquale sacro syna- „ xeos mysterio coniunxere: Pòst, de sorte Matthiæ, „ Alij alia senserunt meo iudicio non rectè: Postea de Monachis, Sancti nostri Patres diuinis eos appellarunt nominibus, partim Therapeutas, partim Monachos:: Adhæc de precibus super defuncto, quomodo prosint vel non prosint, Diuinorum suorum ducum Traditionem recensèt. De

De Diuinis. c.3. Amoris & charitatis differentia, sacrorum tractatores suos adducit. Ibidem, Excelsum & antiquissimum Theologorum culmen Hierotheus alios omnes Doctores superauit. Erítne cuiquam non credulo credibile, illa Pauli ætate tot scriptores, duces, Doctores, Pontifices, præceptores, Patres ante Dionysium extitisse? aut ista tam multa tam nugatoria sine verbo, traditione quadam euulgasse? aut istos eum tanquam ignobiles & a-

l.2.c.5. Defensio nis Platonis. nonymos producere voluisse? Sed quid opus est hac Demonstratione? Bessario luculenter. Dionysius hic, inquit, neminem ante se habuit diuinarum rerum scriptorem prꝛter Apostolum Paulum & Hierotheum Athenarum Pontificem.

Et quidnam isti Traditionarij Dionysium docuerunt, aut quæ sacra nos à Dionysio discipulo, Campiano docente, perdiscemus? Summatim duo sunt aut error, aut ignorantia. Ex traditione error est, precari pro defunctis, quoniam ipsemet Dionysius ex Scriptura aliter docet: Error est, oleo defunctos perfundere aut vngere: Error est Mo-

De Eccle. Hier. nachatus, quem tradit omnium initiandorum ordine

ordine atque ipso Ministerio diuinitus instituto excellentiorem. Et tamen Pauli tempore nullum Monachi vestigium fuisse docet Chrysostomus, nec ordo talis vel præceptus fuit vel commendatus ab vllo Apostolo. Error est, quando Vnguentum Baptismo ὁμοταγὲς dicitur, eique Sacramento Christi inuentum hominis æquatur. Error est, quando nouas Ceremonias Paulino seculo incognitas & inanissimas speculationes ingerit. Error est, imò impietas, si verum est, quod dictum est, Basil. Nos istius viri omnia non amplectimur, Habent enim quædam semina impietatis. Sunt etiam fortassis quædam Dionysij libris inserta: quod etiam in aliis patribus non rarò vel hæretici, vel scioli, vel maleuoli tentarunt. Cur enim Dionysio Ario- Euſl. 4.

pagitæ non obtingeret, quod Dionysio Corin- c.13. thio vsu venit? Sic ipse quæritur, Fratribus vt scri" berem rogantibus, scripsi Epistolas. Has etiam " Apostoli Diaboli Zizaniis, alia eximentes, alia " verò adiicientes repleuerunt, quibus condemna- " tio est reposita. Idem fuit Origenis infortunium " de quo rectè Hieronymus, Quis vnquam tanta legere potest, quanta ipse præscripsit? & tamen multa suo nomine edita nõ tãquam sua agnoscere voluit. De illo enim hoc cùm multi alij asseuerarunt, tum Haymonis testimoniũ declarat, Ego " sanè de Origene viro tam illustri abstinentissimæ " vitæ & castissimæ, præclaræ doctrinæ, puri & lu- " cidi sermonis, salua fide patrum, dixerim, quòd " hæc omnino non scripserit, sed ab hæreticis ob " præclarum nomen eius obfuscandum malignè " conficta sunt & conscripta &c. Hæc enim ex illo " refert Comes Mirandulanus. Nec sanè alij patres Io. Picus. fuerunt prorsus immunes sed eandem fortunæ a- in Apol. leam subierunt. Quicquid sit, Dionysius auditor Paulo magistro in multis nõ cõsentit & antiquus

esse potest, sed Apostolico pede ad veritatem nõ incedit. De stipulis & erroribus hactenus. Ignorasse illum linguam Hebraicam liquet ex his verbis, de interpretatione Seraphim, Si, vt aiunt, qui
1 de Eccl. Hier. "Hebræam linguam callet. Nec illa Pauli discipulo conueniunt, dubitare de sua doctrina, & ignorare an rectè scripserit. Si hæc, inquit, vel minus
In Epilogo de D. Nominibus. rectè aut minus sufficienter se habent, & ab ipsa veritate vel omnino vel ex parte deficimus: erit profectò humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem. Ergo cùm nec ex forma & figura dictionis, nec ex materia & rebus quæ ibi tractantur Pauli discipulum possimus agnoscere, sed aliebi nos vel errare vel ignorare doceat: dum nõ solùm nos & nostri, sed etiam Theodorus Gaza Græcæ linguæ peritissimus hãc duplicem Campiani Hierarchiam Dionysij Ariopagitæ esse planissimè neget: alium potius alio seculo Dionysium fuisse crediderim, non quòd hanc argumenti Campianici partem esse putem veram aut vero similem, nam Dionysium nostram tueri sententiam non pontificiorum alio loco patefaciam, sed quòd multorum cùm autoritate tum ratione adducar. Etenim Autor ille Apologiæ testatur se ptimò inspectis illis operibus sensisse non esse Dionysium Ariopagitam autorem: sed pòst aliter persuasum. Nos contrà aliam mutationem alterius Censoris adducemus. Sic enim ferè scribit Erasmus, Incomparabilem virũ Guilielmum
In Act. 17. in Annotat. Grocinum vt Theologũ summũ, ita in nulla disciplina nõ exquisitè doctũ & exercitatum, auspicaturum Londini in æde diuq Paulo sacra enarratione Cœlestis Hierarchiæ, meditata præfatione multum asseueraſſe hoc opus esse Dionysij Ariopagitæ: at eundem priusquam operis dimidiũ confeciſſet, vbi gustum attentius cepisset, ingenuè coram auditoribus fassum esse, sibi verso calculo non videri id opus esse Dionysij Ariopagitæ.

At Duræus citat Origenem nominantem Magnum Dionysium Ariopagitam. Quis ille locus, quæ sententia ab Origene adducitur? Duræus quia tacet, sapit, Ego dicam, Esse omnium est superessentia & diuinitas. Sed ex quo Dionysij libro attulit hæc Origenes? Iterum silent. Et ego iterum dicam: fortasse pete ex libro de mystica Theologia: & tamen ea verba licet pauca in illo libro quamuis paruo, expressè vix inuenientur. At sit hic liber Dionysij, nihil ad nos, qui nunc de Hierarchia duplici contendimus, vnde suos ritus Campianus obiectat, sed quàm aptè, quàm verè, suo loco videbimus. Equidem Erasmus Origenem verum negat citasse Dionysiũ Ariop. & probabile est fuisse hunc Pseudorigenem: eoque magis quòd ipse Ambrosius Camaldulensis aliter quàm Duræus respondet, Obiiciunt nec Origenem, nec Ambrosium memorasse: quia nec iste Ambrosius, nec Origenes, nec Eusebius omnium Ecclesiasticorum libros vidit ac no uerat. Nec Hieronymus, nec Augustinus, nec Ambrosius allegant propter difficultatem, & quia fuerunt abscónditi ab hæreticis. Ita hæc simplex responsio est ingenua confessio, & concors nobiscum consensio, causas etiam reddens cur non legerint. Alanus Copus Dionysij omnes libros esse germanos probat testimonio Theophylacti, Scilicet, vt Lucas probat in Actis Apostolicis, qui de libris nihil dixit: Tantummodo enim loquitur de Dionysij mentis illustratione per Pauli prædicationem, & de conuersione à Dialecticis tendiculis & gentilium erroribus. Satis est istis si Dionysij nomen habeant, facilè enim illi ex hoc

In diuersos Hõ. 2.

Dial. 2.

In Luc. ca. 12.

nihilo quiduis concludent.

Quid sequitur? *Illa classium, sacrorum, rituum Papisticorum scilicet descriptio pupugit Lutherum tam valdè, vt huius opera simillima somniis nec non perniciosissima iudicaret.* Extant Lutheri Annotationes in Deuteronomiũ Basileæ impressæ, inspexi illa tria capita: Dionysium tantum abest, vt ibi notet, vt ne quidem nominet. Lutherus solum est signum præfixum, contra quem omnibus omnia dicteria & scommata iacere liceat. Semper à maleuolis hominibus, à maledicis linguis innocens traducitur: Scilicet turbat aquam semper agnus simplex, lupo iudice. Prudenter monet Lutherus, cauendos aut libero iudicio legendos patres, Hieronymum, Origenem, imò totam scholam Alexandrinam, quam Philo Iudæus, teste Eusebio, laudat, quòd in allegoriarum studio olim floruerit: quibus tamen, vt ipse Hieronymus conqueritur, repugnãtem Scripturam per incongrua testimonia traxerat. Monet soli verbo innitendum, "aduersus quod admittendi non sunt somniatores, "non prophetæ, non de cœlo Angeli. Amisso verbo, amittitur Deus: Monet nouas Augustini aliorumque regulas aut ordines non esse instituẽdos aduersus fidei puritatem: quod olim ait nostrum Wicleuum meritò damnasse. Monet quod antea nos submonuimus, patres in publico sedatè & purè Scripturam tractare, sed in quæstionibus persequendis & ventilandis Scripturæ aliquid adimere vel addere, vt multi contra Arrianos, Augustinus contra Manichæos, Hieronymus contra Iouinianum, Bernardus contra liberum arbitriũ. Adeo nullus sanctus est, qui omnẽ carnem exuit. Nihil hîc de Dionysij somniis: somniauit certè hoc ipse Campianus. At quia ancora hac nihil fit, iaciamus alterã. Liber Lutheri de Captiuitate Babylonica adscribitur, in Margine Campiani, Verè, fateor, & liberè de libris Dionysij iudicat, Non placet Luthero quod scripsit Dionysius de numero Sacramentorum senario, in quo tamen discordant papistæ qui septenarium præfiniunt: non placet ei ipse scriptor, cui nimium tribui putat, cùm fermè nihil in eo sit solidæ eruditionis: Non placet ei commentum Dionysij in cœlesti Hierarchia de Angelis, multa superstitiosè & curiosè confingẽtis, nihil probantis, nec rationem, nec autoritatem afferentis: hæc propè somniis simillima esse arbitratur: Nõ placet in Ecclesiastica Hierarchia rituum Ecclesiasticorum pictura allegorica, quia propemodum eadem est Durandi in Rationali Diuinorum. Non placet ei Dionysius in Mystica Theologia, plus Platonizans quàm Christianizans, eaq; de causa perniciosissimũ appellat. Hæc Lutherus grauissimus Theologus sapiẽtissimè vidit, verissimè protulit. An quia sunt Luthero visa in vno libro quædam propè somniis simillima, ideóne audacter affirmabit Campianus omnia Dionysij opera esse nõ propriè (sed planè) somniis simillima? & quia alicubi Dionysius nimium philosophans perniciosissimus habendus est, ideo eius omnia scripta Theologica censeri debent perniciosissima? Iterum obseruate nouam fallaciam secundum quid ad simpliciter. *Causæus nescio quis terræ filius ex Gallia, imitatus parentem non est veritus hunc Dionysium inclytæ gentis Apostolum, vocare delirum senem.* Nescio quis terræ filius: Aptè quidem, Nescio quis. Nam Campianum non legisse Causæum apparet in eo quod in margine ponit, aut verius supponit eius testimonium contra Dionysium. *Causæus terræ filius.* Vt semper isti noui Mercatores ad nos vehuntur per Oceanum naui onusta conuiciis? Campianus ni-

C. 13. 17. Lutherus de Dionysio.

In c. 1.

In c. 1. 13.

In c. 17.

In l. de Eccles. Hierar.

Causæus de Dionysio.

mium oblitus est sui: qui cùm ipse obscuro genere natus esset, quem in Ptocodochæo Londinenses Eleemosyna & stipe publica sustentarunt: tamen hunc Gallum non ignobilem, sed Petri Vireti clarissimi scriptoris & disertissimi viri auditorem non est veritus nominare terræ filiũ. Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est, ait Tertullianus, quod non conuenit Bartholomæo Causæo, non minus parentibus & patria quàm præceptore & pietate & literarum monumentis nobilitato. Edidit enim præclaros Dialogos, verè, vt inscripsit, Verum scutum fidei Christianæ, in quibus Germanus contra Parisiensem plus minus viginti sex nostræ religionis articulos in sua lingua strenuè defendit, eúmque à suo errore ad veritatem conuertit: Vnde talem hominem potius Dei filium & cœli ciuem dixerim. *Dionysius inclytæ gentis Apostolus* Sic nimirũ quotidie isti audaculi nobis crearunt post Christum & Christi Apostolos, Augustinum Anglorum, & Dionysium Gallorum Apostolum: vtinam ipsi Apostolici fuissent. Legatur aurea seu plumbea Legenda, & quantus fuerit Thaumaturgus, qualis præstigiator, etiam cæcus videre poterit. Pauli iussu hac forma verborum vsus est, In nomine Iesu Christi nati de virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit & ad cœlum ascendit, VIDE: ilico cæcus tum fortè trãsiens visum recepit, & ipse Dionysius hoc miraculo commotus cum vxore Damari & tota familia baptizatus est & credidit. Miraculo Legenda tribuit quod scriptura concioni Paulinæ ascribit: Cùm audiuissẽt de Resurrectione, &c. quidam adhærentes ei, crediderũt, in quibus Dionysius. Legenda hîc vocat Damarim vxorem Dionysii, & tamen vetus translatio legit mulierem. Quid factũ est de hac vxore, cùm Dionysius per

In Apol.

Legenda de Miraculis Dionysii.

Act. 17.

sius per triennium Athenis instructus, à Paulo ordinatus fuit Athenienſium Episcopus? Num in Episcopatu eam repudiauit? Dionysius etiã clarus Propheta dicitur, nam Ioanni in Pathmos relegato prædixit ipsum è custodia liberatum in Asiam rediturum, & multa ibi bona præstiturum. Hic est ille inclytæ gentis Apostolus: Post mortẽ scilicet Pauli à Clemente missus Parisios, multos ibi conuertit, Ecclesias fabricauit, clericos ordinauit: illico omnes quantumuis seditiosi Pontifices gentium, omnisque populus quantumuis rebellis & cõtra eum armatus, omnes denique illo viso, aut ad pedes illius procumbunt, aut in pedes se coniiciunt: feræ alioqui ad lanienam sub Domitiano euocatæ, signo Crucis oppositio mansuescũt: Missam illo celebrãte & populo communicante, illũ in carcere Christus alloquio suo consolatur: ille Iudici præsentatus tandem, & multis exquisitissimis pœnis mulctatus securi cũ Rustico & Eleutherio martyribus percussus, caput suum auulsum suis manibus, inter brachia, Angelo duce, & cœlesti lumine præcedente ad duo milliaria deportasse fingitur, à loco qui dicitur Mons martyrum, vsque ad locum, vbi nunc sua electione & Dei prouidentia (nõ procul à Lutetia) requieſcit, circumsonante vndique Angelorũ melodia aliisque miraculis stupendis concomitantibus. Quibus nõ dissimilia tradunt alii Historici. Et Christianus Massæus hæc verba habet, Statim vt decollatus est, erexit se truncus, & acceptũ caput ad duo circiter milliaria detulit. Hic est Gallorũ Apostolus, cuius libros de cœlesti Hierarchia è Græco in Latinum traductos circa An. D. 815. legati Michaelis Imperatoris Cõstantinopolitani inter cætera munera Ludouico Galliarum Regi, Caroli Magni filio detulerũt, qui vt sũmo gaudio sũt excepti, ita

In Epist. ad Ioan. Euang.

In Legenda.

Chronicorum L. 2.

In Legenda & Anton. par. 2. Tit. 15. c. 2.

homines cæci, surdi, infirmi plus minus nouendecim ea nocte in illa Ecclesia sunt curati. Hæc magna sunt Apostolatus signa, vt homo viuus & mortuus, & suo & librorum suorum in Galliam aduentu, tanta tam mirabiliter operetur. Sed notam huius Lombardicæ historiæ scriptoris appo-
"namus, Nota quod Ignarus (aut potius Hincmarus) Episcopus Rhemensis in Epistola ad Carolũ,
"dicit, hunc Dionysium missum in Galliam, fuisse
"Dionysium Ariopagitam. Idem testatur Ioan. Scotus in Epistola ad Carolum. Nec fortè ratio ex computo temporis contradicit, sicut aliqui obiicere voluerunt. Ex quibus duo ista colligo, primum nouis & pudendis miraculis atque mendaciis huic Dionysio autoritatem Pontificios conciliare: deinde istum Legendæ autorem de isto Dionysio Ariop. dubitare, & simul innuere ante Vallam & Erasmum alios fuisse, qui hoc in dubiũ vocarent, & non agnoscerent illum Ariopagitam parentem eius duplicis Hierarchiæ. Pergit, Hunc Dionysium inclytæ gentis Apostolum *Causæus vocitauit delirum senem*. In quonam Dialogo? Respondet ex Marginali sua annotatiuncula in Quinto. Atqui non habet Causæus in eo quinto Dialogo vel nomen Dionysij. Liber Gallicè editus est, E Gallico in Anglicum versus est, Londini impressus, Edmundo Episcopo tum Londinẽsi dedicatus: & hic Dialogus inscriptus est, De fide & operibus, vt Anglo cuiuis legere eum liceat. In Dialogo vndecimo, qui etiam ascribitur in margine nihil dicit de sene deliro: illud solũ interloquutor Germanus dicit, quòd etiã alij (Lombardicæ Historiæ scriptore attestante) ante mul-
„tos annos obiecerunt: non videri sibi hunc Dio-
„nysium esse Ariopagitam, illum Pauli Athenis
„auditorẽ: Paulũ enim nunquã somnia somniasse, sicut

Delirus senex Dionysius.

Anno 1558.

Anno 1559.

sicut iste Pseudo-Dionysius, de funebribus næniis, de precibus pro defunctis, cuiusmodi Euangelistæ aut Apostoli, aut primitiuæ Ecclesiæ Apostolici Ministri ne per somnium quidem tradiderunt: Breuiter ergo negamus totum argumẽtum: Nec totus Dionysius totus est papisticus, sed quisquis fuit, maxima ex parte noster est: nec Luthetus, nec Causęus, vspiam, vero Dionysio Ariopagitę oblocuti sunt, nec de isto qui extat, talia in eum modum, illis verbis, in hisce locis scripserunt.

CAMPIANVS.

Centuriatores offendit Ignatius, offendit & Calumnum, vt in eius Epistolis deformes næuos & putidas næmas, hominum quisquiliæ, notarint. Institit. l. 1. c. 13. Numo. 29.

HVMFREDVS.

A puro semper aqua pura defluit, sed ab impuro quid expectes nisi impurum & illotum sermonem? Historiæ Ecclesiasticæ autores, qui in ea conscribenda diligentissimè & fidelissimè desudarũt, & Ioan. Caluinus cuius ingenium, iudicium, pietatem, eruditionem tota Europa Christiana non immeritò suspicit & admiratur: hi quisquiliæ hominum vocitantur. Sed salua res est, quos mundus stultos, purgamenta, sordes, quisquilias reputat, illi alium habent in cœlis & Agonothetem & iudicem, nec ab humano die damnantur vel iustificãtur. *Ignatius offendit Centuriatores, vsque adeò vt deformes næuos in eius Epistolis notarint.* Nõ satis est virulenta lingua insectari, nisi insuper mendaciis & sophistica fallacia vtantur.

De Ignatio.

Cent.2.c. 10. Magdeburgenſes illius præclari operis concinnatores, moderatiſſima oratione prudẽtiſſimè monent, Haberi quædam in hiſce Epiſtolis Ignatii quæ ad deformes nævos declinare videntur: ergo habent deformes nævos omnes Ignatii Epiſtolæ? Hæc verba qui rectè examinant, *Quædam videri declinare ad nævos deformes in hiſce Epiſtolis ſuppoſititys*: vident illos loqui reſtrictè & ſecundum quid, Ieſuitam autem latiſſimè & ſimpliciter accipere: nimirum illos eſſe viros in proferendo modeſtos & cautos, & iſtum in repetendo ſophiſtam & maledicum. Hiſtoriographi illi & nos Ignatio eiúſque genuinis Epiſtolis tantum deferimus, quantum ipſe à nobis poſtulat: & quantum iure bono poſcere à Diacono Antiocheno potuit: Cuſtodi depoſitum meum, quod ego & Chriſtus cõ-
Ignatius in Epiſt. ad Heronem. „ credimus tibi. Sic enim Eccleſiæ inſeruire debent miniſtri, ſicut Chriſtus mandauit, hoc ſolum requirit Ignatius, vt in eadem Epiſtola paulò ſuperius expreſſit.

Fallacia Cãpiani.

Ignatius offendit & Caluinum. Hoc quoque olet ſophiſticam. Nõ eſt ſimpliciter verum: nam Ignatium ſanctiſſimum & conſtantiſſimum Martyrem omnes diligimus, & tantum non honoramus. Sed quædam obrepſerunt, in Ignatii ſcriptis adulterina, non ferenda, ea ſi reiicit Caluinus, nõ
Inſtit.1.c. 23 Sect.29. ſtatim dicendus eſt aut iniquus Cenſor Ignatii, aut opera Ignatii omnia tanquam putidas nænias reprobare, quandoquidem ea ſolùm quæ culpanda ſunt in ſuppoſititio Ignatio peruellit. Corruptelas illas de Quadrageſima & ſimilibus putat eſſe nænias, hiſque nihil eſſe putidius, quæ tamen Ignatii nomine circumferuntur. Quare alia eſt fallacia, Petitio Principii, quandoquidem nondum conuenit inter nos, ſitnè ille, de quo agitur, Ignatius. Hæc breuiter de argumento, nunc de re

de re paulò copioſius. Centuriatores nævum cenſent, quod tamen falsò Ignatii titulum præ ſe fert, Quicunque Dominicam aut ſabbatum ieiuniis dicauerit, præter vnum Sabbatum Paſchæ, ipſe eſt Chriſti interfector. Item, Quicunque cum Iudæis Paſcha egerit, aut ſolennia feſta eorum ſuſceperit, ſocius erit eorum, qui Dominum eiúſque Apoſtolos occiderunt. Non hæc Ignatius dictauit, ſed aliquis crudelis Draco vel rigidus Pſeudapoſtolus. Ignatius enim verè cognominatus Theophorus, Apoſtolorum hæres, non ſic iudicaſſet & temerè & ſeuerius, contra illud Paulinum, Col.2. Nemo vos iudicet in cibo aut potu aut parte Diei feſti. Scio multa eſſe à veteribus diſputata de ieiunio Dominici diei & Sabbati, atque etiam de Paſchate; ab Auguſtino ad Caſulanum, à neſcio Epiſt.86. quo Clemente in Conſtitutionibus Apoſtolicis, L.5. ab aliis & à Conſtantino qui Iudæorũ obſeruationes ferre nullo modo potuerunt. Quæ quidem optimi Imperatoris Zelum declarant, omnibus imitandum & admirandum, ne hoſtibus Dei in vlla Ceremoniarum conſtitutione ſimiles aut conformes eſſe velint: ſed tamen Socrates teſta- L.5.ca 22 tur, nec Chriſtum, nec Apoſtolos aliquod ſeruitutis iugum impoſuiſſe Chriſtianis, in huiuſmodi ritibus. Vehementes ſunt & acres hac de cauſa veterum Digladationes: Vnus dixit, Maledictus, Socr.l.7. qui Paſcha extra azyma facit: Alter dixit, Vbi c.5.De Chriſtianiſmus, ibi nullus eſſe Iudaiſmus poteſt. Quadrage Quadrageſimali ieiunio quod affertur, Calſima. uinus tanquam nænias reiicit, quia nec ſacris literis conuenire poſſe, nec inter opera Ignatii numerari debere exiſtimat. Non enim Quadrageſimam Chriſtus nobis inſtituit, ſed ipſe ſi- Ignat.ad Magne- obſeruauit: ieiunauit & eſurijt, vt ſuæ tum ſi.4. diuinitatis tum humanitatis illuſtre ſpecimen

ederet. Nos vt homines ad aliquod tempus ieiunare & Dei gratia possumus, & ex eius mandato debemus: Christi exemplo Quadragesimam illam obseruare, & tot dies noctésque Quadragesima prorsus ab omni esu & vsu eduliorum & potionum abstinere, nec ex præscripto debemus, nec sine quadam singulari gratia possumus. Deinde Quadragesimæ apud veteres & significationem & obseruationem diuersam fuisse autor est Socrates in sua Historia Ecclesiastica: nec mihi persuadere possum, sic præscripsisse ieiunium, vel intellexisse Quadragesimam quomodo posteris téporibus nobis obtrusit Romana Ecclesia. Quorsum enim ista ad ieiunium Pontificiorum? Christus nihil gustauit: An ergo qui delicatissimis epulis saturantur, qui bellariis stomachum obruunt, qui vino exæstuant, & à carnibus sibi temperant, Christi more ieiunare dicentur? Non inquit Hieronymus, Non ieiunium appellandum est, sed fœtens & molesta digestio. Quare non videtur hoc assumentum Ignatio aptari posse, maximè quia affert rationem, quæ cum omni & ratione & religione pugnat. Quadragesimam nolite contemnere, continet enim imitationem politiæ seu conuersationis Domini: imò potius imitationem Mõtani, qui talium ieiuniorum leges primus instituit, quem propterea meritò Apollonius nouum Doctorem appellitat. Quid? Ignatius, secum ipse pugnaret? In Epistola ad Philadelphios eadem vehementia sed maiore libertate vtitur, Qui cibos „nonnullos abominandos reputat, hic nidus est, „& hospes Draconis illius Apostatæ. Multo libe„rius & purius ad Heronem Diaconum, Vino & „carnibus non prorsus abstineas, nil enim in his est, quod quis abominetur, quin & Scriptura dicit, Bona terræ comedetis: Et, Carnibus vescemini,

Li. 5. c 22.

Con. Iouiniã. Li. 2.

Eusl. li. 5. c. 18.

mini, quemadmodum oleribus. Chrysostomus etiam expressam habet oppositionem. Ignatius iste strepitat Christum ieiunasse vt imitemur. Ille autem vero vultu & clara voce contrà ait, Non dicit ieiunium suum esse imitandum, quamuis quadraginta illos dies posset proponere, sed, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde: Quid? quod hæ omnes ordinationes seruiles ex Canonibus Apostolorum, vel ex illis aliis Pseudoclementis Constitutionibus potius extractæ quàm ab Ignatio excogitatæ videri possunt. Nec sic vel cauillando vel cachinnando euadet Duræus, nec vnquam has nostras rationes infirmabit. Eusebius aliquot Epistolas Ignatii proprias recitat, plures Hieronymus: neuter tamẽ istam ad Philippenses: quis ergo nos adiget vt subscribamus? Rursus, Caluinus dixit, esse qui Ignatium obtendunt etiam contra Christum, an Duræus hoc ab illo scriptum, & non potius ab hæreticis insultum existimabit? Theodoretus profert testimonium ex Ignatii ad Smirnenses Epistola contra hæreticos de Eucharistia: hoc in ea quam nos habemus, non inuenitur. Si aliquid resecant, cur non aliquid etiam assuant? maximè cùm paulò superius, idem Pater ex eadem Epistola Ignatii probet Christum veram carnẽ hominis gestasse post resurrectionem, contra opinionem Pontificiorũ, quem locum integrum in nostris impressis exemplaribus habemus. Videtis ex his, Academici, Iesuitas nostrorum hominum sententias mutilasse, & Ignatii ista non esse: ideóque istos hactenus de asini vmbra contẽdere. Sed de Ignatii quadragesima alibi vberius.

Iesr. Gen. 9. In Matth. 13. H. 47.

Can. 64.

Li. 5. c. 13. Li. 3. c. 35.

Dur. Cõ. V Vhitak. Dial. 3.

Theodor. Dial. 2.

CAMPIANVS.

Cent.2 c.5 CENSORIBVS *illis fanaticum quiddam Irenæus edidit: Clemens auctor Stromatũ zizania fecéſque protulit: reliqui patres huius aut, ſanè Apoſtolici viri, blaſphemias & monſtra poſteris reliquerunt.*

HVMFREDVS.

AD eundem ſcopulum ſemper offendunt Ieſuitæ. Irenæus, Clemens, Apoſtolici alij in vno aliquo articulo vel in quibuſdam impegerunt: & noſtri eos in ſpecie aliqua reos peragunt, ergo, inquiunt, damnant in vniuerſum patres tanquam fanaticos. Nam cùm ille Patris locus non producitur, cùm phantaſmatis ſpecies non deſignatur, omnes idiotæ & ſimplices à noſtris Theologis generalem & grandem dicam inſcriptam eſſe patribus autumant. Cenſores iſti Magdeburgici *phanaticum quiddam edidiſſe Irenæum* notarunt, putà de tempore lapſus Diaboli. Item de Enochi legatione ad Angelos, quaſi Deus homines ableget ad Angelos & non Angelos ad homines: Iterum de inchoata & imperfecta primi hominis creatione, quem tamen Deus ad ſuã imaginẽ condidit: Adhæc, de Libero hominis poſt lapſum arbitrio: vt quando dicit, Si non in nobis eſſet facere hæc, aut non facere, quam cauſam habebat Apoſtolus, & multo prius ipſe Dominus conſiliũ dare, quædam quidem facere, à quibuſdam verò abſtinere? ex quibus aliiſque in eo capite ſententiis colligunt, non tantùm in operibus, ſed in fide liberum arbitrium homini eſſe ſeruatum: ſicut & Ipſe Irenæus ſuis verbis ſuam ſentẽtiam expreſsit: Iſtáne ſoli Magdeburgenſes improbant? an defendãt Ieſuitæ? Eſtne aliquis Cenſor iuſtus, aliquis æquus rerum æſtimator qui aliter, quàm iſti Cenſores, ſentire aut cenſere poterit? Non modò fanaticum aut phantaſticum, ſed hæreticum quiddam in Irenæo alij ſubolfecerunt. De illo & aliis patribus, non noſter ſanè, ſed homo à Romana curia non alienus, Cornelius Agrippa iamdudum ad hunc modum iudicauit: Neque verò illis per omnia credatis: nonnulli illorum perſeuerarunt in multis erroneis opinionibus, de fide, quæ per Eccleſiam pro hæreticis reprobatæ. Sicut manifeſtum eſt de Papia Hieropolitano Epiſcopo, de Victorino Pictauienſi, de Irenæo Lugdunenſi, de beato Cypriano, de Origene, de Tertulliano, & multis aliis quos conſtat in fide erraſſe. Nec Agrippa ſolus dixit, nec ipſe inuenit hoc de Patribus, ſed à patre Hieronymo accepit: Hos omnes mille annorum Iudaicam edidiſſe *σκηνοπηγίαν*, & ſenſiſſe Domi num poſt Reſurrectionem in carne cum ſanctis regnaturum. Hæc ſunt illa phanatica & erronea quæ noſtri in Irenæo ſuggillant: nõ tantùm illa de Libero arbitrio, de Miſſæ ſacrificio, de bonis operibus ſicut Duræus putat: de quibus inter nos & Pontificios cõtrouertitur: in quibus eum à nobis non planè diſſentire fortaſsis alibi oſtendemus. Hæc maiora ſunt, ipſo Duræo Cenſore, damnãda, niſi non modò patrum ſed etiam hæreticorũ propugnator eſſe voluerit. *Clemens auctor Stromatum, zizania fecéſque protulit.* Non quid Cenſores proferant ſed quare protulerint, conſiderandum. Zizania hæc eſſe putant Magdeburgenſes, vt homo nimium ſua opera admiretur, ſibique de perfectione blandiatur. Clementem hoc protuliſſe

De Irenæi naeuis. Con. hær l.4.c.78.
Ibid.c.30. Heb.1.
Li.4 c 72.
De vanit. ſcient.
In vita Papiæ.
De Clemente.
Cen.2.c.4

scribunt,libro septimo Stromatum:Non vult nos Seruator noster amplius opus habere auxilio, quod datur per Angelos:sed à seipso,cùm dignus euaserit accipere, & à seipso habere præsidium per obedientiam. Proferunt & aliud Clementis incommodè & blasphemè dictum, Qui credit quidem,remissionem peccatorum à Deo accepit: " qui verò cognitione præditus est,vtpote qui non " peccat amplius,à semetipso remissionem peccato " rum habet:Hæc zizania nominant Sacræ Scriptu- ræ contraria,nempe,Ego sum qui deleo iniquita- tes:Sine me nihil potestis facere, Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Quid loci erit merito Chri- sti, si hæc zizania de tanta hominis perfectione spargere liceat? Aiunt præterea Magdeburgen- ses Clementem feces quasdam turbidas trahere, & pernicioſas opiniones serere de pœnitentia. Inspiciantur loca, recténe an secus reprehende- rint,iudicetur. Annon feculentum est quod pro- tulit Clemens de Amore Angelorum? nónne & illud fecem olet, quod scripsit de pœnitentia Diaboli? nónne & illud,Eos qui iustè & hone- stè ante Christum vixerunt,esse iustos vel per le- gem vel per philosophiam? Vbi Christus?vbi fi- des in Christum?Nónne & aliud Apostolicæ sen- tentiæ planissimè repugnans, Seruari quidem nos gratia,sed non absque bonis operibus?Non libé- ter ista commemoro, ne Patrum verenda cum Chamo denudasse videar:sed Clemens ipse inge- nuè de se & sui temporis similibus hæc enunciat, " Horum,inquit, meorum Commentariorum scri- " ptura scio quàm sit imbecilla, si conferatur cum " illo spiritu gratia pleno. Nec solùm contra se i- pse Censuram exercuit: verumetiam de libris Stromatum ita censuit Eusebius, vt vnà erro- ris quoque aliquam causam subindicasse mihi videa-

In Eclo- gis.

Cēt.2.c.4.

Li.1.Str.
Li.5.

videatur: Dum enim Clemens partim ex sacris li teris sua Stromata contexit: partim ex Græcis la- cinioſa quædam variè colligit, (vnde libro illi suo Stromatum nomen inscripsit:) hanc fecem hausit, quam Magdeburgenses notant, & Cam- pianus memorat. Nam licet Philosophia libera- lis sit ars, & liberis digna hominibus,& maximè Academicis exosculanda: cuius studio & cultio- res in vita atque moribus,& aptiores ad Theolo- gicam professionem capessendam esse possint:ta- men illud electum Dei organum Paulus nûquam dixisset, cauendum, Ne quis deprædetur aut de- " cipiat vos per Philosopiam, nisi ex illa aliquod " pestiferum doctrinæ lolium, quod synceræ pieta- ti officeret, posse colligi præuidisset. Liberum ar bitrium,bonorum operum merita percenset Du- ræus: & sanè eas opiniones Irenæum, Clementē & alios quos vocant Apostolicos alicubi parum Apostolicè suis libris immiscuisse non est negan- dum: quas tamen non Christus, non Apostoli, sed Aristoteles & Philosophi docuerunt. Si in eiusmodi dogmatibus lapsi sunt excellentes alio- qui Doctores,ideo lapsi sunt, quia nondum philo sophicum puluerem excusserunt. Nam iustissimè Tertullianus Hermogenem taxauit,quòd à Chri- " stianis conuersus ad Philosophos, de Ecclesia in " Academiam & Porticum, inde sumpsit à Stoicis Materiam,&c. Hanc primam vmbram planè sine lumine pessimus pictor illis argumentationibus colorauit. Iustissimeque pronunciauit idem Hæ- reticorū patriarchas esse philosophos. Sedenim Apostolici viri sunt,inquit Campianus, quos ta- men Historia Magdeburgensis tradit blasphemias & monstra posteris reliquisse. Apostolici multi volunt dici,non sunt: Nullus est hæreticus, qui nō Apostolici nomine glorietur. Hermogenes &

Philoso- phia.

Con. Her mog.

Ibidem.

Multi hæ retici di- cuntur Apostoli.

2. Tim. c. 3. Phygellus aliquandiu sectati sunt Paulum Apostolum: at hi Apostolici Paulum mox insectati & aduersati sunt. Et de Hermogene Tertullianus, Nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseuerauit. Marcion videri Apostolicus voluit, nō fuit tamen, sed hæreticus, qui collocauit cum Deo Creatore Materiam (quasi ei coæuam) sed & hoc de porticu Stoicorum. Cui Apostolicè Tertullianus, At veritas nostra omnia illum ex nihilo protulisse confidit. Ipse Tertullianus qui hîc Apostolicè & Catholicè scripsit contra hæreticum, alibi parum Apostolicus fuit, imò hæresim sapuit, vel ipso Beato Rhenano iudice, Tertullianus adeo fauit castitati, vt Caraphrygarum tandem secutus delirium, secundas nuptias contra APOSTOLVM Paulum damnarit, quæ res fecit, vt ipse postea abiectus sit extra consortium Ecclesiæ. Valentinus & Apostolicus & Christianissimus haberi voluit, adeò vt cum quodam alio qui pro nomine Christi multa passus erat, de Ecclesię cuiusdā Episcopatu contenderet: sed hic talis orthodoxus ea spe frustratus, ea re sic offensus est, vt postea homo Platonicæ Philosophiæ sectator, purissimæ simplicissimæque religioni Christianæ Platonicas fabulas inuehere, & quasi de suo nouum Valentinianorū Collegiū instituere cupierit, sicut Tertullianus loquitur, & Rhenanus in eundem declarat. Sed quid istis diutius immoror? Romæ qui Apostolis successerunt, qui Apostolici dici volunt: & Ecclesiæ Apostolicæ Capita, Liberius & alij Papæ non semper verè Apostolici fuerunt, sed aliquando degenerarunt. Hoc ipsum in hisce Apostolicis viris animaduertit Nicephorus, Qui Apostolis "successerunt, aliquanto illis inferiores, virtutem eorum non sunt assecuti, propè tamen vitæ splendore ad eos accessêre, non ita simplicem, vt magistri eorum, orationem consectantes. Ex his omnibus duo hæc inferri posse videmus: non mirum esse, si Apostolorum successores maximè Græci patres, aliquid impiè, aliquid monstrosè interdum effutiuerint, qui nondum Philosophari dedidicerunt. Hinc dico cum Cypriano, Cùm Apostolus dicat, Videte nequis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fallaciam, vitanda sunt quæ non de Dei Clementia veniunt, sed de Philosophiæ duriori præsumptione descendunt, siue illa in Iustino, siue in Dionysio, siue in Clemente, siue in Tertulliano, siue in ipsomet Cypriano inueniantur. Alterum infero, Non tam nomen Apostolicorum, quàm dogma Apostolorum nobis colendum & considerandum. Hic respondeo cum Tertulliano, Viderit persona, (imò valeat persona:) cum doctrina mihi quæstio est.

Tert. l. 5. Cō. Mar.

In Præf. aduer. Hermog.

In Præf. aduer. Valentinianum.

Li. 4. c. 1.

Li. 4. ep. 2.

Aduers. Hermog.

CAMPIANVS.

IN *Tertulliano rapiunt auidè quod à nobis edocti nobiscum communiter detestentur: sed meminerint libellum de præscriptionibus, qui nostri temporis sectarios tam insigniter perculit, nunquam fuisse reprehensum. Hippolytus Portuensis Episcopus, quàm bellè, quàm clarè, Antichristi neruum, Lutherana tempora, præmonstrauit? Eum propterea scriptorem infantissimum & laruam nominant. Cyprianum delicias & decus Aphricæ, Gallicanus ille criticus & Magdeburgici, stupidū & destitutum Deo & deprauatorē pœnitentiæ nuncuparūt. Quid admisit? Scripsit enim de Virginibus, de lapsis, de vnitate*

Ecclesiæ tractationes eiusmodi, eas etiam Epistolas Cornelio Romano Pontifici, vt nisi fides huic Martyri detrahatur, Petrus Martyr Vermilius, omnesq; cum eo fœderati, peiores adulteris & sacrilegis habeãtur. Ac ne singulis insistam diutius, Patres huius seculi damnantur omnes, quippe qui doctrinam de pœnitentia mirè deprauarint: quo pacto? nam austeritas canonum quæ viguit ea tempestate, maiorem in modum displicet huic secta plausibili, quæ triclinijs aptior quàm templis, voluptarias aures titillare, & puluillos omni cubito solet assuere.

HVMFREDVS.

PARTICVLAREM quandam enumerationem quorundam patrum nobis confecit Iesuita: nunc verò ne non plena fit inductio omnium patrum huius secundæ classis & ætatis, alios adnumerat, quos scilicet nobis aduersari & propterea à nostris vitùperari, more suo dialecticè, credo, subinferet. Singula capita per transennam & in trãscursu aspiciamus: & tum vniuersalem argumenti caudam intuebimur. De Tertulliano satis iam responsum est: quem & Apostolicum sæpe, Apostaticum aliquando, & Theologum plerumque, & Philosophum non rarò deprehẽdimus. Quandocunque Tertullianus sic vel aberrat, vel Philosophatur, respondeamus sanè ex ipso Tertulliano etiam ex eodem libro De Præscriptionibus, qui nos sectarios tam insigniter perculit, vt Campianus imaginatur, Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis,

Tertullianus.

monis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum, & dialecticum Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cùm credimus, nihil desideramus vltrà credere. Talis doctor nobis est ipse Tertullianus, tales discipuli si esse cupimus: quid est quod arrodat Tertullianus quem sequimur, aut Campianus qui se & Catholicos suos aliquid etiam in Tertulliano detestari confitetur? Qui hoc sibi indulget, vt in patribus quasdam detestabiles opiniones inesse dicat: cur iidem in nos aut Magdeburgenses destomachantur, si aut nævos aut similia somniis, aut nænias, aut feces, aut zizania, aut deliria, aut phanatica aut blasphemias, aut monstra, aut stipulas, aut incommodas & pernicioſas opiniones quasdam in quibusdam scriptoribus reperiri posse modestè significemus? A nobis edocti, inquit Campianus, quædam in Tertulliano, NOBISCVM communiter DETESTANTVR: detestanda, abominanda, execranda, anathematizanda quædam sunt in patribus. Hoc dicunt Catholici, hoc dixit & scripsit Campianus: & nobis ne quidem mutire contra patres vlla in re permittunt? Nec verum est quod ait nos auidè rapere, qui eorum errores inuiti & ab ipsis coacti in medium producimus. Nec sumus ab ipsis edocti, vt aliquid detestemur in patribus, sed à Scriptura, quæ communis & ipsorum & nostrorum magistra atque doctrix esse debebat. Edocti sumus ab illo qui docuit Petrũ, Non caro, non sanguis, non pater terrenus, non homo quisquam, sed pater cœlestis nobis reuelauit. Edocti non sumus à Iesuitis, sed mediatè à Iesuitarũ patribus & nostris doctoribus antiquis: ab Hiero-

Aduers. Hæres.

Aduers. Heluid.

nymo, de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse: rursus ab eodem, Hic cùm vsque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, inuidia postea & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ prophetiæ meminit, specialiter autem aduersum Ecclesiam texuit volumina. In eodem libro eundem Tertullianum idem Hieronymus inter Chiliastas numerauit. Edocti sumus non à Iesuitis sed ab Hilario, qui sic monuit, Consequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus autoritatē. Docuit nos Augustinus alicubi alium eius errorem, licet alibi excusare videatur, Deum scilicet, etsi spiritus est, tamen corpus esse: quod ex verbis ipsius autoris aduersus Praxeam colligere potuit. Edocti sumus non à Iesuitis sed à Beato Rhenano, qui in eo Montanismum annotauit. Ab eodem edocti sumus, de errore Chiliastarum quo ille vnà cū Seuero, Victorino, Lactantio, Irenæo & Apollinario inuolutus est, qui omnes putarunt nos post Resurrectionem in hac terra velut in campis Elysiis suauiter acturos, idque mille annis, eúmque Tertulliani errorem probat ex definitionibus Ecclesiasticis dogmatum, & ex Hieronymo super Ezechielem, & ex libro suo contra Marcionem, in cuius calce de mille annis, de restitutione Iudææ, de exultatione famulorum Dei, illic vbi sunt afflicti pro nomine ipsius, non dissimulat suum suauissimum somnium. Idem nos edocuit, quando loquitur de Patre & filio, Hic & alibi cautè legēdum esse Tertullianum, & standum potius ab Orthodoxis scriptoribus. Nos docuit Erasmus non tantùm de Tertulliano, sed de supposititio Chrysostomo: Homilia decima nona, Manifestè damnat digamiam, cum Tertulliano sentiens.

In Catal. Script. Ecclesiast.

In Matt Can. 5. l. 10. de Gē. ad liter.

In l. 1. cōt. Mar.

cap. 36.

Aduers. Prax. fol. 410.

In præf. in Chrys. in Matth.

sentiens. Non ergo opus erat Iesuiticis doctoribus, cùm tot patres, omnes certè ante natum Iesuitismum hunc recentiorem, nos ista docuerint: Satis est Campianum idem in illo quod nos reprehendisse: & tamē turpe est doctori, cùm ipsum culpa redarguat.

Meminerit, inquit, *libellum de Præscriptionibus nostri temporis, sectarios percellere.* Hanc vanam iactantiam infrà videbimus, suo loco. Interim vnam attingam Præscriptionem, quam Duræus apposuit, de Scripturis, ad quas, inquit, solas hæreticos solere prouocare testatur ibi Tertullianus. In quo nec quales hæreticos dicat, nec quales traditiones intelligat, satis animaduertit. Illi non ad solas Scripturas prouocarunt: sed & ipsi, inquit Tertullianus, de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent. Sed quomodo? Ista hæresis non recipit quasdā scripturas, & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit, &c. Quid concludit? Ergo nō ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen &c. sed ex traditione disputatio ineunda: Sed quę traditio est? Apostolica: an Apostolicæ, id est, Romanæ solū Ecclesiæ? Non. Apostolicas Ecclesias nominat, in quibus adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur: & præter Romanā, Corinthiacam, Philippensem, Thessalonicensem, Ephesinam cōmemorat: quæ omnes legem & prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscuerunt, & inde suam fidem potarunt. Hanc consuetudinem disputandi cū talibus scripturas vel negantibus vel corrumpentibus declarat Lactantius agēs de Tertul. contra Gentes & de Cypriano ad Demetrianum. Nō

In præscript.

lib. 5. c. 4.

enim Scripturæ testimoniis, quam ille(Demetrianus)ytique vanam,fictam,commentitiam putabat, sed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cùm ageret contra hominem veritatis ignarum dilatis paulisper diuinis lectionibus,formare hunc à principio tanquam rudem debuit, eíque paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret.Sicut infans solidi ac fortis cibi capere vim non potest,ob stomachi tenéritudinem,sed liquore lactis ac mollitudine vtitur: donec firmatis viribus,vesci fortioribus possit.Sed præclarè addit,de Cypriano,eum solis Scripturis contentum fuisse,quibus fides cõstat.Quare meminerit ipse Iesuita quod Tertullianus cõmemorat in eo libro de Præscriptionibus, Meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem inprimis ipsius fidei.Meminerit qui adeò temerè & futiliter sectarios non erubuit appellare: tamẽ sentient nõ esse qui dicuntur ab illis sectarios aut schismaticos in iudicio inquam poli,quod à iudicio soli forique Romani multũ dissidet. De Præscriptionibus Tertulliani quibus nos grauare vult Duræus aliàs dicetur.

Hippolytus Portuensis Episcopus,bellè Antichristi neruum Lutherana tempora præmonstrauit. Hippolytum quendam antiquum scriptorem, sanctũ Episcopum & Martyrem fuisse refert Theodoretus,eiúsque verba recitat, de Christi corpore vero nõ phantastico, nõ suis membris & dimensionibus spoliato, quia Christus cùm resurrexisset, idipsum corpus suscitatum ostendit quod fuerat mortuum, & ambigentibus discipulis accersito Thoma dixit,Palpa,&c. quæ si Põtificij crederẽt, non se Christum in Sacramento discerperent & mutilarent. Sed qualis ille sit Portuensis prophe-

Niceph. l. 2. c. 31. Dial. 3. Hippolytus.

ta qui Lutherana tempora præuidit & præfiguravit,non intelligo. Si iste fuit qui vixit Origenis tempore,qui eo præsente concionẽ habuit de laudibus Seruatoris,qui in Danielis visiones scripsit Commentarios,& de Antichristo,mirabor: quia mirabilem vatem fuisse oportet,qui è specula mẽtis suæ Lutheri aduentum tanto antè tẽpore prospexerit.Quare suspicor eum post Lutherũ natum esse. Nam ille libellus de consummatione seculi nuperrimè prodiit, sicut Martialis & Abdias magni fabulatores:& in Catalogo scriptorũ eius antiqui Hippolyti hunc non inuenio, nec apud Eusebium,nec apud Hieronymum, nec apud Theodoretum,qui tamẽ in Dialogis & aliis suis libris multa hinc fragmenta allegauit.Nec enim Durœo assentior,qui de Antichristo,& de consummatione seculi vnum & eundem librum esse existimat. Quanquam nec hic quoque quantumuis antiquus omni reprehensione caruit,vt testatur Nicephorus:alterum verò illum recentem si Iuellus Episcopus diligẽtissimus & doctissimus sciolum, & insulsum dixit,si etiam infantissimum & laruam vt ex eo Campianus notat:non sine causa id dictum arbitror. Qui enim primam libri sententiam ab Enim vel Ἐπειδὴ γὰρ incipit: qui Antichristum dæmonem hominis specie personatum fingit,& de eius bellis contra regna & regiones aliquot,déque Hierosolymitani templi instauratione talia imaginatur,qualia olim Mahomet aut Iudæi,de Gog & Magog conclusis,& in fine mũdi erupturis, vt Hieronymus & Hugo referunt: qui de Ioannis Apocalyptici,Eliæ & Enochi reditu ad increpandum Antichristum somniat: qui Episcopos in die iudicij à Christo honorandos sensit,quòd sacrificium die noctéque offerrent,id est,interprete Hardingo,Missam celebrarẽt, quod

l. 4. c. 31.

Antichristus.

S. Ezech. c. 38. Apoc. 20.

nec vnquam solent nec per Canones debent: an non huius insciti am & infantiam imò & impietatem cum Iuello meritò coarguamus? Nec Durræus excusat, imò potius accusat, dum sic de Antichristo dæmone respondet, An igitur si quo forte in libro sententia aliqua minus vera inueniatur, mox eum esse suppositi tium contendes? vbi profectò illum suum Hippolytũ minus vera scripsisse non dissimulat. O fortem Hippolyti patronum. Crucem vos, inquit, omnes cane peius & angue Lutherani simul & Caluiniani odistis verissimi Antichristi prodromi. Crucem & signũ Christi Lutherani nunquam oderunt: Crucem Christi veram & Lutherani & Caluiniani amant, eáque vnicè gloriantur: quam Pontificii in ligneam & auream commutarunt: vt suorum curiosos oculos imaginibus pascant, quos debebant & ad Crucis Christi beneficium recolendum, & ad Crucem Christianorum baiulandam inuitare. Antichristi præcursores illi sunt, qui se Christi Vicarios nuncupant, qui pictos & fictos Christos adorant, qui in sacellis & in biuiis omnibus Cruces ostentant, & suis clamitant, Ecce hic Christus: quibus cum Christo nos dicimus, Nolite exire, nolite credere. Sacrificium Christi cum Antichristo non tollunt Lutherani: sed sacrificium Papisticum, Missaticum, theatricum explodunt, & vnica & verè salutari Christi hostia contenti, se totos, corpora sua & animos & vitulos labiorum suorum, laudes Christo, bona autem & opes suas Christi causa Christianis offerunt.

In Cõfut. con. VVhit.

Crux Christi.

Sacrificiũ.

Cyprianus. *Cyprianum delicias & decus Aphricæ, Gallicanus ille criticus, & Magdeburgici, stupidum & destitutum Deo & depranatorem pœnitentiæ nuncuparunt.* Sit ita: An isti soli CYPRIANI Censores sunt? Lactantius sanè & ipse Apher laudat quidem

Lact. l. 5. c. 1.

dem meritò Cyprianum, vt præcipuum & clarum virum, quoniam magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæsiuit, fuitque ingenio facili, copioso, suaui, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto: vt discernere nequeas, vtrúmne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit: tamen subdit eum vltra verba Sacramentum ignorantibus non potuisse placere, à doctis illius seculi derisum fuisse: à quodam diserto immutata vna litera Coprianum vel Caprianum vocatum, quasi qui elegans ingenium & melioribus rebus aptũ, ad aniles fabulas contulisset. Cyprianus ipse sibi hoc non arrogauit, sed quoties Tertullianum etiam Aphrum lecturus erat, Amanuensi dixit, Da Magistrum, & meritò eum dixit suum Magistrum, à quo multa sanè mutuatus videtur. Augustinus & ipse Apher laudat Cyprianum, multis eius literis sua scripta non comparat, eius ingenium diligit, eius ore delectatur, eius charitatem miratur, eius Martyrium veneratur: tamen addit, hoc quod aliter sapuit, non accipio, Non suscipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis, & schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit. Et suprà, Ego huius epistolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero: Et superius, Nos nullam Cypriano faeimus iniuriam, cùm eius quaslibet literas à Canonica diuinarum Scripturarũ autoritate distinguimus. Hæc de Aphro scripserũt Aphri: sic neque in sua patria Cyprianus tãquã propheta agnoscitur: vt mirandum non sit si Gallus Causæus, si Magdeburgenses Germani, si externi & alieni homines

Caprianus.

L. 2. Con. Cresc. Gr. c 3. 2.

C. 31.

aliquid in eo Censoria virgula dignum esse iudicent. Sed quid si Causæus ille in illis Dialogis, nihil tale criticè aut censoriè contra Cyprianum dixerit? In Dialogo vndecimo Parisiensem tantùm hortatur Germanus, vt malit potius Euangelistæ Marco qui scribendo nunquam errauit, quàm Augustino Gregorio aut Bernardo credere. Et si quid eiusmodi Tertullianus, Augustinus, Damascenus, Cyprianus effutirèt de precatione pro defunctis, suum narrant somnium & quod inconsideratè in mentem venit, id absque vllo testimonio diuinæ Scripturæ proferunt, & contra hunc sanctorum cultum producit Chrysostomum. Illud etiam Causæum video pro se & nostra sententia contra realem præsentiam citare ex Cypriano in hoc Sermone De lapsis, cuius hîc Campianus meminit. Rursus De Cypriano in Octauo Dialogo nihil acerbè enunciat: sed prudenter annotat, sæpe Doctores in istis articulis Opinandi & Putandi verbis vti, nec ex Scripturis confirmare: actum quidem dicendum nobis, Opiniones hominum articulos fidei non facere: quomodo loquitur Dionysius ipse in Ecclesiastica Hierarchia.

Causæus de Cypriano.

Precespro defunctis.

In opere Imp.

C.7. Magdeburg. de Cypriani næuis.

Neque verò Historici nostri Magdeburgenses agunt stomachosè sed neuosè: dum errorum stipulas ex Cypriani libris veris vel suppositiis & Pseudepigraphis examinandas & diiudicandas aut etiam nobis deuitandas proponunt: Duræ locutiones videri possunt istiusmodi apud Cyprianum, De Eleemosynę & operum merito, Diuinam pietatem, iustitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperuisse, vt sordes postmodum quascunque contrahimus, Eleemosynis abluamus: Et infrà, Quia semel in Baptismo remissa peccatorum datur, assidua & iugis

S. de Eleemos.

gis operatio, Baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur: perinde quasi Christus tantùm pro Originis labe satisfecerit, & pro aliis postea commissis nos satisfacere & debeamus & valeamus: De Iesu & Christo, quos hæreticè distinxit ille quisquis tractatum de Sina & Sião conscripsit: De gubernatione mundi & hominum per quasdam cœlestium virtutum potestates, quas mundo iam condito in eum vsum creauit, qui tamen liber Ruffino tribuitur: De arte tingendi & colorandi, quòd sit Diaboli inuentum: De libero arbitrio, Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam: Et in Epistola tertia l. 1. Homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit vel salutem: De legis-adimplendæ facilitate, Quod agendum est, scimus, & quod scimus facere possumus. Et pòst de suis viribus, Præcipis mihi Domine Deus, vt diligam te hîc: & possum & debeo: quamuis illud mox corrigere videatur, Gratias ago tibi clementissime Deus, quia quod quæris à me, prius ipse donasti. De pœnitentia durè loquitur, Si quis pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Infœliciss imi (vel fœliciss imi) & satellitum eius partes concesserit, & se hæreticæ factioni coniunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, & cum Episcopis & plebe Christi communicare non posse: Durè quoque in eandem sententiam, nullam esse veniam, vltrà delinquere, postquam Dominum nosse cœpisti: Durus & ille sermo, Virginibus post Baptismum nulla carnis desyderia remanere. Durum & illud, Satisfactionibus & lamentationibus nostris delicta redimi, & vulnera lachrymis ablui. Hæc & alia generis eiusdem si Magdeburgenses aliique existimant in patribus vel corrigenda vel

De Sina & Sion apud Cypr.

In expos. Symboli.

Ad Quirinum, c. 52.

Ser. de Bapt. Christi.

Epi l. 1. Ep. 8.

L. 1 ep. 3.

In tract De habitu virginum

cauenda, monitores & iudices eiusmodi non debent vituperari, non magis quàm illi boni senes accusandi sunt, qui postquam ipsi longam viam confecerunt, & multorum mores & mala viderunt, aliis iunioribus, qui eandem viam ingrediuntur, quid fugiendum quid sequẽdum sit, prænonstrant. Cæterùm nondum audimus Campianistas probare quod erat propositum à Causeo aut à Magdeburgensibus, Cyprianum nuncupari expressis verbis, stupidum, destitutum Deo, & deprauatorem pœnitentiæ. *Quid admisit? Scripsit enim de virginibus, de lapsis, de vnitate Ecclesiæ tractationes eiusmodi, eas etiam Epistolas Cornelio Romano Pontifici, vt nisi fides huic Martyri detrahatur, Petrus Martyr Vermilius, omnêsque cum eo fœderati, peiores adulteris & sacrilegis habeãtur.* Fortassis quia Cornelio Romano Pontifici scripsit, idcirco eius primatum agnouisse dicetur: & tamen in illis Epistolis Cornelium taxat veluti minas perditorum & insidias pertimescentem: & alicubi fratrem & consacerdotem nominat: imò in cõtentione de iterãdo Baptismo hæreticorum, Cornelium tandem cessisse testatur Volaterranus: & non dubitat etiam Romanum Pontificem Stephanum perstringere. Non quæritur qua de causa perstrinxit & scripsit contra Romani Stephani Epistolam, & Stephani errorem, obstinationem, præsumptionem denotat: Stephanum hæreticorũ causam contra Christianos & contra Ecclesiam Dei asserere, & vel superuacanea, vel ad rem non pertinentia, vel etiam sibi ipsi contraria, imperitè & improuidè scribere, & vnitatis oblitum, mẽdacia & contagia prophana & motiones vsurpare contendit. Siccine tractandus erat ab Episcopo Primas & coryphæus vniuersalis Ecclesiæ? Quinimò superiorem non solùm illo verùm etiam

Volater. L. de Anthropologia, L. 1. Ep. 3. 4

L. 1. ep. 4. Ep. ad Pomp.

Primatus

etiam aliis fuisse Cyprianum demonstrat Gregorius Nazianzenus in Oratione de eius laudibus: Cyprianum ex lupo sacram ouem euasisse, ex oue pastorem, ex pastoribus optimum & probatissimum, & non modò Carthaginensis Ecclesiæ, & Aphricæ verùm etiam vniuersæ Hesperiæ atque adeo Orientis, & Meridiei & Septentrionis Præsidem. Atque hunc honorem ab Ecclesia delatum ei fuisse liquere potest ex illa quæstione Galerii Proconsulis, Tu es, quem Christiani Papam suum nominant? Quod autem Whitakerus Cyprianum ineunte ætate dissolutum vocat, & hinc Duræus indignatur, eiúsque autoritatem eleuari putat, aliter sensit Nazianzenus, qui sic exclamat, O gratia quanta est, Deum malo amore & spiritu inuenit. Et suprà, Dæmonum cultor fuit, qui postea Christi discipulus extitit, persecutor amarissimus fuit, sed magnus Christi pugil euasit. Hæc & Cypriani gloriam & Christi gratiam illustrant. Alium quoque Cyprianum fuisse & Magum & Episcopum Antiochenum & Martyrem non nego: quia Volaterranus ita scriptum reliquit, vterque & malus & Magus, & postea vterque & Christianus & bonus esse potuit. Talem certè nostrum fuisse refert Nazianzenus & consentit Nicephorus, & gloriosum eum Rhetorem fuisse & gentilem atque idololatram testatur Hieronymus in Catalogo, & Pont. Diaconus, & Volaterranus, antequam Cecilius presbyter, cuius nomen sortitus est, eum ad Christi fidem conuertisset. Sed hæc omnia extra oleas: non enim illa verba de Cypriano apud Causæum in Dialogis quos citauit Campianus mihi videre contigit: eius verò sententiam bona fide iam in superioribus retuli. Hæc hactenus & quidem nimis multa de Cypriano: cuius nudum nomen

Põt. Diacon. in Cyp. vita.

Duræus cont. VVhit.

Cypriani Magus.

L. 5. c. 27.

sine testimonio sacrarum tabularum quisquis obtrudit, in eo mihi videtur sequi Cresconium hæreticum, qui sic eum singularem & solitarium testem contra Augustinum produxit. Proin ex eodem Augustino habeat Iesuita nostram quoque responsionem: Relinque scripta Cypriani, & ea ipsa legalia documenta, quibus eum dicis vsum esse, commemora: si ea non demonstrauero vestam causam nihil adiuuare, vicisti. Quod de Cypriano Martyre & Petro Martyre affertur à Campiano, maledictum est, non argumentum, & lepida in verbis collusio, nulla in re conclusio: Quale fuit scomma nostri Treshami in Schola Theologica coram regiis Visitatoribus: Cyprianus Martyr affirmat, ergo Petrus Martyr non debet negare: Cui quod tum ipse Petrus Martyr, id ego nûc Iesuitis respondeo, Argumentum nõ tenere à nomine ad rem, Cyprianum re martyrem fuisse, se nomine. Quòd autem sarcasticè & sycophanticè dixit, si fides Martyri Cypriano habeatur, Petrũ Martyrem & fœderatos pro adulteris & sacrilegis habendos esse; de castis nuptiis impura est & sacrilega opinio. Sed digna est illis hominibus cauteriatis & stigmaticis oratio, & de talibus nuptiis quid Cyprianus senserit, aliâs dictum est.

Cõ. Cres. Gram. l. 2. c. 32.

Hoc perinde verum est atque illud quod sequitur, opinione & sententia Magdeburgensium Patres huius seculi damnari omnes, quippe qui doctrinam de pœnitentia mirè deprauarint. Hæc est illa scilicet perfectæ Inductionis clausula, de omnibus patribus quos omnes dixit Nostros dãnasse. Et tamen hoc verbum, Omnes, omnino non habent, sed Plerique huius seculi scriptores doctrinam de pœnitentia mirè deprauant, quippe ad ipsum tantum opus pœnitentis, seu con-

Cen. 3. c. 4 Doctrina Patrum de Pœnitentia. Ibidem.

contritionem deducunt, eique remissionem peccatorum imputant, de fide in Christum aut gratuita remissione nihil dicunt: suamque collectionẽ Magdeburgenses ex Tertull. Orig. Cypriano demonstrant. Qui pro Plerisque, Omnes supponũt, quid non audebunt? Eadem est Duræi contra Whitakerum præuaricatio. Whitakerus scribit, Omnes ferè patres in eo errore extitisse, hinc Perbacchatur Duræus, O singularem impudentiam & arrogantiam non tolerandam, Patres O-« mnes qui ea ætate in Ecclesia floruerunt, in re tã« magna, tam vtili, tam necessaria, tã turpiter, tam« perniciosè errasse? Annõ hîc illud tuũ Penè, in te,« Duræe, regeri aptè potest? Dũ enim plerosq; O-« mnes interpretaris, dũ Penè omittis, planè errasti. Hîc si te Penè tui pudet, certe nõ pudet: qđ Penè fit, non fit: vtinã non penè, sed plenè & te & tuos puderet & pœniteret: ne deinceps & mortuorũ & viuorum detruncare velitis sententias. Campianus cùm ait, *Austeritatem Canonum quæ viguit, illa maiorum tempestate, nostræ sectæ plausibili scilicet displicere:* confirmat opinionem nostrorum Magdeburgensium, de falsa pœnitẽtia, dum eam, contritionem esse & austeritatem definit: nullo veræ fidei fundamento substrato: quasi verò Stoicus aliquis aut Baalita, aut hæreticus Manichæus, aut Pseudapostolicus aut hypocriticus monachus hac ἀφῆ & afflictione corporis non sibi plurimum blandiatur. At quid est quod ponit in margine, VETERES *pœnitentiæ Canones?* Non certè vt nostros sed vt suos ritus Papisticos subnotaret. Si hodie illi Canones locum haberent, abiicerentur Papæ claues rapaces & furaces, contemnerentur Bullæ plumbeæ & fulmina, Iesuitarum merces omnes vilescerent, cederet confessio & demurmuratio in aures ignari sacrificij, faceſſeret

Duræus fol. 123.

Pœnitentiæ veræ & Papisticæ delineatio.

inflictio pœnæ ridicula in vestem lineam gestando, in abstinendo à carnibus præscriptis diebus, in peregrinando Romam aut Walsingamiam versus, in procumbendo coram statuis, in preculis alieno idiomate effundendis, in recitando precationem Dominicam, & Angelicam salutationem certo numero super ova serpentum: in audiendo tot sacrilegas missas, in dando Corban & augendo ærarium monasticum, in largiendo nummos, pro indulgẽtiis, aliisque vanissimis ceremoniis, quæ omnes exercitationes corporales aut superstitionem & impietatem redolebant, aut Fiscum Romani Cleri ditabant, aut operum condignum meritum, aut sanctorum indebitum honorem, aut satisfactionum Canonicarum blasphemam doctrinam fulciebant, aut planè omnem vim ac vigorem synceræ pietatis extingue bant, pœnitentiæ autem veteris puram formam abolebant. Processus solennis fieret non priuata & secreta actione sed communi iudicio & magna

Tert. in Apo. Ori. seueritate atque autoritate per Ecclesiæ præsides: non propter decimam aut denarium aut quamuis leuiculam causam: sed propter manifesta crimina & graues lapsus, à communicatione orationis re-

Ter. de Pudicitia. legarentur, & ab Ecclesiæ corpore desecarentur: sederent in sacco & cinere, fletu ingemiscerent, precibus ambirent, genibus Ecclesiam exorarent, delictum Domino nostro confiterentur, o-

Cypr. l. 3. ep. 8. l. 4. ep. 2. mnibus fratribus legationes suæ deprecationis iniungerent, protestarentur non sacrificandum idolis, nec simulacra seruos Dei adorare debere: ante legitimum & plenum tempus pœnitentiæ & satisfactionis publicæ in Ecclesia, absque petitu & conscientia plebis non absoluerentur, publica exomologesi publicorum peccatorum pœnas luerent: sic animo mærẽtes, verè resipiscẽtes

& toti deiecti & prostrati, vna voce omnium adstantium & gratias Deo agentium, gaudium pectoris lachrymis exprimẽtium, reciperentur, & consolatione Scripturarum, & fide viua in Dei misericordiam erecta restaurarentur. Hæc est antiqua Canonum Maiestas, quibus & terror peccantibus incutitur, & pietas in animis præsentium excitatur, & in resipiscentibus fiducia Diuinæ benignitatis cõcipitur ac cõfirmatur, & presbyterio atque adeò Ecclesiæ suum ius vindicatur: vbi in papatu nihil seriò, nihil Euãgelicè agitur, sed ineptè & theatricè luditur, & populo prorsus illuditur. Nostra secta plausibilis? nos voluptuarias aures titillamus? nos vniuscuiusq; cubito pul uillos supponim⁹? qui sic lege Dei præfractos percellimus, & rursus Euangelio Christi conuersos erigimus? Nosné an illi potius, qui suo Papæ tanquam Domino Deo, & Sanctissimo & Petri successori, & Christi vicario, & quasi Candelabro aureo, Ecclesiæ Capiti, sic hactenus assentati & parasitati sunt, vt omnino illum ex stulto & superbo insanum fecerint? nosné an illi, qui plebeculam sic mollibus & fericis verbis aluerunt, sic festis & feriis oblectarunt, sic absolutionibus & papalibus dispensationibus in mille millia annorum infatuarunt, sic Ecclesiasticis ornamentis, vestimentis, spectaculis, organis, ceremoniis in Ecclesia pauerunt: sic bacchationibus, & viscerationibus, Dominis & Dominabus, & morionibus, saltationibus & choræis, epulis & commessationibus in honorẽ Christi, Spiritus sancti, Martini, Clementis, Nicolai, Catharinæ, sanctorum, sanctarumque saginarunt, sic cupediis, varietate ciborum, aromatũ, vinorum, panũ, pisculentorum & poculentorum, trocho, alea, ludis exaturarunt in ficto Quadragesimæ ieiunio: sic

Ad Cor. l. 3. ep. 11.

Secta plausibilis quæ?

Papatus Schola licentiæ.

doctrinam de libertate arbitrij, de culpis venialibus, de Indulgentiarum Romanarum licentia & plena autoritate, de scortationis simplicis leuitate propinarunt: vt adhuc popellus ad suos Ægyptiacos pisces redire concupiscat, & ad cœlestis Mannę vel mẽtionem solam nauseet: vt veræ pœnitentiæ notitia penitus obscurata, imò amissa sit: & Epicureismus Iudaicus denuo inualescat, Sedit populus ad manducandum & bibendum, & surrexit ad ludendum, & pueriliter & idololatricè. Qui sic vndique philtris suos dementant: qui sic poculis Circeis inebriant: qui sic omnes Argos mercuriali caduceo consopiunt: hosce suos Epicureos furores & furias domi clausis oculis videre non possunt: satis est si experrecti instar lamiarum suos apertos & curiosos oculos in nos coniiciant:

Exod. 32.

Vt nemo in sese tentat descendere? Nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

CAMPIANVS.

QVID *ætas proxima, quid peccauit? Chrysostomus & y patres iustitiã fidei fœdè videlicet obscurarunt. Nazianzenus, quem honoris causã Theologum veteres appellarunt, Causæo iudice, Fabulator, quid affirmaret, nesciit. Ambrosius à Cacodæmone fascinatus est. Hieronymus æquè damnatus atque Diabolus: iniuriosus Apostolo, blasphemus, sceleratus, impius. Vnus Gregorio Massouio pluris est Caluinus quàm centum Augustini: Parum est, centum Lutherus nihili facit aduersum se mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias. Longius rem deducere, superuacaneum*

caneum puto. Nam in hos qui bacchantur, quis miretur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumq; Romanum fuisse procaciſſimos?

HVMFREDVS.

ALIA ætas patrum, alia series Doctorum recensetur: in quo iterum ad illum suum lapidem impingit: & dum eos patres nullibi peccare, nusquam errare docet: ipse & errat & peccat grauissimè. Quomodo enim ἀναμάρτητοι sint? quomodo omni næuo carere possint homines? qui ex maiorum suorum libris aliquid impuritatis attrahere potuerunt: & ipsi non semper integri ad manus nostras peruenerunt: sed in illis aliquid semper vel imperitia scribarum, vel malitia falsariorum, vel negligentia Typographorum contaminauit. Et quænam hæc est tyrãnis Papistarum contra libertatem Christianam, contra Ecclesiam Dei, contra receptam omnium temporum consuetudinem: vt per illos non liceat de hominibus iudicare, nec illorum scripta veritatis lance expendere, nec errores crassos & compertos posteritati ostendere? Videnda sunt & monstranda vitia omni seculo: ne si obiter & negligenter Patrum monimenta intueamur, cæci: si errata cognita & perspecta dissimulemus, ingrati euadamus. Pulchrè Magdeburgenses pro se dixerunt, Perinde faciunt qui hæc non inquirunt diligentius, ac si aliquis foris, & quidem ex longinquo ciuitatem aut arcem magnificè extructam cerneret, & ea quæ intus sunt aut geruntur, prorsus non curet. *Proxima ætas, inquit, quid peccauit?* Procul dubio

Tertia pãtrum generatio.

Cẽ. 5. c. 4.

quia ruit in peius semper Ecclesia, magis, quàm illa prior & antiquior, peccabit.

De verbis Iesu. Vidi Dominũ. cap. 6.

Chrysostomi pulchra Regula.

CHRYSOSTOMVS qui primus nominatur in hoc ordine nobis hanc temporum obseruationem tanquam regulam tradidit. Quemadmodum in agris termini columnæque non sinunt arua confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas: sed dum dirimunt alias ab aliis, & in ordinem congruentem digerunt: multa nos liberant turbatione. Docemur certè ipsa experientia

Iudicium ex ætate Patrũ, in qua vixerunt sumendum

omnes ætates post Apostolicam habere suas corruptelas & contagia, & ad posteros transmittere, & hæc primorum & illorum sequentium seculorum distinctio est necessaria, & ad vitandam confusionem omnia istis limitibus & cancellis Apostolicis secerni & separari debent. Alioquin quid fiet? Hieronymus ait, Chrysostomus negat, contrariis opinionibus implicabitur Ecclesia. Non enim ea est consensio inter homines, quæ est Deo secum: Deus vnus sibi constat, homines multi secum bellũ gerunt. Deus etsi habet Amanuenses, tamẽ è Spiritus sancti veri Dei suggestu concorditer Vnitatem & veritatẽ stabiliunt. Homines, ex carne sæpe, ex spiritu non semper, imõ contrario spiritu loquuntur. Hic Chrysostomus

Ad Tranquill.

Excommunicationis pœnam subire, quàm condemnationi librorum Origenis subscribere, maluit: Hieronymus contrà Origenem summa cum cautione legendum arbitratur, vt bona seligantur, deuitentur contraria. Vter errauit? Nam alterum eorum parum rectè sensisse extra controuersiam est. Ita fieri solet in aliis grauioribus fidei capitibus. Cedat ergo hæc tanta Iesuitarum curiositas fidei nostræ simplicitati: cedant homines Deo, cedant & discedant omnes phantasiæ magnificæ, omnia præiudicia de autoritate

Patrum

Patrum quoniam omnis talis pater homo est, & sapit & sentit non rarò humanitus, & oculos aliquando ad speculum Apostolicæ ætatis non conuertit. Nolo hoc tempore alium testem proferre nisi ipsum Chrysostomum: qui & de se & de aliis patribus & de omnibus hominibus ex verbo non iudicãtibus sic locutus est clarissimè. Quẽadmodum qui luce ista priuati sunt, rectà vtique non pergunt, ita qui ad radios Diuinarum Scripturarum non respiciunt, multa coguntur continuóque delinquere, vtpote in longè peioribus tenebris ambulantes, Si ergo alicubi peccatum fit, id ex carnis iudicio, vel ex diuinorum verborum negligenti lectione, vel ex Philosophorum imbibitis opinionibus profectum arbitremur. Id verum esse demonstrant Ecclesiastici scriptores nostri in Chrysostomo & aliis patribus. Sic enim præfantur, Alij viribus, virtutibus ac operibus humanis nimium tribuentes, originalem corruptionem iustitiámque fidei fœdè obscurarunt, vt Chrysostomus & reliqui, idque decepti philosophicis quibusdam somniis. Nam & nos suprà docuimus ex ipsis patribus ipsos alicubi ad philosophicas argutias aut potius ineptias deflexisse, & non solùm patres suas opiniones humanas, verumetiam alios suas hæreses pestiferas subornasse. Omnia enim dogmata eorum, ait Hieronymus, cùm frigeant, & volare non possint, sedem sibi & requiem inter Aristotelis & Chrysippi spineta reperiunt. Inde Eunomius profert, quod natum est, non fuit antequam nasceretur. Inde Manichæus vt Deum à conditione malorum liberet, alterum mali inducit autorem. Inde Nouatus subtrahit veniam, vt tollat pœnitentiam. Et vt simul breui cuncta cõcludam sermone, de illis fontibus vniuersa dogmata

In præf. ad Rom.

Patrum errores ex philosophiis.

Magdeb. Cen. 5.

Tertul. de Præscript.

Hier. in Nahum. c. 3.

„ argumentationum suarum riuulos trahunt. Quin & ipse Chrysostomus deridet nugas, vanitates, superstitiones, idolomaniam Philosophorũ: de quibus liberè ait, Græci isti tanquam verè perpetuò pueri: & vt quidam de ipsis dixit, Græci semper pueri sunt. In Epistola ad Hebræos, Animales ab eo dicuntur, nihil fide percipientes, neq; de Creatione neque de Deo: in quibus rebus Diuinis, nihil Syllogismi, nihil rationes adiuuant. Itaque si Magdeburgenses eãdem rationem quorundam in patribus huius tertiæ ætatis errorum nobis reddiderunt, quæ probata est Hieronymo & ipsimet Chrysostomo: siq; ea ratio, scilicet Philosophiæ deceptio vera fuit in hisce patribus, vsque adeo vt inde aliquot feces acceperint: nihil hactenus vel à veritate causæ, vel à voluntate ipsorum patrum alienum protulerunt. Hæc de ætate hominum: nunc de ipsa re & crimine. Dicitur hoc tempore doctrinam Iustificationis fœdè à Chrysostomo & aliis obscuratam. Nam Chrysostomus qui nostram voluntatem in conuersione ad Deum cooperari, & an seruemur, an perdamur, in nostro esse arbitrio asseuerat: aliquid gratiæ Christi detrahere videtur. Quanquam hinc ne glorientur aduersarij, suum esse Chrysostomum: Nam qui hæc in Ioannem scripsit, idem in Epistolã ad Philippenses mollius imò sanius loquitur, Vult nos Deus iuxta voluntatẽ suam viuere. Si vult, agit ergo nos ad hoc, imò ipse istud omnino operabitur. Incommodè loqui videtur, quando sic infert ex verbis Apostoli, Itaque ne putes, quoniam elegit, solam sufficere fidem, & vitam adiicit: Propterea elegit, inquit, & ad hoc, vt sancti simus atque irreprehensibiles: & mox, Rursus ad gratiam ipsius redit, neque enim ex laboribus, sed ex dilectione est, imò neque ex dilectione solùm sed ex

In Epist. ad Eph. ca. 4.

C. 11.

Chrysostomus de Iustificatione & libertate Arbitrij. In Io. c. 6.

Ca. 2.

Ephe. c. 1. H. 1.

ex nostra quoque virtute. Idem se tamen quasi corrigens subiecit, Sed neminem vtique sua virtus saluauit, Dilectione Dei non existente: Dicas enim, Velim quid Paulus profecisset, quidque designasset egregij, nisi illum Christus quoque è supernis vocasset, diligendóque ad seipsum traxisset? Alioqui ad hoc dilectionis est, non nostræ virtutis, quòd tantis nos rebus dignatus est. Et omnia sanè videtur tribuere patri qui prædestinauit, & Christo qui nos adduxit. Clarius adhuc in Epistola ad Romanos, & aliter quàm ad Ephesios, Gratiam definit. Quæ verò ista fidei lex est? per Gratiam, inquit, saluari. Hic virtutem Dei ostendit, quod non solùm saluauit, sed & iustificauit, & in gloriationem induxit, nullis ad hoc vsus operibus, sed fidem TANTVM exigens. Et in sequentibus, Quàm primum homo credidit, confestim simul iustificatus est. Et breuiter complectens omnia ait, Tria itaque hic ostendit, vnum, quòd absque lege possibile sit iustificari: alterum, quòd lex præstare non potuerit: tertium, quòd fides legi non repugnet. Præterea in alio capite, quid illa partitione distinctius, quid plenius, quid planius? Tu mihi considéres velim, quomodo vbique duo ponat, ex vno latere quæ à Christo, ex alio quæ à nobis sunt. Quæ à Christo, varia, multa & excellentia sunt: Etenim pro nobis mortuus est, liberauitque nos, & adduxit, gratiámque dedit ineffabilem. Nos verò solam fidem attulimus, ibique aliter gratiam definit, quæ nec finem habet, nec terminum nouit. Ita de reliquis Patribus dicendum est, quibus si quid obscurè, ambiguè, Philosophicè dictum exciderit, id locis apertiori bus, certis, Theologicis illustrandum est, vt Chrysostomo Chrysostomus, patri ipsimet Patet opponatur, séque commodius & dexterius expo-

Ibidem. Gratiæ definitio.

Ca. 3.

Ca. 5. ad Rom.

Patrum verba ratio sen tẽtia sunt colligenda.

nat. Quod si fieret ab Antagonistis, si loca ad hũc modum conferrent, nec eas latissimas suis effugiis & distinctionibus valuas patefacerent: hosce patres nostræ potius sententiæ fautores candidè nobiscum iudicarent: nec Duræus inanissimè gloriaretur hoc loco, Se veros patrum esse filios, se illos pro semipatribus non habere, se totos sibi tanquam patres vendicare: se nihil aliud profiteri, nihil docere, nisi quod ab illis didicerunt: & tamen non nescit Duræus, olim fuisse hoc Iudæorum glorioſum mendacium, Nos patrem habemus Abrahamum, eius nos filii sumus: nouit prudentes filios omnia parentum vitia non imitari, omnia illorum etiam fœdissima stercora deuorare nec solere nec debere: nec bonos patres hoc à suis filiis requirere: siquidem inobedientia Adæ, parricidium Cainí, ebrietas Nohæ, incestus Lothi, Abrahæ dissimulatio, Mosis hæsitantia, Israelitarum murmur, Danidis adulterium, Salomonis idololatria, aliáque patrum errata & peccata, liberis ac omnibus posteris non sequenda sed fugienda potius in Scriptura proponuntur. Alicubi sanè nos tales pro semipatribus habere malumus Duræ: nec tamen *vllo immani diuisionis scelere (in quo à Salomone illa meretrix olim deprehẽsa fuit) nos patrũ filios suppositios declaramus*: sed veri aquilæ filii esse cupimus, vt cum matre Ecclesia in Solem iustitiæ Christum fixis oculis intueamur: vt illius radiis illuminati, verbi clarissimam lucernam, non hominum nebulosas faculas in domo Dei accendamus. Hoc aliud est, imò hoc solum est quod nos didicimus, & quod nos docere profitemur: nec sic vnquam patrizare aut potius gnatonizare volumus, vt si quando patrum ructus, aut aliqua eorum putida videmus, vel audimus, eos tum

Duræus Con. VVhit.

Patres interdũ Semipatres habendi sunt.

tum thus pedere dicamus, sicut in Aristophane dicitur, aut eorum crepitum tussim esse dicamus. In Pluto.

Si Duræus nihil aliud quàm quod à patribus didicit, docebit, si cum patribus claudis, etiam ipse claudicare discet: persimilis erit cancri proli, quæ rogata, cur rectà non ingrederetur, respondit,

Sic mater docuit, quæ rectà incedere nescit.

Sicut mater it, sic pergam, sic sequar. Itáne Duræe mater tua Romana Ecclesia te docuit? Aut ita tu cum matre aut patre cancri in morem retrocedes? Hoc durum dictum retracta Duræe, hîc quæso resipisce.

NAZIANZENVS, *quem honoris causa Theologum veteres appellarunt, Causæo iudice, Fabulator, quid affirmaret, nescyt.* De Causæo & de Nazianzeno quid tandem affertur? Causæus Nazianzenum vocat fabulatorem. At si hoc Causæus illic non dixit, tum fabulator verus est ipse Campianus. Qui quæret, hoc eum omnino non dixisse comperiet: neque illud alterum, simpliciter, quasi *quæ affirmaret, nescierit*: sed hoc dixit, κατὰ τὸ, In eo scilicet quòd orauerit Basilium pro se Deum interpellare: nec dixit solum, sed eum quid hic affirmarit, planè nesciuisse comprobauit. Quis enim, inquit Causæus, status, quæ conditio fuit Nazianzeni, cùm hæc diceret? Aut enim apud Deum gratiosus, & ab eo dilectus fuit, aut maledictus & Deo exosus. Si dilectus, tum intercessione alterius hominis opus non erat: sin exosus, tum malè fecit Nazianzenus, qui Basilium sequestrem & patronum sibi ascisceret, quoniam illæ preces apud Deum pro tali homine perdito & abiecto valere non poterant, & Basilius contra officium pii hominis faceret. Atque hoc opinione Chrysostomi confirmat: Quorum Dial. 6. Naziãzenus. Rationes conintercessionem sanctorũ.

In Matth. c.33. Deus inimicus est,eorum amicos sanctos esse nõ debere,nec eos posse liberare. Sed quia more suo
" Campianus nullum testimonium Naziãzeni pro-
" fert,nos eum loquentem audiamus,Basilius nunc
In Orat. in Basil. in cœlis degit,ibiq́ue pro nobis,vt arbitror,sacri ficia offert,ac pro populo orat : Adhuc non audi-
" mus Nazianzenum inuocantem Sanctum Basi-
" lium mortuum : Deinde ipse Basilius vtrum oret pro Nazianzeno,incertum est, quia ipse Nazian-
Patrum dubitationes non sunt assertiones. zenus se dubitare ait, VT ARBITROR. Atque hîc est repetenda illa de patribus regula, vt consideretur, vbi diffidenter ex vulgi vel sua priuata deuotione differunt: & rursus vbi ex firmis & certis principiis asserunt. Quod in his articulis de mortuorum inuocatione,& pro mortuis depreca tione in multis antiquioribus patrib⁹ licet obseruare. Nam præter Dionysium & alios, sic dubitanter & timidè loquutus est alicubi Origenis opinio,nõ fides. Origenes, Ego sic ARBITROR, quòd omnes illi, qui dormierunt ante nos patres, pugnent nobiscum, & adiuuent nos orationibus suis. Opinor mihi narras? Non credam opinionibus humanis,quia fidei obiectum est diuinum oraculum. Obii-
" ciunt locum apertiorem in Epilogo eius funebris
" declamationis de Basilio, Tu sacrum ac diuinum
" caput ex alto nos respice, & carnis stimulum
" institutionem nostram, à Deo nobis datam,aut
" tuis siste precibus, aut fortiter me ferre persua-
de, totámque vitam nobis in melius permuta. Cùm verò emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis. Quæ Rhetorica Apostrophe esse potest, Basilium autem ista præstare posse, incredibile est, & Nazianzenum illa poscere à Basilio, Coloss.2. Ibidem. fatuum est. Hæc autem sanctorum veneratio iamdudum explosa est. Reiicit Paulus hanc religionem & cultum Angelorum. Reprobat & vetus

tus scriptor Theodoretus, cuius expositionem, quia luculenta, & argumentorum ferax est,totam ascribam : Qui legem defendebant, eos etiam
" ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuis-
" se legem per eos datam. Manfit autem diu hoc
" vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus Synodus Laodicena. quoque quæ conuenit Laodiceæ,quæ est Phrygiæ metropolis,lege prohibuit ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vsque diem, licet videre
" apud illos & eorum finitimos oratoria Sancti Mi-
" chaelis. Illi ergo hoc consulebant, vtique hu-
" militate vtentes, dicentes Vniuersitatis Deum
" nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse
" peruenìri, & oportere per Angelos diuinam sibi
" beneuolentiam conciliare. Ex quibus intelligi-
" mus Sanctorum Inuocationem à Nomodidascalis & Leguleis profectam, hinc in multis locis propagatam, Concilio prohibitam fuisse, & iisdem infirmis argumentis eo tempore sussultam, quibus eam acutissimi nostri antagonistæ hodie tuentur & defensitant. Proinde cùm Græcus Græco,Theodoretus Theologo respõdeat:etiamsi disertè sanctos inuocandos non modò hoc suo exemplo(quod tamen non est lex)doceret,sed etiam expressis verbis iuberet: respondebunt Academici,Ipse dixit, esse Pythagoricum,non Theologicum:hominis simplex dictum vltra Dei verbum nihil probare : nobis præiudicatam opinionem istorum Pythagoreorum non tantùm persuadere,vt etiam sine ratione valeat autoritas:nos in disputando non tam autoritatem hominum,quàm rationum ipsarum momenta quærere: Respondebunt ex Origene, Circumcisus & mundus est, In Gen. H 3. qui semper verbum Dei loquitur, & sanam doctrinam Euangelicis & Apostolicis munitam re-
" gulis profert. Hoc modo Circumcisio labiorum
"

datur in Ecclesia Dei: respondebunt non modò quod Causæus dixit, eum, quid affirmaret, ignorasse: sed quod Christus filiis Zebedæi, quid peterent, nescisse, eóque magis quod illa eorum mater non ad Apostolos sed ad ipsum Christum supplex accesserit.

Matth. 20.

Ambrosius.

Ambrosius à Cacodæmone fascinatus est. Quis hoc retulit? Causæus? non, sed ipse Campianus. Semper tortuosus serpēs sui est similis, circūuoluens & gyrans se, atque inuertens omnia. Parisiensis apud Causæum recitat argumentum cuiusdam Doctoris, qui ei Sanctorum adorationem commendauit, ex Ambrosio, cui videlicet Gerualij & Protasij corpora apparuerunt, & in quodam honoratissimo mortuorum cōsessu decretum est, Mediolani templum in suum honorem erigendum. Hîc Germanus non ait Ambrosium fascinatum à Cacodæmone, sed hanc visionem esse Diabolicam, Reuelationem maligni spiritus se in Angelum lucis transfigurantis: & probat ex Ioanne, non esse cuiuis spiritui credendum, Deum cōsueuisse aliquando ad illustrandum suum nomen, ad confirmandam seruorum suorum doctrinam per Prophetas & Apostolos edere miracula: sed non illorum sed virtute sua, vt Chrysostomus docuit: Reuelationem vocem esse serpentis quæ Euam decepit: cauenda esse illa miracula, visiones, reuelationes quæcunque ad commentitios cultus nos abducunt, vt liquet ex Deuteronomio. Allegat etiam Parisiensis in alio Dialogo ex ore sui Tentatoris Sorbonici, Ambrosiū admonuisse viduas, vt sanctos Martyres & Angelos tanquam nostræ infirmitatis intercessores, nostros Præsules, Speculatores vitæ actionúmque nostrarum inuocarent, idque confirmat ex D. Luca Petrum pro socru sua febricitante, Deo supplicauisse: ergo

De Adoratione Sanctorū.

In Dial. 6.

1. Epi. c. 4.

In opere Imp. c. 23.

c. 13.

Cau. Dia. 3.

In l. de Viuis.

c. 4.

ergo, inquit, obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Primò argumentum non sequitur: An enim si Andreas & Petrus rogarunt pro illa vidua, dum viuerent, ideóne nobis licebit illos vita functos precibus compellare? De altero præceptum est, de altero est silentium: Alii alios mutuis precibus hîc iuuare & possunt & debēnt, Orat enim Apostolus pro plebe, & plebs pro Apostolo. Et hoc infirmitatis tempore præcipit Iacobus, Confitemini alius alii delicta vel offensas, & orate pro vobis inuicem vt sanemini: Dein alterū argumētum de Angelis non valet: Nam Angelus tantum nostra causa faciet, quantum illi in mandatis datur: At vt precetur pro nobis in cœlo, non iubetur: Num ergo hoc bonus spiritus audebit in se recipere? Imò recusabit, & hunc honorem intercessionis tāquam conseruus noster & respuit hactenus & deinceps respuet. Itaque iam non rectà Angelos, sed Deum precibus adire oportet, vt ille dignetur eis vel hoc interpellandi vel curandi officium committere. Sed hoc ineptum est Deo præscribere modum curationis, alterum planè illicitum. Tertium argumentum aliquam videtur redolere impietatem, quasi Martyres aut innocentes & purissimi vixerint, nullis peccatis sordidati, aut si aliqua peccata haberent, ea omnia suo sanguine lauerint, & sic lauerint, vt nostri Mediatores esse possint. Ambrosius certè ipse horum argumentorum infirmitatem agnoscit, itaque postea sui memor Viduas & nos ad alium medicū Iesum Christum remittit his verbis, Pro te Dominus

Augusſt.

Ap. 19.

"interuenit, Rogetur hic Dominus: Ne timeas: "quia magnus est Dominus, Visitare viduas non "dedignatur, Quasi Deus imperat, quasi homo visitat. In quibus duo iusti & veri Mediatoris officia insinuat, posse, & velle succurrere, quorum alterum si absit, Mediatoris officio non fungitur sed vsurpat. Christus autem Vnus & solus Mediator & nominatur & est, quia vt Deus in imperando exerit potentiam, vt homo in visitando declarat misericordiam. Hac ratione sua Ambrosius in hoc libello, (si tamen sit Ambrosij, sunt enim qui dubitant) seipsum quasi corrigere voluit. Certè
c.4.l.4. Ambrosius ipse dum hanc historiam in germano suo Commentariorum Opere super Lucam exponit, tantum abest vt Sanctorum Mediatorũ patrocinium asserat, vt omnino prohibeat, Sic enim "scriptum reliquit de vero medico, Quærendus est "medicus. Sed quis iste tantus est, qui sauciæ mentis mediatur vlceribus? Quis tantus est homo, "qui possit aliis subuenire, cùm sibi ipse non possit? Et paulò pòst, Quæramus ergo aliquem de "Angelis aut Archangelis medicum. Sed quemadmodum mihi possunt præsidium ferre, ne peccem, cùm ipse Archangelus à peccato non potuerit abstinere? Quemadmodum ad Paradisum Angelus reuocare me poterit, cùm ipse Satanas & Angeli sui sedem quam acceperant, seruare non potuerint? Videtis, credo, Ambrosium hunc verum, alterum illum personatum refutare, videtis præstantissima argumenta, nullum hominem, nec Angelum, nec Archangelum posse aut debere hanc tanti Mediatoris functionem sumere, siue Aduersarij de Mediatore seruante, siue intercedente, more suo loquantur argutius. Nam vtrumque Ambrosius ratiocinando respexit, & ego de vtroque interpretor, Angelos nullo

nullo modo aut medicos nostros, aut Mediatores constitui. Quibus ergo istos Sorbonistas nouorum Medicorum conquisitores comparabimus? Certè illi insano & vxorio homini Theotimo, de quo idem Ambrosius, qui cùm graui oculorũ incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens sibi moderari non potuit, oculos amittere, quàm æstum & impetum suæ libidinis reprimere maluit, Vale, inquit, amicum lumen. Sic isti insano suorum diuorum & diuarum amore abrepti & occæcati, neque sapientissimi medici præceptis de solius Dei Inuocatione & adoratione, neque prohibitioni de Sanctis mortuis obtemperant, sed dum affectus suos vagos, & feruorem deuotionis suæ prorsus sequuntur, inde oculis intelligentiæ, & lumine veritatis priuari se prudentes scientésque patiuntur. Præceptum nostri medici est, Dominum Deum tuum adorabis, & illũ solum coles. Prohibitio est, Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, Non erunt tibi Dij alij coram facie mea. Causæi verò rationes quia non sunt inefficaces, non tacebo. Rogare Sanctos mortuos non possumus ex fide aut recta conscientia: quia fides verbo nititur, quo destituitur Sanctorum inuocatio. Si Angelos oremus, frustra fieret, quia sunt Angeli, & nuncij, tum solummodo, vt opitulentur, præstò, cùm ad id à Deo vocantur & mittuntur. Deinde orare Deum, vt Angelos pro nobis orare, & pòst nobis auxiliari permittat, est ambages quærere, & præterito fonte consectari riuulos. Sanctos verò mortuos si oremus, inutile, quia iam partes suas in hoc mundi theatro egerunt, & hîc dum ferendi tempus erat, perfuncti sunt illo charitatis munere, quod requirit solũ Apostolus

Sanctico-læ sunt Theotimi similes.

Matt. 4.

Exod. 20.

Dial. 8. Causæi Rationes Con. Sanctorum inuocationem.

in hac vita, Dum tempus est, operemur bonum
Gal.6. erga omnes. Nõ ergo iam illis iniungitur, vt precentur pro nobis, non magis quàm vt nobis ignaris prædicent, nobis egenis dent eleemosynam,
Iac.5. nos ægrotos inuisant. Et cùm Apostolus mandat, vt alij pro aliis preces fundant, quia talis iustorũ oratio valet, nos pro Sanctis defunctis orare absurdum
Dial.8. est, atque adeo iniuriosum cœlitibus. Postremò Sancti non possunt rectè nostras res priuatas aut necessitates Deo explicare, quas non satis
Eccl.9.v. 5.6.7. norunt, nec magnopere curant: vt Salomonis testimonio comprobat. Hæc aliaq; sobriè Causæus respondit Ambrosio, nec quicquam habet de Cacodæmone fascinante Ambrosiũ. Quamuis autem sint qui aliter interpretentur Salomonem, vt Epicureorum orationem eo loco Ecclesiastes exprimat & quasi imitetur: tamen ille sensus est sanus, in hac vita nobis adesse fiduciam, nec concedendum ad alios mortuos, vbi nec sciunt nostrarum rerum quicquam, nec aliam postea mercedem
» expectant. Bene Munsterus, in eo loco, Si ali-
» quis respuerit à stulta opinione, quamdiu est in
» hoc mundo, hic spem habet salutis. Illud verò
Eccl.11. Salomonis consilium omnium Sorboniſtarum
» erraticis opinionibus certius est & sapientius,
» quod sequitur, Da partem per dies septem & o-
» cto, vt huius vitæ tempore benefaciamus egen-
» tibus, quia nescis quale malum futurum sit super terram. Et postea, Mane semina semen tuum. Et antea, Si ceciderit arbor, versus meridiem aut versus Aquilonem, in loco vbi ceciderit arbor, ibi erit. Si peccator es, lignum Boreale es: si fructus fers Deo gratos, Auster es. Nec enim est aliud lignum tertium: in quo sanè loco iacebis, in eo mortuus permanebis, quæ ferè verba sunt Hie-
Hieronymus. ronymi: nec inde vel Purgatorium futurum, nec missa

missa Sacerdotalis, nec opera post mortem vel tua vel aliena, nec pij amici in terra, nec Sancti vel Angeli in cœlo liberabunt. Hic locus admonet, si iusti, si sancti, si Angelici esse velimus, nostra fide nõ aliena vel fide vel operibus viuamus, à mortuis nullo modo pendeamus: nec de illis hominib⁹ cogitemus: pro mortuis nec oremus, quia iam vel Aquilonis sæuitiam vel Austri clementiam sentiũt: nec mortuos Sanctos pro nobis solicitemus: quia sicut hîc mane & vesperi seuimus, ita die vitæ præterlapso metemus: & arbor vnaquæque suis fructibus non sanctorum cognoscetur, & iudicabitur, prout ipsa floruit & fructificauit in hoc terrestri pomario.

HIERONYMVS *æquè damnatus atque Diabolus: iniuriosius Apostolo, blasphemus, sceleratus, impius.* De Hier. nunc dicendum est: sed tamen non sine Hieronymi cautione. In dogmatibus enim & quæstionibus differendis non persona, sed causa quærenda est. Nec sanè ineptè in illo Dialogo Atticus, Stultissimum est super fide mea, ex alterius pendere iudicio. Hac lege Hieronymiana, « nunc Hieronymum quoque, si non ad autoritatem, quia non licet, at ob antiquitatem, & quia Campiani vestigia sequi oportet, producemus. Et quò res tota euadat exploratior, quædam eius argumenta citabimus contra Pelagianos, Scopus est vt sanctissimos peccato obnoxios esse convincat: & Paulum humanæ fragilitatis exemplar inter cæteros nominat, primò quòd non semper de rebus cœlestibus, sed de terrestribus quoque in vsu communis vitæ necessariis, nimirum de penula apud Carpum Troiade relicta cogitarit. Secundò, Cæsus à ministro, contra Pontificem qui cædi imperauerat, sententiam dirigit, Percutiet te Deus paries dealbate: ex quib. verbis

Beza in Act. Ap. c.23. Hieronymus l.3. aduers. Pelag.

Dial.3.

2.Tim.4.

colligit antiquus iſte pater, Apoſtolum impatien
„tem & irritatiorem fuiſſe, inquiens, Vbi eſt illa
„patientia Saluatoris, qui quaſi agnus ductus ad vi
„ctimam non aperuit os ſuum? non Apoſtolo detra
„himus, ſed gloriam Dei prædicamus, qui in car-
„ne paſſus carnis iniuriam ſuperauit, & fragilita-
tem. Vt taceam illud, quod commemorat, Ale-
xander ærarius multa mihi mala oſtendit, Reddet
2. Tim. 4. illi Dominus in illa die iuſtus iudex. Hæc poſtre-
ma verba ſunt à Duræo omiſſa, quæ etiã animum
Eraſ. in c. 23. Act. impatientem iniuriarum prodere, Hieronymus
exiſtimauit. Hanc Hieronymi ſententiam citat &
„excutit Eraſmus in Annotationib. in illud caput
„Actorum. D. Hieronymus adducens hunc locum
„in Dialogis aduerſus Pelagianos, excuſat quidem
„Paulum, attamen fatetur eum non præſtitiſſe man
„ſuetudiné eam quã præſtitit Chriſtus. Verùm hoc
„ſcripſit vndique muniens ſuam cauſam, & in ipſo
„quoque Chriſto aliquod imperfectæ pietatis ve-
Annot. ibid. ſtigium inquirens. Hinc Theod. Beza, Hieronymus (ſi verum eſt quod de eo ſcribit in hunc lo-
„cum Eraſmus) non modò in eo facit Apoſtolo in-
„iuriam, quòd manſuetudinem in eo facto requi-
„rat, vbi ſeſe planè heroica virtus prodit, verùm
„etiam apertè blaſphemus eſt in eo, quod in ipſo
„quoque Chriſto aliquid imperfectæ pietatis veſti
„gium inquirit. Nunc ex hoc hinnulo audiamus
Campiani Leonem. *Hieronymus æquè damnatus atque Diabolus, iniurioſus Apoſtolo, blaſphemus, ſceleratus, impius.* Si Bezam horum omnium autorem facit Campianus, vt eius Gloſſa Marginalis apertè indicat, non modò conuiciorum, ſed mendaciorum etiam plauſtra inuexit. Vnum eſt conuicium cum mendacio coniunctum de Hieronymo, quòd æquè damnatus ſit atque Diabolus. Eſt enim hæc verè διαβολὴ, & manifeſta calumnia,

quæ facile per ſe ſine mea vel indicatione vel reprobatione contunditur & obteritur, ſi quis ſolummodo ad præcedentem recitationem verborum Bezæ, oculos retulerit, in quibus nihil eiuſmodi legitur. Duræus vt hinc aliquam elabendi rimulam inueniat, Whitakerum ſic aggreditur, „Dum Campianum mentiri ais, ipſe ſplẽdidè profectò mentiris. Non enim hoc Bezam ſed Cauſæum dixiſſe affirmat. Ergo iam ſalua res eſt, Beza liber eſt, & Duræi iudicio abſolutus. Cauſæo lis intenditur, & tamen aliud Campianus in illa ſcilicet Medulla ſua Marginali ſubindicauit. Nunc iterum quærendum & inueſtigandum nobis eſt crimen quod Cauſæo ſtruitur: ſed in quo Dialogo poſuerit, quibus verbis vſus fuerit Cauſæus: nec Campianus, nec Duræus referre nobis dignãtur. Si quis ea ſingulari prærogatiua donatus ſit, vt quæ velit profundat, probet nihil, autorum loca nulla recitet, ſed aliis ſcrutandi moleſtiam imponat: huic profectò homini facillimum eſt multos libros ſcriptitare. Sed quod illis non libuit, hoc mihi non erit graue ſuſcipere. Ex doctoribus & nominatim ex Hieronymo adducitur à Sorboniſta ratio friuola & Sophiſtica, Laudate Dominum in ſanctis eius: vt confirmetur ſanctorum adoratio & inuocatio: Huic reſpondet Cauſæus modeſtiſſimè, Doctores iſtos eſſe homines, lapſos in plurimis, Auguſtinum aliter ſentire: Hieronymũ, (dum ſic transfert alicubi, In Sanctis eius, de ſanctis mortuis intelligens, & alibi vertit aliter, In Sancto eius, alium ſenſum innuens) hominem eſſe, ſibi non conſtare, eum ſic incaleſcere quandoque & efferueſcere, ſic opiniones ſuas mordicus defendere, vt Scripturæ ſacræ loca quædam interdum adulterare & corrumpere videatur: idque ex ſcriptis eius poſſe euidenter demonſtrari: Do-

Duræus. Cauſ. in Dial. 6. Auguſtinus in l. de vera Relig. Hier. in Pſalterio.

ctores tales non semper in Schola Christi, sed in ludo suarum visionum & somniorum educari.

Hieronymus de Sanctorũ reliquiis.

Eodem modo contra Vigilantium disputat pro sanctis & eorum reliquiis, pro vigiliis, pro cereis, adeò pungẽte & aculeata oratione, vt Causæus simpliciter & apertè scribat, eum sibi videri extra se positum, & parum sanum & sobrium.

Hieronymi seruor

Quod an de Hieronymo ita sit, examinemus: Vel ipsum exordiũ contra Vigilãtium cuiusmodi esse "vobis videtur? Multa in orbe monstra generata sunt. Et planè Vigilantium hominem, ipsomet

In Catal.

teste, lingua politum, veritate iudice, Hieronymo hac quidem in re sapientius rectiúsque sentien- "tem, nõ modò vocat Dormitantium, verùm etiam "facit Centauris, Onocrotalis, Leuiathan, Beho- "moth, Cerbero, Hydra Lernæa, Triformi Geryo- "ne monstrosiorem: vt verissimè dixerit Erasmus,

In scholiis ibid.

Mirè à conuitiis auspicatur, ídque suo more. Hæc mouere Causæum potuerunt, vt eum nimis stomacho indulsisse existimarit, cùm ista scriberet:

Collectiones pro Sanctorũ cultu. Ap. 14.

sed illæ collectiones Hieronymo parum dignæ magis impulerunt, quòd Scripturas detorserit, Sequuntur agnum quocunque vadit, si agnus vbique, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt: Itaque concludi posset non solùm Christi, sed etiam sanctorum portentosa vbiquitas, quasi ipsi omnia Dei opera in terris speculentur, omnes nostras actiones obseruent, & preces exaudiant: quod è scripturis sibi probari Causæus non absque causa postulat. Commouit & il- "lud argumentum, Si Apostoli & Martyres adhuc "in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, "quando pro se adhuc debent esse soliciti, quan- "to magis post coronas, victorias & triumphos? Quam connexionem nullo modo cohærere posse nos suprà docuimus: & Causæus illud præterea vrget,

vrget, quod ait, Apostolos pro se dum viuerent fuisse solicitos, quasi illis tum omnium Ecclesiarum solicitudo non incumberet, quasi tum vel maximè pro aliis ex præcepto Domini ardentissimas preces non funderent. In alio Dialogo agi- Caus. dia. tur de cereis imaginibus offerendis autoritate 7. eiusdem Hieronymi. Hinc aliquanto vehementius Germanus apud Causæum repellit ictum Sorboniſtæ, Si, inquit, Hieronymus has opiniones pertinaciter defensitauit, si hanc Idololatriam adeò crassè propugnauit, & in ea sententia, absque pœnitentia diem vltimum clausit, illum ego non sanctum, sed damnatum potius tãquam Diabolum putarem. Hîc tandem Campianus aliquid habet quod prætexat: sed Deus bone, quantum interest? Campianus & Duræus contendunt Causæum affirmasse Hieronymum æquè ac Diabolum esse damnatum, cùm nihil tale ei vel vigilanti vel somnianti excideri. Sic enim mihi & dixisse & sensisse Causæus videtur: Romanistæ Hieronymum mortuum & galero Cardinalitio donarunt, & in Sanctorum suorum catalogo reposuerunt: At mihi quidem si persuasum ac certum esset, eum in his erroribus, & in huius Idolomaniæ defensione mortuum fuisse, non eum in hoc sanctorum numero, sed in damnatorum potius grege esse collocatum existimarem. Sed non perseueraſſe Hieronymum, imò nec hæc idola & phantasias vnquam concepisse, liquere Hier. adpotest, vel ex his quæ ibi idem scripsit, Quis, ô uers. Vinsanum caput, aliquando Martyres adorauit? gil. quis hominem putauit Deum? Et statim morem sui temporis describit, in accendendis lucernis, Cereos non clara luce accendimus, si- Cereos accendecut tu calumniaris, sed vt noctis tenebras hoc re. solatio temperemus. Cur hîc Hieronymum "

»Romanum non imitantur Romanistæ? cur Hyperduliam Mariæ attribuunt? cur Sanctos diuinis honoribus afficiunt? cur lucernas in sole accendunt?

Aduer. Vigil.

Hieronymus æquè damnatus atque Diabolus: inquit, Cauſæus, ſi verus eſt Campianus: Cæterùm ipſe Hieronymus quanto confidentius Vigilan»tio hoc ipſum de Diabolo obiecit? Quomodo Eu»phorbus in Pytagora renatus eſſe perhibetur: ſic »in iſto Iouiniani mês praua ſurrexit: vt & in illo, »& in hoc diaboli reſpondere cogamur inſidiis. Annon hîc optandum cum Eraſmo, Vtinam Hieronymus argumentis duntaxat egiſſet, & à conuitiis temperaſſet? Sed hoc permittamus Hieronymo doctori tanto Eccleſiæ, vt damnet, vt Vigilantios diabolicos appellet: Adhuc Hieronymus nec à Beza, nec à Cauſæo dānatus cum diabolo pronunciatur. Viderit ergo Duræus, ánnon Campiani mendacium nouo mendacio defenderit, ni ſi fortè inter hominem aliquid affirmātem & ſupponentem, inter categoricam propoſitionem & hypotheticam, nihil eſſe putet diſcrimimis. Alterum eſt, à Beza obiici Hierōnymo, quod ſit in Apoſtolum Paulum iniurioſus, & in Deum blaſphemus. Annon hic rectè dici poſſit, Lingua mendax, fallax quò vadis? Quod per Hypotheſin & ſuppoſitionem quandam extulit Beza, id ſine vlla hæſitatione confidenter & aſſeuerāter enunciat Campianus. Beza fidelis & teſtis & interpres eſt in ſua cauſa, ſuis verbis, Si verum eſt quod de eo ſcribit in hunc locum Eraſmus, Et idé repetit, ſe nihil aſſerere, niſi addita cōditione, Si verum eſt quod in hunc locum ſcripſit Eraſmus. Quid autem Eraſmus annotarit, iam poſuimus: & ſimiliter quid in Paulo deſideret Hieronymus, planiſſimè diſſentiens à Chryſoſtomo, qui honorificè

Bezæ defenſio.

Chryſoſtomi & Hieronymi expoſitiones diuerſæ.

tificè Pauli libertatem prædicat, quòd coràm & in os Põtificem Maximum ſimulationis & præuaricationis ſuggillarit: & quòd illum verè & non contumelioſè parietem dealbatum vocauerit, in quo non magis peccauit quàm Chriſtus, qui ſine contumelia quoque dixit, Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia ſimiles eſtis parietibus dealbatis. Iniuſta ergo Pontificis percuſsio, ſed iuſta Pauli expoſtulatio. Iniuriam feciſſe videtur Apoſtolo Hieronymus, quę etiam redundaret in Dominum cuius ſpiritu locutus eſt fortior, ſi Paulum qui laude dignus eſt immeritò reprehenderet: nec potuiſſet damnare in hoc Paulum, niſi ſimul condemnaret & Chriſtum, quod eſſet blaſphemum: quandoquidem ille Chriſti exemplo & loquendi forma, iiſdémque verbis tanquam Propheta pugnaci Epiſcopo denuntiauit. Itaque cùm Beza Chryſoſtomum hîc ſequutus non ſimpliciter vel iniuſtitiæ vel blaſphemiæ notam Hieronymo inurat, ſed ex hypotheſi & cum conditione prudenter orationi ipſe ſuæ moderetur: Secundò iam lapſus eſt Campianus lingua vel penna, qui aſſeuerat Bezam abſolutè nominaſſe Hieronymum & Apoſtolo iniurioſum & in Chriſtū blaſphemum. Et quo triplex ſit funiculus, attexamus tertium mendacium, quia fingit Bezam vocare Hieronymum ſceleratum & impium: & tamen Beza indefinitè & generaliter de quocunque homine loquitur, ſic, Cùm de veritate Dei agitur, ſceleratus, prophanus, impius eſt, qui ita ſeruit cauſæ, vt verbum Dei ſciens ac prudens torqueat: & de Hieronymo dubitans ait, Id verò an committat in huius loci explicatione Hieronymus, in Dialogis aduerſus Pelagianos non aſſero. Beza non aſſerit de Hieronymo, aſſerit de Beza Campia-

Campiani triplex lapſus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus. Ex quo perspicuum est tripliciter Campianum esse mentitum, Bezam & Causæum à Campiano sine causa taxatos, Paulum ab Hieronymo iniustè accusatum, Chrysostomum contra Hieronymum nobiscum sentire. Sed ô misellum Paulũ, qui olim à contribulibus mirè vexatus est, aliâs à Pseudoapostolis conuiciis tantùm non lapidatus, quòd solius fidei iustitiam docuerit, nuper à scholasticis & ab Hieronymo culpatus, quòd Petrum reprehenderit, & hoc loco insimulatus ab eodem Hieronymo, cùm tamen ille hypocritico Sacerdoti non ex carnis affectu, sed ex spiritus instinctu egregiè laruã detraxerit. Interim, charissimi Fratres, hoc obiter inspicite, istos nouos glossatores nostros non absque re assimulari à Causæo capris aut hircis. Nam vt quicquid illi in horto & pomario arrodunt & commordent, moritur: sic quicquid est in Scripturis, in Patribus, in nostris scriptoribus benè dictum, malè interpretando peruertunt.

Dial. 8.

Massouius

Gregorius *Massouius pluris Caluinum facit quàm Centum Augustinos.* Et Campianus facilè hoc credit, quia dixit hoc Franciscus Stancarus. Non mirum est errare eum, qui cæcum ducem quàm oculatum sequi maluit. Stancari libellum de Trinitate & Mediatore Iesu Christo non modò Phil. Melanchthon repellit, sed ei iamdudũ respondit Iosias Simlerus, vir non minus pietate quàm eruditione præstans, & verè iudicat librum esse non modò erroribus refertum sed etiam conuiciis. Errores aliquot præcipuos recitat Ecclesia Mansfeldiensis, primò quòd duas in Christo naturas distraxit. Secundò, quòd statuit Christum Mediatorem non secundum diuinam, sed secundum humanam naturam tantùm, & vocat Stancarianam hæresim olim refutatam à a Fulgentio, & ab his quos memorat Campianus, ab b Augustino, & à c Cypriano: tamen Stancaro d Longobardi, Bonauenturæ aliorúmque Scholasticorum lacunæ magis placent. Est & alius conuiciator huic Stancaro Italò non absimilis Surius effrons monachus, qui non veretur præstantissimũ Geneuensis Ecclesiæ doctorẽ Theod. Bezam insanum Caluini discipulum nominare, quòd in vita eius affirmet, Vni Caluino post Christum & Apostolos deberi veram & germanam de Cœna Domini intelligentiam: cùm tamen Beza longè aliter senserit, & expresè scripserit: Caluinum aureolum illum de Cœna Domini libellum in vsum suorum Gallorum edidisse, & sibi videri adeò dextrè & eruditè explicatum ab eo fuisse illud argumẽtum, vt eam tot infœliciss imarũ controuersiarum decisionem illi potissimum secundum Deum acceptam ferre debeãt: nec verbum vllum facit de omnibus qui ante illum scripserunt post Christum & Apostolos, sed maximè loquitur de suis Gallis, de suis temporibus & de vera & methodica explicatione illius quæstionis ad omnium captum & intelligentiam. Nouimus enim Caluinum plurimum adiutum aliorum & veterum & recentiorum atque imprimis Zuinglij & Oecolampadij doctissimis monumentis, quibus tamen ille nonnihil lucis attulit, & suam quandam peculiarẽ gratiam in soliditate & dexteritate tractationis adhibuit: adeò vt acutissimi homines, non modò Greg. Massouius aut Theod. Beza, sed Melanchthon, Bucerus, Martyr, Crucigerus, Sturmius aliique multi eius iudicio hac in re multum tribuerint, eúmque semper tanquã grauissimum Theologum meritò coluerint: quorum ego de Caluino incorruptas opiniones omnibus Surij, Cochlæi, Bolseci, Campiani furiosis bac-

Stancarus testis Cãpiani.

es

a Fulgentio, & ab his quos memorat Campianus, ab b Augustino, & à c Cypriano: tamen Stancaro d Longobardi, Bonauenturæ aliorúmque Scholasticorum lacunæ magis placent. Est & alius conuiciator huic Stancaro Italò non absimilis Surius effrons monachus, qui non veretur præstantissimũ Geneuensis Ecclesiæ doctorẽ Theod. Bezam insanum Caluini discipulum nominare, quòd in vita eius affirmet, Vni Caluino post Christum & Apostolos deberi veram & germanam de Cœna Domini intelligentiam: cùm tamen Beza longè aliter senserit, & expresè scripserit: Caluinum aureolum illum de Cœna Domini libellum in vsum suorum Gallorum edidisse, & sibi videri adeò dextrè & eruditè explicatum ab eo fuisse illud argumẽtum, vt eam tot infœliciss imarũ controuersiarum decisionem illi potissimum secundum Deum acceptam ferre debeãt: nec verbum vllum facit de omnibus qui ante illum scripserunt post Christum & Apostolos, sed maximè loquitur de suis Gallis, de suis temporibus & de vera & methodica explicatione illius quæstionis ad omnium captum & intelligentiam. Nouimus enim Caluinum plurimum adiutum aliorum & veterum & recentiorum atque imprimis Zuinglij & Oecolampadij doctissimis monumentis, quibus tamen ille nonnihil lucis attulit, & suam quandam peculiarẽ gratiam in soliditate & dexteritate tractationis adhibuit: adeò vt acutissimi homines, non modò Greg. Massouius aut Theod. Beza, sed Melanchthon, Bucerus, Martyr, Crucigerus, Sturmius aliique multi eius iudicio hac in re multum tribuerint, eúmque semper tanquã grauissimum Theologum meritò coluerint: quorum ego de Caluino incorruptas opiniones omnibus Surij, Cochlæi, Bolseci, Campiani furiosis bac-

a L. 3. ad Regem Trasimundum.
b L. Conf. 12. c. 43.
c Tract. de Idol. vanitate.
d L. 3. d. 19

In Comment. rer. gest. Surij. de Beza maledictũ. In vita Cal. Caluini de Cœna explicatio læna & lucida.

chationibus antefero. De Augustino Caluini & Lutheri optima & honorifica extant testimonia: tantum abest vt vel centum vel mille Augustinis, vt nec vni quidem Augustino se vnquam præferant: nisi quãdo omnes Doctores vni verbo Christi postponunt. Quod ex Lutheri libro contra Henricum Octauum Regem Angliæ quem proximo loco nobis obiicit Campianus dilucidum fiet: vbi non affirmatè dicit, vt vult Iesuita iste, se nihili facere mille Augustinos aut mille Cyprianos: sed cùm Henricus Rex pro Sacrificio Missario Patrum dicta induceret, riderétque quodammodo Lutheri stultitiam, qui solus velit sapere præ omnibus: non se sed Scripturam mille Augustinis „opponit. Mihi, inquit, stultissimo omnium hoc „satis est quod sapientissimus Hẽricus nullam scri„pturam contra me potest producere, nec produ„ctas contra se diluere: sed cogitur cõcedere suos patres sæpius erasse, suum antiquum vsum non facere articulum fidei: postea Lutherus causam suæ confidentiæ infert, Ego verò aduersus dicta patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum pono, non antiquum vsum, non multitudinem hominum: sed vnius Maiestatis æternæ verbum Euangelium, &c. Hoc enim opus & verbum Dei, non nostrum est: Hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papistis, Thomistis, &c. Postremò sic cõcludit, Dei verbũ est super omnia: Diuina Maiestas mecum facit, vt nihil curẽ, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me starent. Deus errare & fallere nõ potest. Augustinus & Cyprianus sicut omnes electi errare potuerũt & errauerunt. Hoccine est in patres bacchari? Imò perbacchatus est Campianus in reuerendum Patrem Lutherum

De Augustino & patribus testimonia nostrorũ.

Luth. in l. con. Reg Hen. Oct.

Dei verbũ omnibus Augustinis præferendum.

therũ: Nam quod Lutherus præclarissimè de verbi Diuini autoritate præmisit, id Campianus perfidiosissimè omisit: & dum simpliciter dicit Lutherum mille Augustinos contemnere, simpliciter eum mentiri intelligitis, quia solummodo ex hypothesi & per fictionem quandam loquitur, Cùm Diuina maiestas secum faciat, non se curaturum, si mille Augustini contra ipsum sic gladio spiritus armatum consisterent: quod nec ipsos Campianistas negaturos, si quid mentis aut frontis habent, arbitror. Ista debebant à Campiano attendi consideratius & citari syncerius, & tractari simplicius. Eiusdem farinæ est quod subiecit de nostra in Optatum, Athanasium, reliquósque patres venerabiles procacitate: quod quia illi placuit verbo tantùm affirmare, mihi sufficerit verbo denegare. Obiectat enim Optatos, Hilarios, Vincentios & alios: chorum scilicet mutarum personarum vel laruarum introducit vt ipso sonitu nominum percellat. Ita sanè matres infantibus parũulis auorum aliorúmue nomina & vmbras obiiciunt, quos dum viuerent maximè timebant: vt hoc metu & terriculamento iniecto sileant, & flere, aut id quod inepè cõcupiscunt, petere desinãt. Sic nobiscum agunt terriculamẽtis & vmbris hominũ, sanè pueriliter & inaniter: non enim hisce laruis perterrefiũt prudẽtes, nec os obstruitur iis, qui in scena quid sit homo laruatus, quid κώφον πρόσωπον intelligunt.

Papistarũ laruæ pueriles.

CAMPIANVS.

QVANQVAM *si datur vlla rebus iniustis iusta defensio, non inficior, habere Patres, vbicunque incideris, quod isti dum sibi consentiunt, necessa-*

rio stomachentur.

Etenim qui odere statà ieiunia, quo animo esse oportet in Basilium, Nazianzenum, Leonē, Chrysostomum qui de Quadragesima, & indictis ieiuniorum feriis tanquam de rebus iam vsitatis, concionesegregias publicarunt?

HVMFREDVS.

Alia nunc via rem ingreditur, & sicut aliquot nomina prius tantummodo ad terrorem ingessit, ita nunc quasdam autoritates concisius & obscurius ad speciem solùm proponit. De qua sectione dicemus ordinatè & sigillatim suis locis. Sed qualis & quàm fœda est in ipso primo introitu & limine prolapsio? Habere Patres, vbicunque incideris, quod isti, dum sibi consentiunt, necessariò stomachentur? Principium orationis Campianicæ non est verum: quoniam nos, dum in multa & quidem pleraque loca vetustissimorum Patrum incidimus, quasi eos auersos & à nobis alienos haberemus, non stomachamur: sed quia nostrę religioni luculentum ferunt testimonium, nobis & causæ nostræ gratulamur. Si quis in lectione eorum error obrepat, nec enim omni errore vacui esse possunt homines: illos relinquimus ipsis autoribus, & meliora atque certiora cum iudicio excerpimus. An verò quia aliquod suorum dogmatum patrocinium in patre vno aut altero inueniunt, idcirco patres & omnes & totos esse suos stolidi homines imaginabuntur? In quo mihi Struthionis stultitiam imitari videntur, qui si collum aliqua fronde texerit, se toto corpore obtectum & absconditum existimat: sic isti si vnam ali-

De patribus in genere.

Romanistæ Struthiones.

aliquam vocem aut sententiam, ad vllius opinionis suæ defensionem ex vllo patre apprehensauerint, omnes suas phantasias à patribus confirmatas, séque vndiquaque cõmunitos & circumuallatos putant, cùm tamen omnia ferè ipsorum dogmata à patribus oppugnentur, & ipsimet nudi & inermes omnibus nostrorum ictibus obnoxii pateant. Ad hunc patrum catalogum qui hìc contexitur à Iesuita, primùm generatim respondeo, etiamsi Basilius, Nazianzenus, Leo, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Optatus, Athanasius, aliquid Scripturarum veritati minus consonum annunciet: imò etiamsi, Nos, inquit Paulus, etiamsi, vt pulchrè amplificat Vincentius, Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Ioannes, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus, etiamsi Angelus de cœlo Euangelizet nobis, præterquam quod Euangelizatum est, Anathema sit. Sed transeamus ad particularem Campiani enumerationem: & quos fucos faciat, quos fumos offundat credulis suis assectatoribus, videamus. Prima assertio est ex Basilio, Nazianzeno, Leone, Chrysostomo, pro Quadragesima sua, próque statis ieiuniis, quæ nos odisse, illos verò patres egregiis concionibus publicasse contendit. Primò dicimus, quicquid iste ex patribus afferre poterat, ieiunia certis feriis & diebus in Nouo Testamento non indici aut vspiam præcipi, adnotante ipso Augustino ad Casulanum: Non inuenimus in Euangeliis & Apostolicis literis, quæ ad "
Noui Testamenti reuelationem propriè perti- "
nent, certis diebus aliquibus euidenter præcep- "
tum, obseruanda esse ieiunia. Præterea nobis expendẽdum, cuiusmodi tandẽ illa ieiunia fuerint, præscripta à Patribus indicat Cyrillꝰ, nõ vt certos

Aduers. Hæreses.

De quadragesima & ieiunio.

Epist. 86.

s. Ioã. c. 13.

cibos præfinitis temporibus comedamus, à reliquis Dei creaturis licitis abstineamus, sed vt in ieiuniis leges Euangelicas obseruemus sicut docet Seruator, Tu si ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam. Indicat historia Ecclesiastica
L.5.c.22. Socratis, ipsos Romanos tres tantùm ante Pascha septimanas, præter Sabbatum & Dominicam, continuas ieiunasse: & Quadragesimæ nomen aliter atque aliter vsurpatum: vt vel tres vel sex, vel septem hebdomadas ante Pascha compre
In Parał. Abb. Vrs. hendat. Quinimò Meltiades vetuit die Dominica & feria quinta ieiunare, etiam in ipsa Quadragesima, quoniam eos dies sacros habuit Gentilismus: & Damasus ille sacerdos Papistarum iudicio summus: similiter Ambrosius ille malleus hæ-
Li. 10. Epist. 83. reticorum, vt vocat Trithemius, interdixit, Dominica ieiunare non possumus, quia Manicheos
" etiam ob istius diei ieiunia iure dānamus. Epiphanius dixit, Quadragesimam ante septem dies Paschæ seruare solet sancta Ecclesia, in ieiuniis perseuerans. Telesphorus aliam iniit ratione, de Clericorū Quadra gesima. Gregorius Quadragesimali ieiunio quatuor dies ab initio adiecit. Nūc quę ri potest à Pontificiis in ista tāta diuersitate, Quid est Quadragesima? Non certè hæc quę hodie sub
Nouum Gregorij 13. Festum Natale. pœna ęternę dānationis obseruatur. Sed quid ego sciscitor à Romanistis de certo Quadragesimæ tē-pore, cùm Festum Gregorianum Natalis Domini nouum satis orbi loquatur, quanta Romæ sit leuitas, quantum nouitatis studium, quibus in hoc vltimo mundi delirio festa verè mobilia facere & omnia innouare libuit. Adeò verè hîc quoque Danielis Prophetia completa videri po-
Dan. 7. test, Alius Regulus nouus consurget, qui putabit se posse mutare TEMPORA & leges.

Sed

Sed qui sic mandāt & statuunt vt in Quadragesima à carnibus ieiunetur, cur ipsi à vino non abstinent, quæ duo antiqui patres ferè semper copulaGreg. Nyssenus de amandis pauperibus. c. 85. Con. 4. Car.
runt? cùm Hieronymus ad Eustochium in Epitaphio Paulæ scribat: Homines & à piscibus & mele, & vino abstinuisse, quę tamē omnia in deliciis habet Papistica abstinentia.

BASILIVS quidem conciones habuit de ieiu-Bas. Con. 1 de ieiunio. nio περὶ νηστείας, quæ vox denotat eos illo tempore nihil gustasse, sicut graphica est apud eum descriptio, Fiat ieiunium quies ab assiduis laboribus famulis per totum annum ministrantibus, quietum redde cocum tuum, da libertatem mensæ structori, siste manum pocillatoris ac pincernæ, quiescat aliquando & qui varias placentas ac bellaria parat, quiescat aliquando domus ab innumeris tumultibus, & fumo & nidore, & his qui sursum ac deorsum cursitāt, & ventri velut implacabili Domino ministrant. Habetis hîc expressam effigiem Papistici ieiunij, quippe illi Basilij hanc præscriptionem non seruant: plus enim conquirendis & parandis cupediis & piscibus impenditur quàm carnibus. Imò verò obiici potest sic ieiunanti, quod addit Basilius, Carnibus non vesceris, sed fratrem comedis. Deinde quomodo Pontificij se ante Quadragesimam macerent & præparent, operæpretium est audire, non vt illi qui equos ad certamen destinatos, antè per famem domant, sed Con. 2.
vt alibi depinxit idem autor, veluti qui ad longas peregrinationes proficiscuntur, ita quidam stolidi hodie ad sacros ieiuniorū dies se vino exaturant. Ad extremum definit verum ieiunium abalienationem à malo, continentiam linguæ, inhibitionem iræ, separationem cupiditatum, detractionis, mendacij, periurij. Quid hîc de Romanensi Quadragesima, aut de abstinentia à carni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, aut de Ichthyophagia?

Greg. Nazianzeni sententia de ieiunio.

Sed Basiliũ missum facio, & ad Nazianzenum accedo: Egregium sanè par doctorum, vterque Athenis educatus, vterque Academicus, vterque per aliquot annos vel in eodem loco, iisdé sacræ Theologiæ studiis dicatus, vterque multarũ virtutum laude illustris. Nam vt rectè de Basilio Nazianzenus prædicauit, Non posse latere Basilium, qui præ aliis excellebat, non magis quàm sol inter stellas delitescere potest: ita in historia proditum est, vtrumque cum singulari eruditione & pietate summam vitæ integritatem & continentiam coniunxisse, & Philosophicum planè viuendi institutum coluisse: quos inter se amicè commisit, eorumque vitam & doctrinam eleganti collatione descripsit Ruffinus. Sed de ieiunio nunquam vel superstitiosè vel Papisticè, nunquam de Quadragesima curiosè aut imperiosè scripsit Nazianzenus. Quanquam autem de eius eloquentia & autoritate præclarè testificatus est Ioannes Trithemius, Eius dictis aduersarios nunquam ausos fuisse contradicere, adeò vt ad confirmationem autoritatis Gregorium tantũ aliquid dixisse sufficeret: tamen sciant Campanistæ nos solidum fundamentum tenere Scripturam sacram: è qua si Quadragesimam suam probauerint isti patrum simij, accedimus: alioqui respondebimus cum Augustino Patre, Non mihi de lege Dei, non de præconio prophetarum, non de sanctitate Psalmorum, non de Apostolo Christi, non de Christi eloquio recitatur.

In Eccle. H. l. 2. c. 9.

Epist. 50.

Leo.

Idem de Leone nobis dicendum est, Scripsit de ieiunio & Quadragesima Leo, & eum doctum virum iudico, non tamen Papam vniuersalem vnquam fuisse contendo, vt nobis satis sit audire, Ipse dixit: Quare si quid posthac ex Leone protulerint,

lerint, vbi audierimus, facilè & verè conabimur aliquod, Dei Gratia, responsum accommodare.

In Matth. c. 13. Chrysostomi de ieiunio sententia.

De Chrysostomi ieiunio suprà dictũ est, non enim illis illo in loco patrocinatur, sed Quadrageſimalem illorũ à carnibus abstinentiã exemplo Christi probari posse omnino inficiatur. Sed hactenus nos Christi ieiunium docet, vt nõ Quadraginta dies tantùm sed omne vitæ tempus sobriè transmittamus, vt temperantia nos tanquam athletas ad certamen & contra tentationes Satanæ exerceamus, ne ventris imperium sequamur atque intemperantiam, quę, vt ait Chrysostomus, Adam è Paradiso eiecit, quæ diluuium sub Noe commeruit, quæ in Sodomitas fulmina deduxit. Hoc nos Christus docere voluit, non miraculosum vel Mosis vel Heliæ vel suum ieiunium. Sed parum aptè suum hoc telum mittit in nos Campianus, qui hos ieiun iorum dies statos seruamus, qui adhuc aliquam Quadragesimæ formam politicè retinemus, in suos torquere debuerat, quos verè tangit. Odere enim stata ieiunia, de quibus Bernardus, Inde splendidæ mensæ & cibis & scyphis, inde commessationes & ebrietates, inde « cithara & Lyra & tibia, inde redundantia torcu « laria, & promptuaria plena eructantia ex hoc in « illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta mar- « supia. Pro huiusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Odere etiam stata ieiunia patrum istorum illi, qui Currunt velocius ad coquinam, quàm ad Missam, plus respiciunt piscem assum, quàm Christũ passum, plus agnum elixum, quàm Christum crucifixum, plus student in Salmone, quàm in Salomone, vt ex eodem contra istos non ieiunatores sed ieiunos hypocritas Bromyardus colligit.

In c. 4. Matth.

S. Cant. S. 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Doctorũ Duræi Quadriga expensa.

Hvic doctorum quadrigæ aliam adiunxit Duræus, Ambrosium, Hieronymum, Ignatium, Augustinum. Ambrosius personatus in scenam primus intrat, *non esse leue peccatum, inductam à Domino Quadragesimam violare*. Hos sermones de ieiunio, de Quadragesima, aliisque simillimis in tertio Tomo non fuisse Ambrosij nõ potuit ignorare Duræus, qui videt, aliquot Augustino ascribi, alios in nomen Maximi Episcopi referri, plerosque ab Erasmo impostori alicuí & blateroni verissimè tribui, aut saltem ab eius officina prodiisse, qui Sermones illos ad Fratres in Eremo composuit. Notatur etiam ab ipso Costerio Louanienſi huius autoris insulsitas & audacia. Et in quo Euangelio Christus hanc Quadragesimam indixit? Cur legem illam non recitat? Nam si legem Christi vocat Christi exemplum, vt ex alio Sermone constare potest, & hoc nobis imitandũ proponit: obseruationem minimè homini possibilem iniungit, vt cum Christo ab omnibus Quadraginta diebus & noctibus ieiunet: & quod arbitrarium esse debet, facit necessarium: quod verus ipse Ambrosius nunquam exigit. Nam in libro de Helia & ieiunio primùm docet quomodo nobis Christi & sanctorum exemplis vtẽdum sit: cum Christo frenemus carnem vt Diabolicas tentationes superemus: cum Mose ieiunemus, vt legem à Domino accipiamus: cum Helia pro mensura viricularum nostrarum ab epulis & cibis abstineamus, vt eam escam quæramus, cuius virtute diebus ac noctibus progrediẽtes ad supernorum postimus cognitionẽ venire: cum Ioanne Baptista ieiunemus, qui tamen mel syluestre & locustas comedit, parca scilicet & frugali diæta contentus: cum Iuditha ieiunium temporarium obseruemus, quò ad Olofernis caput amputandum para-

Ser 25. Ambrosius de Quadragesima.

Initio. Tom. 3.

Ser. 32.

Exod. 34.

paratiores, ad omne genus Dæmoniorũ eiiciendum instructiores simus. Deinde verus Ambrosius ad ieiunium voluntarium inuitat: Suscipite iugum Christi, Nolite timere, quia iugum est, festinate, quia leue est. Non conterit colla sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non alligat ceruicem vinculis, sed mentem gratia copulat: non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit. De Helia & ieiunio, c. 22.

Hieronymvs secundus Quadragesimæ defensor productus est ex Epistola ad Marcellam, Nos vnam Quadragesimam secundum Traditionem Apostolorum toto anno, tẽpore nobis congruo ieiunamus: Illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores. Qualis hæc Quadragesima sit, & quantum temporis comprehendat, non possunt nobis facilè Pontificii explicare: nec minus obscurum est quod de Apostolica Traditione refertur. Agit autem in ea Epistola de quadam differentia inter Montani leges & Ecclesiæ Traditiones, de nuptiis, de cibis aliisque eiusmodi: quas Ecclesiasticas consuetudines tum vulgo quasi per manus ab Apostolis traditas, eorum Traditiones appellitarunt. Sed quid Apostoli tradiderint, à Christo scire debemus, Non quod ingreditur in os, coinquinat hominem: & à voce cœlesti in Visione Petri, Surge Petre, macta & vescere: Et illo abhorrente, Quæ Deus purificauit, tu ne communia seu prophana dixeris: Et à Paulo, Omne quod in Macellum venit, edite: & ab eodẽ, Omnia munda mundis. Si hæc Traditio de certa Quadragesimæ obseruatione sit Apostolica, ergo Montanus ille eas ieiunii leges non introduxit: & ita Apollonius & Eusebius mentiuntur qui eum Ieiunii Nomotheten & Institutorem nominant. Et quomodo

Hieronymi Quadragesima.

Hier. ad Marcellã.

Cõ. Montan.

Matth. 15.

Act. 10.

Tit. 1.

Euseb. l. 5. Eccl. Hist. c. 17.

tradiderunt quod in eorum scriptis nusquam extat? Aut Apostolicum quomodo erit, quod vbique locorum mutatum esse Socrates commemorat? Quam varietatem refert Sozomenus, Quoad Quadragesimam, in qua multitudo ieiunat, alii »sex vt Illyrii & Occidentales, totáque Lybia & »Ægyptus cum Palæstinis, alii septem Hebdomadas comprehendunt, vt Constantinopolitani & »vicinæ gentes vsque ad Phœnices, alii tres septimanas sparsim, alii tres Pascha continuè præcedentes. Si etiam ieiunium Quadraginta dierum dicunt esse Quadragesimam, cur Epiphanius ait, vt suprà attigimus, Quadragesimam ante septem dies Paschæ seruare solet Sancta Ecclesia. Si Apostolicam Traditionem esse statuit Hieronymus, quid est, quòd in Ambrosio, quem ipse Duræus citauit, tanta audacia voluerunt eius seculi ritum corrigere & immutare? Quid est quòd Christiani alii contenti sunt nostra Quadragesima, alii etiam religiosius Quinquagesimam obseruarunt? quod quia neque Diuinis literis iubetur, neque traditum est autoritate Maiorum, dum se putant agere deuotius, eos præsumere, atque superstitiosius conuersari dicit Ambrosius. Quid est quòd alii fideles & fratres alternis in Quadragesima Hebdomadis abstinuerunt? id est, septem dierum curriculo prandentes, & rursus septem dierum spatio ieiunantes, vt eodem in loco Ambrosius? Quod quid aliud est quàm consecratum illum suum numerum Quadraginta dierum prophanè violare, & Apostolica præcepta (sic enim vocant) audacter infringere? Sed ieiunium Hieronymianum quid sit, nobis edisserat ipse Hieronymus: Ex Apostolo est, Castigare corpus, & in seruitutem redigere: ab exemplo Heliæ, Mosis, Christi est, cum Dauide animam nostram humiliare: breuiter

Socr. l. 5. c. 22.
Soz. l. 7. c. 19.
In vita Compendiaria.
Ambros. Serm. 34.
Ibidem.
Hieronymus ad Demetriadem.

hiter non tam erat statuto tempore, quàm liberè sibi ieiunium indicere: Neque verò, inquit, immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & antè ægrotare incipiant, quàm sanctæ conuersationis iacere fundamenta. Philosophorum quoque sententia est, μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι. Vnde & vnus de septẽ Sapientibus ait, μηδὲν ἄγαν, id est, ne quid nimis. Hæc longè alia sunt, quàm ea quæ in quodam Sermone de Quadragesima ab eo prodita dicuntur, Omni seruis Dei tempore ieiunandum est, sed tunc amplius, cùm ad immolationem agni, ad mysterium Baptismatis, ad Christi carnem & sanguinem præparamur. Et iterum, Exiuimus de Ægypto, quid nobis cum Ægyptiis cibis? Scilicet Dei bonæ creaturæ istis asinis sunt Ægyptii cibi: tamen percommodè id accidit, quòd non solùm carnes & ollas, sed pisces & cucumeres (edulia nimirum Quadragesimalia) inter Ægyptios cibos reputat sacra Historia. Sed de hoc Sermone ita censuit Erasmus, Adeò non sapiunt hæc Hieronymum vt parum abfuerim, quin in extremam classem relegarim. Itaque Duræus prudenter fecit, qui maluit hunc Sermonem verecundè transire, quàm impudenter ingerere. Attamen miror Campianum, qui tam auidè Concionum titulos inspexerat, non hunc etiam Hieronymi Sermonem oculis deuorasse & nobis commendasse, nisi quòd nec illos nec alios ipse satis diligenter apud se ruminasse videatur.

Pseudo-hieronymus.
In Cens. Serm. de Quadrag.

De Ignatio suprà à nobis dictum est, Non contemnimus Quadragesimam: scimus eam continere memoriam imitationémque dominicæ conuersationis. Nihil hîc dicitur de nostro anniuersario Quadragesimæ ieiunio: Audiat potius

Universidad de Deusto Biblioteca

Duræus quæ sequuntur: ieiunium præscribi tantummodo Hebdomadæ Passionis quarto quintóque die, qui est Parasceues. Audiat quomodo ipsi Parricidæ Christi, & χριστόκλοποι denunciétur Ignatii iudicio, qui in Quadragesima & aliàs nec Dominicum Diem nec vllum Sabbatum à ieiunio suo pisculento liberum esse volunt. Qui vllum diem Dominicum, aut vllum Sabbatum, excepto vno Paschatis Sabbato, ieiuniis dicauerit, ille Christi interfector est.

Ad Phil.

Ibidem.

AVGVSTINVS Quartus Doctor & patronus Quadragesimæ est, qui sic à Duræo adducitur, *Eiusdem farinæ est quod Augustinum ais, Quadragesimam nostram non agnouisse, quo nescio an aliud cuiusquam hominis mendacium extet impudentius.* Bona verba quæso Duræe, & tua superiora verba, tecum animo soluto & sedato repete, Nos in maioribus nostris Manichæo, Nouato, Pelagio, Aerio, Vigilantio, Iouiniano, quorum ab orco hæreses reuocauimus scilicet, hæreticos pronunciari à patribus. Non Whitakeri, sed hoc ipsum tuum contra nos dictum est eiusmodi, quo nescio an aliud cuiusquam hominis mendacium extet impudentius. Vos enim potius Manichæos, Pelagianos, Nouatianos esse, vestra dogmata iamdudum orbi prodiderunt: vos sancti isti patres hæreticos pronunciant, si vestra scripta ad Scripturæ gnomonem examinentur. Non potuit ille tantus feruor & flamma orationis tuæ citò & subitò deferuescere, quæ sic in superiore pagina contra nos tanquam hæreticos exarserat. Mittamus ista & Deo committamus, qui aliquando suo tempore viua voce de omni hæresi feret iudicium. Augustinus vestram agnoscit Quadragesimam? vestra pisculenta & vinolenta conuiuia? vestras carnium impias prohibitiones? vestras faces accensas

De Quadragesima opinio Augustini.

Duræi cõtra nos præceps Iudicium.

sas his, qui cibos moderatè ex verbo Dei comedunt cum gratiarum actione? vestras ad orcum vsque condemnationes, & æternæ pœnæ comminationes? Augustinus ait Quadragesimam ieiuniorum habere autoritatem, & in veteribus libris ex Ieiunio Mosis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: sed addit, Demonstrans Euangelium non dissentire à lege & prophetis. Et iterum subdit, In qua parte anni congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur nisi confinis atque contigua Dominicæ passioni? Hæc omnia agnoscimus, sed hîc stabiliri vestram Quadragesimam, quæ ab illa Augustiniana discrepare mihi videtur, non agnoscimus. Imò inquit Augustinus alibi, Non frustra Quadraginta dies ieiuniorum esse constitutos, quibus Moses & Helias & ipse Dominus ieiunauit. Neque hîc abnuimus, quomodo enim possumus, cùm horum trium Quadragesimam Scriptura commendet & concelebret? Nec illud abnuimus, Ecclesiam præcipua obseruatione ieiuniorum Quadragesimam vocare. Quid hinc efficies, quid concludes Duræe? An vestram Quadragesimam hinc vel præcepto Domini vel Traditione Apostolorum confirmari? Nihil tale habet Augustinus, at illud nisi probes, aliud agis, quandoquidem hoc controuertitur. Agnoscimus vltrò Quadragesimæ obseruationem esse in Ecclesia perantiquam: agnoscimus autoritate exemplorum istorum consecrari: sed nulla lege obtrudi, nec illam esse Quadragesimam vestram vt patet ex Epistola ad Ianuarium: nec adeo vniuersalem Ecclesiæ constitutionem quin in singulis penè Ecclesiis varia fuerit & mutabilis, sicut ex Spiridionis Episcopi exemplo constat, nec adeò consimilem, quin appareat &c.

Epist. 119.

Li. 1. in Quæst. ſ. Ge. c. 169.

Soz. l. 1.

in temporis spatio, & in ciborum genere maxima diuersitas. Vobis autem, sicuti olim Fausto Manichæo, vobiscum carnes damnanti, respondebit Augustinus de suæ ætatis recepta quidem, sed pro libero cuiusque arbitrio instituta Quadragesima: Christiani, non hæretici, sed Catholici e- L.i.30.c.5.
" domandi corporis causa, propter animam ab ir-
" rationabilibus motibus amplius humiliandam,
" non quòd illa esse immunda credant, non so-
" lùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam ter-
" ræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci,
" vel certis diebus atque temporibus, sicut per
" Quadragesimam FERE OMNES, QVANTO MA-
" GIS QVISQVE VEL MINVS SEV VOLVE-
" RIT SEV POTVERIT. Et paulò superius, eos nō
modò à carnibus, sed & à vino abstinuisse dixit Faustus Manichæus. Cùm ergo Romanenses in ieiunio Quadragesimali, nec à vino, nec à fructibus sibi temperent, sed illis se exaturent: Cùm alium scopum & finem sibi præfigant, non vt carnem edoment, sed vt mereantur: cúmque ipsi hoc non eligant, prout volunt & possunt, sed legis humanæ vinculo coacti faciant: nondum probauit Augustinus illorum Quadragesimam: nondum mentitus est impudenter Whitakerus: nondum ex mandato vel legali vel prophetico, Epist.86.
vel Euangelico demonstratur: imò contrarium
" ad Casulanum ostendimus, Ego in Euangelicis
" & Apostolicis literis, totóque instrumento quod
" appellatur Nouum Testamentum, animo id reuol-
" uens, video præceptum esse ieiunium. Quibus
" autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus
" oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum
" non inuenio definitum. Quare iterum verè con-
cludimus contra Duræum ex illa quam protulit Epist.119.
Epistola, Religionem nostram paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit: Præterea Con- Ca.20.
cludimus, Itaque illud quod scripsisti, quosdam "
fratres ita temperare à carnibus edendis, vt im- "
mundos, qui comederint, arbitrentur, apertissimè "
contra fidem sanámque doctrinam est. Quod de De hæres.
Aerio affertur ex Augustino, planè non doctrinæ nostræ sed Papisticæ idea est, Nos enim publica & Christiana Ieiunia, vt sacris literis & om- Papistæ
nium Ecclesiarum exemplis comprobata, recipi- Aeriani.
mus, & huic legi eò paremus libentius, quo ad ieiunandum vocamur sæpius, quod his miserrimis & malis temporibus fieri debere frequentius iudicamus. Papistæ sunt qui solennia ieiunia à Magistratu nostro Christianissimè indicta horrent: Papistæ sunt qui sub lege esse nolūt, atque hi sunt Aeriani, nulli potestati nisi Romana Curia adsentiente subiecti.

CAMPIANVS.

Qui suas animas auro, libidinè crapula & ambitiosis conspectibus vendiderunt, possumne non esse inimicissimi Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino quorum excellentes libri de monachorum instituto, regula, virtutibus feruntur?

HVMFREDVS.

Noua Quadriga sequitur aliorum Doctorum, institutа, virtutes, regulas Monachorum vehens

laudibus. Et quia ἀορίστως seu infinitè enûnciatur hæc criminatio, cur non liceat hunc mihi syllogismum conficere, & armis suis Campianum exarmare? Qui animas vendiderunt, auro, libidine, crapula, eos est verisimile esse Basilio aliisque modestiæ & temperantiæ magistris inimicissimos: At Papicolæ tales sunt, ergo quid obstat, quò minus dicantur hostes Basilii & Patrum, osoréque omnis honestatis? Hæc est enim ratiocinatio communis, mihi videlicet æquè ac Campiano famulans & accommodata. Nec opus est Maiorem probare, quæ non mea est, sed Campianica: Minor patet omnibus, nisi fortè quis sit aut nullius lectionis, aut obtusi iudicii, aut immodico Romanistarum amore fascinatus. Aurifugam esse Romam, & ab ea, templa, Sacerdotes, altaria, Christum vendi, iamdudum ipsi poetæ cecinerunt: cuius rei non modò Poeta Mantuanus, sed & cantilena illa tritissima ante annos tercentos, testis est,

Syllogismus reper cutiens.

Roma rapiens & radens.

Abb. Vrs.

Gaude mater nostra Roma,
Quoniam aperiuntur cataractæ
Thesaurorum,
In terra:
Vt ad te confluant riui & aggeres nummorum,
In magna copia.

Testis est Laurentius Valla, inquiens, Melius summus Pontifex ab Augendo Augustus diceretur, nisi quòd dum temporalia auget, spiritualia minuit. Testantur & alii his vocibus, Vendûtur prælati vt boues & asini. Attestatur nostra Anglia multis modis & sæpe diuendita. Expostulat Rex Henricus Wintoniæ, & cum fratre suo Athelmero Episcopo conqueritur, non posse Hydropicam sitim Romanorum sedari. Experta est Wintonia, quando Andreas Prior Wintoniensis eiectus dedit

Cont. Donat. Constant.

Test. verit. f. 373.

dit papali mensę trecẽtas sexaginta quinque Marcas in singulos annos, vt in suum locum posset restitui. Pudet aliam camerinam libidinum & scortationum mouere: vnum satis sit subindicasse de vno,

Roma meretrix.

Abbatissarum Reginarúmque subactor
Propter Adulterium sumpsit Episcopium.
Mundi Roma caput, si non vlciscitur illud,
Quæ caput orbis erat, cauda sit & pereat.

Ex his sponte sua consequitur conclusio, Basilium illis, & illos Basilio aduersari, cuius doctrinam ferre & concoquere, cuius regulas de frugalitate, temperantia, abstinentia obseruare non possunt. Alter syllogismus sic contexi potest, Qui monachi non sunt, eos Basilio & aliis patribus inimicissimos esse oportet: Papa, Cardinales, Papistæ multi non sunt nec fuerunt Monachi, quomodo igitur Basilio aliisque Campiani patribus amici esse possunt? Huccine tendit, Iesuita, tuum argumentum, hic sensus verborum tuorum, hęc mens, hæc cogitatio tua, vt quò Basilio placeamus, nos omnes in monasterii ergastulum contrudamus? Quãdoquidem Monasticum hoc institutum, quod tu præclarissimum esse putas, illud ego ne inter Christianas vocationes censeri posse arbitror. Defecit enim & exoleuit illa vetus & laudata Monachorum disciplina, vt nostros Monachos Antoniis, Macariis, Pambis dissimillimos esse iam facilè omnes perspiciant. Nam Monasterium Basilii Collegium fuit, in quo Nazianzenus & ipse secularibus disciplinis valedicentes sacris literis strenuam operam dederunt, ex quo acciti & desumpti sunt, ad docendum populum, ad regendam Eccleſiam. Nostri Monachi magna ex parte adeò fuerunt vel suis speculationibus vmbraticis intenti, vel somno dediti, & inertiæ, vt

De Monachatu vetero & fucato.

2. Syllogismus retortus.

Monachorum Basilii & nostrorum collatio. Ruff. l. 2. c. 9.

Basil. in Asceticis Constitutio.

multa & sæpe legere non licuerit illis nec libuerit. Basilius suos ita instruit, vt orationem operi, preces prædicationi, supplicationem studiis omnibus præponant: nostri psallendo & boando in templis, sæpe secum, sæpe cum Nonnis, bonas horas malè collocarunt, & lingua ignota nec Deo seruierunt, nec populum ædificarũt, nec sibi profuerunt. Basilius à suis requirit obedientiam non modò suis præfectis debitam, sed etiam ciuili Magistratui præstandam: Paulus Apostolus inquit Romanis scribens, præcipit omnibus potestatibus præeminentibus subiici, potestatibus mundi, non spiritualibus, quoniam de vectigali & tributis loquitur, & si tantam subiectionem diuina lex decreuit principibus tunc in impietate degentibus à piis esse præstandam: quantam obedientiam pietatis exercitator debet principi à Deo constituto, & qui ex legibus illius potestatem accepit? Nec ab ea obedientia Monachum eximit Chrysostomus. Nostri contra ἀρχὰς & Maiestates huius mundi quiduis despumare audent: se clericos & immunes esse volunt, sicut olim Iudæi, Christo & Petro longè fœliciores qui subesse & soluere voluerunt: nec tam submissionem, aut obedientiam aut fidem docent, quàm conspirationem, rebellionem, perfidiam in principes. Basilij Monachus didicit amare Christum, oues Christi pascere, & Petri & aliorum doctorum hanc parem sortem & conditionem agnoscere: inquit enim, Christus Petro & omnibus deinceps pastoribus ac doctoribus æqualem potestatem exhibuit. Et huius rei signum est, quòd omnes similiter velut illi ligant ac soluunt. Didicit ne vnquam potestatem aut præfecturam in fratres ambiat. Nostri è suggestu, si quando eũ cõscendunt, Paparum Hierarchiam detonant, & ipsi ad Papatum

Obedientia Monachorum erga Principes. c.22.

In Rom. c.13.

Ibid.

patum non rarò aspirant. Basilius docet suos operi manus admouere, & alacriter etiam sordida & vilia suscipere, quemadmodum Apostoli Christo pullum adducere iubẽti obediuerunt. Atqui nostri ventres pigri non cum Diogene in dolio studere, sed è dolio vinum Rhenense haurire consueuerunt, de aliis non ita valde laborare. Basilius à suis in cœnobio communionem exigit & societatem, vt nihil proprium aut suum dicant, vt præ omnibus vitam inopem traducant, vt communia sint vniuersa, animæ, sententiæ, & vt corpora è communi nutriantur: vt sit communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis salus, communia certamina, communes labores, communes coronæ: vt multi vnus, & vnus non solus sit, sed in pluribus. Nostri solitarii sunt, fauos non fingunt in alueariis, seorsim viuunt aut potius mortui sunt in cellulis, aut dominantur in vrbibus, & amœnissima loca seligunt. Basilius suis dixit piè, Continentiam eligere conuenit pro ratione earum quæ nobis adsunt virium: Nostri Monachi vt dicuntur, ita soli & cœlibes esse cupiunt, vtinam essent quod dicuntur. Basilius non vult Monachos à fratribus etiam malis separari. Neque enim Petrus aut Andreas, aut Ioannes, propter Iudę prauitatem, à reliquo Apostolorum choro discesserunt. Nostri subducunt se ab Ecclesiæ communione, in claustra se compingunt, à mundi societate, à parentum obedientia, à ciuilium magistratuum gladio, autoritate, obsequio discedunt. Non sic Noe fecit, non sic dixit ad Deum, Oportet me exire ab immundo, nam omnes sunt praui: nõ sic Loth, inter Sodomitas sine impietatis cõtagione degẽs: At sic Pharisæi, sic Monachi, qui se puros, alios omnes tan-

In Asceticis Ser.3.

c.18.

c.4.

Gen.6.

Gen.19.

quam immundos,tanquam publicanos iudicant, condẽnant.Sunt,fateor, in Nazianzeni & Basilij constitutionibus quædã puerilia & leuicula pietatis progymnasmata, quædã lactentium incunabula & crepundia:Sed inter nouum hunc & veterem illum Monachatum ingens est interuallum,magna distantia.

Chrysostomvs hoc perspexit,& nullo modo Monachorum nostros greges fouere voluit: quippe prudenter hoc argumentum tractauit. Nam cùm eos ad Christum conuerti, eiúsque nomine solitudines quærere,eius religionem amplecti , vitámque Euangélio dignam instituere intelligeret , ad cœlos vsque laudibus extulit: cùm rursus eos prætextu religionis omnem religionem ludibriis paganorum exponere , & suo genio indulgere videret,eos egregiis concionibus non laudauit sed meritò exagitauit. Prioris exemplum sit apud Matthæum,Prædicat enim Ægyptum,quę paruulum Christum hospitem & exulem tum recepit: postea & doctrinæ puritate & morũ integritate melior effecta est. Illa Ægyptus quæ olim omnis impietatis flamma exarsit, olim Deo rebellis ac furens , olim felium serua & cepas pauitans ac tremens , nunc Christi virtutem agnoscit, nunc vt cœlum variis astrorũ choris refulget,sic eremus nobis pulcherrimas scenas Monachorum ostendit. Quæ religio?De cœlo & his quæ supra cœlos sunt Philosophantur, maiorum amentiam , & patrios mores derident , progenitores suos miseros pronunciant , philosophos nihili pendunt , Ipsis rerum vocibus eruditi sunt , quòd illorum religio & ritus aniculariũ ebriarum inuenta sunt: veram autem cœlóque dignam hanc solam esse philosopham arbitrantur,quæ illis à Piscatoribus prædicata est. Qui

H. 8. in Matt. c 2. Christianus Monachatus Chrysostomi.

mores? Cum hac dogmatum veritate , plurimo etiam studio virtutis ornantur , mundo licet crucifixi , proprij tamen corporis opera vtuntur ad indigentium alimoniam. Dent nobis tales Monachos , & eos nos quoque tanquam bonos Christianos , tanquam religiosos homines celebrabimus. Sed genus Monachorum hodie aliud cerni tur, non religiosum sed superstitiosum,non simplex sed ceremoniosum,non liberum sed seruum, non castum sed corruptum : contra tales scripsit Chrysostomus duos sermones : primum , Quòd regulares fœminæ viris cohabitent, & statim exclamat , Heu me ô anima: nostras Moniales egregiè pingit , Temerè nugantur omnia , & rident intempestiuè, & deridentur, & in deliciis magis viuunt quàm mulieres quæ in fornace : Quibus hoc morbo grauissimo sic laborantibus , vt frequens & quotidianus esset cursus obstetricum ad earum domos,tãquam ad parientes, commodum ex scriptutis sacris apponit medicamẽtum: quod si hodie Papæ suis rasis sacrificulis adhiberẽt,tanquam prudentes medici suos Monachos curarẽt, eorumque vstiones restinguerent. Si, inquit,concupiscunt virum & nuptias , & id genus conuersationis appetentes sunt,quis prohibebat,& adimebat libertatem , ne hoc facerent? quo neque offensus Deus,neque ipsæ ab hominibus redarguæ fuissent. Alter Sermo est contra cõcubinarios, & eos qui apud se adoptiuas sorores haberent & alerent quas συνεισάκτους & subintroductas vocarunt, de quibus sic queritur,Philosophorum quidam cùm vidisset sodalium quendam osculũ formoso puero dare, admirabundus dixit, Cur tantũ intra se caminum accendere, & in ignem se ausit cum periculo iniicere? Ego autem non idem dixerim de his qui cohabitantes amant & contre-

Impurus Monachatus apud Chry.

ctant? Hæ sunt videlicet egregiæ conciones, quibus monachos suos & nostros deprædicat.

Pseudo-hieronymus de Monachatu. Tom. 4.

HIERONYMO multa falsò esse attributa in his Monachorum regulis & laudibus nō pauca testificātur, veluti illæ Monachorum regulæ quas Martinus quintus approbauit, & alius liber de regulis Monacharum, Censore Erasmo, planè ineptus & insulsus, his verbis, Impudentissimus impostor, quisquis is fuit, fingit hanc regulam ab Hieronymo centenario scriptam, cùm Prosper tradat eum nonaginta natum annos vita decessisse nisi fortè reuixit, vt hanc etiam bellam scriberet regulam. Et in ipsa Censura Epistolæ, Quanta cùm autoritate loquitur? Putes Apostolum aliquem esse. Et hic impostor ipso Paulo fœlicior, in corpore constitutus, fruitus est visione diuina, totos opinor menses inter Seraphim versatus, &c. Nunc auriculæ prominentes produnt asinū, & totus sermo clamitat indignum fuisse, qui in diui Hieronymi culina ministri locum teneret. Quod autem Hieronymus dicitur Monachi, soror eius Virginis institutum arripuisse: quanta fuerit dissimilitudo illius & nostri Monachatus, quàm dulce tum & liberum ocium, quæ studia, vigiliæ, Psalmi, quàm simplex vestitus, quomodo nullo certo cultu aut titulis ab aliis distingueretur: Erasmus idē satis enarrauit in Vita Hieronymi, & in Scholiis Epistolæ ad Rusticū Monachum.

Possidonius in eius vita. Monachatus Augustini.

AVGVSTINVS Monasterium seu potius Collegium habuit, domesticæ disciplinæ & pietatis scholam: Clericos in officio continuit, docuit nō iurare, ne ad modicū quidem: Mēsa erat frugalis, in qua tamen vsus est vino & carnibus: quia nouerat & docebat, ꝙ omnis creatura Dei bona sit: vestis, calceamēta, & lectuaria erāt ex moderato & cōpetenti habitu. Vbi tunc baltheus coriaceus & cu

& cuculla nigra? ait in Margine Erasmus. Qualis ipse fuit, tales vtinam haberet hodie Augustinianos. Talia scripsit de monachis, de quibus sæpe agit sed variè. Nunc illorum notat hypocrisin, circuitus, incertas sedes, reliquiarū vēditationes, & fimbriarū ampliationes: nunc monachos hortatur vt nihil cantent, nisi quod legerint esse cantandū: Et non sit notabilis habitus, nec affectēt vestibus « placere, sed moribus. Nunc eorum opinionem « conuellit, qui Antonium non Christum sequentes, omnia vendere volunt, vt perfectionis gradum in terra, & postea cœlum mereantur: quasi Christum dimittant, qui diuitias non dimiserint. De his inquit Cyprianus dicens, Seculo verbis solis renunciantes, & non factis: Et mox, Multi sunt tales, qui etiam putant sibi ad augendas opes suas, & multiplicanda delectamenta terrena, religionem suffragari debere Christianam. Nunc prædicat, quòd simul congregati, viuunt in orationibus, lectionibus, disputationibus, quod dum fit, laudabiliter fieri nos quoque dicimus & approbamus, & quoad licet in Collegiis nostris omnibus imitamur. Hoc tibi, Duræ, concedimus de antiquo Monachatu, à quo noua hæc generatio recessit: concedimus de illis Orientalibus Anachoretis & Cœnobitis, de bonis, primis: non de Monachis vestris occidentalibus, malis, postremis. Sic enim placet istos nouos Monachos affari, quomodo ille Electos Manichæos, Istorum ieiuniis vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferre: tum videbitis quid inter ostentationem & syn ceritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem,

In l. de opere. Monach.

Ad Monachos Epist. 109.

Epist. 89.

De moribus Eccle siæ Catholicæ. c. 32.

1. Tim. 4.

inter beatitudinem & miseriam, inter vnitatem & conscissionem, postremò quid inter superstitionis sirenas & portum religionis intersit. Qui hæc in Monachis nostris vera esse non vident, cæcutiunt. Aperiant oculos, inspiciant quid Agrippa de hoc Monastico & regulari ordine tradiderit: & mihi deinceps narranti maiorem fidem habeant. Non hîc repeto quod dicit Monachos esse semen Leuiathan & Behemoth, non commemoro eorum palliata mẽdicabula, cucullata monstra, non cum illo eos vocito Barbigeros, funigeros, & alios loripedes, nudipedes: non pullatos, chlamydatos, non illa tot pecora & picas: sed obiicio impunitates, & exemptiones istorum, qui omnes alios trahere in ius vbique solent, ipsi nisi Romæ aut Hierosolymis non possunt comparere. Hinc ille Cornelius Agrippa in hæc verba, Horũ varietates & errores, si mihi calamo explicandi forent, non caperent omnes pelles Madian, eorum inquam qui non pietatis causa professi sunt religionem, sed ventris gratia cucullam induerunt. Ex his sententia ferri potest, quantum amplificarint hi patres statum monasticum: quales Monachi & fuerint, & nunc sint. Quibus isti Monachi placent, iisdem placeat Iouinianus Monachus, placeat Monachus Pelagius, placeat Monachus Iulianus, qui omnes, credo, ipsis etiam Papistis displicent.

Cor. Agrip.

C 6.

CAMPIANVS.

Qui captiuam hominis voluntatem inuexere, qui Christiana funebria sustulere, qui diuorum reliquias incendêre, sinine placabiles Augustino, qui de Libero arbitrio, libros tres, de cura pro mortuis, vnum

vnum, de miraculis ad Basilicas & memorias Martyrum, prolixum caput nobilissimi operis & conciones aliquot exarauit?

HVMFREDVS.

Semper Campianus supernatat & superficietenus argumentatur, nec in profundum descendit, vt titulos solùm librorum obiter aspexisse, non intimos autoris sensus contractasse videatur. Hactenus enim eodem tenore processit eius disputatio, Tenemus Patrum integra volumina, Duplicem Hierarchiam Dionisij, Tertullianum de Præscriptionibus aduersus hæreticos & sectarios, Cyprianum de Virginitate, de Vnitate, Basilium alioſque de Ieiuniis, de Quadragesima & de Monachatu, ergo isti patres dubio procul religionẽ quam nos tuemur, distinctè, copioseque dilucidant, aduersariorum nouitates cõfodiunt. Quod tamen falsum esse probauimus hactenus, non ex cortice tituli inspecto, sed ex medulla rerum degustata. Sic titulus trium librorum est apud Augustinum, fateor liberum arbitrium, sed Campiani quidem liberum arbitrium, ne tribus quidem verbis defenditur. Scopus est contra Manichæos de peccati origine, scilicet Deum non esse autorem mali, sed omne malum à spontanea cogitatione, & persuasione alterius, id est, à libero arbitrio & Diabolo oriri: si quid habet de libero Arbitrio, id nõ astruit, sed destruit. Hæ sunt enim res quæ in illis libris habentur: Habere nos liberum voluntatis arbitrium: & non nisi eo nos peccare: Ex Deo esse omnia: Quandoquidem omnia quæ intelligunt & viuunt & sunt, siue quæ tantùm viuunt & sunt, siue quæ tantùm sunt, ex Deo

De lib. arbitrio ex Augusti.

L. 3. c. 10.

L. 2. c. 1.

C. 18.

Cap.18. sunt:nullum bonum tibi vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrere,
Cap.20. quod non sit ex Deo: defectum,quoniam est voluntarius, in nostra esse potestate: Non sicut homo sponte cecidit, ita etiam eum sponte surgere posse, itaque porrectam nobis desuper esse Dexteram Dei,id est,Dominum nostrum Iesum Chri-
Lib.3.c.2. stum, quem fide firma teneamus: nulla re fieri
Cap.10. mentem seruam libidinis,nisi propria voluntate: Et, Quid tam indignum misericordia, quàm superbus miser? Hæc sunt in illis libris contenta, non pro sed contra liberum arbitrium. Plura si voluisset Campianus reperiisset, & quidem clariora in libro de Prædestinatione Sanctorum, de
In resp. Gratia & Libero Arbitrio, De Correptione &
ad Art.7. gratia; in Hypognosticis, in Responsione ad Articulos fidei falsò impositos,vbi hæc præclara extat sententia,Nemo nisi illius gratia erigitur,ne-
Epist.89. mo nisi illius gratia stabilitur. Plura legisset ad Sixtum, plura in Ser.de verbis Domini, plura in Epistolis, vt ad Hilarium, Non de suis viribus præsumat ægrotus, quia in multitudine virtutis suæ non erit saluus:nam si inde præsumit, videat ne vires istæ non sint,quales solent esse sanorum, sed quales solent esse phreneticorum, qui cùm sint insani,adeò se sanos putant, vt nec medicum quærant, & tanquam importunum insuper cæ-
Sap.8. dant:Et infrà,Cùm scirem,inquit,quia nemo esse potest continens,nisi Deus det,Iubet ergo continentiam,& dat continentiam. Iubet per legem, dat per gratiam: iubet per literam,dat per Spiritum. Hæc est hominis voluntas, antequam reformetur & liberetur Christi gratia, verè captiua, vt ad bona spiritualia se inflectere & mouere nequeat: nec hæc captiuitas à Caluinianis inuecta, aut inuenta est,sed in diuinis Scripturis prodita

prodita & expressa, à Christo, Qui facit peccatum,seruus est peccati: & à Paulo, qui se clamat venundatum sub peccatum. Et sanè captiui sunt, qui licet aliquam laruam pietatis & probitatis habeant, tamen notitiam illam qualemcunque Dei in iustitia captiuam detinent, eique minimè obsecundant. Agnouit Photius hanc captiuam & seruilem conditionem, Nunc venditus ac sub " peccato prolapsus quasi ab illo per autoritatem " & Dominium pressus, seruiens illi, ita malum o- " peror, quod nequaquam operarer, si in libertate " essem. Bernardus, Sermone primo in Septuagesima, Non sic in nobis libera ratio, sed vndique ei luctandum est. Sic enim ab infimis visco quodam captiua tenetur. Nec Augustinus dissentit, Li- Ad Bonif. berum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccatum valet. Hæc omnia si Duræus vera esse confitetur, si hanc nostram doctrinam nemo Catholicorum negat, vt ex ipsius verbis coniicio, cur pugnamus,cur non conuenimus?Cur Whitakeri nostri insciti am accusat, cui & se Catholicos omnes suffragari & subscribere profitetur? Sic autem isti scribunt de sua fide & dogmatibus, vt planè quid credant, ipsimet nesciant, aut certè ambigant. Sanè,inquit Duræus,si vel antiqua illa " contra Pelagianos Concilia vel ipsam Synodum " Tridentinam legere libuisset, luce clarius vidis- " ses Catholicos omnes credere, boni nihil quod " ad promerendã beatitudinem valeat,sine Diuina " gratia hominis voluntatem quantumuis liberam " præstare posse. Itáne verò hic sensus est & consensus omnium Catholicorum? Catholicus tibi, Duræe,videtur Magister Sententiarum,& tamen aliter sensit, Esse in anima rationali voluntatem rationalem, qua naturaliter vult bonum, licet leuiter & exiliter, nisi gratia iuuet. Aliquid

Ioan.8. Rom.7. Rom.4. L.3.c.8. L.2.D.24. Pseudocatholicorũ de lib. Arbitrio opinio.

boni,& nihil boni præstare voluntatem,sunt con
3.Sent. D. 27. traria. Catholicus Biel dixit ex puris naturalibus posse hominem Deum diligere super omnia. Si etiam Andradius Catholicus qui libros suos no-
Lib.3. bis Orthodoxæ Fidei nomine venditat: & si dixit Gentes atque Philosophos sine verbo Dei, sine Spiritu sancto ex philosophia eam posse comparare notitiam, quæ ad salutem sufficiat,& genera li tantùm auxilioDei ad veram fidem & iustitiam peruenire: Lapsus est Duræus. Si ipsum Concilium Tridentinum, collectum ex ipso flore Catholicorum,fatetur post Adæ lapsum Liberum Arbitrium non esse amissum, sed fractum tantummodò & attenuatum:aliquam certè virtutis scintillam emicare opinatur,& cum Duræo non concordat. Quid si Duræus ipse secum pugnat etiam
In Ench. c.30. Catholicus, quid si Catholico Patri Augustino repugnat ? Augustinus sic, Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum. Du-
Duræus secum & cum Catholicis pugnat. ræus sic exponit, Ita hominem liberum perdidisse arbitrium, vt seipsum perdidit, quem tamen ita perditum, vt omnino homo non sit,nemo sanus dixerit. Neque ergo liberum ita perditum esse censendum est,vt non sit: quibus verbis ostendere vult Duræus restare aliquod arbitrium liberum etiam ad bonum: nam de eo loqui
Augustinus. Augustinum manifestum est, & illud quãtulumcunque est,remanere pernegat: Quid enim inquit boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Quod simili illustrat, Hominem qui se occidit, non posse resuscitare seipsum,cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium: agere eum de malis qualitatibus, non de substantia arbitrij vel Adę euersa, nemo vel Augustini operũ leuiter studiosus, vel alio-

alioqui sanus inficias iuerit, Quod perditum dixit,mox ait esse amissum arbitrium. Nec mirum, quia etiam Scriptura sic loquitur, Hominem car- Ioan.3 15.
nalem,imò carnem esse,tenebras,sine Christo valentem nihil facere,corde lapideo præditum,Æthiopem qui pellem suam,& pardum qui maculas suas mutare nequeat. Optimus est sui inter- Aug. de Nat. & Gra.c.53.
pres Augustinus,ait Duræus: accipiamus conditionem,audiamus interpretem. Quid tantum de Aug de Eccles. Dogmatibus.
naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata,vexata,perdita est. Idem,Sancta cogitatio, bonum propositum,pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo est,quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus: Ad Vitalem,Epist. 105. De verbis Apost.Ser. 15.
Idem,Liberum arbitrium ad diligendum Deum ptimi peccati granditate perdidimus: Idem,Verum est,magnas liberi arbitrii vires homo cùm cõderetur,accepit,sed peccando perdidit.Interpretatur etiam contra Concilium Tridentinum Canon Arausicanus,Liberum amissum est. Qui sic perditum arbitrium toties repetunt, & aliis verbis idem significantibus atque etiam similibus declarant,Interpretationem Duræi nõ facilè probabũt,& qui aliquam facultatis portionem libero arbitrio in bonis relinquunt, non Catholici sunt, sed ab istis verè Catholicis patribus dissentiunt.

Christiana Funebria *sustulere*: Imò re- De funetinemus:Non enim Cynici sumus,sed Christiani, nec cum Diogene cadauer inhonoratum & insepultum proiiciendum censemus: sed Augustiniæ opinioni accedimus, in eo ipso libro quem Campianus adducit,in eóque iterum illam veterem eius fallaciam in ipsa inscriptione libri animaduerto.Nã quia inscribitur,De Cura pro mortuis gerenda,hinc omnes suas funebres Ceremo

Universidad de Deusto Biblioteca

nias,Exequias,Missas,sacrificia,põpam, opera pro salute animarum,pro extractione mortuorũ è fornace Purgatoria,largissimo cõnexionis filo colligit:nec tamẽ ea fuit Paulini quæstio, nec illa Augustini resp̃sio. Quęrit enim Episcopus Paulin⁹, Vtrum prosit homini post mortem, si corpus eius in Basilica Cõfessoris Felicis,aut apud Sancti alicuius Memoriã sepeliatur? Resp̃det Augustinus, nõ prodesse mortuis simpliciter officia & curam
2.Cor.5. viuentium,sed Dominum redditurum vnicuique prout gessit,siue bonum siue malum in suo corpore,Vt enim inquit hoc quod impenditur,possit ei „ prodesse post corpus,in ea vita acquisitum est,quã „ gessit in corpore. Nos quidem in Ecclesia nostra cõciones funebres habemus,& laudamus fidem, pietatem,virtutes defunctorum,vt viuos extimu-
2.Mach.12 lemus:quod docuit ex libris Machabæorum & ex
August. consuetudine Ecclesiæ Augustinus, nimirum lo-
c.1. cum suum habere Commendationem mortuorum. Nos funera nostra honestè & honorificè prosequimur,& tamen cum eodem dicimus, Ista
C.2. „ omnia,id est,curationem funeris, conditionem se „ pulturæ,Pompam Exequiarum,magis viuorũ esse „ solatia,quàm subsidia mortuorum:Cum eodẽ sen- „ timus,Non contemnenda & abiicienda sunt cor- „ pora defunctorum,maximéque iustorum ac fide- „ lium,quibus tãquã organis & vasis ad omnia bo- „ na opera sanctus vsus est spiritus.Si enim paterna „ vestis & annulus,ac si quid huiusmodi,tanto cha- „ rius est posteris,quanto erga parentes maior exti- „ tit affectus,nullo modo ipsa spernenda sunt cor- „ pora,quę vtique multò familiarius atque coniun- „ ctius, quàm quælibet vestimenta gestamus. Nos
C.3. pro defunctis eam curam non suscipimus, vt pro illis preces Domino fundamus: quippe nos indignos remur,vt alios Deo commẽdemus, quorum animæ

animę scilicet iã in manu Domini sunt:quarũ ipse iam tutor & patronus est: & August. ea de re ex Scripturis nihil adducit, sed vel timidè loquitur, vel planè negat accedendum pro mortuis ad sanctos mortuos,quoniam res viuentiũ nõ sentiunt, & nostra vota non audiunt.Si rebus viuẽtium in- C.13.
tererent animæ mortuorum & ipsæ nos quando “ eas videmus alloquerentur in somnis, vt de aliis “ taceam, meipsum pia mater nulla nocte desere- “ ret,quæ terra marique secuta est,vt mecum viue- “ ret.Et paulò pòst ex Scripturis contrarium euin- cit, Sed profectò quod sacer Psalmus personat, Ps.26.
verum est,quoniam pater meus,& mater mea de- reliquerunt, Dominus autem assumpsit me.Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt,qui sunt alij mortuorum qui nouerũt,quid agamus,quidue patiamur?Esaias Prophe
ta dicit, Tu es enim pater noster: quia Abraham Isa.63.
nõs nescivit,& Israel non cognouit nos. Quorsum igitur precibus adeamus diuos absentes & vita functos, qui neque nos neque nostra cognorunt? Nam quicquid ille postea de altaris aut orationis aut Eleemosynarum solennibus sacrificiis apud Memorias Martyrum interserit, comme moratio tantùm est & collaudatio mortuorum, nec prosunt omnibus, nisi iis tantùm quibus dum vixerunt comparatum est, vt prodessent, vt ipse ait in Epilogo. Non erit igitur nobis implacabilis Augustinus, qui mortuorum curam geri- Ca.18.
mus talem qualem ille ex Scripturis sacris præmonstrauit.

De Reliquiis nostra Thesis & aduersariorum Antithesis.

Divorvm *Reliquias incendêre*. Minimè, putres truncos,& inanimatas imagunculas fortasis quidã alicubi incenderunt, sed monumenta,sepulchra,vexilla,reliquias,historica signa Maiorũ,

vbique quantum possumus, conseruamus. Non censemus quibuslibet ignotorum Deastrorum reliquiis exhibendum honorem, non eorum corpora aut ossa gestamus, osculamur, veneramur, inauramus: nec opis impetrādæ causa illorum sepulchra frequentamus: non illis procumbimus: quantumuis enim hoc à nobis postulet pro suo imperio, & nullo iure, Tridentinum Concilium, tamen Augustinus non flagitat, sed prohibet. Legant contra cultum Diuorum eius plenissimum
C.34. Syllogismum in libro De quantitate animæ, cui
C.34. responsionem nullam adaptare poterunt nisi sophisticam. Et in libro De moribus Ecclesiæ Catholicæ, expertus loquitur, Noui multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores. Quò maior eius est impudentia, qui huc illud Augustini
L.22.c.8. ex libro de Ciuitate Dei conatur detorquere, quòd cæcus quidam esset illuminatus Mediolani, cùm ibi Imperator adesset, & populus ad corpora Martyrum Protasii & Geruasij concurreret: quòd hoc Ambrosio per somnū reuelatū est, quòd multa alia miracula edita sunt, ex quibus efficere vult Reliquias sanctorum venerandas: Nec tamē Augustinus aliquam virtutem tribuit, sed Deo omnem gloriam defert, qui potens est orationibus Sanctorum & fugare Dæmones & lumen cæcis reddere. Nec ibi Mediolanenses propterea colunt Martyres defunctos, sed verisimilius est eos potius Ambrosiū & sanctos viuentes honorasse:
De Cura pro mortuis gerenda C.17. Nam & in alio libro, aliud de Ambrosio miraculum recensuit idem Augustinus Mediolani apud sanctos Protasium & Geruasium Martyres, adhuc viuum Dæmones confitebantur Ambrosium, atque vt sibi parceret, obsecrabant, illo aliud agente, atque hoc cùm ageretur, omnino nesciente. Quid ergo? An hinc colligitur Ambrosium colendum,

lendum, aut Protasium aut Geruasium Martyres inuocandos? Nequaquam: quoniam nullum tale verbum infertur, sed factum tantùm simpliciter narratur. Deinde an quia miracula quædam facit Deus per suos seruos viuos vel mortuos, ideo ex his beneficiorum effectibus, ex his euentibus firma erit de omnibus aliis collectio? aut de illorum veneratione nouæ doctrinæ species inuehetur? Scribit ibidem Augustinus, Confessorem apparuisse Felicem, ciuibus & inquilinis à se dilectis, cùm Nola oppugnaretur à Barbaris: ergóne nos vel adorationē Felicis, vel generalem regulā de Miraculis, sine verbo Dei, sine autoritate legitima ex nostro cerebro constituemus? Perappositè hoc loco Augustinus refellit hasce deliras conclusiones, & ex Euētu particulari vniuersale Præceptum non esse statuendum definiens, atque distinguens, ista talia diuinitus exhiberi: aliter se habere vsitatum ordinem, singulis creaturarum generibus attributum. Quod sic exemplis aptissimis indicat, Non enim quia in vinum aqua, cùm C. 16.
„ voluit Dominus, repentè conuersa est, ideo non
„ debemus, quid aqua valeat in elementorum or-
„ dine proprio, ab istius diuini operis raritate, vel
„ potius singulatitate discernere: Nec quoniam
„ Lazarus resurrexit, ideo mortuus omnis quando
„ vult, surgit, aut eo modo exanimis à viuente, quo-
„ modo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaque
„ sunt humānarum limites rerum, alia diuinarum
„ signa virtutum: alia quæ sunt naturaliter, alia quæ
„ mirabiliter fiunt: quāuis & naturæ Deus asit, vt
„ sit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideo
„ putandum est viuorum rebus quoslibet interesse,
„ posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis
„ vel adiuuandis Martyres assunt. Atque hîc mo-
„ destissimus vir suam iterum confitetur infirmita-

Augustini Regula & distinctio.

tem & ignorantiam, Quomodo scilicet opitulentur Martyres, hanc quæstionem vires intelligentiæ suæ vincere. Illud verò certum est, etiamsi olsa de mortui Elizæi resuscitarint mortuum, tamen
4 Reg 13. non inde aliquem cultum institutum, nõ aliquam ad locum illum peregrinationem susceptam legimus: nec etiam in sepultura Patriarcharum, nec in exequijs Ioannis Baptistæ aut Stephani ista funebria Pontificiorum videmus, licet de Stephani Memoria hoc referat Augustinus, Martialem
l. 22. c 8. de C.D. hominem Paganum à nostra fide abhorrentem precibus Generi fidelis, vt Deus ei mentem daret meliorem, fuisse ad religionem Christianam conuersum. Sed de reliquiis impuris Papistarum & de veris Sanctorum reliquiis, Erasmus insignem
In Præf. Hiero. ad G. VVaramum. hanc habet sententiam ad Archiepiscopum Cantuarienſem, Calceos sanctorum & sudariola mu„ co sordentia exosculamur, & eorundem libros, „ sanctissimas & efficacissimas diuorum reliquias, „ neglectos iacere patimur. Tunicularn aut indu„ siolum sanctorum, aureis gemmatisque thecis re„ ponimus: & libros ab illis elaboratos, in quibus „ id quod illorum fuit optimum nobis adhuc vi„ uit, spiratque, cimicibus, tineis, ac blattis impunè „ rodendos relinquimus. Has reliquias viuas & veras sanctorum colamus, preciosa monumenta & χειμήλια Patrum, libros eorum in pretio habeamus, ademamus, teramus: alias reliquias inutiles, incertas, superstitionem & vanitatem olentes respuamus, amandemus.

CAMPIANVS.

Qvi fidem suis captiunculis metiuntur, nónne succenseant Augustino, cuius est insignis Epistola contra Manichæum, qua se profitetur, Antiquitati, Consensioni, Successioni perpetuæ, & Ecclesiæ, quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vendicat, assentire?

HVMFREDVS.

Quinam illi sunt qui fidem suis metiuntur captiunculis? Illine qui ex verbi sacrario omnem suam fidem, omnem religionem depromendam censent, an qui pro fide sua nobis DECEM RATIONES reddunt, cùm vna ratio sola sit Religio è Scripturis petita? Nouimus enim ex Hieronymo quàm tutum nobis sit Scripturæ credere, Si sumus in Ecclesia, si habemus fidem Ecclesiæ, fidem Apostolorum, fidem Christi, dogmatum veritates, montes sumus Sion. Et ex eodem, Ecclesia non parietibus consistit, sed in dogmatum veritate, Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Profitemur cum Athanasio, Ecce iam nos ex Scripturis sacris fideliter loquimur de religiosa & pia fide, quasi candelam super candelabrum collocantes. Profitemur cum Hilario, Omnis doctrina cœlestis dux nobis ad iter vitæ est, quæ lucernæ modo in hac nocte seculi præferenda est, cùm aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, vt ea in omnem progressum cuiuscunque operationis vtamur. Credimus & dicimus cum Augustino, Nolo humanis documentis sed diuinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari. Non ergo nos succensemus Augustino, cuius suasioni & consilio libenter paremus, imò propterea Romanistæ nobis succensent

Quę vera & quæ vana fides.

In Ps. 132.

In Ps. 133.

Con. Arrian. Or. 2.

In Ps. 118.

Li. de vnit. Eccl. ca. 3.

quia illorum rationes & humana documenta ex Sacræ Scripturæ statera esse libranda iudicamus.

Lapsus Campiani primus

Profert Augustini Epistolam Campianus contra Manichæum: In eo primo limine impegit: Nam Epistola est Manichæi, quam vocant Fundamenti, liber autem est Augustini, iustum sanè & bene longum volumen, quod contra eam Epistolam conscripsit Augustinus. Epistola scilicet erat Manichæi, omnis illorum doctrinæ quasi fundamentum & thesaurus, sicut Montanistæ habebãt suam propheriam, & Iudæi suum Thalmudicum scriptum, & Pontificii suas Decretales Epistolas quæ scatent mendis & mendaciis. In ea Epistola profitetur se Antiquitati, Consensioni, Successioni perpetuæ & Ecclesiæ, quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vendicat, assentire? Hic nouus lapsus vel dolus potius, Nam quod reipsa præcipuum est, & ab Augustino primo loco positum, id Campianus nullo loco dignatur, imò subdolè pertransiit. Hæc sunt verba Augustini, Vt ergo hanc omittam SAPIENTIAM, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt „ alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant. „ Tenet consensio populorum atque gentium, te„ net autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, cha„ ritate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede „ Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Re„ surrectionem Dominus commendauit, vsque „ ad præsentem Episcopatum successio sacerdo„ tum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen. Illa syncerissima sapientia, & Dei veritas quæ propria & ἀπώλυτος causa fidei est, nam fides ex auditu est & quæ verè Augustinum in Ecclesia retinuit, & sine qua reliqua omnia parum sunt efficacia, à Campiano prætermittitur. Veritati priores partes imò omnia detulisse Augu-

Secundus lapsus Cãpiani.

Cont. Epist. Fũdamẽti. c. 4.

Ca. 3.

Augustinum, clarum est ex his quæ præcedunt, Nemo nostrûm dicat, iam se inuenisse veritatem: " sic eam quæramus, quasi ab vtrisque nesciatur: clarum est ex his quæ consequuntur, Apud vos Ca. 4. autem vbi nihil horum est quod me inuitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. Et mox, Sed absit vt ego Euangelio non credam. Et sic ex eo- Cap. 5. dem Euangelio Manichæum affatur & quasi prouocat, Lege mihi iam si potes, in Euangelio, vbi " Manichæus Apostolus dictus est: perinde ac si ea- " dem oratione Romanenses compellarem, Legite nobis in Euangelio, vestrum Pontificem Romanum præ aliis eminere, illos successores omnes Petri esse & omnes Apostolicos. Lege mihi, Duræe, in Euangelio quod asseruisti confidentius in hoc loco Augustini, Ecclesiam de qua ille loquitur, solummodo vestram esse, & Romanam Ecclesiam non aliam vsucapione sibi Catholicæ nomen vendicare. At quia non legitis vos in Euangelio, ideo sic nos Articulum fidei intelligere nõ possumus. Quamobrem vos Iesuitas oro, teque De vtilita te credendi. c. 8. Duræe ex animo hortor, sicut Augustinus ipse Honoratum, Si iam satis tibi iactatus videris, finem- " ꝙ huiusmodi laborib. vis imponere, sequere viã " Catholicæ disciplinæ quæ ab ipso Christo per A- " postolos ad nos vsque manauit, & ab hinc ad po- " steros manatura est. Et postea, Quod facilius fiat, Ca. 15. si præceptis eius, quæ tanta Ecclesię Catholicæ au- " toritate firmata esse voluit, libens obtemperes. Ca. 14. Quod autem Duræe tu contra nos ex hoc libro Multitu- ad Honoratum obiicis, nos esse paucos, nouos, tur- do. bulentos, vicissim quæso de vobis ipsis cogita quàm multi, quàm antiqui, quàm concordes sitis,

Psa 3. parumper attẽde. Multi estis,& de Multis Dauid, Quàm multi sunt, ô Domine, qui affligunt me? quàm multi qui aduersum me insurgũt?De multis Chrysostomus damnans multorum in iurando pe-

Ad popul. Antioch. H.26. stiferam consuetudinem, At,inquies, non tolerãt multi,sed resiliunt: sed melius est, vnum esse qui Domini voluntatem faciat,quàm impios vel mille. Ex hoc enim omnia subuersa sunt,omnia confusa,quòd velut in theatris multitudinem quærimus,non probatam multitudinem. Quid enim rogo, turba prodesse poterit? Vis discere,quòd multitudo sancti sunt, non multi? Educite ad bellum decies centena millia,& vnum sanctũ videamus, quis plura præstabit? Iesus Naue filius in pugnam descendit, & solus omnia gessit: alij verò nihil profuerunt, &c. Non videtis,quòd melius oculum vnum habere sanum, quàm hoc hebetato, multa pinguedine repleri?Non cernitis, quod filiorum bonitas cum paucitate,quàm filiorũ multitudo cũ malitia melior est?Nõ cernitis,quòd in regno quidẽ pauci,in Gehenna verò multi? Quid mihi cũ multitudine? Hæc ille, de vestra, Duræ, multitudine non bona, & de nostris paucis probatioribus.

Antiquitas. Consideremus quæ sit antiquitas vestra.Est autẽ duplex antiquitas,altera Dei qui est Satur dierum imò æternus: altera eius qui propterea antiquus Serpens & Draco nominatur.Vobis præscri

De Præsc. bam quod olim Tertullianus,Qui estis vos?vnde? quando? Estis noui degeneres,estis à patre mẽdacij,nuper prodiistis, A nobis, ab Apostolis exiuistis,sed nobiscũ, & cũ Apostolis nõ mansistis,relictis Apostolis ad focũ Põtificis cũ Petro vos calefecistis,& inde Christũ negare quodãmodo didicistis. Nã ex Apostolis Pseudoapostoli suborti & subnati sunt,vt scitè Tertullianus,De mitis oliuæ nucleo

nucleo vẽtosa caprificus exurgit: sed illa prior & dulcior, hæc posterior & insuauior. Vester Papa nouus est,eo ferè tẽpore excitatus in Occidente, quo in Oriente tyrãnidis fundamenta iecit à Sergio monacho infectus & insatuatus Mahometes. Vestri Cardinales,Officiales, Parochi, missifices, vester religiosus Antichristi exercitus:omnes noui sunt, antiqui nõ sunt. Vestra dogmata quæ orbi obtruditis nõ sapiunt vetustatem, Nam vobis quadrat Hieronymi perconstatio, Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nesciuimus? Vsq; in hunc diem, sine ista doctrina mundus Christianus fuit, sine vestris sacrificiis propitiatoriis, Eleuationibus,Transubstantiationibus, exorcismis, sine vestris innumerabilibus nouitatibus tũ enascentibus, cùm Apostoli mortui sunt,cùm illud totum seculum esse desiit. Nec tua, Duræ, societas Iesu antiqua est, Iesuitismo Lutheranismus longè prior est & vetustior. Postremò replico Augustinũ ab ista Antiquitate sine vlla veritate argumẽtum suum nõ ducere; nec enim vel Ecclesiæ tessera esse potest Antiquitas, nec consensio, nec successio certum est fidei verè documentum,nisi illa essentialis nota accedat,ab Augustino posita, diuina veritas atq; Sapiẽtia:& primitiua Ecclesia primùm nascens fuit noua, & tamen vera Ecclesia. Ita de Vnitate & Consensione populorum & gentium est concludendum. Est conuentus cõtra Dominum & Messiam,Quare tumultuantur gentes & populi vanitatem meditantur? Est consensio populorum contra Noachum iustitiæ præconem ita vt coactus sit fugere, & illorum insaniæ cedere. Est consensio apud Iesaiam, Societatem inite ô populi, at inferiores eritis, Inite consilium sed fiet irritum. Consensio erat populi apud Hieremiam, Stupenda &

In Epist. ad Pam. & Oceanum.

Psal.2.

Ioseph. Ca.8.

Ca.5.

horrenda fiunt in terra, Prophetæ vaticinantur, Sacerdotes applaudunt manibus suis, populus
Cap. 44. meus dilexit talia. Consensio erat, quando vniuersus populus dixit, Sermonem quem locutus es nobis in nomine Domini non audiemus, sed faciemus quicquid egreditur ex ore nostro.
Matt. 26. Consensio erat populi, quando principes sacerdotum & seniores, & totum Concilium quærebat falsum
Cap. 27. testimonium contra Iesum, vt morti eum traderent: quando Pilato dicunt Omnes, contra Christum, Crucifigatur. Hanc Episcoporum consensionem aut gentium conspirationem verius, Augustinus non feret, nec fauebit nisi illi, quæ veritatem præuiam & ducem habeat. Nec Episcopis
De vnit. Eccl. c. 10. Catholicis consentiendum, sicubi falluntur, vt contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant. Et ad Vincentium, Si vniuersos Donatistas non audimus, se pro Ecclesia Christi supponentes, quia nullum pro se testimonium de Diuinis libris proferunt, quo id doceant, quanto minus rogo te Rogatistas audire debemus? Iam verò quæ est vestra vnitas? Non alia profectò quàm hæ conspirationes Dauidis, prophetarũ, Christi, & Augusti-
Cont. Greg. M. & Formosum con. Henr. ni tempore. Consensio vestra satis nota & contestata est mundo ex Actis Pontificum, cõtra Pontifices, ex Anathematismis & excommunicationibus, contra tot vestros Imperatores & Principes, ex tanta diuersitate sectarum quotidie crescentium: ex varietate bellorum à vobis incensis, quibus ardent vndique omnia: ex pugna opinionum de Concilij & Papæ autoritate, de Conceptione Mariæ & aliis, quæ nullo modo vllum Ecclesiæ pacificum filium in gremio vestro continere possunt aut debeant.

Successio. Nec successio vestra localis aut personalis quemquam mouere potest, vt in Ecclesia vestra maneat.

maneat. Non omnes qui Petro in Cathedra succedunt, sunt Petri successores, sed vera successio est illa, quæ est Cathedra Mosis, & Christi, & Apostolorum successio: nec est carnalis hominum, sed spiritualis Theologorum propagatio. Fœlix illa Ecclesia quæcunque est siue Romæ, siue Hierosolymis, siue in Anglia, siue alibi, quæ illud Tertulliani accinere potest, Sum hæres Apostolorum, sicut cauerunt Testamento, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Nec Catholicæ nomen profuerit, nisi doctrina coniuncta sit: sicut pulchrè Irenæus ostendit: Et Augustinus Ecclesiam esse vbique, & hæresim aliquando esse vbique: sed Ecclesiam vnam & eandem esse vbique, hæreses autem non easdem, sed diuersas, quæ se non nouerunt. Cùm ergo Catholicum & vniuersale duplicem habeat significationem, vt vbique sit hæresis non minus quàm Ecclesia: homonymiæ est fallacia. Breue ergo hoc responsum accipias Duræe, illas tuas ex Augustino notas nõ esse principales, sed causas adiuuantes & συμπτα, quę tum demum in Ecclesia retinere nos possunt, cùm verè ex verbo Dei geniti sumus, & in sinu Ecclesiæ educati, & Dominicis Scripturis enutriti, quod miror abs te esse prętermissum. Et de successione cautè & definitè Augustinus loquitur vsque ad sua tempora ante natos tot Gregorios, tot idololatras, magos, hæreticos, Schismaticos, qui in Cathedra non Simonis Petri aut Pauli, sed Iudæ Iscariotæ aut Simonis Magi resederunt.

De Præscript. aduers. hæres. Nomen Catholici. L. 3. c. 4. 11. L. de Patorib. c. 8.

Cæterùm vt Campianum ducem & præsultorem nostrum sequamur, ab Augustino Aphro ad Optatum Aphrum veniamus.

CAMPIANVS.

Optat. l. 1. & 2. cont. Parmen. *Optatus, Mileuitanus Episcopus, Donatianam partem reuincit ex Communione Catholica.*

HVMFREDVS.

Respõsio ad Opta tum. Lib. 1. c. 3. cont. Par. Pugio hic verè plumbeus nos minimè ferit, qui & de Optato tanquam venerabilis memoriæ viro & Catholicæ Communionis Episcopo cùm Augustino sentimus optimè, & de parte Donatiana pessimè. Cõmunio Catholica fuit omnium Ecclesiarum piè credentium consociatio, quæ literarum formatarum commercio (vt Optatus loquitur) (quæ alibi literæ pacificæ dicuntur) mutuum amorem fouebant, legitimas ministrorum ordinationes approbabant, & consensum doctrinæ ex Testamento Dei significabant. Meritò igitur Donatistas cum Optato conuincimus tanquam schismaticos, qui se ab hac sancta communione sacrilega temeritate separarunt, & vt verbis August. vtar. minutatim secti concissique tumorem animositatis suæ Catholicæ pacis sanctissimo vinculo prætulerunt. Quæ factio quàm bellè conspiret cum Romanensi conuenticulo, ex collatione fiet dilucidum. Donatistarum factio in Aphrica sedem Ecclesiæ suæ collocauit, Pontificii Romæ, eámque dicunt Catholicam, sicut quidam apud Augustinum nisi fallor, Gallos, Hispanos, Italos, & eorum socios, totum orbem voluit intelligi. Parmenianistæ & Donatistæ sic Cathedræ suæ fauerunt vt magis communioni suæ & collegis quàm Scripturæ Dei crederent. Romanistæ & Papistæ suo Archiflamini, & eius scitis atque decretis plusquam diuino verbo tribuunt,

Literæ formatæ.

L. 1. cont. Par. c. 4.

Donatistarũ & Romanistarum comparatio.

L. 1. cont. Parm. c. 2. Ibidem.

buunt, quoniam illa in omnibus pulpitis, in Ecclesia, in schola, in foro locum obtinent & dominantur, huius vix vlla mentio est, nulla certè ratio habetur. Donatistæ ad suam Ecclesiam vocant quoslibet sine scripturis, & testante Augustino mirabili cæcitate, cùm ipsum Christũ præter Scripturas nesciant, eius tamen Ecclesiam non diuinarum literarum autoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum confingunt. Romanistis quid aliud in ore est, quàm nomen suæ matris Ecclesiæ? quam tamen veris notis non insigniunt, nec ex Scriptura nobis definiunt, aut demonstrant, sed ideam quandam Ecclesiæ mirabilem, & signa eiusdem nimis protrita, minus propria, in specu, credo, Platonico, comminiscuntur, & omnia sic artificiosè inalbant, vt inter lac & gypsum pauci queant discernere. Donatistæ quemadmodum se ab hac Communione, tanquam ab area Dominica segregarunt, ita in Mauritania & alibi seditiones mouerunt, & tumultus aduersus verè Catholicos excitarunt: Quid Romanistæ hodie non tentant, quem lapidem non mouent, vt omnia sũsque déque misceantur, rémque publicam atque Ecclesiam perturbent? Appello vos Iesuitas omnes verbis Optati huius, & quos ille pinxerit, recordamini, Opta. l. 2.
Nec vos Catholicæ Ecclesiæ pallio tegite, quibus neque ipsum nomen nec res conuenit, sed ex Optato vestro hãc Catholicorum descriptionem obseruate, Catholici nõ sunt alicuius sectæ, Nunquid nos aliquas peragrauimus terris? Nunquid " nos aliqua circumiuimus maria? Nunquid nos ad " peregrinos accessimus portus? Nunquid nos ali- " quẽ adduximus Hispanũ & Gallum? Hæc si vos fe- " cistis, si quotidie noua cõsilia initis, quotidie vbiq; locorũ insidiamini, machinamini, grassamini:

Ad Boni.

quantulùm inter vos & istos Circumcelliones atque Donatistas interfit, recognoscite.

Durei obiectio ex Optato pro Petri primatu, L.2.

Sed Duræus iterum Optati autoritate pugnat contra nostrum Whitakerum, & arguit vel diuinat potius eum neque Optatum neque alios, qui eodem de Communione Catholica argumento vtuntur, vidisse. Discutiamus ergo, verba Optati audiamus, & quis Optatum viderit, iudicemus. Hæc verba sunt Optati, vt Duræus allegat, Negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit Apostolorum caput: Nisi Optatum legissemus Duræe, tuam in eo detruncando non deprehendissemus astutiam. Addendum erat quod „ sequitur, Apostolorum caput Petrus, vnde & „ Cephas appellatus est, in quo vno Cathedræ vni„ tas ab omnibus seruaretur. Cur enim ista sciens omisit Duræus, nisi quòd homo doctus huius Optati siue veri siue suppositicij linguarum ignorantiam prodi noluerit? Quis enim nisi lapis diceret Cepham Caput significare? Sed Optati argumenta reuocemus ad limam disputationis, & ita eum mirè & violenter quasi naribus tractum à Duræo ad fulcimentum Papatus inueniemus. Primò, habuit Petrus Primus Cathedram Episcopalem in vrbe Roma, ergo Pontifex Romanus est vniuersale caput Ecclesiæ, quod argumentum tenet ab eo quod vulgò dicitur in Scholis, Baculus stat in angulo: imò sic retorqueri potest, quia in vrbe Roma solùm docuit & præfuit, igitur eius ciuitatis primarius fuit pastor & particularis Episcopus: secundò, Appellatur Petrus Cephas, itaque Caput est: imò dicitur Cephas, ergo est lapis, id est, Petræus, firmus in fide, super Petram Christum ædificatus, eiúsque Domus lapis viuus & immotus: quod tamen valuit tum, quando

quando Christum Dei filium confessus est, non quando Satanas à Christo cognominatur, non quando Dominum suum abnegauit, nec talis Cephas tam instabilis & inconstans esse potest ille probatus precioſus & fundatus lapis Ecclesiæ, quomodo Iesaias descripsit, is, inquam, quem Dominus in Zion posuit & fundauit. Tertiò Petrus caput est omnium Apostolorum, vertex scilicet & apex & Præses illius Collegij, ergo est caput totius Orbis? Negabit argumentũ Hieronymus, Orbis maior est vrbe: Negabit & Antecedens Petri nimirum super omnes Apostolos primatum: quia par est autoritas Apostolorum & Episcoporum omnium. Vbicunque fuerit Epi- „
scopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constanti- „
nopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, „
eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotii: Om- „
nes Apostolorum successores sunt: Et aduersum L.1.
Iouinianum nõ super Petri Romani Cathedram, sed super omnes Apostolos fundatam Ecclesiam affirmat. Quarta Ratio illa quam adducit Optatus, & omisit Duræus, æqualitatem arguit, ideo vni Petro datam esse Cathedram, vt ab omnibus vnitas seruaretur, non vt vni absoluta celsitas deferretur. Nam sic concluſit ante me Cyprianus, Cæteros Apostolos idem fuisse, quod Petrus fuit, pari consortio præditos & honoris & potestatis, Sed exordium ab vnitate proficisci, vt Ecclesia Christi vna monstretur. Hoc sic interpretatur Optatus, ne cæteri Apostoli Cathedras singulas sibi quisque defenderent, & schismaticè contra hanc singularem Cathedram, alteram collocarent. Nouam autem Cathedram erigere, quid aliud est quàm aliud ministerium, aliam doctrinæ formam & Heterodidascaliam procudere contra mentem

Ad Euangelium. Iesa 28.

Pauli,& legem vnitatis? Hoc non fecerunt Iesu Christi Apostoli,hoc faciunt Iesuitæ noui Apostoli,planè apostolorum spurij posteri.Hoc feciſſe etiam Donatistas nō dissimulat Augustinus. Quintò, Ergo Cathedra vnica quæ est prima de dotibus sedit prior Petrus. Concedimus hanc Optati conclusionem de Petri Cathedra,sed cùm hactenus de Pontificibus Romanis nihil dictum sit, pro illis nihil est concluſum. Nec tamen omnino vera est illa Optati propositio prima, Romæ Petro primo Cathedram hanc fuisse collatam nisi falsus sit Papa, quod facilè nobis Duræus non largitur. Nam Marcellus aliter scripsit Episcopis Antiochenis,Petri sedem primitus apud eos fuisse, sed postea Deo iubente Romam esse translatam. O magnam mirámque vnius Cathedræ ab Antiochia Romam vsque per tot Milliaria,per tot locorum & temporum spatia,per tot discrimina,translationem! O celerem & sedulum vectorem: sed tamen vbi Dominus Cathedram hanc transportari iusserit,non reperit Marcellus, certè nobis quidem reuelare non est dignatus.

L.1.con. Parm. c.3.

Cathedra Petri pri⁹ Antiochię quàm Romæ.

CAMPIANVS.

Opt.l.1.cō Parm.

NEQVITIAM *Donatistarum accusat ex decreto Melchiadis.*

HVMFREDVS.

Melchiades etiam Apher,(quem ego potius cū Augustino,Onuphrio,& cum autore hoc nostro Optato Miltiadem nomino,) Sylvestri antecessor fuit, pauperis pauperculus, cùm Maxentius, Licinius

cinius,Maximinus,si Platynę credimus, Romanū imperium obtinerent,cùm nullus tum Papa esset Romæ,ac propterea more suorum Maiorum amarissimum calicem martyrij tyrannide Maximini sanctus & simplex Dei seruus exhausit. Quæ hæc miseri hominis sic patientis autoritas? quæ supra Imperatores eminentia?Ex decreto,inquit, huius Meltiadis Donatianę partis nequitia accusatur, & quia,inquit Durę⁹us,ea res ad Rom. Pontificis autoritatem confirmandam, tantum contra nos ponderis ac momenti habet, hinc decretum hoc Whitakerus alto silentio præteriit. Pondus leue est,Duræe,si rectè pensitas,& momentum hoc tuum facilè amoueri poterit. Ad hunc Optati locum alludit eúmque commentario quodam explicat August.contra eundem Parmenianum, & apertè significat rem delatam esse ad Imperatorem Constantinum,tanquam ad supremum iudicem,& arbitrio eius à Iudicibus Episcopis causam cognitam, quibus præfuit Meltiades Romanæ vrbis Episcopus.In quo Iudicio, sicut Ecclesiastica gesta testantur,quia victi sunt isti, & innocens Cæcilianus inuentus est,eundem Meltiadē crimine Traditionis accusant. Cùm ergo isti Iesuitæ decretum esse aiunt Meltiadis,hic verū non dicunt,quia multi iudices Episcopi, & quidē ducenti numerantur. Cùm Augustinus non Meltiadem Papam sed Episcopum dicat, nec totius orbis,sed Romæ vrbis: imperium eius iam angustioribus finibus,quàm ipsi vellent, terminatur. Cùm idem scribat Meltiadem velut Traditorem à Donatistis accusari,non habent pro arbitrio honorario,non pro Ecclesiæ principe. Cùm iterum ad Arelatenses Episcopos,& postremò ad Constantinum ea causa rursus veniat, vt nar-

Platyna.

L.1. Melchiadis exemplum probat Constantini primatum

L.1.c.3.4.5

rat Augustinus, quia & primus & vltimus Palæmon est Constantinus, Episcopo Imperatoré præstare & antecellere oportet. Cui tuus, Duræe,
L.1. Optatus assentitur: Postquam enim Meltiades sententiam suam dixisset, & Synodi consensu, Cæcilianum suæ Communioni Ecclesiasticæ restituendum & in suo statu integro retinendum censuisset, satis erat, & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto iudicio esse purgatum: Et tamen, inquit Optatus, Donatus appellandum esse Episcopis censuit. Si multi iudices erant, non erat solus Meltiades, si tantùm Romæ in Concilio illo Episcopis præfuit, nó erat summus gubernator totius Ecclesiæ: si eas quoque partes ab Imperatore accepit, à se non habuit: si ab illo ad alios est appellatum, Monarchiam illam Papalem admodum labefactatam esse & contemptam quis non videt? Imperatoris autem Constantini partes primas in hoc negotio fuisse, non solùm Eusebius refert, in illo exL.10.c.5. emplo literarum Constantini ad Meltiadem, in quibus illum & Marcum, & Rhetinium, & Maternum & Marinum collegas suos iubet hanc Cæciliani causam audire & cognoscere: verùm etiam idem Augustinus autor est, quippe cùm Donatistæ altare contra altare erigerent, & vt alibi inEpist.162. quit, contra sedentem in Cathedra alium Episcopum ordinarent, petiuerunt à Constantino Imperatore iudices Episcopos, qui ad preces eorũ Melciadem (vel Meltiadem) & collegas misit, quibus
L.1.con. Par.11. peractis rebus, ait August. cùm illi omnes in pertinacia scelestissimi schismatis permanerent, pòst apud Arelatum, memoratum Imperatorem eandem causam diligentius examinandam terminandámq; curasse: illos verò ab Ecclesiastico iudicio prouocasse, vt causam Constantinus audiret: Quo posteaquam ventum est, vtraque parte assistente, innocentem Cæcilianum fuisse iudicatum, atque illos recessisse superatos. Ex his actis iudicent pii Lectores, iudicent Academici, iudicet ipse Duræus, maiórne fuerit Meltiadis obedientis, an Cõstantini mandantis, illius cum sociis conferentis, an huius ex sese determinantis autoritas. Sed pergit Campianus ex Optato.

CAMPIANVS.

HÆRESIM *Donatistarum refutat ex ordine Romanorum Pontificum.*

HVMFREDVS.

Progreditur etiam hîc Duræus de linea eorum Pontificum differere, à Petro recensens vsque ad Siricium: & hoc gladio putat se pupugisse Whitakerum, sed est obtusior. Cùm enim responderet Whitakerus olim istud argumentum in Romana Ecclesia, quandiu mansit custos veræ fidei, aliquid habere potuisse virium, nunc autem minus valere, quia illa mutata est, & à pristina integritate degenerauit: hæc responsio, licet etiam Caluini nostri eam esse dicat, tamen homini nasutulo non satisfacit: Et Whitakero obiicit quòd neque Optatum neque alios patres qui hoc argumento vtuntur vnquam se vidisse satis ostendat. Rectè Whitakerus, Duræum pueriliter agere, qui coniicere velit, quid ille Domi in Musæo discat, aut quos Patres inspiciat: eóque multo magis, quòd ipsemet nec vllam Optati senten-

Nulla est probatio primatus ex linea Pont.

tiam, nec vllum aliorum Patrum testimonium ad suum institutum adaptauit. Nos antea satis docuimus nullam esse Catholicam communionem, vbi in veritate non communicatur: nullam Cathedram, nisi ex ea verbum prædicetur, & salutaris Christi atque Petri & Apostolorum doctrina propagetur: nullam locorum aut personarum successionem aliquid in Religione probare, nisi adiungatur character veritatis. Nec aliud nobis vel ex Optato vel ex Patribus solidè probare vnquam poterunt. Optatus enim facit quinque dotes Ecclesiæ, inter quas Cathedra prima est, verbi scilicet diuini ministerium, quo Moses & Christus, lex & Euangelium traduntur. Cúmque hanc se partem in vrbe habere Donatistæ falsò iactitarent, ait, quod & nos dicimus Romanistis, Ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Dicimus, Hanc vestræ Cathedræ originem reddite, hanc veritatis sedem ostendite, qui vobis vultis Ecclesiam sanctam vendicare. Atque non habet Roma Petri Cathedram hodie, non eandem religionis formam, non consimilem Ceremoniarum puritatem, non conformem Episcoporum ordinationem, non illam antiquam Ecclesiæ Apostolicæ disciplinam: non parem crucis tolerantiam, non æqualem pastorum fidem & vigilantiam: sed pastoribus depastores, hominibus simiæ, ministris Euangelii, Papæ mitrati, Cardinales purpurati, Episcopi bicornes, optimis & sanctissimis Confessoribus & Martyribus, multa Sacerdotum & Monachorum examina successerunt. Sicut ergo Samuel optimus Propheta, filii autem eius in viis eius non incesserunt, sed Apostatæ meritò habẽtur: sic de omnibus Romanis Pontificibus dicendum est, illos esse degeneres

Opt. l. 2.

res quotquot ab illa syncera Apostolorum fide recesserunt.

Patrum de Catholica Communione sententia

At patres qui eodem vtuntur argumento quid sentiunt? Eadem vox, idem animus omnium, & Augustini, quem de hac Communione, & cum Romana Ecclesia coniunctione, idem dixisse, superà monstratum est, Et Irenæi, Obaudiendum in Ecclesia eis presbyteris qui successionem habent ab Apostolis, & qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt Hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidunt à VERITATE. An non hîc nobis in speculo contemplandos proposuit Gregorios, Bonifacios, Syluestros, Paulos & alios Eleutherii successores? Annon hîc verum est, quod alibi dixit, Bonam Regis imaginem ex gemmis pretiosis à sapiente artifice prius egregiè fabricatam, iam verò dissolutam & reformatam seu deformatam potius, & in aliam vel canis, vel etiam vulpeculæ figuram translatam, vbi tamen per gemmarum phantasiam idiotas decipiat? Talis est Ecclesia Romana, quæ aniculatum deliramenta assumpsit, & fabulis suis êloquia Dei hisce posterioribus temporibus contemperauit. Quare sequenti capite sic concludit, Audient quæ sunt à Daniele Propheta voces, Semen Chanaan & non Iudæ, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum. Concludit iterum, Ab omnibus igitur talibus absistere oportet, adhærere verò his, qui Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodiunt. Cùm

L. 4. c. 43.

Successio vera in doctrina veritatis.

c. 44.

ergo hoc chariſma veritatis ſit adulteratum, hæc regia imago transformata, hæc Apoſtolorum doctrina non cuſtodita: nulla eſt indubitata & approbata à Petro ſucceſsio. Idem eſt animus, eadem eſt Demonſtratio Tertulliani, Vbi vox Apoſtolorum clarè ſonat, ibi Apoſtolorum Cathedras verè præſidere. Idem ſcopus eſt veterum omnium: Hæc ſi Duræus vidiſſet, aliis fratribus cæcitatem non obiecisſet. Non incongruè igitur accommodari poteſt Romaniſtis, Optati de ſuis Donatiſtis iudicium, Intelligite vel ſerò vos eſſe filios impios, vos eſſe ramos fractos ab arbore, vos eſſe abſciſſos palmites à vite, vos riuum conciſum à fonte. Sunt præterea duo nobis in hoc Catalogo Optati notanda, non de omnibus Petri in ea ſede ſucceſſoribus eum eſſe locutum, ſed enumerationem deſinere in Siricio. Ita circumſpectè egit Irenæus, tantùm vſque ad Eleutherium, ita Auguſtinus tantùm vſque ad Anaſtaſium: vt ſignificent de certis doctrinæ profeſſoribus, quos nouerant fidem Catholicam defendiſſe, agendum, non de quibuſcunque latronibus, qui per oſtium Chriſtum, & eadem via non ingrediuntur, ſed aliunde ad mactandum irrumpent. Deinde nec hj omnes in Optato Petri imitatores extiterunt, etſi eiuſdem loci occupatores fuerunt: non Marcellinus, non Liberius, non Anaſtaſius, non Siricius: & ſubinde ſedes illa vacauit: & in Optato nullus locus eſt Cleto relictus, ſed omnino ex illo Pontificum Catalogo excluſus eſt, cuius tamen veneratio per omnes Eccleſias ſic celebris eſt, referente Vrſpergenſi, vt nō ſolùm in Martyrologiis articuletur, verùm etiam in Canone Miſſarum, & in ſupplicationibus Litaniarum publicitus inter Linum & Clementem recitetur. Reliqua ab Optato

L. de Præf.

Duo obſeruatione digna.

Pag. 18.

Optato in hoc loco poſita Duræi de primatu Romani Pontificis opinionem ſubneruant, vt fortaſſis aliàs dicetur, nunc autem redeamus ad Campianum.

CAMPIANVS.

Optatus inſaniam patefacit Donatiſtarum ex Euchariſtia & chriſmate contaminatis, ſacrilegium horret ex diffractis altaribus, in quibus Chriſti membra portata ſunt pollutiſq; calicibus, qui Chriſti ſanguinem tenuerunt. De Optato quid ſentiunt, aueo ſcire, &c.

HVMFREDVS.

Est & hoc à nobis alieniſſimum, qui nec Euchariſtiam contaminamus, nec verum chriſma, nec verum altare polluimus. Corrumpunt iſta quicunque verbum Dei corrumpunt. Corrumpunt Euchariſtiam, qui alteram partem eius, populo Dei ſubtrahunt, quod Optatus non voluit, qui calicum meminit, quos ſanguinis Domini portatores nominat, figuratè, quibus Sacramentum Chriſti ſanguinis continetur. Nos meritò Pontificos aſportatores & ablatores & calicis & ſanguinis vocitare non immeritò poſſumus. Corrumpunt Dei verbum qui Chriſma Baptiſmo adhibēt: Chriſtus eiuſmodi chriſma nō præſcripſit, ſed aquam ſacrum Baptiſmi ſignum & efficax & ſatis accommodum appoſuit. Si quæ ſit inſania, ea Papiſtarum eſt, eam, ſi viueret, patefaceret Optatus: nec, credo, Sylueſtro Pontifici Romano ſuffragaretur, qui hoc primus ordinaſſe dicitur,

Qui Euchariſtiæ corruptores.

L. 6.

Chriſma.

Chriſma Sylueſtri inuētum.

& à solo Episcopo consecrandum decreuit, si tamen vera sunt quæ memorat Platyna. Quis est autem Syluester qui Sacramenta mutare, aut elementum elemento addere, aut nouum signum inuenire audeat? Quis est qui Baptismum à Christo institutum cuiuis ministro & abiectissimo Sacerdoti committat, & chrismatis nuper repertam à seipso ceremoniam ad solos episcopos releget? Et Dei mandatum hominis Decreto posthabendum existimet? Scitè Nazianzenus, Inter annulum ferreum & aureum quoad characterem nullam esse diuersitatem, si vterq; eadem regia imagine sculptus fuerit; Ita, inquit, tibi sit omnis Baptizator, qui tametsi conditione excellat, æqualis tamen "Baptismatis vis est. Et rursus, Ne dicas, Episco- "pus me baptizet, & hic Metropolitanus vel Hie- "rosolymitanus. Siquidem non locorum est gratia "sed spiritus. Eritne Baptismo chrismatis confectio honoratior? Oleum ergo & vnctiones & sputa, & omnia Pontificum inuẽta, quibus vera Vnctionis & Spiritus sancti doctrina obfuscatur, valeant, ad Syluestros, ad Syluanos, ad Satyros, ad Faunos, ad coruos abeant. Si in Dei sacramentis sic licebit hominibus sapere, imò desipere, vbi nõ insanient, quid nõ attentabunt? Absq; hoc chrismate, absque ista tot adiunctionum massa & mole, post Christũ natũ multi in nomine Trinitatis tincti fuerunt, multis lauacrũ regenerationis fuit Baptismus, multis Sacramentum fuit, & profuit, & ministeriũ valuit, multi Christo insiti peccatorum sordes abluerunt. Libet hîc cum Nazianzeno exclamare, Prôh absurditas, sapiẽtiam cum Christo reconditam, & hodie nos deridẽt, cùm potius lachrymari deberẽt. Si enim ante hos annos triginta fides incepit, cùm quadringẽti ferè sint anni, ex quo manifestatus est Christus, Euangeliũ nostrum

Ad Clidonium epist. 2.

nostrum tãto tẽpore fuit inane. Quicquid enim homo post Deũ & hominẽ Iesum Christũ eiusq; Apostolos excogitauit, siue hodie, siue heri, siue nudius abhinc tertius, siue ante triginta annos, siue ante mille annos, siue antea, siue postea, id tanquam nostri Euangelij & fidei nouum assumentum reiicimus ac reprobamus.

Altarium vsus. Opt. l. 6.

Sed de Altaribus agit Optatus, ita: sed non vt citat Duræus, qui ea quę interiecta sunt more suo præscidit. Altaris vsus explicatur, vt ibi populus non Missæ alicuius spectator esset, sed vota faceret: non vt sacerdos Diuos imploraret, sed vt Deum Omnipotentem inuocaret, non vt Christi corpus & sanguis Capernaiticè sumerentur, sed vt inde à Multis (non à solo sacrificO) PIGNVS salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis acciperentur: & munera fraternitatis pace & charitate à sacerdote & populo offerrentur: quæ multiplex & magna est Communicationis vtilitas. Nec ponit Altare tanquam nudum theatrum ad spectandum, sed vt sedem corporis & sanguinis Christi ad percipiendum, quem Papismus Christi plebeculæ sustulit, peiores Donatistis qui ligna tantùm fregerant. Hæc quomodo nobis aptãtur? *Non minus scelerati estis*, inquit Duræus, *quàm Donatistæ, Lignea illis, vos lapidea altaria euertistis.* Ergo, iã Duræo cõfitente, lignea fuerunt non lapidea, in qua re Aphris illis cũ Romanis nouis non cõuenit. Lignea fuisse certum est, & ex Optato euinci potest, quia scribit eiusmodi fuisse, vt ea nõ subuerterint, aut exciderint Donatistæ, sed disfregerint, abraserint, remouerint. Et rursus scribit, Quis fideliũ nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Notentur hæc verba cõtra Duræum, qui aduersus Whitakerum parum dialecticè colligit, Optatum

Altarium materia.

non loqui de perceptione mysteriorum, sed de nescio qua habitatione carnis & sanguinis Christi in altaribus: vt suam inutilem reseruationem
L.6. Dei impanati in pixide confirmet. At quando ait,
„ In Altaribus Dei vos aliquando obtulistis: quan-
„ do ait, In altaribus vota populi & membra Christi portata sunt: quando ait, Altaria tua confregerunt, dum dicit, Tua, indicat quia res Dei est, vbi Deo aliquid à quocunque oblatum est: quando his locutionibus, oblationem precum, & laudis & panum, & sacrificij Christi commemorationẽ circulum loquitur: an non de perceptione Sacramentorum loquitur? Imò quando clarè ait, In peragendis mysteriis annon peragere mysterium est celebrare & percipere Sacramentum? Et hæc peractio mysteriorum facta est in ligneis altaribus, hoc est, mensis, quoniam altare ex consuetudine veteris Scripturæ dicitur, & ligneum quod nostræ mensæ respondet. In hac mensa cauillatur Duræus nihil habere nos nisi panem & vinũ: idque nos profiteri nulla apud nos esse altaria, nullos calices, nullos sacerdotes. Non sic profitemur, Duræe, Apud nos sunt carnis & sanguinis Dominici pignora, mysteria, vt Optatus dicit: apud nos sunt sacra symbola: apud nos sunt altaria, cuiusmodi habuit Aphricana Ecclesia: imò
Roma olim habuit ligneaaltaria. i. Mensas. cuiusmodi vetus Ecclesia Romana per annos trecentos aut circiter retinuit, Te ipsum audi loquẽtem Duræe, tuam vocem cognosce contra Whitakerum aut verius contra teipsum emissam, Tu ni in Ecclesiastica historia nimium puer esses, non
„ ignorares profectò Romanam etiam Ecclesiam
„ vsque ad Sylvestri tempora lignea habuisse alta-
„ ria, quæ Sylvester vt deinceps non nisi ex lapide
„ ædificarentur, decreuit. O nouum Decretistam
„ post tot secula: ô noui Papæ nouam creaturam!

Vt

Vt enim Sylvester nouus, & à se natus est Pontifex, vt Optati Phrasi vtar, sic noua & vetustati ignota decreta progignit. De Sylvestro & aliis istarum nugarum inuentoribus verè pronuncio, eos & nouo ritu institutos, & eorum noua instituta nobis esse abolenda, quod habet ipse Hieronymus, Scito, inquit, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus pronunciauit. Quãquam autem ego Sylvestrum illum Soractis montis & Eremi incolam, illum occultę Ecclesiæ profugum ministrum, nec talem Pontificem fuisse, nec talia dogmata excudisse suspicor, tamen illis assentior, & quia hoc decretum de lapideis altaribus non est, cum verbo Christi, nec cum Apostolica Ecclesia consentiens, sed Iudaismo quàm Christianismo conuenientius, & quia ab Ecclesiæ tum Aphricanæ, tum etiam antiquæ ipsorum matris Romæ institutis discordat, meritò omnia illa Ecclesia nostra euertit: Ligneis mensis quas vos sacrilegè demoliti estis contenta: quas, ante vos, Patres vestros Donatistas ad eundem modum fregisse verisimile est: atque etiam Arrianos, vt his verbis idem factum descripsit Athanasius, In sacrosanctam mensam, proh quanta impietas, & facinora commissa! Ex quibus emergit, credo, Optati altare ligneum nostram esse mensam sacrosanctam, à Papistis sceleratè fœdatam. Sed quid sibi quærunt homines isti, quid volunt, qui Donatismi nos insimulant? quid tantopere pro suis aris & calicibus dimicant? Arriani sunt qui in Christum cõtumelias iacere, & sacros Scripturarum libros comburere non erubuerunt. Donatistæ sunt, qui eosdem Biblicos codices flammis tradiderunt, & in pios homines persecutionem exercuerunt. Si

Sylvester inuentor lapideæ Aræ.

Cõ. Lucif.

In persecutione ad vbique Orthodoxos.

Athã. ibidẽ. Aug. con. lit. Pet. L. 1. c. 27.

idem Pontificii fecerunt, cur eandem notam hæreseos non subeant? Hæc maiora sunt, illa leuiora.

CAMPIANVS.

Athanasii symbolũ in templis concinunt. Num fauent ei? Qui Antonium Eremitam Ægyptium, grauis autor, accurato libello dilaudauerit, quique cum Alexandrina Synodo, iudicium sedis Apostolicæ, Diui Petri, supplices ter appellarit?

HVMFREDVS.

Athanasium cur Astipulatorem suæ sententiæ proferant, causam nullam video. Symbolum, inquit Campianus, eius in templis concinunt. Quid ni? Hanc enim Catholicam fidem tenemus, sine qua nemo saluus esse poterit. Sed *Antonium Eremitam AEgyptium, grauis autor, accurato libello dilaudauit:* At, quinã ille autor sit, ne in Margine quidem adscripsit, Duræus id vidit & suppleuit, nam iubet nos inspicere Hieronymũ de Scriptoribus Ecclesiasticis, quanquam eius quoque mentio fit in Ecclesiastica Historia, cuius sobrietatem in vita, habitationem in Eremo, consortium cum bestiis, crebros triumphos de ipsis Dæmonibus ibidem Ruffinus non tacuit. Reperio certè & ex Ruffino & ex Athanasio hominem fuisse non desidiosum sed religiosum, & ab Helena in tanto pretio habitum, vt eũ rogaret pro se & filiis Deo supplicare: & ex montanis ad Aulicos pro fide Catholica contra Arrianos sæpe literas dedisse, sed ab illis neglectas fuisse. Sed cur in huius libri Nomen incidit Campianus, quẽ nunquam legit, & qui nusquam impressus in illis quatuor Tomis

Ruffinus l.1.c.8.

Antonius. Athan. in epist. ad solitariã vitam agentes.

prostat? Monachatum inde suum, & Heremeticam vitam extollere voluit. Sed quàm sint Antonio inferiores nostri Religiosuli, alibi dictum est. Laudat quidem Athanasius Pseudomonachos in exhortatione sua ad eosdem, sed ita vt simul admoneat, de studio Scripturarum, vt omnem curam salubriter ponant in monumentis Canonicis, Non quòd Apocrypha debeamus, præsertim ignorata, damnare, sed quòd ad scientiam Dei digestam, Canonis seriem putemus posse sufficere: "de nuptiis, ne putent in aliis crimen esse nupsisse, scientes scriptum esse, Bonum est nubere, melius est non nubere: de ieiunio, vt abstineant quantum possibilitas valet. Hæc cur non obseruant? cur non credunt nostri monachi? In Epistola ad Dracontium præclarè sui temporis libertatẽ in Adiaphoris hisce exponit, Nouimus & Episcopos ieiunantes, & monachos comedentes: Nouimus & Episcopos non bibentes vinum, & monachos bibentes: nouimus quoque Episcopos signa faciẽtes & monachos nõ faciẽtes: Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierũt, monachi cõtrà parentes liberorũ facti sunt, quemadmodũ vicissim Episcopos filiorũ patres, & monachos generis potestatem non quæsiuisse animaduertas. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibebitur, sed quisque vbi volet, decertet. Annon hìc à Romanistis quæri potest, vtrum in his Athanasio suo ipsi fauent? Alterum est quod petit Campianus ex Athanasio, vt nobis probet sui Pontificis Romani principatum in ficta illa ad Felicem secundum Epistola, quæ planè generosum spiritum Athanasij & Alexãdrinorum minimè spirat. Athanasius aut Synodus Alexandrina salutabit Felicem, Dominum beatissimum, & honorabilem sanctum patrem, sanctæ sedis Apostolicæ

Athanasij doctrina Papismo cõtraria.

Athan. de sufficientia Can. Scripturæ.

Epist. Syn. Alex. ad F. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Papam? cùm ille aliàs in suis genuinis operibus Liberium vocet tantùm Romanum Episcopum? cùm ipsemet ab illis cognominetur Athanasius „ Papa & Pontifex Maximus? Illíne sic abiectè sup- „ plicarent, Ad Apostolicam sedem quasi ad ma- „ trem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur? Sed plura sunt quàm quę à me nunc repeti possunt, &

Roma Nouа & vetus. Iuellus de ea re satis fideliter prudentem Lectorem prænonuit. Verùm enimuerò sac Athanasium sæpe relegatum, cofugisse ad Iulium Episcopum Romanum: fac eius causam à Felice auditā: summa tamen rerum & iubendi autoritas fuit penes Cæsares: & alia tum fuerunt tempora, alij mores, Tum Roma piis asylum fuit, nunc si quis Romam peteret, Sanctorum carnificem sentiret, Quod ad hanc attinet Epistolā, eam, & alia Athanasij opuscula notha esse in Athanasio, cùm multa, vt dixi, argumento esse possunt, tum simplex

P. Nānius de Athā. operib. nothis. & aperta confessio Petri Nannij quondam apud Louanienses Collegij Trilinguis Latini professoris, testatur, Vt fertilissimis agris multa zizania, vnà cum optimis frugibus nascuntur, ita optimo cuique autor plurimos falsos libros adscribi, nulli autem plures quàm Athanasio. Quibus subtexit Erasmi iudicium, In hos libros adulterinos

In Epist. ad Episc. Atrebatensem. cùm incidisset D. Erasmus, & nihil melioris venæ expectaret, semel depositio onere fessus, nauseabundus exclamauit, ἄλις ὑὸς, nolens amplius glandes gustare.

CAMPIANVS.

Prudentius in Hymnis quoties precatur Martyres quos decantat? quoties ad eorum cineres & ossa regē martyrū veneratur? Nū hunc probabūt.

HVMFREDVS.

Non diffitemur Prudentium in aliquot Hymnis sanctorum laudare patrocinia, vt de Sancto Laurentio, satis ineptè, Christum Mediatoris officio priuans, Prudentius de Sanctorum Patrocinio.

Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat, "
Sed per patronos & Martyres "
Potest medelam consequi. "

Sed qualis est ista consequentia Prudentij? Indignus sum quem audiat Christus, ergo per Martyres possum medelam consequi: Aliter contexunt cordati & Euangelici peccatores, Nempe cordatus & pœnitēs peccator Dauid, Peccaui, miserere mei Deus, &, In multitudine misericordiæ tuę introibo domum tuam. Nempe Euangelicus peccator Ioan. Baptista, Non sum dignus vt portem Christi soleas, & tamen Iudæos obiurgat, quòd de alio Patre Abrahamo gloriarentur, & ad Christum Agnum Dei remittit, qui tollit peccata mūdi. Ioan. Euangelista, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendacem eum facimus, & sermo in nobis non est. Et tamen non refugit, sed mox infert, Si quis peccauerit, Aduocatum seu patronum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Centurio, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: tamen non quęrit Lucam medicum aut alios Apostolos, sed confidentius agit, Solùm loquere, & sanabitur puer meus; Et audiuit misericordem Dominum, Sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer eius illa hora. Publicanus adeo indignus & turpis sibi visus est, vt non auderet ad cœlos attollere oculos, tamen non se recipit ad Sanctos, sed orat, Domine pro-

Peccatoribus Mediator & Asylum solus Christus. Psal. 51. Psal. 5. Matth. 3. Ioan. 1. c. 1. Epist. 1 Ca. 2. Matth. 8. Luc 18.

pitius sis mihi peccatori , & tamen rediit domum,quantumuis Publicanus & peccator, exauditus sine patrono Martyre aut Maria aut aliquo Christi discipulo,& magis quàm Pharisæus iustificatus.Scisciatur Campianus,*Num hunc probabunt*?Vt Poetam bonum & sanè cũ Duræo,vt hominem Christianum probo,vt optimum Theologum,non probo,quippe ipse fatetur,se in prophanis & forensibus studiis consenuisse,& res Ecclesiasticas serò attigisse,lamentans,

Quid nos vtile tanti spatio temporis egimus?

In eo quòd ad Martyrum cineres regem Martyrũ veneratur,cur non probemus?

CAMPIANVS.

Hieronymus pro diuorum reliquijs & honoribus scribit,in Vigilantium,in Iouinianum,pro virginitatis gradu,Hunccine patientur?

HVMFREDVS.

Hierõ.de Reliquiis. De reliquiis & honoribus Diuorum apud Hieronymum contra Vigilantium , & de virginitate aduersus Iouinianum , aperui sententiam meam paulò superius , & quatenus pati vel non pati liceat,demonstraui. Has metas nobis posuit ipse

In Psal.5. Hieronymus,sacras literas definiẽs rectam viam, lectionem Scripturarum , per quas ingredi cupit in Ecclesiam Dei , ne corruat. Si idem fiat à nobis,si eandem viam ingredi velimus, non inuidebit Hieronymus. Vigilantium autem & Iouinianum quàm sine causa, sine argumento,sine modestia

vehementius insectetur,dictum est: quomodo Scripturas in hoc feruore disputationis perperam accommodet,nisi longum esset , explicarem.Vnum quod occurrit libro primò ad decantandam virginitatem,dicam , Omnis qui habet hanc spem,castificat semetipsum, sicut & ille castus est:Cùm ἁγνίζειν sit purificare. Vbi primum quod est generale in Apostolo, facit particulare, quasi sola continentia seu virginalis castitas,esset puritas. Deinde si illa vetus translatio esset Hieronymiana,Hieronymus ipse sui oblitus est,Nam aliter ibi vertitur,Omnis qui habet hanc spem in eo,sanctificat se,sicut & ipse sanctus est : detiuat scilicet ἁγνὸς & ἅγιος ab ἄζω vno eodémque themate. De virginitate, Aduers. Iouin.1. lo.3.

CAMPIANVS.

Ambrosius tutores suos Geruasium & Protasiũ, celebritate notissima in Arrianam ignominiam honestauit:cui facto diuinissimi patres encomion tribuere:quod factum Deus non vno prodigio decorauit. Num beneuoli sunt Ambrosio futuri?

HVMFREDVS.

De Ambrosio eiúsque Martyribus Geruasio & Protasio etiam suprà ex Augustino diximus, quæ non opus est repetere,ne omnia confundere ; & eandem incudem semper tundere videamur.Sermo iste qui annotatur , quàm parum Ambrosium resipiat,testantur Erasmus & Costerius.Sed idem narratur in eius quadam Epistola. Sic ita de Ser.91. L.10.epist. 85 Amb. de miraculo Sanctorum.

vno illo miraculo: Quod semel speciali Dei gratia, certa de causa fit, idne semper fieri credēdum „est? Arriani insultarunt, Non sunt isti Martyres, „nec torquere Diabolum possunt: An quia in eorum ignominiam hoc miraculum Dominus singulariter & clemēter operatus est, ideò vel nos à trita Scripturæ regula discedemus? vel omnia Papistarū miracula tanquam veras historias recipiemus? Arrianorū hęresim Dominus miraculo reuelare & refutare voluit. Exclamat alicubi Athanasius, O miraculū ingens maledictionis crucifixæ, aperuit paradisū in promissionē latronis. Tametsi verò hinc Diuinitas Christi manifestè conuincatur, non tamē credūt Arriani huic miraculo, ideo rursus exclamat, Miseri profectò Arii, furiosi Iudæi, qui neque rectè legūt, neque exactè rem per„uestigant, quippe qui obcæcatos habeant mentis „oculos, arbitrantes creatorem & opificem om„nium, creaturam esse. Percontatur iterum Cam„pianus, an hîc beneuoli simus futuri Ambrosio? „Bene volumus Ambrosio vero, sed non Ambrosio „illi, quicunque est, qui Geruasium & Protasium tanquam suos Tutores celebrat & dilaudat. Vnus Tutor Christus, columen suæ Christianę familiæ.

Christi diuinitas.

Con. omnes hæreses.

CAMPIANVS.

GREGORIVS *magnus noster Apostolus, planissime noster est, eòq; nomine nostris aduersarijs odiosus, quem Calumi rabies negat in schola sancti Spiritus educatum, propterea quòd sacras imagines, illiteratorum libros, appellasset.*

HVM-

HVMFREDVS.

Gregorius nomine quidem Magnus, & reuera magnus vir multis & magnis diuinæ gratiæ dotibus exornatus, & sæpe vt dictus est, Os Domini atque Lucerna, tametsi in illis tenebris & perturbationibus temporum non semper exsplendescens: Maximè cùm Gotthis & Longobardis irrūpentibus in Italiam, etiam magna barbaries & multi abusus confluxerint. Hic Gregorius primus Papa & Pontificii chori præsultor & vltimus Episcopus, nostræ autem gentis Apostolus nullo modo cognominari poterat. Non enim ipse ad nos missus est à quoquam, nec vnquam huc appulit, sed huc ad nos subornauit tanquam aliquis Christus aut Pseudochristus Augustinum suum Pseudoapostolum cum aliis, qui Euangelium Iesu Christi hîc non seminauit, quod Dei gratia ab ipsa Apostolica ætate Britannia acceperat: sicuti ex Origene, Tertulliano, Hieronymo, Chrysostomo, & aliis ostendi potest, & aliàs abundè ostendimus. Quorsum enim illud figmentum Legendæ plumbeæ de Gregorio? Cùm transiret forum & fortè aspiceret pueros forma præstantes, à mercatore quæsiuit de patria eorum: audit esse Anglicos, Bene, inquit, Anglici, quasi Angelici: Interrogat de religione, intelligit esse paganicis erroribus implicatos. Proh dolor, inquit, quàm splendidas facies habet nunc Princeps tenebrarum? Vnde Pontifex creatus per Melitum, per Augustinum & alios, suis meritis ad fidem Christi cō uertisse dicitur. Quod etiam refelli potest ex Balæo & ex Beda in historia gentis Anglorum, & ex Galfrido Monumetensi, cuius hæc est oratio, In

Gregorius non erat Apostolus Anglorū.

Religionis in Anglia plantatio.

Anglici Angelici

De Script. Britā. Cē. 1. De Britannorum gestis l. 8. ca 4.

patria Britonũ adhuc vigebat Christianitas, quæ ab Apostolorum tempore nunquam inter eos defecerat. Postquam autem venit Augustinus, inuenit in eorum prouincia septem Episcopatus, & Archiepiscopatum vnum, religiosissimis præsulibus munitos: & Abbatias complures, suarum manuum labore viuentes, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat. Quomodo ergo intrauit hic Apostolus? cum vexillo & Cruce argentea, non cum Iesu Euãgelio: Quid intulit? In rem publicam cædes, bella, proditiones, fastum. Si ergo Augustinus Apostolus fuit, talis profectò fuit, quales Apostoli carnales fuerunt, cùm vellent ignem de cœlo descendere, & Samaritanos consumere: aut qualis Petrus fuit, qui Christo in sua glorioſa transformatione & Maiestate, quàm in cruce & ignominiosa passione frui maluit, quando dixit, Præceptor, Bonum est hîc nos esse, faciamus hîc tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ, nescies quid diceret. Tabernaculum enim hîc & sibi & Italis suis fixit Augustinus. Spiritus Augustini inflammatus & exæstuans apparuit, cùm Britanni Christiani (quorum in multis locis pars magna fuit ab aduentu Ioseph Aramathiensis in Britanniam) deprehenderent illum non in Spiritu pauperis Christi, sed in Extasi superbi Antichristi confidentem: Apparuit, quando à nostris despicatui habitus, Regem incendit, vsque adeò vt ille copias cum Elfredro genero Northumbrorum pagano principe coniungens in bello aliquot millia Britonum qui religionis causa piè & laboriosè in Cœnobio seu Collegio Banchorensi viuebant, trucidarit: Nec tamen vnà cum illis omnis antiqua & Apostolica religio extincta est, sed partim ab illis in Wallia, partim à nonnullis Anglosaxonibus

Luc. 9.

Ibidem.

Augustini clarus animus.

nibus retenta, quorum mentes Dominus aliquo suæ lucis radio à Lucio Rege prius acceptæ illustrauit. Etenim ante hunc Pseudoapostolum, Eleutherius verus Episcopus Romanus ad Lucium nostrum scripsit, Leges Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus: legem Dei nequaquam: Suscepistis enim nuper miseratione Diuina in regno Britanniæ legem & fidem Christi, habetis penes vos in Regno vestro vtramque paginam, ex illis Dei gratia per Consilium regni vestri sume legem: VICARIVS enim Dei estis in Regno vestro. Quàm verè de nostra Ecclesia Christiana, quàm humiliter de suo Episcopatu, quàm honorificè de autoritate Regia, quàm piè de verbo scripto, quàm diuersè & contrariè huic successori Augustino, hic pastor Romanus & Martyr Christianus Eleutherius? Quomodo autem multi studiosi optimè instituti Deo seruierint, quomodo tandem suasu istius Monachi Augustini & immanitate regis Ethelfredi, & homines è medio sublati, & Bibliotheca & domus tota igne & ferro destructa, quomodo iterum se recollegerint, & Saxones vicerint: Ex Huntingtonensi refert Humfredus Fluidus in Commentariis Britanniæ. In Ecclesiam verò quid inuexerunt Gregorius & Augustinus? Onus Ceremoniarum, quas tum & paucas esse debere, & diuersas in diuersis locis esse posse, constituit ipse Gregorius. Intulerunt pallium Archiepiscopale ad sola missarum solennia: Purgatorium, quod tamen ipse Gregorius firmissimis rationibus euertit: oblationem salutaris hostiæ & preces pro demortuis: visiones & reuelationes, vt in historia Paschasii Diaconi, Gerontii, Meliti: Reliquias, vt Clauium Petri, quæ super ægrotos positæ multis co-

Eleutherius ad Lucium.

Humf. Fluidus In fragmento Britannicæ descriptionis.

Merces Ceremoniosæ Augustini & Gregorii.

Greg. Epi. l. 12. ep. 15. Dial. l. 4. c. 39.

Greg. ad Epi. Antioch.

ruſcabant miraculis, & Dalmaticæ Diui Ioannis Euangeliſtæ, principibus oblatæ, ſed ab illis contemptæ, quam ille pater cultello pupugit, ex quibus punctionibus ſanguis protinus emanauit, vt quàm precioſæ eſſent reliquiæ diuinitus patefieret: Tranſubſtantiationem, quando matrona quadam audiente, panem, quem ſuis manibus fecerat, à Gregorio corpus Dominicum appellari, & ſubridente, mox ad coarguendam & depellendam mulieris incredulitatem, particulam panis inſtar digiti carnem ille effecit: virtutem Crucis, quando, reuelante Spiritu, ſe ea vndiquaque ſignans, equum ſuum Magorum arte efferatum, ſpumantem, frementem & ſeſſorem Pontificem iam iam diſiecturum, cùm præſenti rabie liberauit, tum & illos maleficos perpetua cæcitate mulctauit. Inuexerunt huc nouas Templorum conſecrationes, vt quæ prius Deo & Seruatori Chriſto ſacra fuerant, nunc diuis neſcio quibus dicarentur: Induxerunt miracula de Traiani anima precibus Eugenij euocata ab inferis, hac voce diuinitus audita, Vocem tuam audiui, & veniam do Traiano, ſed hac optione ei data, quia pro infideli & damnato precatus eſt, vt aut in Purgatorio duobus diebus cruciaretur, aut certè toto vitæ ſuæ tempore infirmitatibus & morbis fatigaretur: cúmque poſterius elegiſſet: aut podagra aut febribus aut ſtomachi dolore ſemper laborauit, & de podagra ſanè conqueritur alicubi Gregorius Pontifex in Epiſtolis: Aliud de vitrea ampulla per crucis ſignum fracta, aliud de alia in ſaxis proiecta, non tamen rupta: Aliud de Mauro diſcipulo ſuo pedibus ſuper aquas ambulante: Aliud de Sancto Benedicto infantem mortuum reſuſcitante: Aliud de genio malo ſeu dæmonio è monacho & etiam ex clerico

In Legenda.

Bal. Cēt. 1.

Legenda.

Miracula Gregoriana.

Greg. Dial. 2.

rico fugato, Aliud de Ioanne Papa, qui profectus ad Imperatorem mutuo ſumpſit in itinere, Nobilis cuiuſdam equum, quo māſuetiſſimo & gradario eius vxor vſa eſt: ſed equus reſtitutus poſt aſcenſionem & ſeſſionem Pontificis ſanctiſſimi, Papæ beatiſſimi, ſuperbiuit, & amplius mulierē portare recuſauit: itaque remittitur ad Ioannem, quaſi ſolius Papæ ſanctitate dignus: Pontifex demum Conſtantinopoli, in porta Aurea ſolo manus tactu cæco homini viſum reddidit. Ex quibus omnibus quid aliud quæſitum eſt, quàm vt Indulgentiæ, monachatus, Papatus reliquumque Pōtificiæ ſuperſtitionis chaos extruatur? Hæc autem Auguſtinus Magnus monachus, à Gregorio monacho edoctus & præcultus importauit: nimirum Britānis, quos occidit, iniquior, Anglis quos allexit, Romanorum rituum ſarcina onerosior. Quid exportarunt? Pro ſuis palliis aurum, ligna, Donationes Epiſcopatuum, aliaque huius regni commoda. Ex his ſtipulis cognoſcitis, ſpero, Gregorium: quemadmodum illa quoque alia eſt ſtipula de imaginibus, de quibus nunc agitur, & picturis, quas in Eccleſia adhibet, vt qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valeāt: quaſi Moſes, Prophetæ, Chriſtus, pij principes dederint nō Scripturam ſacram populo Dei, ſed mutuos, imò malos vanitatis magiſtros lapides, ſtipites, parietes. Serenus autem Maſſilienſis qui imagines confregit & proiecit, verbo Dei innixus eſt, & exemplum Moſis, Ezechiæ, Epiphanij ad Ioan. Epiſcopum Hieroſolymitanum, æmulatus eſt, quæ ſchola, niſi fallor, eſt optima: Gregorius etiam Sereno æquior fuit, quàm poſteriores Papæ ſunt nobis, quia ille Zelum laudat Sereni, qui nihil quod manu factum eſt, adorari permiſit, & loquitur de

Dial l. 3.

Imagines L. 7. ep. 109.

Abac. 2.
1. Io. 5.
Exod. 32.
2. Reg. 18.
Epiſt. l. 9.
Epiſt. 9.

picturis, vnde scientia historiæ colligi potuit, quales sæpe multas & nos toleramus: & eum fratrem vocat, & vt frater tantùm suum iudicium interponit, vt Papa imperiosè non condemnat. Vester popellus, Duræe, ad statuas procubuit, supplicauit, immolauit, postes osculo honorauit: vestri Pontifices nostros Eiconoclastas aut Eiconocaustas pro fracta aut combusta imaguncula tanquam hæreticos, in ignem coniiciendos cenferent: Vestrum Nicenum Concilium secundum earum cultum & adorationem requirit, Vestri scriptores, vester Andradius latriam Crucifixo tribuerunt. Sed ad Whitakerum te, Duræe, in hoc loco copiosius respondentem tuis obiectionibus remitto, & vt legas iudicio purgatiore nostras solutiones rogo.

Orthod. Explic. l. 9.

Leo imaginum fractor defensus Con. Glycam & Duræum.

QVAMVIS autẽ homini veritatis studio so ea quæ dicta sunt satisfacere possent, quia tamen, Duræe, in hunc locum excurristi, & imaginum patronus esse voluisti: agedum conferam meum symbolum Dialecticè, & grauitatem seu leuitatem tuorum argumentorum æquo libramẽto expendam. In quibus omnibus tuis, Duræe, argumentis, pompam & speciem aliquam video, scholasticam illam soliditatem, quam in aliis exigis, non deprehendo. Cæterùm ô Duræe, Pythagoram illum Samium dixisse aiunt, vt refert Theodoretus, esse Musas Sirenibus præferendas, nimirum Sirenibus comptos Sermones & fucos, Musis nudam veritatis formam comparans. Siren verè canit, quando Glycas tuus in sua historia Bizãtina te docuit Leoni Iconoclastarum coryphæo scilicet & principibus atque Imperatoribus obstrepere: scilicet bene consulitis vestro Pontifici, cuius Papatus seu regnum stare non potest, nisi detrahatur regibus. Istuc profectò est

Pytagoricum prouerbium. Theodor. l. 2. con. Græcos.

Par. 4. Anna.

est saperę: Sed quid canit? Iudæi monent Leonem Imperatorem, vt Dei & sanctorum imagines ẽ medio tolleret? Quid ni monerent, cùm illos sic Moses diu antè monuisset? cuius præcepti explicatio concinna & vera est apud Origenem: cùm etiam ex Prophetis ea de rę admoniti ipsi fuissent? An enim vel Glycas his monitis Iudæorum non ipse parebit? An Duræus obtemperandum non iudicabit? An adhuc Trinitatis imaginem ferendam putant? Occlamat Iesaias, imò re clamat ipse Deus, Cui quæso me assimilabitis, æquiparabitis aut comparabitis me? vt ei similis sim? Prodigunt aurum ex marsupio, & argentum in bilance appendunt, mercede conflatorem conducunt, ex illo Deum faciunt, cui procumbunt, quem adorant, in humero portant, baiulant, in locum suum collocant, illic stat, nec de loco suo mouetur, & si quispiam ad eum clamat, non respondet, de angustia sua eum non liberat. Memineritis huius, & corroboramini, redite ad cor ô præuaricatores. Id sensit ex hisce Scripturæ locis Origenes. Sed ne Diuinæ quidem imaginis simulacra hæc esse duxerimus, quippe qui Dei vt inuisibilis, ita & incorporei formam nullam effigiamus. Admonuit eos fortassis etiam Baruchus, acerrim⁹ oppugnator idolorũ, & facetus derisor imaginum. Admonuit Ieremias, planissimè refutans scholam hanc Gregorij, & magisterium atque doctrinã imaginum, quas mẽdacia, stultitiam, vanitatem, nos docere existimat. Stultus fit omnis homo præscientia, pudefit omnis cõflator à sculptili, nam mendacium est fusile eius cũ nõ sit in eis spiritus. Vanitas sunt opus errorũ, in tempore visitationis suæ peribũt. De Iudæorũ zelo meminit alicubi & Origenes, Christiani,

Iudæi. Deut. 5. Exod. 20. Li. 4. cõt. Celsum.

Ies. 46.

Con. Celsum l. 7.

Ca. 6.

Hier. c. 10

Con. Celsum l. 7.

inquit, & item Iudæi cùm audiunt, Dominum Deum timebis,& illi soli seruies,& non erunt tibi Dei præter me alij, nec tibi feceris Idolum, &c. non modò Deorum templa,& aras & simulacra hæc auersantur,sed vel ad mortẽ, si fuerit necesse, promptius veniunt,ne ex aliquo excessu & impietate prorsus inquinẽt, quod de Deo omniũ conditore optimè sentiant. Acutos se putant esse, si distinctione quasi effugio euadant,discrimen esse inter idola gentium & Sanctorum imagines. At Prophetæ generaliter dicunt contra omnia sculptilia & fusilia,quæ non audiunt,non respondent,in quibus non est spiritus, quæ errores docere vlla ratione possent. Epiphanius verò soluit hunc nodum, ingenuè contestans se imaginem Christi vel sancti alicuius scidisse: & id si Hieronymus non comprobasset,in latinã linguam,credo,non transtulisset. Sic ergo argumẽtari debuit Glycas, debuit & Duræus, Iudæi tale consilium dederunt Leoni, ergo nos multo magis oportebat idem Papis nostris & Principibus occinere: Nam Iudæis multa sunt indulta, Sanctuarium,sacrificia, altare, sacerdotes, externa & magnifica quædam religio,plena reuerentia,ornata Cherubinis,conspicua leonibus,vt vel ipso aspectu obstupefacerent intuentes, Sed gratias aduentui Christi,inquit Origenes,qui animas nostras auellens ab hoc intuitu, ad considerationem cœlestium, & contemplationem rerum spiritualium contulit, & destruxit quidem illa quæ magna videbãtur in terris,cultúmque Dei à visibilibus ad inuisibilia transtulit. Atque hîc habent suæ obiectionis dilutionem Pontificij qui à Tabernaculo seu Templo ad Ecclesiam,à Iudaismo ad Christianismum, solent rationes suas transferre, hæc est illorum parum Christiana cõnexio. Fuerunt apud

Distinctio inter Idola & Imagines friuola.

Num.c.28 H.23.

Argumentum à Iudaico Templo.

Iudæos talia,ergo esse debent in Ecclesia Christi: illi præcepto Dei muniti sunt, & ea solùm veluti ornamenta quædam collocarunt,vt populum carnalem, spectaculis carnalibus ad cultum verum pellicerent: Nostri mandatum nullum habent, & cur non habeant,ratio in promptu est, ab Origene reddita, vt Deus absque imagine Dei colatur, vt sanctitas absque sanctorum imaginibus,præsertim in hac Christi adulta ætate imbibatur, & Christiani non amplius idiotarum libris intenti sint, sed Christum in Spiritu & veritate discant adorare. Sed ponderentur argumenta Patriarchæ Germani à Duræo citata,quæ pro imaginibus ille in medium proferebat,quo Leonem in suam sententiã impelleret. Sic enim recitat Glycas, Thaddæum effigiem Christi Angaro (Abgarum alij vocant) misisse, eandem à Luca depictam fuisse, & Romæ Theophilo datam, duas æneas imagines, alteram illius Hęmorrhousæ,quam Christus fluxu sanguinis liberauit,alteram,quam Iesu esse dixerunt, à muliere illa fieri curatas & erectas. Quid hinc conficitur Duræe? an vt vos inde in Templis pictos Christos post tot demum secula collocetis, & Imagines tot Sanctorum, quos nullus pictor vidit aut nouit,ad cultum idololatricè prostituatis? Hoc fœdum facinus non docet Spiritus Sancti schola, Duræe,nec illa quam tu Iudaicam vocitas: sed Iudæi quos aspernamini, sunt vobis Christianis in hac quidem re sanctiores, qui supplices vos prosternitis coram idolis, & venerabundi intuemini statuas, quod vtique si Origeni credimus,nec Scythæ facerent, nec Lybici agrestes illi & barbari homines,nec qui sine Deo sunt Syri,nec impiissimæ aliæ denique & perditissimę nationes,nec Persæ,qui eos qui talia erigunt stultitię arguũt: Christiani certè antiqui non fecerũt,

Imago Christi.

Matth.9.

Cõ.Cels. l.7.

vt hîc expressè dicitur: Nec simulacra quidé nos veneramur: Et iterum, Non igitur fieri id poterit, vt & Deum quis nouerit, & simulacris vt supplicet: quod idem ferè habet Lactantius. Quòd autem istas Christi imagines habuerint veteres, id factum est tum, cùm Christus pingi verè potuisset, & signa fuerunt amoris, quales principum & doctorum picturas & figuras nos habemus, & domi fuerunt adseruata. Eusebius autem illas æneas imagines supra lapidem sublimem ante Domus illius mulieris fores positas Cæsareæ scribit, & Pauli, Petri & Christi imagines in tabulis coloribus depictas vidit, quod tamen ex gentium consuetudine manasse ait, quæ eos quos Seruatores putarunt, ad hunc modum honorare consueuerunt: Quæ, teste Apostolo, Dei veritatem in mendacium commutarunt, & creaturæ seruierunt præter Creatorem qui est benedictus in secula. Vides, Duræe, quantum istæ Imagines à vestris differant, quas in Ecclesiam introducitis, & veneratione, vel Latria vel saltem Dulia prosequi soletis, & in hac vltima mundi senectute, quando illi sancti, quales fuerint viui, prorsus ignoratis. Vides, Duræe, istos vestros cultus & ritus nec in Christianorum, nec in Iudæorum, sed in gentilium schola inueniri. Desinite ergo vestros Agnos, Crucifixos, Imagines, cruces, & occultas merces in Anglia extrudere, quæ omnia confringi vult Deus, Et, Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile abominationem Domini, opus manuum artificum, ponítque illud in abscondito.

L. 2. c. 19.

Euseb. l. 7. c. 18.

Rom. 1.

Deut. 17. 12. 27.

Quòd autem Leonem Iudæorum suasu tantummodo hoc attentasse scribit Glycas, fallitur: Nam cùm tollendæ Idololatrię causa, imagines sanctorum diffringi & exuri voluit, tum quia scriptum est, Sa-

est, Sacrificans Diis eradicabitur, nisi Domino soli. Pius ergo non ferus Leo est, Duræe, sicuti tibi videtur, sed ferus Gregorius secundus, qui imaginum venerationem præcepit, & bonum Leonem pessimè tractauit: cuius impium decretum in alia Græcorum Synodo perfregit eius filius Constantinus, non à se inductus, nec à Iudæis seductus, vt hîc fabulantur, sed consilio tercentorum triginta antistitum. Quod de aliis imaginibus profert Duræus ex Theodoreto, ex Gregorio Nysseno, & aliis, id nondum probat in templis collocari aut ad cultum proponi debere. Augustinum adduci à Duræo miror, qui non affirmat Christum & Petrum & Paulum pictos, Sed, Credo, inquit, quòd pluribus locis, simul eos cum illo pictos viderunt. Sed num laudat Augustinus? imò vituperat, inquiens, Sic omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos eius non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum si à pingentibus fingentes decepti sunt. Ecce, Duræe, qui sit Christi & Sanctorum pictorum finis, deceptio. Nollem ego talem causæ meæ defensorem, qui contra seipsum fert sententiam.

In vita Simeonis. In Orat. de Mileto. De Cons. Euang. l. c. 10.

Athanasii de passione imaginis Christi narratio, fabula est, de qua superius diximus: deinde ad rem de qua agitur, non pertinet. Narrat Christianum in domo priuata eam reperisse imaginem, audisse autem eum, à Nicodemo compositam, illum morientem Gamalieli, Gamalielem Iacobo, Iacobum Simeoni, Simeonem Zachæo, alios aliis successoribus tradidisse, & ita occultè in Syria permansisse, ac plenam Christi staturam repræsentasse. Quid hoc ad cultum imaginum in Ecclesia? Deinde ipsa historia de passione imaginis nō flenda sed ridenda est, Inspuūt Iudæi

Miraculū fictum de Imagine Christi crucifixa.

in faciem,dicunt, Quanta Iesu Galilæo nostri genitores fecerunt,eadem & nos huic eius imagini faciemus: Crucifigunt, acetum cum felle porrigunt,coronam spineam capiti imponunt,arundine percutiunt, latus lancea perfodiunt, ex loco vulneris aqua & sanguis decurrunt, olim sicut in vera passione Christi,sic nunc cœlum expauescit, elementa concutiuntur, supernæ virtutes exhorrescunt,clamant, Nunc in sancta imagine tua crucifigeris, Domine, iterum ad confusionem impiorum: Hinc Paralytici, cæci, muti, podagrici, omnes ægroti curantur, Iudæi ad fidem cõuertuntur. Hæc si vera esse credit Duræus, idem credet omnia illa dicta & gesta fuisse verè ab animalibus quæ leguntur in Æsopi fabulis. An hæc credidit aut scripsit Athanasius qui contra hanc vanitatem copiosè declamitauit? & peculiarem tractatum contra idola edidit?qui scripsit nec materia,nec forma simulacrorum Deum posse cognosci? qui concludit,Cùm ergo intelligendi Dei gratia sculpitis, aut fingitis imagines, rem profectò minimè dignam facitis. De muliere Cæsariensi quæ præ foribus habuit imaginem Christi diximus: foris sit imago vera, domi sit, tanquam monumentum, sed intret in Ecclesiã nostram,eamq; gubernet non Imago Christi, sed ipse Christus Dei filius. Tertullianus postremo loco citatus,vobis minimè fauet, vester est aduersarius & hîc & in omnibus opusculis. Hìc disertè loquitur similitudinem vetari omnium,in cœlo, terra, aquis, idololatriæ substantiam cohiberi, non adorari ea oportere:quæ omnia contra Pontificiorum doctrinam aduersa fronte dimicant. In aliis libris planius & plenius suam aperit sententiam, non esse similitudines tenẽdas,ne in ipsa Idololatriæ substantia peccetur. In libro de Corona militis his verbis

Athanasius Con. Gentes.

Tertull.

verbis exponit & hoc præceptum Mosis, & illud Ioannis,quod superius adduxi, Apostolus inclamat, Fugite Idololatriam, omnem vtique & totam:recogito syluam,& quantæ latitant spinæ;nihil dandum Idolo, sic nec sumendum ab Idolo, &c.Et ideo fugite,longum enim diuortium mandat ab Idololatria, in nullo proximè agendum, Draco etiam terrenus de longinquo non minus spiritu absorbet alites.Ioannes,Filioli,inquit,custodite vos ab Idolis,non iam ab Idololatria quasi ab officio,sed ab Idolis,id est, ab ipsa effigie eorum.Indignum enim vt imago Dei viui,imago Idoli & mortui fiat.Intelligis,credo,Duræe,omnẽ Idololatrię substantiam cohiberi,id est, omnem mali speciem,omnẽ similitudinem prohiberi: intelligis principiis obstãdum,ne ille antiquus serpens è longinquo obsibilet & inficiat, & paulatim nos, sicut quondam Matrem nostram Euam in ipsam peccati substantiam & profunditatem præcipitet.

1.Co.10.

1.Io.5.

CAMPIANVS.

DIES *me deficeret numerantem epistolas, conciones, homilias, orationes, opuscula, disceptationes patrum, in quibus ex apparato, grauiter & ornatè nostra Catholicorum dogmata roborarunt. Quàm diu apud Bibliopolas ista venerint, tam diu frustra nostrorum codices prohibentur: frustra seruantur aditus oréque maritimæ, frustra domus, arcæ, scrinia, capsulæ disquiruntur: frustra tot portis minaces tabulæ suffiguntur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus,*

nec Bristolius hæc noua somnia, vehemẽtius, quàm hi quos recensui patres infectantur. Talia cogitanti accreuit animus & desiderium pugnæ, in qua quoquo se mouerit aduersarius, nisi gloriam Deo cesserit, feret incommodum. Patres admiserit: captus est. Excluserit: nullus est.

HVMFREDVS.

De patribus cõclusio triumphans ante victoriam.

Insanus videtur, qui cùm toto die à scopo aberrauerit, tamen iactet seipsum scopum attigisse: vanus est viator, qui cùm omnino deuiauerit, se tamen rectà iuisse, & ad hospitium fœliciter peruenisse, glorietur. Nec minus Thrasonica est hæc conclusio Iesuitæ, qui hactenus multa dicens nihil probauit, tot nomina autorum recitans, nullas autoritates allegauit, tamen se vicisse, patres omnes à se stare audet profiteri. Et ista Rhetorica Præteritio quædam esse potest cassida sed necessaria Reticentia, quæ satis causæ infirmitatem, & conscientiæ hominis imbecillitatem arguit: in qua conglobantur innumerabiles ferè Epistolæ, conciones, Homiliæ, orationes, opuscula, disceptationes patrum, quorum tamen nec in Textu, nec in Margine vlla est citatio, nedum vlla probatio. Duræus Insultatione quadam vtitur, & triumphum agit, etiam Whitakero iudice, suos esse patres, ex illis se pœnitentiam scilicet Papisticam, satisfactionem Papisticam, operum Papisticorum merita, liberum arbitrium Papisticum, preces pro defunctis Papisticas, miracula ad Martyrum sepulcra Papistica, Diuorum intercessionem Papisticam, altaria, sacrificium, Chrisma, virginitatem, omnia Papistica, & prædicasse & probauisse: Cùm tamen nec illi priores patres istum Papismum vnquam nouerint, & posteriores non eas corruptelas agnouerint: & alius fuit sensus omnis antiquitatis, quemadmodum ex præcedentibus facilè potest recolligi. Quia verò de Patribus bonis, opinionem bonam concepimus, & quia eorum censuram non pertimescimus, ideo illos venales in officinis Bibliopolæ nostri habent, & nos illorum volumina conquirimus & euoluimus, illorum nomina in lectionibus publicis vsurpamus, illorum testimonia sæpe pro concione proferimus, illos semper & vbique honoris causa nominamus. Sicut autem illos legimus: ita magistratus noster codices eorum meritò prohibet, arculas eorum interdum perscrutatur, quicunque cõtrariam Patribus nostris viam ineunt, qui in libris suis corruptum doctrinæ lolium serunt, Papatum Regnorum omnium pestem suadent, populo ad ciuilis belli inflammationem facés admouent, inobedientiæ præcepta in aures infundunt, vnde & corpora aut bona suorum lege humana in discrimen adducunt, & animas Diuino iudicio in certum periculum coniiciunt. Atenim libros prohibere Duræus interpretatur *summam esse iniuriam, hoc esse spiritus hominum in ordinem cogere, fidei dominari.* Quænam hæc est frons, quod os hominis huius, qui non potest ignorare libros Protestantium non semel prohibitos fuisse, imò & crematos? & quidem nuperrimè temporibus Henrici Octaui, & Mariæ Reginæ, quando etiam ipsi homines qui eos legerunt, combusti sunt: quando Testamentum Iesu Christi, non solùm Anglicè à nostris, sed ab Erasmo Latinè versum igni traditum est, quanturuis Papę Leonis Decimi munitum diplomate?

Prohibitio librorum.

Duræus.

Non ignorauit quid in Concilio Tridentino fecerint, quos hæreticos in suum Catalogum adscripserint. An erit nunc iniurioſum, quod eſt apud vos pium opus & politicum & Catholicum? An soli Romaniſtæ ſapient? Et noſter Magiſtratus ſuo populo non prouidebit ne venenum veſtrum hauriat? Iniurioſum non eſt, Duræe, ſed prudentiſſimum inſtitutum, & regere oportet principem, & ciues parêre: vbi leges ſalutares non feruntur, eſt Anarchia: vbi non obtemperatur, eſt confuſio.

Sophocles
Ἀναρχία γὰρ μεῖζον οὐκ ἐς τὰ κακὸν
Αὔτη πόλεις ὄλλυσιν ὧδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν

Macch. 1. c. 1.
Euſ. l. 1. c. 7
Euſ. l. 8. c. 3
Lex Germanica.

Malè factum eſt à vobis qui ſacra Dei Biblia legi prohibuiſtis, ſicut ab Antiocho, Herode, Diocletiano olim factitatum legimus. Piè autem & prudenter lege apud Germanos initio Reformationis cautum fuit, ne quis alium clam aut palam hæreticum vocaret, ne quis famoſis libellis aut picturis quenquam traduceret: & ſi quis vellet libros emittere, aut quid ſimile, prius eos quibuſdam ordinatis ad hoc legendos & examinandos exhiberet. Ignoráſne, Duræe, morem & conſuetudinem tuæ Ieſuiticæ Societatis? Ignoras exemplum veſtrorum Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, quibus hæc cenſoria interdicendi & damnandi poteſtas data eſt? Nos autem, vt ſcias certò falſum eſſe, quod incertis rumuſculis ad te perlatum eſt, neque Hardingi, neque Sanderi, neque Alani, neque Stapletoni, neque Briſtolij libros vnquam prohibuimus, imò plerique eorum libri apud nos denuò impreſsi in manibus omnium volitant, ſed non ſine Antidoto: vtinam ſibi inde & aliis pharmacũ peterent, & ſalutis ſuæ ac ſuorum aliquam rationem haberent. Admiſimus Patres

Patres hoſce, admiſimus alios, Thomam, Scotum, Magiſtrum veſtrum: nec victi ſumus tamen, nec capti: ſi excluderemus, tamen ſola Dei verbi panoplia tecti, victores erimus, aut ſaltem abſque illis, Dei gratia, ſalui eſſe poſſumus.

CAMPIANVS.

ADOLESCENTIBVS *nobis ita contigit, Ioannes Iuellus anteſignanus Calainianorum Angliæ, Catholicos ad Diui Pauli Londinenſium, incredibili iactantia laceſſiuit, innocatis per hypocriſin & imploratis patribus, quicunque intra ſalutis annum ſexcenteſimum clarniſſent. Accipiunt conditionem memorabiles viri, qui tum exulabant Louanij, ſummis licet difficultatibus propter iniquitatem ſuorum temporum circumſepti. Auſim dicere, tanto popularibus noſtris bono fuiſſe illam Iuelli aſtutiam, inſcitiam, improbitatem, impudentiã, quas ij ſcriptores feliciter expãderũt, vt vix aliud quidquam, memoria mea prouenerit Anglorum Eccleſiæ laboranti fructuoſius. Edictum continuò valuis appenditur, ne qui codices illiuſmodi legerentur, neue haberentur, quum tantis clamoribus propemodum extorti prodiiſſent: didicere quicunque negotium attigiſſent, Patres fuiſſe Catholicos, id eſt, noſtros.*

HVMFREDVS.

Replicatio ad poſtremam partem inductionis

Hæc noua ſectio eſt, & ad poſtremam Inductionis ſuæ partem deſcendit Campianus, vt teſtatum orbi faciat, non modò antiquos patres Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siæ Romanæ statum tueri, verùm etiam nosmetipsos, nescio quo pacto eandem causam collabentem subleuare. Sed vt veræ Antiquitatis subsidio illos esse destitutos multis hactenus perspicuum fecimus: ita nostra vel dicta vel acta vel testimonia illis minus patrocinantur. *Adolescentibus nobis ita contigit.* Quò plenior sit narratio, etiam suæ ætatis tempus denotat, in quo & sibi multum derogat, & orationi fidem omnem abrogat. Adolescens Campianus, imperitus, tyrunculus, de duorum veteranorum & fortissimorum Antagonistarum tanto Certamine aut cognoscere satis potuit? aut de victoria audacter pronunciare debuit? Vnusquisque bene iudicat, quæ bene cognoscit, sic voluit Aristoteles. Adolescens verò, eodem autore, non est idoneus auditor moralis Philosophiæ, nedum iudex Theologiæ. Hoc verè est quod Græci dicunt νεανίζεσθαι, iuueniliter & petulanter agere. *Ioannes Iuellus antesignanus Caluinianorum Angliæ.* „Hìc succurrit Diui Iacobi, „de lingua, pulchra oratio, Ex eodem ore procedit „benedictio & maledictio. Non oportet, fratres, hæc ita fieri. Nunquid fons ex eodem foramine emittit dulcem & amaram aquam? Quomodo vno globo, & vnius sententiæ complexione in virum doctissimum & beatissimæ memoriæ Episcopum Iesuita debacchetur, operæprecium est obiter inspicere: vt quanta sit huius linguæ petulantia & virulentia, quantus huius spiritus, qui tot maledicta eructauit, fœtor sit perspiciatis. *Iuellus antesignanus Caluinianorum Angliæ.* O miseros Anglos, ô infœlices nos, qui Deum Patrum nostrorum colimus, & Christi nomine tingimur & vocamur, eiúsque solius religionem sequi & profiteri ad extremum vsque vitæ halitum ex animo cupimus, nos Lutherani, nos in nomen Caluini,

Eth. 1.

Ioan. Iuel Ius Episcopus Sar.

uini, à nouis impositoribus nominum variè baptizamur: aliàs, Caluiniani, aliàs nisi malè intelligo, Marcionicaluinistæ, aliàs Lutherocaluiniani, nuper ab aliis vestris Caluinopapistæ nuncupamur. Iuellus eorũ antesignanus hoc loco esse prædicatur: hic Catholicos omnes incredibili iactantia lacessiuit: hic per hypocrisim patres inuocat & implorat: Iuelli astutiam, insciti am, improbitatem, impudentiã Louanienses isti scriptores fœliciter expanderunt. Potéstne hæc lingua adeò maledica benedicere? Potéstne hæc arbor aut oleas gignere aut ficus? Hæccine est mansuetudo sapientiæ quam requirit Iacobus? Sed istiusmodi spumas conuitiorum vbique euomuit hic Campianus, vt non liber continens rationes, sed libellus famosus dici meritò possit: contra Anglos & contra Protestantes quid non effutit? A nobis Biblia fœdissimè esse violata, Nos Ecclesiam, Concilia, Patres, Martyres, imperia, populos, leges, Academias conculcasse, nos illud ipsum Dei verbum delumbasse, nos hæreticos & sectarios esse: nostrum perpetuum in Scripturis exponendis ingenium, plenum fraudis esse, inane prudentiæ: nos nominum Commentarios auersari, Dei Verbum obscurare, Verbum Dei purũ putũ inclamare, omnia insidiosè, ineptè agere: nos facere Ecclesiam corpus aërium: nos hæreticæ factionis magistellos esse: tanquam ranunculos è cauernis coaxare: abhorrere à luce, sectam esse plausibilem, triclinijs quàm templis aptiorem: Caluinianos præscidisse septem Veteris Testamenti codices; ipsum Caluinum perfugam stigmaticum, Caluinum & alios esse hominũ quisquilias: Anabaptistas esse Geneuensium discipulos: Lutherum & alios peruersitatis & audaciæ accusandos, quosdam esse Lutheri catulos: Lutherũ petulanti lin-

Caluiniani.

In Epist. Dalmadæ ad G. Haddonum.

C. 3.

Rat. 1.

Rat. 2.

Rat. 3.

Rat. 4.

Rat. 1.

Rat. 1.

Rat.3. Rat.4. gna Euangelium Lucę perstrinxisse: Lutherum esse fraterculum: Lutherum infœlicem monachum incesto connubio votam Deo virginem funestasse, odium esse Dei & hominum: Petrum Martyrem & cum eo fœderatos peiores adulteris & sacrilegis habendos: Causæum esse terræ filium. Gallicanum Criticum: Zuinglium, Helueticum gladiatorem: Kemnisium difficilem Aristarchum,

Rat.3. Rat.4. Rat.1. Rat.4. ni caueris, repeliendum cum Arrio: eum Concilium Tridentinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegisse: Castalionem esse venereum furciferum: Postremò Nobilem illum Ioannem Hussium Bohemiæ præconem, perfidiosum & perstilentem fuisse, barbaras in Bohemia tragœdias excitasse. Scilicet hæc est Iesuitarum modestia: hæc charitas illorum, qui tamen vociferantur & expostulant, si quid veri à nostris dictum sit in illos acerbius. Sed illud odiosius & iniquius, quòd in Iuellum mortuum hæc nunc demum homo nouus Campianus confertim tot maledicta congerere audeat. Scribunt Asinium Pollionẽ iactasse aliquando, se parasse orationes contra Plácum, quas non nisi post mortem esset editurus, & Plancum respondisse, Cum mortuis non nisi laruas luctari. Hæc Ludouicus Viues ex Plinio.

In procem. Histo riæ mũdi. Sed quid narrat iste Chronologus & sui temporis Historicus Campianus? E suggestu Diui Pauli apud Londinenses incredibili iactantia pro concione Iuellum Catholicos omnes (sic enim dici volunt) lacessiuisse: & denunciasse, si intra sexcentorum annorum spacium post Christum natum, vel è Scriptura, vel ex Conciliis antiquis, vel ex Patribus solida firmamenta proferrent, & articulos quosdam suos hisce probatis, claris, certis autoritatibus roborarent, velle se dare manus, & tanquam victum canere palinodiam, Non est hæc

hæc iactantia, sed fiducia, non temeritas, vt placet Duræo, sed intelligentis & considerati hominis oratio, qui cùm & antiquitatis monumenta perlustrasset, & istius Romanæ religionis contraria fundamenta animaduertisset, cùm victoriam virtutis atque veritatis comitem esse non dubitaret, Iuellus tutò promittere poterat herbam se victori porrecturum. Iuellus non fecit temerè nec solus, sed legere poterat ea de re consensum hominum nostra memoria eruditissimorum, Melanchonis, Caluini, Brentij in Confessione Wirtenbergensi, & aliorum, qui hoc idem ferè in patribus obseruarunt, & qui Romanæ Ecclesiæ à vera Christi & Maiorum nostrorum religione defectionem in omnibus libris passim adnotarunt, licet alij eius apostasiæ initium ad annos sexcentos post Christum, alij ad mille, alij ad ætatem Apostolis vicinam referant, alij plures, alij pauciores assignent.

De Iuelli & Hardingi Duello

At Anglolouanienses, inquit, accipiunt conditionem, exules, & vt Durçus cõmentatur, *Hardingus solus ita hominis temeritatem palam fecit, vt meritò Campianus dixerit, vix quicquam sua memoria Anglorum laboranti Ecclesiæ fructuosius prouenisse.* Hardingus prostrauit Iuellum, hinnulus leonem? Campianus & Durçus commentator debuissent reuoluere sapientissimi hominis terribile axioma, Qui iustificat impiũ & condemnat iustũ, Pro 37. abominabilis est vterq; apud Deum: & illud propheticum, Vç vobis, qui dicitis malum bonum: & Ies 5. aliud Dauidicum, Disperdes omnes qui loquuntur mendacium. Non enim Hardingus superior fuit, non plures Christo quàm Iuellus lucrifecit. Poterat, non nego, tum aliquis quæstus fieri, poterant alij orationis lenocinio & blãditiis allici, alij spe & expectatione mutationis inuitari, alij

Pontificum bullis ac minis trahi, alij amicorum vel consilio vel autoritate commoueri: non quia Hardingi causa melior, aut autoritas maior, aut ingenium acrius, aut iudicium acutius, aut lectio intensior, aut memoria tenacior, aut scriptio splendidior: nam Iuellus Hardingum quantumuis peritum artificem in his omnibus omnium iudicio, qui vtrumque nouerunt, facilè superauit: sed quia illi Hardingi sectatores infirmi & corrupti fuerunt. Tertullianus, Hæreses apud eos valent, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit. Obiicitur itemum à Duræo, Nobiles & plebeios perlecto Campiani libello nostras fraudes vidisse, seque à prophanis nostris conuenticulis, ad Ecclesiæ Catholicæ sinum recepisse: vt iam verè id de Catholicis in Anglia dicere liceat, quod de Christianis olim Tertul. scriptum reliquit, Vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella. Nouum profectò & penè incredibile Duræũ Scotum, ex Gallia plus videre quàm nos in Anglia videre vel audire vel intelligere possumus. Si implent Papistæ omnia loca, Palatium, Castra, ipsum Senatũ & forum: nimirum misericors mater ELIZABETHA est, quæ tot degeneres in gremio suo fouet: videndum ipsis ne cum Serpente obsibilent, sed vt cum filio prodigo resipiscant: si non implent, fama mendax Duræum decepit. Nullæ profectò fraudes nostræ à Nobilibus animaduerti poterãt, quia nullæ fuerunt: simplex enim est semper veritatis oratio, sed fucos & fraudes & fallacias Hardingi detexit Iuellus, in Hardingi illius friuolis & vanis citationibus Apocryphis, in illius falsis patrib⁹ & fratribus, in illius obscuris homũculis, Abdia,

De præstig.

R. Elizabethæ pietas in impios.

Abdia, Hippolyto, aliis: in illius Decretalibus, in quibus Reuerendus Episcopus solœcismos multos, non tantùm contra Grammaticam (quam Papa contemnit, non minus quàm ille quantitatem syllabarum) sed contra veritatem, contra Theologiam aperit & refellit. De Primatu vnum argumentum ex Ambrosio venit in mentem, Damasum vocari ab eo Rectorem Ecclesiæ, quæ domus Dei & columna ac firmamentum veritatis à Paulo dicitur, ergo Damasus fuit caput totius Ecclesiæ. Ex stricta & curta Antecedente Ambrosij Hardingus elicit longam, & largam atque laxam conclusionem, Perinde ac si quis ita dicat, Timotheus debuit versari in Ecclesia, eámque regere, quæ est columna & firmamentum veritatis, ergo Timotheus fuit illo tempore, viuente Petro, viuente Paulo, caput Catholicum: nam illi hanc curam Domus Dei peculiariter demandauit Apostolus. Timotheus suam habuit Ecclesiam, Damasus suam, vt quilibet alius minister suam, vt vocant, Rectoriam. Itaque obseruent Nobiles illi & plebeij hanc generalem Notam meam de omnibus Hardingi & Iesuitarũ nostrorum ratiociniis, illos omnes gloriosè præludere, sed ineptè concludere, in præmissis aliquid, in applicatione ad rem institutam nihil dicere. Non enim istæ infirmæ rationes motum aliquem afferre possunt, nisi animis infirmorum. Si tamen verè de quibusdam conuersis per Hardingum vel peruersis potius scripsit Duræus, si ita Catholicorum plena sunt omnia, responsum habeat suo Tertulliano in Apologetico, ex Tertulliano in Præscriptionibus. Solent quidem isti Miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam: & Admiratorũ eorum seu Mirionũ quæstionem proponit, Quare illa vel ille fidelissimi,

Eras. in Colloq.

De prima tu Hardingi ratio.

Solutio.

1. Tim. 3.

Aduers. Hæres.

prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem (puta Romanensium) trãsierunt? Quæstioni subiicit hanc responsionem, qua Durẹus acquiescat. Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Si multi ergo Hardingum tanquam incantatricem Sirenem audiuerunt, & vno consensu omnes contra fidem verè Christianam & Catholicam concinunt, recordentur quid de tali consensione & Harmonia antè dixerim: reminiscantur auaritiam amare quandam vnitatem; repetant memoria Glossam, Etiam fornicatio vnum facit, vt quomodo in natura, sic in macula sint vnum. Si in Academia nostra, aut in vlla schola illa ratio de multitudine sequacium admitteretur, Christo Pharisæos doctiores & sanctiores putaremus, quoniam plures erant Pharisæorũ Proselyti, quàm Christi discipuli. Et signũ planè hoc est ruẽtis mundi, & collabẽtis vnà Ecclesiæ, cùm hominũ animæ Dei Scripturã tanquam Mannam abominantur & nauseant. Refrigesset enim in hisce nouissimis temporibus & charitas multorum & pietas. Et cùm in homine friget calor naturalis, de illo actum esse medici pronunciant. Hęc sunt tempora, in quibus sicut infantes vberibus, pueri pomis, senes deliris somniis: sic homines plures terrenis rebus & nugis delectantur. Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi Doctores, hi quibus aures pruriunt, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur. De magistris vobis, Duræe, similibus prædixit Spiritus sanctus, de veris autem Doctoribus tantùm non à maligno mundo contemptis semper Ecclesia conquesta est, tẽpore Iesaiæ,

Concentus absonus.

In 1. Cor. 6.

Multitudo sequaciũ mala.

Nausea Mannæ periculosa.

2. Tim. 4.

Omne

Omne caput languet, & omne cor mœret, A Iesa. 1.
planta pedis ad verticem vsque, nihil est in eo integrũ, & tempore Salomonis, queritur Sapientia in portis, in plateis, vbique clamitans, Vocaui Prou. 1.
& renuistis, manum meam extendi, & NEMO attendit. Causa in promptu est, huius seculi, horum temporum sub Antichristo, fastidium. Sed viderint isti contemptores, & de periculo imminente recogitent, quandoquidem Augustinus alicubi sapienter monuit, Sicut noxium est corpori corporeas escas non posse percipere: sic noxium est animæ, spirituales delicias fastidire.

Cùm tandem aliquando Hardingi libri prodiissent, *Didicere quicunque negotium attigissent, Patres fuisse Catholicos, id est, nostros.* Didicere quicunque attigissent? qui tandem? Dicam sanè, & planè, quicunque in sordibus gaudent volutari, odores aromatũ ferre non possunt, & quicunque Pharisæorum stercora pluris quàm bona vnguenta faciunt. Narrãt Venetiis fuisse quendam à sterquiliniis purgandis: eum aliquando iuxta Apothecam aromatum ambulasse & transiisse, sed derepente cecidisse mortuum: nec vnquam ad se & ad pristinum statum rediisse, donec stercora quibus assuetus erat, naribus adposuisset. Huc spectãt omnia, Trahit sua quemque voluptas, & plures illecebris blandientium pseudoprophetarum inescantur, quàm sanis Doctorum sermonibus ædificantur. Non hæc dico quasi vera credam, quæ prodidere Campianus & Duræus, quoniam expertus sum illa Iuelli cum Hardingo Monomachia simplices & verè sapientes multos ad Euangelium accessisse, Papismo renunciasse, & omnia illorum dogmata, tanquam reiectamenta & σκύβαλα habuisse, postquam diligẽter vtriusque partis argumenta vltrò citróque iactata legissent, &

Bernard. in Ser. 10.

Iuelli & Hardingi impar cõgressus.

contulissent. Atque hîc obnixè pero ab omnibus vt assiduè eam conflictationẽ aspiciant, in Iuello autoritatum pondus, lectionis varietatem, solutionum acumen, lepores & dicendi gratiam perpendant: econtrà in Hardingo argumẽtorum inopiam, verborum copiam, rationum vanitatem, testimoniorum paucitatem, obiectionum leuitatem, orationis acerbitatem, hominis morositatẽ considerent. Ausim affirmare, si populares nostri hac legendi assiduitate velint proficere, & æquas aures accõmodare, Domino cooperante, & conuersi confirmabuntur, & auersi lucrifient. Quicunque autem exitus futurus sit, Iesuitis omnibus denuncio eos frustra sudare, & ne hylum quidem proficere, & duram esse hanc illorum contra stimulum calcitrationem, vt est in Actis Apostolicis, Et si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet, vt idem expressit Poeta venustissimè.

Act. 9.26.

Plautus in Trucu-lento.

CAMPIANVS.

Laurent. Humfredus. In lib. de vita Iuelli.

Neque hoc sibi suisque vulnus inflictum Laurentius Humfredus tacuit: qui cùm altè Iuellum quoad cætera sustulisset, vnam ei notam asperſit inconsiderantiæ, quòd Patrum calculos recepisset: quibuscum sibi nihil esse commercij, nec fore, sine vlla circuitione proloquitur.

HVMFREDVS.

Plautus.

Hucusque pro aliis dixi, nunc quia de meo capite agũtur comitia, vt est apud Comicum, meas partes agere, pro meipso respõdere oportet. *Hoc sibi suisque vulnus inflictũ Laurentius Humfredus non tacuit.* Actius poeta rogatus, cur ipse causas in foro non ageret, cùm esset Tragœdiarũ scriptor peritis-

peritissimus, & argumenta splendidè tractaret, respondit in Tragœdiis dici quæ ipse vellet, pro nostris autem dici ab aduersariis quæ nollet. Ad eundẽ sanè modũ Puritanopapista Campianus, quælibet in quemuis iacit conuicia, tanquam aliquis nouus Tragœdus aut autor Veteris Comœdiæ, impetu quodam suo furiosè in omnes irruẽs, sed, Deo sit laus, adhuc vulnerãs neminem. Quòd si eam, quam toties iactauit, pugnam iniisset, & cominus cum Antagonista congressus fuisset, huius suæ tantæ vanitatis, insolentiæ, petulantiæ, audaciæ pœnas forsitã dedisset. Vulnus mihi & causæ nostræ & nostris inflictũ est? Quis vulnerauit? Hardingus: Quem? Iuellum: scilicet aquilã musca, elephantum mus, leonem hinnulus, Herculem Pygmæus, gigantem nanus, Cataphractum monogrammus, imò Deum homuncio. Talem enim esse Hardingum, humanis præsidiis solummodo armatum æstimo: Talem Iuellum diuina armatura cinctum & septũ iudico. Quod vulnus? Quod hinc & alii didicissent, & ego senserim, Patres non esse nostros, sed Catholicos, id est, Papistico s, ideóque hanc inconsiderantiæ notam Iuello asperserim, quòd Patrũ calculos recepissem. Etiam Duræus ait, Senfit hoc certè Humfredus, tanta hominum à vobis defectione deterritus. Non ego hanc defectionem vestrorum, Duræ, à nobis formidandam, sed si quæ fuit, ab omnibus piis miserandam arbitror. Qui defecerint, iam dictum est. Defecerunt aut pueri qui omni doctrinæ flatu agitari solent, aut cæci qui atrum & album, verum & falsum videre nequeunt, aut præfracti, qui velut canes vetuli iam sacris legum diuinarum loris nolunt assuescere. Horum oratio à Dauide expressa est olim: Dirumpamus eorum vincula, & lora eorum à nobis abiiciamus.

Psal. 2.

"Duræus tangit iterum noſtrum vulnus, Sed nun-
"quam ille profectò amiciſſimi hominis temerita-
"tem tam acriter reprehendiſſet, niſi oblatam ab
"illo conditionem non modò minus neceſſariam,
"ſed etiam Caluinianæ cauſæ prorſus perniciosam
eſſe vidiſſet. Cùm mihi amiciſſimum Iuellum nominas, ſcopum attigiſti: cùm me acriter illum amicum reprehendiſſe memoras, procul aberraſti. Egóne hoc non tacui? Egóne aliquam inconſiderantiæ labem homini ſancto & ſimpliciter ſapienti inuſſi? Egóne conditionem hanc oblatam ab eo, cauſæ Euangelicæ, quā ſtrenuè ſemper Caluinus defendit, & Iuellus tum fortiter ſuſtentauit, pernicioſam aliquādo vidi aut ſenſi vnquam? Si hoc non tacui, vbi opinionem meam ſignificaui? In vita Iuelli. Bene & nimis verè Clear-

Apud Athenæum

chus, Ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἐγίνετο βροτοῖς

Nil vſquam eſt homin, carpere quod nequeas.

Equidem meipſum condemnarem tanquam verè reprehenſione digniſsimum, ſi & amicum ſingularem, & patrem reuerendum, & Athletam fortem, & victorem illuſtrem reprehenderem. At

In vita Iuelli. fol. 212.

quænam eſt illa tanta reprehenſionis acrimonia? quæ verba? Cùm Iuelli & Hardingi Duellum deſcripſiſſem, ad Anglolouanienſes orationē conuerti, ne Romanæ ſedis Veneres nimis admirentur: ſed vt abiecto Rabiniſmo, ſuo cum Nicodemo in Chriſto renaſcantur. Quod hodie etiam atque etiam ab ipſis peto humillimè: ſubſtraui geminam baſim, vt inter nos optima pacificatio conſequa-

Cauſæ diſſidiorum & Pacificationis.

tur. Primam & ferè ſolam cauſam omnium contentionum & deformationum eſſe, Catholicam ſeu vniuerſalem à Scriptura ſacra defectionem, quæ hactenus diu & hodie paſsim, tanquam Equus Troianus intra Eccleſiæ muros nobis omnibus inſidietur: cauſam verò & fontem Chriſtianæ

ſtianæ concordiæ fuiſſe, eſſe, fore, ſolum Dei verbum. Dixi quidem Iuellum, qua erat multiplici doctrina, & heroico animo præditus, non modò ad Scripturas, ſed etiam ad tot annorum Centurias, ad ſextum vſque ſeculum, atque adeo ad illa priſca Concilia, & ad ipſos Patres, & ad totam illam antiquitatem prouocaſſe, & latiſſimum campum aperuiſſe, in quo ſanè ille excurrit liberius, ſed vobis maiorem anſam reclamandi & repugnandi præbuit: & vobis nimium largitus eſt, vobis plus æquo conceſſit, ſibi interim nimis iniurius. An videri cuiquam poteſt hæc oratio acris reprehenſio? Imò excuſo illum & laudo, quòd pugna difficilior ſit pulchrior: & mox cauſam cur ita fecerit, ſubiungo, Hoc ille volens non "
fecit, ſed tamen non abs re fecit, vt vos teſtimo- "
nio patrum veſtrorum quaſi enſe proprio confice- "
ret. De re ipſa & materia Exhortationis meæ ad aduerſarios addo, Satis erat Chriſtiano ſic dixiſſe, "
Sic dicit Dominus. Satis erat oppoſuiſſe, Veſtra dogmata Scripturis aduerſantur. Quæ autem mea ſit de Hardingo ſententia multis foliis dilataui, quoniam eum ex Italia reuerſum Proteſtantem noueram, & concionantem contra Papam & Tridentinum Concilium audieram. De vtroque vero, & Hardingo & Iuello, déque ipſa cauſa hæc attuli, Hardingi liber à multis emitur, recipitur, Hardingus quaſi alter Cæſar proclamans, Veni, vidi, vici, cum ſuis triumphat, ſed ante victoriam: non enim quæ probabilia ſunt, vera "
ſunt, & ſæpe vetuſtas, non eſt vetuſtas, ſed me- "
ra nouitas, &c. Paulò pòſt, Nondum ergo ſubſcri- "
bit Iuellus, nondum recantat, quod Hardingus "
voluit & ſperauit, ſed pergit nunquam fortius, è "
Scripturis, è Patribus, è Conciliis, hominis "
fraudes & fallacias conuincere, euulgata Refu- "

"tatione seu vt ipse inscribit, Replicatione, ex qua "perspicuum & testatum omnibus facit, veros & "priscos Patres ab eo corrumpi, detruncari, detor- "queri: Amphilochios, Abdias, Leontios, Mar- "tiales, Metaphrastes, fictos Basilios, &c. som- "nia esse, vanitates, nouitates, visiones, verissi- "mas impostura: coniecturas, fictiones solidè ni- "hil probare: paradoxa & contradictiones mani- "festè occurrere, ex dubiis firmam conclusionem "non sequi: Lunaticos, ægrotos, furiosos, fœmi- "nas, expiantes, vxorem Tertulliani, Serapionis "puerum, Monachos in deserto, Missas Iacobi & "Chrysostomi: Canones Conciliorum adulteri- "nos, Homeri poesim, digressiones, sophismata, "somnia, sanis viris non Theologica argumen- "ta sed puerilia nugamenta videri. Hæccine Iuel- li, an potius omnium rationum Hardingi succin- cta reprehensio existimanda? Postea cùm ipsos pugiles inter se commisissem, & suam cuique iu- stam laudem tribuissem: Hardingus, inquam, "quasi canis è Nilo lambitans hic degustat, illic su- "gitat, hìc summis labris attingit, illic se ingurgi- "tat & immergit, leuia argumẽta vellicat & mor- "cat, grauia præterit, planè dissimulãs, & omnino "cæcos parit oculos. Noster quasi robustus & "sciens venator illius omnia loca indagat, omnes "autoritates excutit & prosequitur, in singulis in- "hærens & insistens, nec solùm obiter quasi à limi- "ne salutans, & res tantùm leuiter & summa- "tim consectans, sed voculas quasque anxiè & di- "ligenter ponderans, quid sit Corpus, quid Pa- "nis, quid Liturgia, quid Missa, quid substantia, "quid natura, &c. Quorsum autem illud Campiani "æniγma?

Humfredus cum illis patribus sibi nihil esse commer- cium, nec fore sine vlla circuitione proloquitur? Sed quis

quis vnquam hoc tanquam à me dictum legit aut accepit? In Vita, inquiet fortasis, Iuelli hæc verba "sunt, Dæmoniacorum quæstio est, Quid nobis & Matth. 8. "tibi Iesu fili Dei? At Sanctorum interrogatio est, "Quid nobis rei cum Patribus, cum carne aut san- "guine? aut quid ad nos attinet, quid Episcoporum "pseudosynodi constituant, aut quid Papa è suo "Laterano blateret? Et Paulinum & verè Apo- "stolicum illud est, Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem iu- dicat me, Dominus est. Hoc me ibi inter alia scri- psisse fateor, & ad propositum faciunt, vt omnes lites nostræ ex sola Scriptura componantur, qui- bus subdo rationes meæ exhortationis. In scri- "ptis humanis hæc ferè sunt vitia, aut antiqua sunt "& serpentina, vt illa fuit in Paradiso Satanica "Euæ & Ecclesiæ deceptio, aut antiqua non sunt "sed adulterina, & falsò patribus inscripta, aut si vera sunt, non à se hanc autoritatẽ habent, sed à Deo mutuantur, &c. Postremò in Conclusio- ne, Quare sic positum & constitutum sit in Eccle sia Dei, in Templo & Tabernaculo, in Arca Noæ exædificanda, sicuti docet sacra Historia, non ni- si verbum hoc & præscriptum esse respiciendum, quicquid ille mendax & senex Propheta ad fal- lendum iuniorem Prophetam suggerat. Hæc ego aduersariorum importunitate coactus non si- ne molestia vestra, Academici, nec sine nau- sea mea inculco, qui non obstante amico & vero VVhitakeri de me responso, istam reprehensio- nis vocem à me nolente volente extorquere cu- piunt. De veris patribus quàm reuerenter ego senserim, testimonio esse possunt, lectiones, disputationes, conciones, scriptiones meæ quales- cunque: testimonio esse possunt mea in totum Au gustinum à me Basileæ correctum & recognitum

præfatio,licet sine meo nomine, & in Athanasio P.Nannii excudendo labor, & Cyrilli in Iesaiam versio. Quòd autem dicat me prolocutum, nihil mihi esse cum Patribus commercii, ex his palàm fit eum mendacem:& quòd addat nihil mihi fore cum illis commune,cùm id quod futurum est nesciat,impudentem & falsum vatem fuisse. Aliud in me deprehendit & reprehendit noster Copus, Cùm obiecisset Iuellus in Apologia Anglicana, sextum caput Ioannis de Eucharistia ab illis esse integrum omissum:cúmque iste regereret Ferrarium in Italia, & Perionium in Gallia huic Origeni interpretando operam dedisse, & tamen nihil tale in Græcis exemplaribus reperire potuisse:in me incurrit, Quod si,inquit, hæc ad depellendam à doctissimis illis viris omnem malæ fidei suspicionem, propterea quòd Catholici fuerint, Apologeticis satis idonea non videantur: domi consulant Laurentium Humfredum, qui biennio post editionem Perionii in Gallia,Origenis operibus Basileæ impressis præfationem suam adiecit, neque aut hunc locum suppleuit aut quicquam de nostrorum perfidia questus est. Et iam non cum Catholicis,sed cum illo expostulent, vel secum potius &c. Atque hîc percommodè accidit, quod Alanus Copus, quamuis in hac religionis causa aduersarius,pro me tamen contra Campianum dicit testimonium: Nam in ea, cuius ille me admonet,Præfatione ad Antonium Cauum generosissimum virum, Mecænatem olim meum, in Buckingamiensi Comitatu Pacis Dominæ Reginæ custodem vigilantissimum, & Iustitiæ apud suos administrum fidelissimum, sic de patribus verè & reuerenter scripsi ea, quæ me omni suspicione liberent. Inter cætera de Patribus contra eorum vituperatores, hæc mea verba

Copi Cauillatio in Dial.6.

Origenis caput 6 omissum sup. Ioan.

In Præf.ad D.Anto. Cauum.

ba sunt,Scriptura quidem sancta sui interpres est & optima & fidissima,tum ad doctrinam ac reprehensionem in dogmatibus,tum ad correctionem institutionémque in iustitia ac moribus,vt docet ad Timotheum Paulus vas Christi electissimum, vt integer sit homo Dei ad omne opus bonum instructus & perfectus: tamen Maiorum aut etiam aliorum interpretationes nolle legere, pertinaciæ est, non lectas conscindere & damnare,leuissimæ & dementissimæ crudelitatis: fastidire ac negligere,cum sacris literis coniunctas & consentaneas, superbiæ. In quorum tamen lectione aliquot limites obseruatione nõ indignos ibidem posuimus. Quòd autem Copus velit nostros Protestantes mecum expostulare, quippe qui in imprimendo & recognoscendo Origene, illud sextum D. Ioannis caput non suppleuerim, cùm id ad manum non haberem, neque Latinè neque Græcè, fortè pseudocatholicorum malitia sublatum,quî poteram? In ea tamen Editione auctarium quoddam superioribus accessisse memini:in qua Ioannis Euangelium Origenis commẽtario illustratum est, quem Ambrosius quidam Mediolanensis conuertit, & nos tum Origenicis libris adiecimus, & in vnum volumen cum aliis coniecimus: Quo tempore ego Origenis Dialogos tres contra Marcionistas nunquam antea editos, è Græco manuscripto exemplari ab Hieronymo Frobenio & Nicolao Episcopio nostræ Theologiæ & omnis literaturæ & religionis semper studiosis, beatæ memoriæ typographis tum Basileæ exhibito,in latinum sermonem transtuli, & ad locupletandum Origenem meum qualecunque minutum contuli. Emisi etiam Athanasii Synopsim à Wolfgango Musculo versam, nunquam antè impressam: quæ res meæ erga Patres

De Patribus.

Origenis Dial.3.cõ Marc.

voluntatis & studii testes esse poterunt. Si quid desit, suo tempore, Domino volente, accumulabitur, nisi Antichristi tenebrosum regnum impediat. Quid ergo criminantur? D. Iacobus Grynæus eundem Origenem nuper non sine accessione edidit. Quotidie labores sumunt Protestantes, & tamen licet Ecclesiæ Dei in Patrum monumẽtis publicandis quotidie prodesse studeant, Pontificiis tamen placere nunquam possunt.

CAMPIANVS.

PERTENTAVIMVS *etiam familiariter aliquãdo Tobiam Matthæum, qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum semina dileximus, vt responderet ingenuè, possétne qui patres assiduus lectitaret istarum esse partium quas ille suaserat: retulit, non posse, si pariter eos legeret, ipsq; crederet. Verissimum hoc verbum est, neque aliter, aut eum nunc, aut Matthæum Huttenum, qui vir nominatus in paucis, versare patres dicitur, aut reliquos aduersarios qui hoc faciunt sentire arbitror.*

HVMFREDVS.

PVTO vos, Academici, meminisse, quam metam sibi præfixerit Campianus, quò tendat eius oratio, nempe vt credamus patres omnes in totum papismo fauere: idque non veterum solum testimonio sed etiam nostris Confessionibus comprobari.

bari. Laurentius Humfredus sic scripsit, Tobias Matthæus sic dixit, Matthæus Huttenus sic sensit, & reliquos aduersarios suos, quicunque Patres versant, idem sentire arbitratur, ergo absque dubio sic est, Patres esse Catholicos & amicos Romanæ Curiæ. Hic vtroque pede claudicatur: Neque enim nos qui nominamur, neque alii quicũque Patres vtroque oculo inspexerunt, eos pseudocatholicam hãc Ecclesiam defẽdere vnquã aut vspiam affirmabũt: Deinde rametsi vnus aut alter aliquãdo aut alicubi ita sensisset, aut errore deceptus, aut affectu aliquo correptus, rametsi de aliis sic conceperit & collegerit Campianus, tamẽ nõ esset verum Cõsequens, ita rem se habere, vel de omnibus patribus quòd sic Papizarẽt, vel de omnibus nostris quòd sic crederẽt. Sed relinquamus dialecticam Campiani, & ludamus aliquãtulum, & hæc omnia quæ dicuntur, vera esse fingamus.

Tobias Matthæus. Argumẽtum Campiani.

Ex Particularibus enim exemplis & historiolis aliquas commonefactiones ad vtilitatem iuuenturis excerpere possumus. *Pertentauimus inquit.* Perinde quasi nunc etiam Oxoniæ in schola Duacena vel Romana, vel Rhemensi alterum pedem haberet, ita satis ingeniosè suum Iesuitismum meditari, artémque hanc profiteri incipit. Tentat, hæc enim est Iesuitarum laus non infima, tentare: imò *pertentat*, vt iam περὶ ἐξοχὴν illum Tentatorem magnum exprimere velle videatur. Qui *Tobiam Matthæum pertentare* voluit, etiã alios proculdubio tẽtauit: & nostros iuuenes Academicos, quãtum audent & possunt, quotidie sectarii isti pertentant. Sed quemadmodũ eorum hũc hiantem Dei gratia delusit Matthæus, ita vobis, optimi Iuuenes, faciendum & prouidendum, ne insusurrantibus auscultetis. Non ideo infœlix Matthæus quia pentatus dicitur, sed, Beatus vir qui suffert

Iesuitarũ proprietates & dotes.

, Pertentatio.

Iac. 1.

1.Cor.10. tentationem quamcunque, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et Dominus sic in suos est beneuolus, vt det vnà cum tentatione exitum. Itaque sicut Tobiam quondam Raphael, sic ego te, Tobia, alloquor, Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Sed tamen, ô fratres, tentatio aliquando periculosa est, Iesuitæ hamo piscantur & captant, sic olim tentator accessit ad Christum, sic eundem tentarunt Pharisæi, Saducæi, Legis Doctor: Scopulus latet hîc, si enatare potueritis, salui, si enauigare volueritis, perbeati eritis. Non militia solùm, sed tentatio etiam est vita hominis super terram: Et si vnquam, certè nunc verè euenit quod prædixit Ioannes Apocalypticus, Tempus erit tentationis, ad tentandum omnes inhabitantes terram. Quid hîc agendum nobis? tentanti ne cedamus, incantanti ne consentiamus: Respondeamus cum Christo, Quid me tentatis hypocritæ? respondeamus, Apagesis Iesuita, abi post me Satan, Est enim Satan quisquis est aduersarius. Imò oremus, vt Spiritus sanctus infirmitatibus nostris succurrat & opituletur. Sine Spiritu sancto qui ad pugnam vadit, citò cadit. Orate ne intretis in tentationem, Dicite, Pater ne nos inducas in tentationem.

Tob.12.

Exhortatio ad studiosos Iuuenes.

Matth.4. 16.22.

Iob.17.

Ap.3.

Matth.4.

Gloss. Luc.22.

Matth 6.

2.Familiaris tentatio.

Pertentasse se dicit familiariter. Hæc est secunda Iesuitarum propria dos, nimia familiaritas & hypocrisis. Callidus percontator esse voluit, vt beneuolus trucidator esse posset: vt quadam beneuolētiæ speciei summā perniciem machinetur. Nam vt modus est fictus amor, sic finis est funis & interitus. Hîc locū habet illud Oratoris, Nimium familiariter inimicitias exercet: quippe quòd insidiosa beneuolētia nunquā à simultate differat. Amice, dixit Christus Iudæ, & esse debebat amicus, qui

qui erat discipulus, sed ille Iudas amicus, Christum filium hominis parum amicè osculo prodidit.

Familiariter pertentat Tobiam Matthæum, qui dominatur in concionibus, quem propter bonas artes & virtutum semina dilexit. Tertia proprietas: Non piscículos minutos, sed lautissimos & optimos inescare & capere studet tum præposterus ille piscator hominum diabolus, tum ex Diabolo ista Puritanopapistarum Societas. Quò ergo estis vel meliores artifices, vel amantiores virtutum, eò maiore vobis opus est vigilantia. Dominatur quidem in concionibus D. Matthæus, quem non solùm propter ista semina virtutum diligo, sed vt bonum seminatorem verbi amo: vt filium charissimum amplector, qui sic nouit dominari in concionibus, vt neque fidei hominum neque clero Dei velit Papisticè dominari: sic dominatur, vt Christo eiusque Ecclesiæ fidelissimè seruiat: sic dominatur, vt Christianam doctrinam ex Scriptura & ex patribus grauiter corroboret, & Iesuitismum omnem vestrum acriter refellat: cuius virtutes alias magis eminentes & Theologo dignores, in dicendo artem, in docendo ordinē, in prędicando Iesu Euangelio diligētiam, si dilexissent Iesuitæ & sequi voluissent: quod doctoris esse debet, & suauiter & subtiliter & sedulò ipsam veritatē tradere & propagare in Ecclesia potuissent: & vt velint & possint, Iesum precor, cuius nomine præ aliis honorari cupiunt.

3.Proprietas.

Tentationis genus est quæstio, Alia Iesuiticæ scholæ proprietas: Quærit ab Eua serpens, Itáne dixit Deus, Non comedetis de ligno: Et quærunt à Christo Herodiani, Dic ergo nobis quid tibi videtur? Licétne Censum dare Cæsari, annon? Quærit hîc Campianus, *Possétne qui Patres assíduus*

Gen 3. Matt.22.

4. Quæstio.

lectitarot, istarum esse partium quas ille suaserat? Circumferûtur etiam manibus multorum chartulæ Iesuitarum referrę quæstionibus, responsionibus, casibus, captionibus, vt quærendo quos possint proselytos aggregent.

5. Mendacium. *Retulit, non posse, si pariter eos legeret illosque crederet.* Vltima proprietas, Vanitas, Falsissimum enim verbum hoc est, neque tunc ita respondit Matthæus, neque nunc id sentit, cuius rei mecum testis est tota Academia. Testis est ipsius ad nostrum Clerum Oxonienſem Concio Apologetica, ex Deuteronomio, Memento dierum antiquorum, considera generationes priscorum seculorum, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, senes tuos & dicent tibi: in qua de Patribus verè, de Iuello honorificè, de me suprà meritum, de Hutteno amicissimè prædicauit, de se ita, vt nobis omnibus suam innocentiam probauerit, aduersarij impudentissimam calumniam retuderit. Nondum enim obliuiscì possum, quod meminisse me debere intellexi, quomodo illo die obsignatis Tabulis cũ illo amico fraudulento Campiano egerit, quomodo omnes circumstãtias excusserit, tempus quando, locum vbi, testes, quibus audientibus hęc retulerit: & ipsi curioso percantatori ingenuè tam pro concione respondit, de religione, se neque hæreticas, neque schismaticas, neque Pontificias partes vnquam suasisse, sed partes summi Pontificis Iesu Christi & suadere, & inuitis dentibus & ensibus Papistarum omnium deinceps pro virili persuasurum: De Patribus, se habere vnum Patrem, Deum patrem, Filium, Spiritum sanctum, & Patriarchas, & Euangelistas, & quotquot horũ patrum germani sunt filij: De hoc facto seu dicto, cuius meminit Campianus, se prorsus negare. Et sicut quondam Æmy-

Æmylius Scaurus à Vario quodam pro concione proditionis accusatus, simpliciter & breuiter dicebat, Varius dicit, Scaurus negat: vtri creditis? sic noster, Edmundus Campianus Iesuita dicit, Tobias Matthæus Christianus negat, vtri creditis? Nec solùm hoc dixit sed iurauit, testans beatam Trinitatem, Patrem Creatorem, Iesum filiũ & vindicem & Iudicem omnium, Spiritum sanctum Paracletum, quantum recordari & meminisse poterat, eam de Patribus responsionem sibi nunquam vel seriò vel simulatè excidisse. Vos appello, Oxonienses, ánnon hæc fuerit tum iniusti criminis iusta depulsio, & vera sui defensio? Quare sic existimo Campianum alios tentatione hac aggredi potuisse: nos verò tres, quos aliquid esse putauit, aut nominatione hac prouocare, aut lingua percutere voluisse.

Matt. Hutenus. Nam hac quoque de causa illum credo mentionem iniecisse Matthæi Hutteni quondam mei in Prælectione Theologiæ socij, nunc dignissimi Eboracensis Ecclesiæ Decani, qui vir eiusmodi est, ea grauitate, eruditione, autoritate, vt contra istos Iesuitas omnes meritò ad hunc congressum euocari posset. Nam qui autoritatem Scripturæ supra Ecclesiam, eminentiam principum supra Pontifices Cantabrigiæ coram Regia Maiestate egregiè defendit, qui in prælectionibus Scripturæ & Patrum testimonio religionem nostram validè & sæpe propugnauit, illéne istarum ranarum è Romanensi lacu coaxationem reformidaret? Nunquam defugimus verorum patrum autoritatem: ideoque & Campianum hæc confinxisse, & vnà cum illo Bristolium erraſſe cõcludo: cuius est eadem vanissima assertio, in familiari colloquio Protestantes confiteri patres omnes esse Papistas, & nos putare, non esse necessariũ illos citare. Semper hactenus citauimus,

Bristolij simile cõmentum.

& pro illis optimis Dei instrumentis & Ecclesiæ ornamẽtis immortali & sempiterno Numini gratias agimus: & ego veniã ab eo suppliciter & à bonis omnibus ardenter peto, quòd eos sæpius quàm vellem, aut quàm necesse est, citauerim, maximè vt os loquacibus obstruatur.

SATIS clarum & planum esse arbitror quemadmodum isti de nobis omnibus, nõ vt oportuit, sed vt libuit, fabulentur. Dediscite, ô Iesuitæ, illud vestrum Mentiri: discite de causa nostra & de nobis vera proloqui. An nescitis legem, Non
Exod.20. loquêris contra proximum tuum falsum testimonium? An nescitis illud Salomonicum, Iaculum
Pro.25. & gladius & sagitta acuta homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium? An
c.14. nescitis, Testem falsum non fore impunitum? Discite veritatem nobiscum & loqui & prædicare. Nihil est ad defendendum, synceritate tutius, nihil ad dicendum, veritate facilius.

CAMPIANVS.

Hactenus ergo securus in hanc aciem potui descendere, bellaturus cum iis, qui quasi auribus lupum teneant, æternam causæ maculam cogantur inurere, siue recusent patres, siue deposcant. Nam in altero fugam adornant, in altero suffocantur.

HVMFREDVS.

SI Campianus magis solicitus & minus securus in hanc aciem descendisset, meo iudicio, fortius pugnasset, prudentius fecisset, & fœlicius peregisset. Verè enim accidit quod dictum est verissimè, Vbi maxima est securitas, ibi maximũ est periculum. Nos lupum auribus non tenemus, sed in lupos Iesuitas (malo & nostro & suo) non semel incurrimus, quos Deus pro sua immensa misericordia in bonos pastores conuertat. Non tenemus lupum auribus: patres si dimittimus, quandiu verbum Domini manet, tamdiu permanebimus & nos atq; stabimus: si admittimus, causa non cademus, nec vllam vel causæ vel nobis maculam inuremus.

Sed Campianus, quia lupi illum videre priores, ideo coactus est obmutescere. Quis enim mutus non sit contrà loquente veritate? Nec in recusando Patres fugam adornamus, nec in deposcendo Patrés suffocamur. Quod vtrumque confirmo, & ex hoc fundamento Campiani de Patribus contra illum pro nostra Religione sic decerto.

RECVSARE interdum Patres non est fuga, sed virtus, nõ timiditas sed prudentia. Virtutis enim est velle sequi & probare meliora, prudentiæ est ea posse diiudicare & dignoscere. Superius dictũ & demonstratum est, patres suos nævos habuisse, suis morbis laborasse: quod & ipsi patres de aliis & de se confitentur & conqueruntur: Hieronymus de Origine & Tertulliano: De se Augustinus, & de aliis suis multis Maioribus, Multa esse quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari: contra se testimonium dicit, Propositum sibi non esse, vt seipsum in omnibus verum demonstret, libro secundo De Bono perseuerantiç: idem de Cypriano. Hieronymus de Clemente Papa, Eius Epistolam veteres reprobasse, disputationé Petri & Appionis Eusebiũ libro tertio Ecclesiasticę historiæ coarguisse. Idẽ de se ad Heliodorũ,

Criminis Reiectio in aduersarios, & de Patrũ næuis confirmatio ex patrib.
Hier. ad Tranquillinum.
Aug. de vnico Bapt.
Hier in vita Clementis.
L. Eccle. H. 3. c. 14.

quòd pro ætate luserit Rhetorum studiis calentibus. In se etiam iudex seuerus est Basilius. De Eustathio Ecclesiæ Sebastiæ in Armenia præsidente Sozomenus ait, illum præ nimia diligẽtia & cautione in absurdas & omnino ab Ecclesiasticis legibus discrepantes obseruationes incidisse. De Papia & Irenæo Eusebius. De Eusebio Cæsariensi & Origene Hieronymus: de Ambrosio idem, Eius omnes penè libros Origenis sermonibus plenos esse, & alibi licet à nomine temperet, eum taxare videtur vt verbis ludentem, sententiis dormitãtem, denique Græcorum plumis sese vẽditantem: cuius etiam meminit Erasmus in sua Nuncupatoria. De Tertul. iterum sic Trithemius, Tandem in errorẽ Montani dilapsus dicitur, propter quod eius opuscula inter Apocrypha computantur distinctione decima quinta, Sancta Romana. De huius Tertulliani erroribus Beatus Rhenanus in præfatione ad Stanislaum Episcopum & alibi scripsit copioscè. Quid? quod ipsi Pontificii recusarunt Patres, & suorum quoque Maiorum pudenda reuelarunt? Pighio non placet Augustini opinio de peccato Originis: sed & omnium non modò aduersariorum, verumetiam Catholicorum in Schola receptas sententias redarguit: atque hoc nomine malè audit apud suos Catholicos: nec etiam placuit nostris Rhemensibus, quem vt linguarum imperitum non censent esse allegandum, vt in 16. c. Matth. eorum nota indicat. Nec ipse Clemens placet Petro Crabbe. Melchior censet patres in his quæ pertinent ad fidem errasse, homines esse, sic cum delectu & iudicio legi debere, vt fidei nõ dominentur. Trithemio non placuit Ioannes Duns Minorita, Alexandri Alensis Anglici quondã auditor Parisiis, qui eum Profundum dicit, eiúsque scripta paucis

Epist. 77.

L. 3. c. 39. Ad Minerium & Alex.

In Apol. aduers. Ruffin.

Aduersariorũ de Patribus maligna Censura.

In cõtro. de Pecca to Orig. Pet. à Soto de nat. & grat.

fuisse penetrabilia. Bertramo Patri & antiquo scriptori non modò detraxerunt Patres Noui Tridentini, sed etiam in Catalogo hæreticorum numerarunt. Hieronymo obtrectauit plurimum Augustinus Steuchus in libris Numerorum & Deuteronomii, vt alibi ostendimus. Hieronymo & Augustino Bernardinus obstrepit, Quandoque, inquit, bonus dormitat Homerus: & de omnibus inquit, Non ergo omnes sanctorum opiniones tenendæ sunt, quia aliquando errant. Quid multis? Hieronymo dicente Baruchum nec legi nec haberi apud Hebræos, contemptim respondet Duræus, *Quid tum postea?* Quinimo ipse suis iniquissimi sunt. Alius Petro de Soto, alius Catharino, Durçus nuperrimè Caietano, ex quo illud cõmune nũc effugium nostrorum Anglorhemẽsium discimus, Si quid illi pro nobis dicant, esse illud priuati hominis iudicium, non Catholicæ Ecclesiæ. Displicet videlicet Duræo Caietani de libris Machabæorum sententia, Quare subdit, Sit in carne multo quàm decebat arrogantius locutus. Quod ante nos Ambrosius Catharinus, & Melchior Canus, eiusdem licet ordinis homines, censuerunt. Neque verò hoc adeò mirandum. Patres & suorum scriptorum autoritatem proculcari, cùm etiam de libris sacris, quos multi eorum pro Canonicis habere consueuerunt, non peramicè loquantur. Quid ergo nostrorum censuram de Scripturis Apocryphis damnant, cùm Duræus loquatur. Duos Esdræ libros posteriores in Canone non numerari, quia nunquam hos inter Canonicos Ecclesia recepit? cùm Gregorius Pontifex Romanus libros Machabæorum non recipiat? Breuiter isti in causa fuerunt, cur tãto tempore Patrum nomen honórque obsoleuerit, cur eorum libri in puluere situque neglecti

Aug. Steuchus.

In prima parte Sent. 8. de Concep. Mariæ.

Duræus.

In Cont. V. Vbin. Ratione primæ.

Cathll. Cæi. Cãn. Melch. Canus lib. 12. loc. tituo. c. 11.

In Præf. oper. Hiero.

iacuerint. Extat querimonia Erasmi ad Guilielmum Warramum Archiepiscopum Cantuariensem, cuius summa hęc est, Cùm Episcopi prophanam ditionem magis, quàm ab Apostolis traditũ docendi munus amplecterentur, mox vniuersam docendi prouinciam in istos quosdam, qui Charitatis & Religionis cognomen hodie ceu peculiare sibi vendicant, esse relegatam, pro Clemente, Irenæo, Arnobio, Occamum, Durandum, hisq; indoctiores in scholis legi cæpisse: iam ad sophisticas argutias, ad Summularios & collectores ac excerptores rem literariam contractam fuisse. Causam mali hisce verbis attingit, Hoc nimirum impudentiores, quo minus habebãt eruditionis. Malum ipsum sic concludit, Proinde veteres illos facilè antiquari passi sunt &c. Ex illis vtcunque decerpta quædam suis Commentariis admiscuerunt. Hæc ita esse facilè intelliget quisquis Gregorij, Bedæ, Augustini Homilias & rhapsodias in templis non tam distinctè recitatas quàm imperitè cantillatas audiuit. Hoccine est filiorum officium erga patres? Hiccine honor quem illis defe runt? obsibilare, oppedere, probare quędam, improbare multa, truncare, antiquare?

Sine Papa Patres nulli sunt

Sedenim aliud animaduerto facinus istorũ indignum patribus, se dignum: quòd nullum patrẽ in suo foro sententiam dicere, aut vocem edere permittant, nisi ex Papę autoritate prætoria & moderamine: ita vt omnis eorum gloria, doctrina, antiquitas, autoritas succumbere & cedere

D.15.

Romano Tribunali debeant. Ita decretum est à "Gelasio, Item opuscula atque tractatus omnium "Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à Sanctę Ro "manæ Ecclesię consortio deuiauerunt, nec ab eius "fideli prędicatione seiuncti sunt, sed communio- "nis, gratia Dei, vsque ad vltimum diem vitæ suę parti-

participes fuerunt, legenda decernimus. Ita prouisum est sapienter, vt patres esse pattes non possint, nisi Patri Papæ, nisi meretrici Romæ ancillentur, nisi omnes patres vni omnia assentiantur. Hoc Euge accinit Eugenio Papæ bonus alioqui Paparum Censor Bernardus, Tibi data est omnis potestas, in qua qui totum dicit, nihil excludit. Blanditur & Baldus, Papæ maiorem esse potestatem quàm Sanctorum omnium. Sic assentatur Stephanus Archiepiscopus Patracensis coram Papa Leone Decimo, Euge Papa Hierarchicus vir, in cœlo Ecclesiæ, in quo est omnis potestas supra omnes patres tam cœli quàm terræ. Euge aliud habet Duræus, Papæ tribunal in terris esse supremũ, ad quod omnes de Religione controuersiæ finirentur. Nimirum hoc olim norunt sibi statutum, quod nullus Duræus audet transgredi, Norunt dictum, Quoties fidei ratio ventilatur arbitror om- " nes fratres nostros & coepiscopos non nisi ad Pe " trum, id est, ad sui nominis autoritatem referri debere. Norunt scriptum, Contra Papæ autoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Doctorum suam sententiam defendit. De contemptis patribus adeóque suis Canonibus, Graua- men vetus est Germanorum: Patrum Canonibus, sancitum esse, vt spiritualibus ac manifestis peccatis spiritualis pœnitentia imponatur, vnde non pecuniæ lucrum sed animarum salus quæratur. At quid faciunt Ecclesiastici Iudices, quid Officiales in Romana Curia? Hanc Pœnitentiam sic aggrauant, exasperant, augent, vt laici, antequam eam satisfactionum molestiam subire & pati velint, cogantur quouis precio suam libertatem redimere, & ab ipsis sibi immunitatem cõparare. Quicquid ergo de patrib. quicquid de Ecclesia, quicquid de Cõciliis, quicquid de Scriptura ipsa præ-

In con. Later.

Cont. VVhitak. Rat. 2.

24. q. 1. c. Quotiescunque.

Ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

texant: omnia Romam referenda, omnia ad hoc centrum reuoluenda, omnia decisioni Papæ committenda euidentissimè iamdiu constituerunt. Sunt ergo mangones & corruptores Patrum, vt in aliis omnibus Rationibus Campiani, hactenus eos impostores & reos esse conuicimus. Patres patres in ore habent, sed ad lectionem Patrum fastidiosas aures afferunt, vt ea tantùm quę placent, & sibi prosunt, & quæ rem Romanam amplificat, velint audire.

Ex cõsensu Patrũ nostrę sententiæ assertio.

Qvo autem dilucidius fiat, nihil esse iam dictũ à nobis quod non sit prius dictum à Patribus, etsi id ex superiore Tractatione rationum satis perspicuum est: tamen sicut Elenchicè omnia Campiani argumenta hactenus obiecta dissoluimus, sic didacticè ex hac quoque radice & Ratione eius, Patrum nobiscum consensionem in grauissimis doctrinæ capitibus breuiter significemus. Atque hac lege & conditione triplici paciscar cũ aduersariis. Si Patres intelligunt Diuinos, & verè ac propriè nostros Patres, Sacræ Scripturæ autorem Deum, eiúsque prophetas & Apostolos: illi omnes eunt in nostram sententiam. Hinc Campianus non contentus illa sua prima Ratione, Sacrarum literarum autoritate, in qua sola conquiescere & commorari non audebat, alias suas ratiunculas tanquam supplementa adiunxit. Pulchrè Tertull. Aufer hæreticis, quę cum Ethnicis sapiũt, vt de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.

Patres esse omnino nostros.

1. Patres propriè.

De Resur. carnis

Sin autem secundum legis formam & sententiam os duorum aut trium testium interrogare voluerint, eam quoque conditionem accipimus. Quæ est enim nostræ Religionis particula, quis doctrinæ articulus, in quo non habemus tres antiquissimos Patres aut plures nobiscum

2. Patres ex legis acceptione.

cum amicè conspirantes? Siue de Missæ sacrificio, siue de precibus pro defunctis, siue de vera Dei solius adoratione, siue de primatu, siue de purgatorio, siue de aliis disceptetur. Quod luculentissimè probauit contra Hardingum noster Iuellus, si quis non negligenter eius scripta velit legere, iisque attendere.

3. Patres ex sensu Catholico Aduer. Hæreses.

Tertiò est alia via indagandi veritatem tutior & certior, Vincentii præscriptio, ad quam si adstringi velint, præfocari eos & iugulari est necesse sum. Ea est huiusmodi, Patres non admitti nisi eos qui sanctè vixerunt, docuerunt, permanserũt, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo fœliciter meruerunt. Quibus tamen, inquit, hac lege credendum est, vt quicquid vel omnes, vel plures vno eodémque sensu manifestè, frequẽter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo ratóque habeatur: quicquid verò, quamuis ille sanctus & doctus, quamuis Episcopus, quamuis Confessor & Martyr, præter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sentẽtię autoritate secretũ sit. His alias addit Cautiones notatu dignas, Primùm hanc antiquam sanctorum Patrum consensionem nõ in omnibus Diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regula nobis esse sequendam. Deinde nõ semper, neque omnes hæreses hoc modo impugnandas esse, sed nouitias recentésque tantummodo: cùm primùm scilicet exoriuntur, antequam insalsarint vetustæ fidei regulas, ipsius temporis vetentur angustiis, ac priusquam manante latius veneno Maiorum volumina vitiare conentur. Cæterùm dilatatæ & inueteratæ hæreses nequaquam hac via adgrediẽ-

Vincentij regulæ & cautiones

dæ sunt, eò quòd prolixo temporum tractu longa ijs furandæ veritatis patuerit occasio. Si hac lege teneri & constringi se paterentur, facilè omnis illa Papatus fabrica labefactaretur: Subscribere videtur nostro Vincentio Melchior Canus, Sanctorum patrum omnium communis sensus certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Itaque sicut in Regula conuenimus: ita si eam nobiscum sequerentur, quàm mala sit eorum causa, quàm infirmis rationibus sustentetur, ilico pateret. Exempli causa, De Communione sub vtraque specie, nos multas autoritates Patrum ante oculos, omnium constituimus: hîc verò quis verus sensus, quis plenus consensus, eorundem pro mutilata Communione afferri poterit? Dicimus omnes Patres ætatis primæ ante annum sexcentesimũ Christi in Cœna carnalem præsentiam negasse: spiritualem participationem corroborasse: nullã Trãssubstantationem posuisse, nullam vagam Corporis Christi omnipresentiam asseruisse. Dicunt hoc Patres: isti ostendant ex euidentibus locis contrarium. De autoritate, perfectione, claritate Sacræ Scripturæ, de Primatu Papæ, de vero solius Dei cultu, de licito ministrorum coniugio, de populari lingua in sacris retinenda & aliis grauissimis Quæstionum Theologicarum punctis, habemus Patrem concordem sententiam. Demonstrent illi pro suo papatu, Sanctorum Inuocatione & adoratione, pro cœlibatu Sacerdotum eandem Vniuersalitatem, antiquitatem, consensionem. De sola fide iustificante extant Patrum firmissima Testimonia, Origenis & Ambrosij multa, in Epistolam ad Romanos, Hilarij in Matthæum & alibi, Hieronymi in Epistolam ad Galatas capitibus primo, secundo, tertio, quinto, sexto: Hesychii super

L. 7, t. 3. Exempla consensus nostri cũ patribus

Commu-nio.

Cœna.

Scriptu-ra, &c.

Iustifica-tio.

Orig. l. 3. Amb. ad Ro. n. c. 3. 4.

Can. 9. Hes. c. 2.

super Leuiticum, Chrysostomi ad Romanos, Augustini contra Pelagianos in multis operibus, Theophylacti in Matthæum capite primo, ad Romanos capite quarto, ad Galatas tertio, secunda Thessalonicensium secundo, Glossæ Ordinariæ in Iacobum capite secundo, Haymonis, paucis omnia perstringentis, Sola fides saluat: & aliorum tam Latinorũ quàm Græcorum, quæ omnia non est huius instituti repetere: quoniam ea fidelissimè, & accuratissimè nostri anteà collegerunt. Qua suauissima doctrina Christi meritum illustratur, mens tranquillatur, omnes superstitionum scrupi ex animis eximuntur, hominum superbia deprimitur, Infernalium portarum tyrannis pessundatur, Papæ omnis negotiatio in terra, in cœlo, in purgatorio, per exequias, Missas, Indulgentias, tollitur. Congrediantur omnia Iesuitarum seminaria, collatis capitibus hunc consensum Catholicum ex patribus verè doceant, apertè monstrent, solidè confirment, penes veritatem, apud quoscunque ea reperitur, sit victoria. Sed hîc cogor rursus ex Vincentio nostrorum obstinationem deplorare, Et post hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœlestium molibus non succumbant? tantis ponderibus non fatiscant? tantis malleis non conquassentur? tantis postremò fulminibus non conterantur? Nostra enim loca ex Patrum monumentis ipso sole clariora sunt, in ipsius rei medullis insita & infixa: illorũ loca nullorum argumentorum sedes sunt, loca sunt, sed remotissima, quibus receptaculis non possumus nec debemus nos committere. Videntur argumenta, non sunt, quæcunque de iustitia operum aliisque dogmatibus in suis Enchiridiis atque

Haym. Gal. 5.

Vinc. ad-uers. Hæ-reses.

Locis Communibus confertim aceruarunt. Vulgatum & verum est, Non omne quod rutilat aurum est: imò fraudulenti trapezitæ pro auro aurichalcum supponunt, aut potius argento diuino scoriam admiscent. Multorum celebrium Doctorum consensus non ex foliis aliquot aut fragmentis, sed ex iustis eorum voluminibus petendus est: nec illi subdolè discerpêdi, nec falsò citandi, nec malè exponendi, nec soli adducendi sunt, sed verè, simpliciter, integrè, quatenus etiam veritatem verbi, atque analogiam fidei comitem seu verius ducem habeant. His legibus tanquam vinculis si Pôtificij alligarêtur, tot Patrũ autoritatib. suas paginas nõ perspergerent. Nõ habent Patres eos quos suos esse iactant: in quo non minus insaniunt quàm ille Thrasilaus apud Athenæum, qui cùm nullam possideret nauiculam, quotquot tamen naues in portu Attico conspexisset, eas omnes suas esse homo phreneticus dictitabat. Talis est Thrasonismus, talis Phrenesis nostrorum Romanistarum, & eò maior, quòd se omni patrũ præsidio destitui vident, & dissimulant.

Pôtificius est Thrasilaus & Thrasõ.

Dominvs Iesvs, cuius nomen præ se gerunt, illis mentem det optimam, & sensus omnes aperiat, vt videant quæ sunt veritati consentanea, sibi vtilia, Ecclesiæ salutaria. Testis est mihi Deus, quomodo eos omnes cupiam in visceribus Iesu Christi. Liceat enim quæso sine nota arrogãtiæ his Pauli verbis affectum meum erga illos exponere. Si placui, imò si profui, gaudeo, & autori bonorum omnium Deo gratiam habeo maximam: si alicubi per oscitantiam erraui, admoneri desidero: si quenquam per imprudentiam offendi, doleo: si nihil proficio, quia tamen animi bene volentis significationem edidi, & eius rei Deum conscium habeo, nunquam pœnitebit.

Phil. 1.

Si

Si cui diligentia medicinæ impensa non prodest, sufficit ad rationem Deo reddendam, quòd non cessauit impendi. Atque hæc de quinque primis & præcipuis Rationibus dicta sint.

Aug. l. 1. cõt. Crescõ. Gram.

De Rationibus Campiani mea Conclusio.

Omnia sunt hominum, Ratio, caro, fabula, fumus:
Sola bona est Ratio Relligiosa fides.

Summa dictorum omnium est vnicum dictum præclarum Iuonis Episcopi Carnotensis, proiecto ad pedes Alexandri tertij libro Decretorum.

Recurrendum est magis ad Testimonium & legem diuinam, vt ex ea alleges, vel ex æquitate manifesta, vel viua Ratione probes, quibus nullius vnquam autoritas potest refragari.

Pet. Cantor Parisiensis in l. de Verbo Abbreuiato.

LOCORVM COMMVNIVM ET RERVM PRÆCIPVARVM INDEX.

A.

Absurda in reali præsentia Christi. Pag.353
Actius poeta. 942
Admonitio ad Greg. 13. ex Leone. 670
Aduersarii recedũt ab Heb. Græcis, & interdũ à suo Latino exemplari, & ab Hieron. 670
Aerius. 502
Æqualitas Romanæ & aliarum Ecclesiarum. 674
Alleluia quid Papisticè & Barbarè. 437
Altaria, eorum vsus, materia. 907. Inuentor. 909
Ambrosius detruncatus. 429
Amen. 318
An semper plures sint prudẽtiores paucioribus. 725
An maior sit Ecclesiæ quàm Scripturæ autoritas, quæstio friuola. 787
Anglorum religio ab Apostolis. 574.575.576
Anglorũ Apostolus non est Gregorius primus, nec Augusł. 917
In Anglia plãtatio religionis. 917
Anglicana Ecclesia recipit libros omnes Canonicos. 225
Angloiesuitæ. 424
Anglorhemenses. 430. 459. 554
Anglorhemenses censores Augustini. 958
Antiquitas. 358.359.632.890
Antonius Cauus. 948
Antonius Eremita. 910
Apocalypsis Ioan. 282
Apocryphum quid. 246
Argumentum ab Ecclesiæ autoritate. 443
Argumentũ ductum à multitudine cuiusmodi. 732
Argumentum à Templo Iudaico. 924
Armacanus coniugatus. 577
Armenii. 569
Assertio nostræ religionis ex Patribus. 960
Athanasius corruptus. 428
Athanasius Papismo inimicus. 911
Athanasius nothus. 912
Athanasii Epistola ad Feli-

cem. 464
Auguſt de ſe, & Cypriano. 957
Aug. monachus in Anglos durus legiſlator. 709
Auguſt. monachus ſuperb⁹. 918
Auguſt. Steuchus. 317
Auguſt. Steuchus Cenſor Hieronymi. 979
Auguſt. de purgatorio & aliis vacillatio. 776.
Auguſt. regula & diſtinctio 885
Ex Auguſt. & Patrib. multos diuerſè colligere. 779
B.
Baptiſm⁹. 362.363.369.370.371
Baruchus. 246
Baſilius de ſe. 958
Beatus Rhenanus de Tert. 958
Berengarius. 507
Berengarij argumenta de Euchar. 507
Berengarij recantatio coacta. 509
Bernardinus. 341
Bernardinus de Patrib. 959
Bernardinus de Veneto ſemimortuo aromatib. 941
Beza. 499.501
Beza defenſus. 848
Biblia combuſta, prohibita ab Antiocho, Diocletiano & à Romaniſtis. 302.
Biel & Magiſter dubitãt de modo conuerſionis in Sacramento. 357
Boetius. 477
Bolſecus. 498
Bonifacius ſocius. 255
Briſtolij commentum. 955
Bulla Pauli tertij. 714
Bulla Pij Quinti. in præf.
Bulla cauſa Bellorum. Ibid.
C.
Caluinus. 464.484.495.496.497.584
Caluinus de libris Canonicis in Rat. 1.
Caluini de cœna explicatio ſyncera. 851
Caluinianorum nomina. 935
Calumnia Papiſtarum. 295
Campianus Campanus. 244
Cãpianus callidus mus. 638
Campianus Diaconus Gloceſtriæ. 734
Campianus cõuiciator. 936
Campianus Puritanopapiſta. 943
Campianus diſertus, inconſtans. in Epiſt.
Campiani feſtinatio præpropera. 419
Campiani riſus intempeſtiuus. 522
Cãpiani lapſus triplex. 849
Campiani mors Martyrium quale in Epiſt.
Canonici libri. 232

Cantica Salomonis. 279.280.281
Carolus Quintus. 731
Catholica communio ex patrib. 903
Catholici olim qui. 502
Catholici nomen. 893
Cauſæus de Dionyſio Areopagita. 797
Cenſuræ defenſor de Caluino. 496
Cephas caput. 677.895
Chriſma Sylueſtri inuẽtum 905
Clemens 5. Papa. 456
Clemẽs Papa illiteratus. 731
Clemens Alexandrinus. 807
Cœna. 507.508.509
Cœnæ verba. 289.290.291
Ex vero ſẽſu verborũ Cœnę 3. vitari incommoda. 355
De Cœna ſenſus verborum Chriſti. 353.354
De Cœna patres. 359.360. 361.362, &c.
De Cœna Domini Bertramus. 585
Contra Cœtus occultos. 471
Communio. 554
Cõmunio ſub vtraq; ſpecie. 554. à tempore Apoſtolorũ 555. & deinceps.
Concilium Carthag. 255
Concil. Chalcedonenſe. 665.
Concil. Chalc. cogit Marcianus Imperator. 665
Concil. Chalc. de Monachatu. 702.703
In Canone Con. Chal. 2. errores. 705
Con. Conſtantinop. non cõfirmari primatum. 671.678
Conc. Epheſinũ. 677.678.679
Concil. Florentinum. 568
Con. Hieroſol. 639
Con. Hieroſol. pro iuſtificat. Fidei 654. De eo errores Pontificiorum. 639.640
Con. Laodicenum. 837
Con. Nicenum conuocauit Conſtantinus. 642.643
Con. Nicenum à Zozymo & aliis corruptum. 665
Con. Oxonienſe. 722
Con. Piſanum. 721
Con. Romanum. 274.442
In Con. Rom. abeſſe ſæpe Spiritum ſanct. 649
Concil. Tridentinum. 390. 711
Concil. Trid. diſſidet â Chalc. & Carth. 708
Concil. Trident. non floridum. 729
Concilij Trident. conditiones. 747
Concilij Conſtantienſis ſtipulæ. 721
Cõcilij Baſil. cõcluſiões. 763
Conſilia ſine Papa non valere. 641

Concilia 4. prima. 656
Concilia examinãda ad Lydium lapidem Scripturæ. 718.719
Concilia Pontificios refugere. 751
Concilia noſtrę religioni patrocinari. 757
Conciliorum Præſides Imperatores. 643
Conciliorũ lumẽ Scriptura. 650. & regula. 651.652.644
Conciliorũ contrarietas. 669
Conciliorum 3. genera. 716
Conciliorum errores. 716. 717.718
Conciliorum Papaliũ libertas ſeruilis. 746
Cõciliis laicos intereſſe. 639
Conciliorum pontificiorum indiuiduus comes ſpiritusſanctus. 647
In Cõciliis præſumptio Papæ. 645
Conciliis aduerſari Papas. 669.
Ex Conciliis libertas coniugii. 699
De Conciliis Greg. Nazianzenus. 720
In Cõciliis diſparibus quid ſequendum. 757
Confeſſio aduerſariorum de noſtra religione. 603
Confirmatio. 378
Coniugium. 503.504
Coniugiũ ſacerdotũ. 697.698
De Coniugio & Concubinatu dictum Colonienſis. 408
Conſilia Euangelica. 411
Conſtantini templa. 551
Conſtãtini in Acaſium Nouatian. ſcomma. 644
Conſtantini primatus. 663
Copus. 948.949
Creſcẽtii Legati Papę mors. 730
Crucis ſignum. 818
Cyprianus Caprianus. 819
Cyprianus. 820
Cyrilli prærogatiuę & laus. 678

D.

Damaſus nunquam vniuerſale caput. 673
Defectio à nobis. 943
Diaconiſſæ veteres, nouæ. 706.707
Didymus cæcus. 465
Dionyſii Areop. Hierarchia duplex. 787.788
Dionyſii Epiſcopatus, Martyriũ, doctrina, libri, &c. 790.791.792
Dionyſij miracula. 798
Diſcordia duplex in repub. & Eccleſia, in præfat.
Diſcordia Chriſtianorum. 531
Diſcordant Alphõſus & Ferus. 511
Canus & Eckius. 655
Ala-

Alanus & Campianus. 658
Copus & Campianus. 697
Copus & alii. 700
Papiſtæ & eorũ Canones. 709.
Triburiẽſes Patres & Carranza. 709
Diſſidiorum cauſę, & Equus Troianus. 944
Diſſidiorum ciuilium & Eccleſiaſticorum remediũ, in præfat.
Diſtinctio de Canonicis. 253
Duræus. 225.355.446.474
Duræus cenſor patrum. 961
Duræi de perlecto Campiani libello iudicium. 938

E.

Ebionii. 217
Eccleſia quid. 523
Eccleſia inuiſibilis. 464
Eccleſia inuiſibilis ex Scriptura. 470.471.472.473
Eccleſia inuiſibilis cur. 473. 474.475
Eccleſia inuiſibilis ex Patrib. 476
Eccleſia luna. 471
Eccleſia vidua paupercula 486
Eccleſia occulta. 530
Eccleſia in paucis. 487
Eccleſia Chriſti ampla. 540
Eccleſia viſibilis cur. 478. 479.525
Eccleſia viſibilis mixta. 369
Eccleſia Ciuitas ſancta & quare. 450
Vinea fructifera. 451
Mons excelſus. 452
Via directa. 453
Columba. 454
Regnum cœli. 456
Sponſa Chriſti. 457
Corpus Chriſti. 458
Firmamentum veritatis. 458
Multitudo cui Spiritus promiſſus. 459
Eccleſia ex Script. cognoſcenda. 449
Eccleſia Catholica eſt Apoſtolica. 446.447
Eccleſia Papiſtica mulier. 481
In Eccleſia Papiſtica eclipſis. 530
Eccleſia Romana occulta. 540
Eccleſia Orietalis antiquiſſima. 564
Eccleſia columbina & coruina. 455
Eccleſia Romana an errare poſſit. 460
Eccleſiæ nomen dulce. 440
Eccleſiæ nomina & definitio. 450
Eccleſiæ vox æquiuoca. 444
Eccleſiæ nomine gloriantur hæretici. 330.331.463
Eccleſiæ fundamẽtum fides,

veritas. 459
Ecclesiæ signa. 478
Ecclesiæ particulares errarunt. 482
Ecclesiæ orbitatis & paucitatis causæ. 531
Ecclesiæ primitiuæ simplicitas. 537
Ecclesiæ origo à mundi primordio. 542
Ecclesiæ Iudaicæ. 543
Ecclesiæ Christianæ. 544
Ecclesiæ Græcę. 565
Earum collatio cum Romana. 567
Religio & ritus earũ. 567
Ecclesiæ Romanę celebritatis causæ quatuor. 565
Ecclesiæ Romanę pōpa. 481
Superbia. 532
Somnolentia. 533
Sæuitia. 534
Ecclesiæ Romanę accusatio. 616.617.618
Eius forma deformis. 619
Gloria. 620
Natura. 621
Potestas extraordinar. 622
Ecclesia Rom. iudex sola esse vult de controuersiis. 623
De Scriptura & Ecclesia, de Sacramentis. 624
Sola inuētrix nouorũ dogmatum de Sacramentis, Baptismo mulierum. 625
De Confessione, Eucharistia. 626
Missa, 626 Primatu, votis. 627
Precibus lingua peregrina. 628
Imaginib. festis, Purgatorio. 628
Eius autoritate supra Scripturam. 629
Supra Canones Pont. 629
Ecclesiæ Rom. notæ tres. 631
Extra Ecclesiam nulla salus. 440.441.442
Eleutherii Epistola ad Lucium. 919
Elizabetha Germana de Roma. 634
Elizabethæ Reginæ Angliæ pietas in impios. 938
Episcopi portant mitram cũ duplici cornu, cur. 772
Epistola ad Hebræos. 248
Erasmus. 597.958
Erasmus de nostris collegiis. 702
Erasmus de Monachatu vetere & nouo. 710
Erasmi de Patrum contemptu querimonia. 960
Eremitarum institutũ ex verbo deserti. 320
Errores ex Patribus. 779
Errores Pontificiorum de Script. 302
Euangelium Ioannis. 284

Euan-

Euangelicorum nomen. 366
Euchariſtiæ corruptores. 905
Euſebius de Papia & Irenæo. 958

F

Ferus de Tranſub. 511
Feſta & ritus. 803
Fides vera, vana. 887
Fidei fulcra tria. 393
Flagellantes. 514
Foxi Martyrologium. 581
Funebria. 881

G

Germanorum lex. 932
Germanorum grauamen de Patrum Canonib. cõtemptis. 961
Gerſon de vnitate Eccleſiaſtica. 332.349.726.727
Gerſon Concilii Conſtantien. Moderator. 728
Geruaſius & Protaſius. 916
Gratia. 883
Gratia infuſa. 365
Gratia iuſtificans. 366
Gratia omnis à Deo. 365
Gre. Martin⁹. 421.422.423.424
Greg. 13. Papa. 788
Gregorianum feſtum. 856
Gropperus. 713

H

Hardingus quaſi Cæſar. 945
Hardingus quaſi canis è Nilo. 946
Hardingi iocus de Tridentinis Patribus. 732
Hardingi autoritates quales. 946
Hæretici dicuntur Apoſtolici. 809
Hæreticis non ſeruandam fidem. 742
Hęreſes ex Script. reuincendæ. 211
Heluidius. 505
Hęricus Octauus Rex Angl. 852
Heſter. Danielis 3. cap. 250
Hieronymus de Origene, Tertul. Clemẽte, Ambroſio, Euſebio, de ſe. 957
Hieronymi & Chryſ. expoſitiones diuerſæ. 848
Hippolytus. 816
Hiſtoria Tryphonis & Theophyl. Archiepiſcopi Conſtantinop. 673
Humfredus Fluidus. 919
Huſſius. 517
Huſſij prophetiæ. 520
Huſſii fuga. 741
Huſſij dogmata. 518
Huſſij & Hieronymi Pragẽſis qualis ſaluus conductus. 738
De Huſſio Conſtantienſium elogium. 517
De Huſſio Lutherus. 521
Huſſitarum numeroſa Eccleſia. 571

I.
Iacobi Epistola. 219
Iconomachi. 506
Ieiunium. 855.856.857.861. 864.865
De Ieiunio Basilius. 857
De Ieiunio Greg.Naz. 858
De Ieiunio Chrys. 859.
Iesuitæ. 559.705
Iesuitarum societas. 463
Iesuitarũ Trãslatio. 308.309. 310.311.312.314.315.316
Iesuitarum calcitratio contra stimulum. 942
Iesuitarum dotes. 951
Ignatius. 801
Imago Christi. 925
Imagines. 506.764.921
Imagines Idola. 924
De Imaginibus Iudæi. 923
De Imaginibus Athan. 927
De Imaginibus Tertull. 928
Imperatores conuocant cõcilia. 714.759
Imperatorum autoritas in conuocandis Conciliis 721.672.680
Insulæ plenæ Christianis. 578
Interpretatio verborum de Cœna mystica. 336.337. 338.339
Interpretatio Anglorhemẽsium. 367
Inuocatio. 325
Inuocatio Sanctorũ. 695.696
Ioan.Duns. 958
Iouinianus. 505
Irenæus. 806
Ex Irenæo 3. notanda. 215
Iudæ,Petri,Ioãnis Epistolæ. 249
Iudex Scripturæ. 305
Iustificatio. 227.228.229.287. 288.382.383.385.758
De Iustific.& li.arb. Chrys. 550
Iustitia inhærens. 367
Iuellus. 934
Iuelli & Hardingi Duellũ. 937
Iuelli & Hardingi congressus impar 942
Iuelli libri legendi. 943
Iuelli vita. 944
Ius Canonicum Papisticum quale,ex Agrippa. 300
K.
Kemnisij defensio. 728
L.
Laici Cõciliis interfunt. 664
Legenda. 910
Legislator Deus. 208
Leo Romanus Pontifex. 670
Lex impleri non potest. 759
Lollardi. 514
Liber Sapientiæ. 254
Liber Iob. 277
Libri prohibiti. 931
Liberum arbitrium. 240
Liberum arbitri. ex August. 877.878
De lib. Arb. Pseudocatholicorum opinio. 879

Literæ formatæ. 894
Lucas. 287
Lucernæ & cerei in meridie. 505
Lutherus. 348.349.484.488. 489.597
Lutherus de Libris Canonicis in Rat. 1.
Lutherus de verbis Dominicæ Cœnæ. 347
Lutherus de Dionysio Areop. 796
Lutheri Saluus conductus. 745
De Luthero Erasmus. 489
Lutheranorũ successus. 502
M.
Machab.liber. 242
Mahumetica disputatio. 263
Manichęi. 215
Matthæus Huttenus. 955
Melchior Canus. 959
Meltiades vel Melchiades. 898
Merces Greg.& August. 919
Merita. 382
Meriti vox. 779.780
Methodus Cãpiani duplex in Rat.1.. 216
Miracula. 915.920.927
Miriones apud Tert. 939
Misericordia Domini. 386
Missa. 381.382.680
Missa olim communis. 560
Missæ sacrificiũ non probari Niceno Concilio.680.681.
Missæ confutatio. 689.690
Missæ nomen non probat missæ sacrificium. 694
Missam in Con. Chalc. non probari. 693
Missalis Canonis examen, 683.684
Monachatus. 489
Monachatus Papisticus refutatur. 702
Monachus verus, fucatus. 869.870.871 &c.
De Monachatu Chryso. 872
De Monachatu Hieron.supposititius. 874
Monachos semen esse Behemoth Corn.Agrippa. 876
Monachorũ obediẽtia erga Principes ex Basilio. 869
Contra Monachos querelæ. 703
Monasterium seu Collegiũ Augustini. 874
Multitudo. 889
Multitudo nõ est argumentum. 484
Multitudo sequacium mala. 940
Nausea mannæ & Scripturę periculosa. 940
Nicolai Papæ distinctio Gnatonica. 670
Nuptiæ 490.761
O.
Oblatio pro mortuis. 502
Oblationum nomen apud

Patres. 778
Oecolampadius. 349
Omnipotentia Dei. 342
Opera bona. 480
Optatus de Primatu. 896
In Optato duo notãda. 904
Origentes mutilatus. 427
Origentes s. Ioan. 6. cap. 948
Oxonienſis Academia ornata priuilegiis ab Edouardo 3. 552
Oxonienſis Academia de Wicleuo. 552

P.

Papa Antichriſtus. 607
Papa Adrianus. 502
Papa Ioannes. 461
Papa Nicolaus. 508
Papa Oxonienſi cuidam ſimilis. 399
Papæ Martini optatum impium. 591
Papæ non ſunt Apoſtoli. 644.645.646
Papæ quales. 788
Papæ iocus in Cardinales. 268
Paparum de Papis iudiciũ. 602
Paparum trium fuga. 741
Papatus ſchola licentiæ. 817
Papiſtæ mutilant Dei Teſtamentum. 299
Addunt. ibid.
Adimunt. 301
Mutant. 303
Deprauant. 304
Papiſtarum triplex ſtrategema. 754
Papiſtarum muri tres. 436
Paradoxa monaſtica. 416
Paradoxa Tridentinorum de Scripturis & Cõciliis. 712
Parlamenta noſtra liberiora Papalibus. 754
Paſchalis papæ aſſumẽtum. 704
Patres primi & propriè ſunt Apoſtoli. 769.770.771
Patres probandi. 775
Patres ex Script. diiudicandi. 785
Patres corrupti. 782.783
Patres ſemipatres. 834
Patres ſine Papa nihil. 960
Patres noſtri ſunt, & propriè, & ex legis ſignificatione, & ex ſenſu Eccleſiæ Catholicæ. 963
Patrum ſecunda ætas. 774
Patrum nonnulla cæcutientia. 783.784
Patrum diſcordia. 785
Patrum errores. 813
Patrum tertia ætas. 829
Patrum lites ex Script. componendæ. 830
Patrum errores ex Philoſophia. 831
Patrum vitia & errores non debere nos imitari. 834

Patrum

Patrum conſenſus nobiſcũ in Cœna, communione, Script. Iuſtific. &c. 964
De Patribus. 949
De Patribus cautiones. 775. 776.777
De Patribus cẽſuræ Trithemij, Eraſmi, Coſterij. 781. 782
De Patribus in genere. 854. 855
De Patrum erroribus Patrũ confeſſio. 957
De Patribus regulæ Vincentij. 963
Pauli Epiſtolæ. 286
Paupertas voluntaria in papiſmo & Anabaptiſmo. 412.413.414.
Peccata imparia. 393
Rationes pro inæqualitate peccatorũm. 394
Peccata quomodo paria. 396
Petrus Nannius. 912
Petri Clauis omnipotẽs. 398
Petri Oliuarij iocus. 498
Philippi Regis Galliæ Epiſt. faceta ad Papam. 583
Philoſophia. 809
Phraſes Catholicæ. 423
Pighius Cenſor Auguſtini. 958
Plures peiores. 941
Pœnitentia. 377
Pœnitentia vera, falſa. 825
Pontificij Accurſiani. 653
Pontificij diſcordant. 350
Pontificij gladiatores. 494. 495
Pontificij Thraſilao, Thraſoni Phrenetico non diſſimiles. 966
Prædeſtinatio. 518.524
Præto Ioannes. 569
Preces pro defunctis. 820
Primatus. 822.896.897
Primatus Petri. 642
Primatus Petri & Papæ. 397. 398
Primatus honoris poteſtatis. 667
Primatus non probatur ex Con. Nic. 659.660
Primatus non probatur ex linea Pontificum. 901
Primatũ Papæ ex Cõ. Chal. non probari. 665.666
Primatum non fulciri Con. Epheſi. 677
Propagatio Eccleſiæ Proteſt. ex ſucceſſione doctrinæ. 558
Ex Topographia & Coſmog. 569
Et deinceps. ex perſonis Huſſitarum, Wicleuiſtarum. 571.573
Propagatio religionis in Gallia. 581.582
Propagatio religionis per Waldenſes. 587
Propagatio religionis per

Lolhardos. 589
In Germania. 589
Propagatio religionis in Italia. 606
Propagatio ex multitudine Martyrum. 605
Propagatio Ecclesiæ nostræ ex voce populi & prouerbiis. 607.608
Propagatio ex reformationibus Romanæ Ecclesiæ. 610.611
Prophetiæ de reformatione religionis. 594
Protestantium confidentia, Papistarum diffidentia. 259.260.261.262
Protestantiũ Catalogus. 599
Protestantes quomodo tractẽtur in Curia Rom. 740
Prouerbium. 497
Prouerbium Bauaricum. 547
Prouerbium Italicum. 600
Prouerbiũ Waldensium. 605
Prouerbium de Cõcilij Tridẽtini Spiritu sancto. 732
Prouerbium Pythagoricum. 922
Pugna Leonis & Gregorij de Imaginibus. 506
Purgatorium. 325.433.434

Q.

Quadragesima. 803.855.860
De Quadrag. Ambrosi°. 860
De Quadrag. Hieronym°. 861
De Quadrag. Ignatius. 863
De Quadrag. Augusti. 864
Quæstio de obscuritate Ecclesiæ nostræ post Christũ. 545 Responsio. 546 De Sacramentis nostris. 546 De Templis. 547 De forma. 548
Querelæ inanes de Protestãtium paucitate. 527.528
Querela de grauaminibus Ecclesiæ Romanæ. 592

R.

Ranæ Romanenses. 737
Ratio firma à Scripturis. 207.208.209.
Recusantes. 443
Religio quid. 208
Religio quæ sequenda. 777
Reliquiæ. 883.886
Retrogradi cancri. 835
Reuclinus. 594
Rob. Kilvvarbius Oxon. 514
Roma immunda. 497
Roma Cyclops. 666
Roma hodie inclinans. 671
Roma radens & rapiens. 868
Roma meretrix. 869
Roma olim habuit lignea altaria. 908
Roma vetus, noua. 911
Romanensium nundinatio, corruptelæ, Simonia. 266. 267.268.269.
Romanistæ Struthiones. 854

Romanistæ Aeriani. 867
Romanistæ Donatistæ. 894
Romanistarum laruæ. 847

S.

Sacramenta. 372
Eorum prophanatio. 372
Sacramenta an ad salutem necessaria. 371
Sacramentorum numerus. 374.378
De Sacramentis Maximæ tres. 343.&c.
De Sacramentis leges quædam. 374.375.376.
Sacrificium. 818
Sacrificium duplex Christi, Christianorum. 379.380
Sacrificium Eucharisticum. 680
Saluus conductus Papisticus ignis. 655
Sanderus. 339
Sanctorum intercessio. 243. 244. Inuocatio. 695.696. Cultus. 846
De Sanctorũ reliquiis Hier. 846
S. Hieronymi feruor. 846
Contra Sanctorum inuocationem Hieronymus. 841. 842.&c.
Sanctorum patrocinium ex Prudentio. 913
Contra Sanctorum intercessionem Nazian. 815
Sanctos non adorãdos Ambros. 858
Sanctícolæ sunt Theotimi. 383
Sanctimoniales. 708
Schola optima. 733
Sclaui. 570
Scribæ docti & sapientes qui. 772
Scriptura Cynosura. 324.325
Scriptura iudex. 271
Scriptura sufficit. 211.300
Scripturæ diuinę & Papalis Antilogiæ. 303.304.325
Scripturæ perfectio, autoritas, librorum diuisio, sententia, in Rat. 1. in Rat. 2. per totum.
Scripturę sensus necessarius qui. 329
Scripturæ interpretationes corruptæ de Primatu. 420.
Pro clero cõtra laicos. 421
Pro Sacerdotum priuilegio. 437
Pro Sanctorum mediatione. 421
Pro imaginibus. 421.426
Pro traditionibus. 423
Pro sanctorum cultu. 426
Pro inuocatione. 427
Pro vna specie. 432
Pro Missa. 433
Pro septem sacram. 433
Pro cœlibatu. 433
Pro Purgatorio. 433
Pro confes. auriculari. 435.

Pro aqua luſtrali. 436
Pro ſecreto Miſſæ. 437
Pro D.Maria. 437
De Scripturæ ſenſu obſerua tiones ſex. 331.332.333.334
Scripturam à ſenſu Scripturæ non debere diuidi. 329
De Scriptura & eius ex ſenſu Catholico interpretatione corollaria duo. 326
Scripturarũ deprauatio. 304
De Scriptura, Eccleſia. 304. 305.
Scripturarum collatio. 355
Scripturarum cõtemptus & ignorãtia in monachis. 438
Scripturas citari à Diabolo, ab hæreticis. 330
De Scripturis phantaſmata Eckii, Florebelli. 304. Andradii, Cani, Alphõſi, Stephani Paletzi. 305. Latomi, Surii, Petri à Soto, Sanderi, Spirenſis concionatoris. 306
Seductio Pſeudoprophetarum. 532
Sozomen. de Euſtathio. 958
Spes. 387
Spiritus Sanctus. 273.274.275
Spiritus duplex. 648
Stapletonus. 321.528.542.544. 656
Staplet. diſcipulus & Mercerus præceptor diſcordant. 310.311
Stancarus. 850
Stephanus Anglicus primus prælector S. Theologiæ Pariſiis. 303
Succeſſio. 632.892.903
Surius Chartuſ. 675
Surius de Beza. 851
Syluester autor aræ lapideę. 909
Synodus Anglicana. 675
Synodus Londinenſis. 658
Synodus Oxonienſis cõtra ſeditioſos. 658
Synodus Oxonienſis. 319
Synodus ſeptima de Imaginibus. 720
Synodus à Wicleuo Terræmotus. 723
Synodus puellarum Monialium. 306

T.

Templorũ ruina apud Pontificios. 550.551
Tentatio. 951
Theodoſius Imperator. 672
Theologi officiũ duplex. 205
Tigurinorum cõflictus. 493
Timor. 387
De Timore & ſpe errores aduerſariorũ. 388.389.390.391
Tobias Matthæus. 951
Tobiæ liber. 234.239.247
Tonſtallus. 685
Traditiones & Scripturæ idem. 214
Ex Traditionum voce errores. 426.430
Tranſlationem in linguam vulgarẽ eſſe neceſſariã cõtra Anglorhemenſes. 319
Tranſſubſtantiatio. 340.341. 342
Tranſub. & realis præſentia. 686.687, &c.
Tranſubſtantiationi Patres aduerſantur. 362.363
Contra Tranſub. Cyrill. 360
De Tranſub. Ferus. 511
Trid. Concilium. 711. &c.
Tridentini Concil. & aliorum pugna 758
Trithemius de Tertull. 958

V

Waldenſes. 512.513
Vbiquitarij. 350
Vdo Archiep. 410
Verbum Dei omnibus Auguſtinis præferendum. 852
Verbi Diuini ſuprema autoritas. 947
Verſiones. 296.297
Vetus Tranſlatio. 289.297.316
Hieronymi an ſit. ibidem.
Ex veteri tranſlatione errores doctrinæ, pro Hyperdulia Mariç, pro lib. Arbitrio, Miſſa, pro cultu Sanctorũ, pro incertitudine ſalutis, pro vini & aquç mixtione, pro merito, pro cœlibatu. 308.309.310
Wicleuus. 515

Wicleuus charº regibus Nobilib. 579
Wicleui dogmata. 515
De Wicleuo Pragenſis Academia. 516
Vigilantius. 504
Vigilij Papæ Canon. 677
Virginitas Mariæ. 505
De Virginitate cõſilium nõ præceptum. 411
Vnitas triplex. 631
Vnitas mala. 891
Vniuerſalitas. 485.486.633.634
Vnus interdum multis præferendus. 726
Vnctio extrema. 375
Votum. 492
Vota. 401
De Votis opinio noſtra & Pontificiorum. 403.404
Votum obedientiæ. 416
Vota quare non licita, 403
Vota non poſſibilia. 409
De Votis obiectiones & ſolutiones. 404.405

X

Xenodochęũ Lõdinenſe. 552

Z

Zelus multorum in repurgãdo ſtabulo Romanæ Eccleſiæ. 610
Zelus principum. in Præfat.
Zuinglius. 349
Ex Zion & ab Oriente, nõ ex Roma aut Occidente Religio Chriſtiana. 446.447

TRACTATVS VARII, DE QVIBVSDAM THEOLOGIÆ IESVITICÆ ARTICVLIS.

1. Disputatio Ioannis Foxij, Angli, contra Iesuitas & eorum argumenta, quibus inhærentem Iustitiam ex Aristotele confirmant: Ex eiusdem Foxii libro DE CHRISTO GRATIS IVSTIFICANTE, aduersus Osorium excerpta.

2. Variæ doctorum Theologorum Theses, aduersus nonnulla Iesuitarum dogmata.

3. Characterũ Iesuiticorum, Centuria secunda & tertia.

M. D. LXXXV.

DISPVTATIO

IOANNIS FOXII, ANGLI, CONTRA IESVITAS ET eorum argumenta, quibus inhærentem Iustitiam ex Aristotele confirmant.

DE IVSTITIA INHAERENTE, & imputata.

QÆTERVM satis id tibi fortassis non est, nõ imputari quæ admiseris, verùm vt ne quid etiã omnino admittatur, quod meritò imputari possit. Eáque causa arbitraris neminem inter iustos ponẽdum, nisi cuius vita vndique illibata, abolitis omnium vitiorum vestigiis, ad perfectam legis normam respondeat. Atque optandum id sanè votis erat, si quid hîc vota proficerent. At inquies, *minimè id difficile esse. summæ diuini numinis potestati, vt præstandi vires abs se postulantibus suppeditet: Rursusque nec quicquam alienum magis a summa ipsius æquitate, minusque decorum immensæ benignitati, quàm vt ea suis imperet, quæ seruari ab ipsis non posse præsentiat.* Primùm si seruari nequeant à nobis, quæ à Deo præcipiuntur, nullo id illius vitio fit, sed nostro: qui rectè primùm ab eo cõditi, ipsi nobis hanc accersiuimus impotentiam, nósque

Osor. de iust. lib. 2. Lib. 7. p. 187. Lib. 9. p. 228.

Deus nihil præcipit quod seruari ab hominibus non possit, iuxta Osorij.

Arguitur contra Oforium. Nulla culpa Dei est, si mandat quæ à nobis seruari non possunt. Rom. 3. Nihil opus cur fide iustificaret nos Deus, si possemus ex operibus iustificari. De iustit. lib. 4. pag. 90. Pag. 105.

in istam coniecimus peccãdi necessitatem. Deinde quid si omnipotenti illius sapientiæ ita visum sit, hoc ita facere ad ostensionem iustitiæ suæ, quemadmodum docet D. Paulus, in hoc vt ipse sit iustus? hoc est, vt iustitia ipsius hac ratione magis inclaresceret ex nostra iniustitia, quod aliter fieri minimè potuisset, si non solus iustus ille, non iniusti nos eadem ratione ex operibus ostenderemur. Quod ni ita esset, quid opus erat, cur fide nos ille iustificaret, quos ex operibus ipsis iustos perfectósque vidisset?

Præparatio ad iustitiam. De iust. lib. 4. pag. 90.

Imò quàm maximè opus esse fide, dices, cauſámque attexis, *quòd in sola Dei gratia, quæ fide cõparanda est, omnis ratio elidendæ & comprimendæ cupiditatis sita sit, nullâque alia via illius extinguendæ atque delendæ ostenditur. Itaque fides præparat quidem, vt ais, animum ad iustitiam, idoneumque reddit, in quem summus ille bonorum omnium sator, iustitiæ sementem inferat.* Quid, & nihil aliud, quàm præparet nos fides ad iustitiam? Age, & quo tandem modo præparat? Quia, fide, inquis, & Christi merito comparatur Dei gratia. Perge verò, & quid tum postea? *Nam Deus solus is est, cuius numine & beneficio libidinem frangere, & omnem cupiditatis importunitatem reprimere, perfectúmque virtutis officium tueri facilè possumus. &c.* Ecquis istud vnquam negauit, quin Deus solus sit, qui possit ista? sed quid ais, ô bone? an in eo solùm omnis nostra continetur coram Deo salus & iustitia, in profligandis istis, quos dicis, ex animo omnium malarum cupiditatum igniculis, in abolendis vitiorum omnium fibris, rectéque ac constanter tuendo perfectæ virtutis officio.

OPERA

OPERA HVMANAE VITAE *quàm procul absunt à iustitiæ perfectione.*

AGE, an & ipse hæc omnia præstas, quæ in nobis requiris ad iustitię perfectionem? An summus ille bonorũ omnium sator, felicissimum hunc agrum animi tui, tanta vi atque vbertate perfudit suæ benignitatis, vt nullæ in omni vita tua labruscæ, nullæ vsquam vepreculæ appareant? nulla te cupiditas transuersum abducat ab officio? nulla vnquam perturbatio affectuum de gradu deiiciat constantiæ? vt animi puritatem nulla afficiat oculorum concupiscentia? Qui videt, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Quod si impudicus apud Deum statuitur, cuius vel oculi sint adulteri, si homicidio vicinus sit, qui vel leuiter fratri irascitur, si qui fratri suo Racha dixerit, vel leui conuitiolo proximi famam aspergens, periclitatur de concilio: quid illi dicetur, qui plena conuitiorum non volumina, sed plaustra maledictorum in fratres & conseruos, tanta virulentia & amaritudinis felle effuderit? vt ne singula persequar diuinæ legis præcepta alia, veluti de Deo supra omnia diligendo, de arctissima erga proximum charitate, de vitandis offensionibus, de mussitandis iniuriis, de orando pro inimicis, de abdicatione huius mundi, de vita ad simplicitatem columbinam componenda, cæteráque id genus similia. Quæ quum genere tam varia, quum obseruatione tam difficilia existant: scire modò abs te velim, non quid debeat fieri, sed quid factis ipse exprimas: non quid valeat diuina gratia in te efficere, sed quid ipsa re efficiat: an tot tantísque te cumulet mune-

Matth. 5. Quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Rõ. 3.

ribus suis, vt par sis præstandis omnibus, quæ in lege regali consignantur. Quod si fatearis, lubens tuæ applaudo felicitati, nec quicquam repugno, quin quòd mereantur opera tua, id meritò feras, regnúmque conscendas, atque enodes alas, vt ait Arnobius, tibi sumas, quibus ad cœlum feliciter pergas, atque ad sydera volare possis, vbi cum Christo regnes, solúsque cæteris seclusis peccatoribus, cum Deo vincas, cùm iudicaris. Sed interim incidit hîc quiddam mihi abs te scisciandũ, quí iam consistet illud, quod in sacra hymnologia canit Ecclesia, & rectissimè canit: Tu solus sanctus? Quo enim modo solus erit in eius rei laude vt fert Hieronymus, quam habet ipse sibi cum multis communem? Quod si nihil interesse censeas inter illius iustitiam, & nostram, nec tu vllam putes constare iustitiam, nisi quæ nascitur præcipuè ex operibus, aut igitur eadem opera ostendat nobis vita tua, quæ edidit Christus, aut si nequeas, huic solum permittas oportet tituli huius honorem, vt Christus solus iustus existat, Osorius iniustum se fateatur & peccatorem, vt verè iam hîc locum habeat, quod modo ex Augustino recẽsui. Tollat homo peccatum quod suum est, Deo iustitiam relinquat.

Arnobius

Ex hymno ecclesiastico: Tu solus sanctus. Hieron. ad Ctesiphontem Dial. 2.

Aug. in Ioann. hom. 49.

Quid ergo, inquies, an nulla erit, quæ ad homines pertineat iustitia? Haud equidem diffiteor, sed quæ alibi quæréda sit, quàm in operibus. Vbi igitur, dices? Dicam non iam ego, sed dicet tibi D. Paulus. Iustitia Dei, inquit, per fidẽ Iesu Christi, in omnes, & super omnes qui credunt. Et rursus in eadem epistola: Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autem eam, quæ est ex fide. Contrà Israel, qui sectabatur legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Quid ita? quia non ex fide, sed tanquam

Rom. 3.

Rom. 9.

quam ex operibus legis. Porrò ad Galatas scribens: Scientes inquit, non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christum credimus, vt iustificemur ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis, propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. &c.

Galat. 2.

Quid velit his verbis Apostolus, quis tam lippus, qui non perspiciat? quo magis mirari mecum soleo, quis tantus stupor mentes nostrorum quorundam, tum maximè Iesuitarum istorum eluscat, qui in re tam perspicua, adeò non cedunt Apostolicæ autoritati, vt prosiliisse nuper ex Antro nescio quo Trophonio videantur non in aliud, nisi vt bellum gerentes cum D. Paulo, tota sententia illi ex aduerso repugnent. Quid enim hac antitheſi repugnantius? Christus est iustitia nostra: fides imputatur ad iustitiam: Si ex operibus, iam gratia non est gratia. Iustus ex fide viuit. Atque ad hunc modum instituit nos Apostolus, & propheta. Quid isti? Ex operibus, inquiunt, iustificamur, ita vt gratia non minus sit gratia. Iustus non ex fide viuit, sed fidelis ex operum viuit iustitia. Cúmque Paulus iustitiam nostram ita ad fidem solam reuocat, vt operibus nihil relinquat ascribendum, toties voces hasce exclusiuas ingeminans fide sine operibus, absque operibus, non secundum opera, non ex operibus, si gratia iam non ex operibus: vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex fide est Iesu Christi: Credenti in eum qui iustificat impium fides imputatur ad iustitiam: Producto insuper gentium & Iudæorum paradigmate, vt ipsa liqueat experientia, quàm periculosum sit, salutis spem aliter, quàm in fide Christi sola constituere. Contrà isti Paulina hæc omnia euerten-

1. Cor. 1. Rom. 4. Rom. 11. Abac. 2. Rom. 4. Galat. 3. 2. Tim. 1. Ephes. 2. Tit. 3. Rom. 11. Phil. 3. Rom. 4. Rom. 9.

tes, modis omnibus id vnicè moliuntur, vt ſumma iuſtificationis noſtræ vniuerſam operum perfunctione, non fide metiantur, vt imputationem alienæ iuſtitiæ omnem nobis eripiant, vt fides haud quicquam ad iuſtitiam amplius conferat, niſi vt dignos idoneóſque reddat, quibus diuina gratia primam illam iuſtitiæ inhærentis infuſionem gratis propter meritum Chriſti conferat. Ex quibus deinde acceptis nouis illis qualitatibus propter meritum Chriſti, iam homo ipſe inhærente illa iuſtitia, (vt illorum habent verba) promeretur maiorem, pleniorem iuſtitiam, reconciliationem, adoptionem, & tandē vitam æternam. Denique eò rem deducunt, vt iuſtitiam nullam omnino ſtatuāt, niſi quæ ſit ſua cuiuſque propria, ſicque eum definiunt, vt in tota iuſtitiæ ratione nullus fidei omnino locus, ac ne mentio quidem vlla appareat. Ita enim definiūt, Iuſtitia Dei, quæ in Euāgelio reuelatur, eſt virtus in Deo, quæ iuxta vniuſcuiuſque dignitatem ſingulis diſtribuit. Addit Alphonſus, Iuſtitia euangelica eſt æqua proportio meritorum ad præmia.

Concil. Trident. Seſſ. 6.

Iuſtitiæ definitio iuxta Ieſuitas Coloniēſes Cenſur. Colonienſis, fo. 186. Frat. Alphonſus Philip. 4. pag 34.

Amabo te, pie lector, qui iſta profitentur tam putida, incondita, an quiſquam eos putabit ſeria vnquam meditatione in ſacris verſatos literis, an in Ethnicis potiùs & Ariſtotelicis quiſquiliis ætatem mentémque totam contriuiſſe? Age, & quibus nunc rationum ſubſtructionibus ſua iſta confirmant, non alienum fuerit aduertere.

CONTRA IESVITAS ET TOpica eorum argumenta, quibus inhærentem iuſtitiam ex Ariſtotele confirmant.

QVID

Quid inquiunt, an nunquam iſtam argumentandi formam legiſti in Ariſtotele? Iuſtus eſt, ergo iuſtitia eſt præditus, doctus eſt aliquis, habet ergo doctrinam? legimus, inquiunt, in Topicis quidem Ariſtotelis. Verum hoc quidem. At ipſi viciſſim nunquam legiſtis in Epiſtolis Pauli- 1 Cor. 1.
nis his loquendi formulas, Chriſtus eſt iuſtitia 2 Cor. 5.
noſtra? Nos efficimur iuſtitia Dei per illum, fides imputatur ad iuſtitiam? Iuſtus ex fide viuit? Rom. 4.
Quid ergo? Ariſtoteli magis credemus, an Paulo? Piſcatoribus, inquit Ambroſius, credimus, non dialecticis. Et nos fidem, quam cum fidelī Abrahamo debemus Deo, in homines ſophiſtas transferemus? Sed age, ne non reſponſum ſibi dicant iſti Ieſuitæ, vim argumenti propius inſpiciamus, ſuóque ipſos telo confodiamus. *Negant illi externam hanc attributionem à ſeculo vnquam audiram, vt à qualitatibus, quæ ineſſe poſſunt, extrinſecus nomen res aliqua ſortiatur, ita vt iuſti coh ſeantur CORAM DEO, non ex qualitatibus inhærentibus, ſed aliena iuſtitia, Chriſti nimirum, quæ fide nobis applicatur, &c.* Atque hæc quidem ratio valere vtcunque fortaſſis ex Ariſtotele potuiſſet ſi illud (*CORAM DEO*) omiſiſſent. Nunc verò quum duplex & diuerſa ſit iuſtitia, altera, quæ legis: altera quæ fidei dicitur, quúmque alia ſint iudicia Dei, alia iudicia hominum: ſtultè iſti & perridiculè ab humanis ad diuina, à iuſtitia legis, ad iuſtitiam fidei arguunt. Neque enim qua ratione iuſti cenſentur apud homines, eadem apud Deum protinus iuſtificantur. Imò contrà ſæpe accidit, vt quos mundus hic maximè celebrat, iuſtóſque ex qualitatibus inhærentibus iudicat, eoſdem Deus ex iiſdem qualitatibus maximè condemnet iniuſtitiæ, atque è diuerſo. Facilè id exemplo perſpicuum

Argumēt. ex Topicis Ariſt.

Reſponſ. ad argutias Ieſuitas.

Ex Cenſura Ieſuit. Coloniēſ. fol. 162.

Ex qualitatibus iudicant homines, at aliter iudicat Deus.

fuerit Phariſæi, atque Publicani. Quorum vterque ſi ex inhærentibus vitæ meritis metiendus ſit, quid quæſo erat cauſæ, cur Publicanus Phariſæo iuſtior domum diſcederet? Quemadmodum etiam ex conſimili diuerſitate, mortuos eos quandoque ſcriptura nominat, quos humana Philoſophia ex inhærentibus qualitatibus, viuos planè ac valentes iudicaret. Sinite, inquit ille, mortuos ſepelire mortuos ſuos. Quo modo quæſo mortuos? qui niſi viuerent, mortuos ſuos minimè ſepelire potuiſſent? Quid igitur dicemus, mentirine ſcripturam, quæ mortuos appellat qui viuerent? an mentitur potius regula iſta Ieſuitica, quæ ex inhærentibus qualitatibus viuos iudicat, quos ſcriptura mortuos nominat? Hæc adeò interſe pugnantia, qua tandem ratione cohærebunt? niſi quod aliud ſit viuere, mortuum ac iuſtum eſſe apud Deum: aliud apud homines. Pleniſſima ſunt exemplis huiuſmodi diuinæ ſcripturæ volumina, tritáque illa & auribus & oculis hominum. Et tamen poſt hæc omnia, negãt ſuaues iſti Gymnoſophiſtæ, *externam hanc attributionem vnquam à ſeculo auditam eſſe, vt à qualitatibus, quæ ineſſe poſſent, extrinſecus nomen res aliqua ſortiatur.* Itáne verò nunquam à ſeculo auditam? Quid ego audio? Itáne nunquam auditis aut legiſtis viri boni, in ſacris Dei literis hæc Apoſtoli verba? per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, & rurſus, per obedientiam vnius iuſti conſtituentur multi. Quid quæſo hæc volunt verba, per vnius inobedientiam multi peccatores. Per vnius rurſus obedientiam multi iuſti? An attributio hæc interna vobis videtur, aut externa potius? an rebellio illa Adami propria, an noſtra erat? Si noſtra, quomodo noſtra, niſi per externam imputationem? Quid, cùm hæc Apoſtoli

ſtoli verba auditis: Chriſtum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei per illum. &c. Ecquid ex qualitatibus quæ ineſſe poſſent, vtrique accepimus, ille quod peccatum factus ſit, vel nos quòd iuſtitia dicimur, efficimúrque per illum? Quid porrò, quum Publicanus in Euangelio iuſtificatus dicitur domum diſceſſiſſe præ Phariſæo: quid cauſæ erat, cur iuſtificatus abiret iſte, alter iniuſtus? non equidem ex habitu iuſtitiæ inhærentis id factum arbitror, ſed ex eo potius, quòd ſuam Publicanus iniuſtitiam confitebatur: ideo ex impio iuſtus fit: Alter, quia iuſtus ſibi videbatur, ex falſa iuſtitiæ opinione fit impius, teſtante ſcriptura ſancta: Iuſtus accuſator ſui eſt, in principio ſermonis. Et alio loco: dic tu peccata tua vt iuſtificeris. Meritò itaque laudanda vox illa Auguſtini videtur. Ea demum vera eſt ad perfectionem via, ſuæ cuiuſque imperfectionis, & in veritate agnitio, & in humilitate confeſſio. Nec minus rectè Bernardus, qui conſiderare nos iubet phariſæum illum orantem: non erat raptor, inquit, non iniuſtus, non adulter nec ieiuniorum inſtudioſus, nec pauperum immemor, nec Deo ingratus. Quid igitur deerat? Nempe hoc deerat vnum, quòd quid ſibi deeſſet, ſcire non ſtuduit, ſed exaggerauit meritum ſuum. Vacuus proinde rediit. Contrà Publicanus, quia ſeipſum exinaniuit, vacuúmque vas exhibere curauit, gratiam retulit vberiorem.

Ex his ſatis modò conſtare arbitror, quænam hæc iuſtitia qualiſque ſit, quæ iuſtos nos apud Deum efficiat. Chriſtíne, an noſtra? Si Chriſti ſit, non noſtra: quomodo iam ex operibus iuſtitiæ noſtræ? Si noſtra, non Chriſti: quomodo ex impio fit iuſtus? Si ex impio iuſtus fit, vt verbis dicam Auguſtini, quæ ſunt opera impiorum? Iactet iam

2. Cor. 5.

Pronerb. cap. 18.

Augu. ad Bonif. lib. 3. cap. 7.

Bernar. in Annunciat. Dominic. Sermo 3.

Quænam iuſtitia iuſtificamur coram Deo, Chriſti, an noſtra. Augu. in Pſal. 31. in Prolog.

impius opera ſua, Do pauperibus, nihil alicui aufero. &c. Impius ergo es, & nulla ſunt opera tua. Hæc ille, falſum eſt igitur, quod negant iſti, iuſtum externa iuſtitia poſſe aliquem appellari: nec minus aſininum, quod rudunt iſti Balamitæ *qui dictitant hominem eſſe iuſtum, idem eſſe, ac ſiquis diceret aſinum aſinina forma eſſe hominem. fide enim fideles, iuſti ex iuſtitia dicimur &c.* Sit ita ſanè, Iuſtus rectè dicatur nemo, niſi iuſtitiæ ratione: quid igitur, quum Chriſtus noſtra ſit iuſtitia, annon in ea ſat poſitum eſt, cur iuſti appellemur? An quiſquam meliorem requirat iuſtitiam, quàm quæ Chriſti ſit? Et quæ iam prohibebit quamlibet externa prædicandi formula, quo minus iuſtitia, quæ Chriſti propria ſit, noſtra item dicatur, ſimúlque nobis cum illo communicetur, præſertim quum totus ille noſter exiſtat cum meritis, virtutibus, beneficiis, boniſque vniuerſis? quæ licet nobis ipſis propriè non inſunt qualitates, at acceptæ tamen ab illo in noſtram pariter tranſeunt poſſeſſionem. Sicut aſtrorum & planetarum corpora, licet per ſe opaca, ſplendent tamen lucidáque fiunt, non ſuo, ſed aſcititio lumine, Solis videlicet beneficio irradiata. Haud aliter & nobis euenit vt iuſti, reges, ſacerdotes, filii & hæredes Dei efficiamur, non noſtræ naturæ proprietate aliqua, aut operum conditione, ſed quia filius & hæres ipſe factus pro nobis peccatum & maledictum, non ab inhærente ſibi peccato, ſed ab imputato, dicitur. Sed obſibilant hîc iterum atque iterum illoti iſti ſophiſtæ, nunquam hoc auditum ex Ariſtotele, nec ratione conſentaneum eſſe, vt doctus appelletur, qui doctrinam non habeat, aut iuſtus, qui nõ ipſe ſit iuſtitia præditus. Atque verum iſtud in virtute fortaſſe morali videri poſſit: nunc quum duplex ſit, vt dixi, iuſtitia,

Cenſ. Co. fol. 169.

Chriſtus totus noſter cum omnibus ſuis bonis.

Argumẽtum.

Quemadmodum Chriſtus factus eſt peccatũ, ita & nos facti ſumus iuſti.

Sed Chriſtus non ab inhærẽte peccato, factus eſt peccatũ. Ergo & nos nõ ab inhærẽte iuſtitia iuſti efficimur.

Iuſtitia, Ethica, & Theologica.

iuſtitia, alteta quam Ethicam vocãt, altera Theologica, illa in moribus, hæc in fide poſita, longè aliter de hac, atque de illa iudicandum eſt. Iuſtitia ſiquidem de qua agit Ariſtoteles, vt virtus eſt moralis, diſtincta à prudẽtia, fortitudine, & tẽperãtia, ita ad habitus animi & internas qualitates refertur, καθ' ἃς ποιοί πινες λέγονται, τοῖς φιλοσόφοις.

Atque vt verum hoc aliquo modo fateamur, haud quicquam tamen noſtram lædit cauſam, nec inſtitutum imminuit. Quum omnis hæc ſuſcepta à nobis eò ſpectat contentio, vt iuſtitiam exquiramus, non quæ virtus ſit hominum moralis, ſed quæ virtus ſpiritualis & donum Dei exiſtat, quæ non noſtra, ſed quæ Chriſti ſit propria, vnde ſolus is ſanctus, iuſtúſque, nos in illo iuſtificati dicimur, non ratione operum, ſed ratione fidei, quam Deus imputat in iuſtitiam credentibus in nomen eius. Hincque iuſtitia fidei rectè dicitur adeóque fides ipſa iuſtitia eſt, qua iuſti coram Deo ſtatuimur, prædíti non externa illa iuſtitia, de qua iſti philoſophantur, ſed propria maximéque interna iuſtitia exculti atque exornati. Quod quum ita ſit, quis non videt falſum atque ſophiſticum eſſe, quod iſti ex Ariſtotele aſſumunt: aut nos ex operibus iuſtificari, aut iuſtos nullo modo dicendos? Quid ita? *quia iuſtus nemo dici poſſit, niſi ex ea iuſtitia, quam ſuam quiſque in ſe poſſidet.* Ita enim argutantur acutuli iſti, qui gratuitam fidei iuſtificationem ferre nequeunt. Quibus vt reſpondeam, hoc primum ab ipſis audire liceat. Vtrum fides, qua in Chriſtum mediatorem credimus, virtus ipſis videatur, an ſecus? Si cenſeant: peto porrò moraliſne ſit, an Theologica? Deinde vtrum interna, mẽtibúſque noſtris inſita inhæreat, an externa dicenda ſit? Si interna res ſit fides, eadémque iuſtitia noſtra

Iuſtitia fidei.

Iuſtitia interna & inhærens, qua iuſtificamur ſecũdum Euangelium.

existat apud Deum: cur non igitur legitima hæc argumentandi formula videatur, contra Iesuitas, qui negant nos aliter, quàm iustitia interna & inhærente iustificari?

Fides interna & inhærens maximè iustitia.

Argumentum.

Ma. Fides nostra iustitia est coram Deo:
Mi. Fides nostra virtus est interna, & inhærés.
Concl. Ergo: iusti coram Deo interna & inhærente virtute efficimur.

At obstrepunt hîc rursus aduersarii, minimè quidem negare se, quin fides virtus in nobis interna existat, at quæ tamen fideles nos faciat, iustos non faciat. Quid ita? Quia à fide fideles, inquiunt, iusti non nisi à iustitia dicimur. O suaues homines & scitos. Quasi qui fideles sunt in Christo Iesu: non iidem etiam iusti existãt coram Deo nostro, aut quasi nominibus solùm ista spectanda sint, non causis potius & effectis ponderanda. Et quid tum his Pauli verbis dicent, iustificati fide, pacem habemus apud Deum per dominum nostrum Iesum Christum? Quod si posita causa, necessariò ponendus sit effectus, fidésque causa sit iustificans (testante Apostolo) quî fieri potest, vt qui à fide fidelium nomen ducant, non eadem ratione causam ipsam iustitiæ accipiant, vnde iusti non dicantur solùm, sed etiam re ipsa constituantur.

Atque hæc obiter contra Iesuitarum obiecta, qui quum ad dialecticas argumentandi formas diuina religionis nostræ theoremata exigũt, tam acriter: par est, vt iisdem modis & ipsi eos irretitos teneamus, nósque ex ipsorum expediamus tẽdiculis, quoad licet. Hîc igitur quandoquidem argumenta ad Aristotelicos modos conformata à nobis postulant tantopere, ita accipiant.

Argu-

Argumentum.

Ma. Ex iustitia rectè & formaliter homines dicuntur iusti.
Mi. Fides Christi iustitia est, à Deo nobis imputata. *Ergo,*
Concl. Ex fide rectè & formaliter homines iusti dicuntur apud Deum.

Rursus.

Ma. Qui iustè agunt, iusti dicendi sunt.
Mi. Qui credunt in filiũ Dei, iustissimè agunt.
Con. Ergo, Qui credunt in filium Dei, iusti meritò dicuntur.

Quid enim quisquam iustius agat aut sanctius, quàm vt credat in vnigenitum Dei filium, eum que fide tota amplectatur? attestante Euangelio. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Aut quæ porrò doctrina illustrior, quàm Christum filium Dei, potentiámque mortis eius, & resurrectionis rectè cognouisse? Quæ notitia quanti valet apud Deum, præ cæteris omnibus aliarũ artium disciplinis, ex eo constare poterit, quod apud diuinum vatem de Christo prænunciatum accipimus. Et ipse, inquit, seruus meus iustus in notitia sui iustificabit multos. Quòd si in notitia tantùm filii Dei statuitur iustificatio nostra, nec aliud sit fides filii, quàm diuinitus inspirata ipsius notitia: quæ fides igitur tribuenda Iesuitis istis Sophistis, qui neque externam iustificandi causam vllam admittunt, nec internam agnoscunt aliam, præter hanc, quam ipsi in operibus constituunt. Age, & quid porrò Augustini Argumento huic respondebunt.

Hoc est opus Dei, vt credatis in eũ quẽ misit ille. Ioan. 6.

Argumentum. Ex August.

Ma. Vnde salui, inde & iusti sumus.
Mi. Ex fide salui sumus Deo reconciliati, & victores euadimus, iuxta illud Euangelii.

Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra.

Con. Ergo: Ex fide iustitiæ nomen rectè nobis tribuitur testimonio Augustini.

Cæterùm non tacebunt adhuc isti graculi, qui neque internam, neque externam vllam fetunt iustitiam, præter hanc solam, quam ipsi in operibus, & legis obseruatione describunt: Idque hoc lemmate astruere conantur. Primùm enim, quod ad fidem attinet, etsi virtus ea interna sit, non aliter tamen iustificare eam, quàm ratione charitatis, contendunt. De Iustitia verò Christi ita disputant, quoniam ea nostra non sit, sed Christi propria, non esse proinde, cur ex ea iustitia quæ alterius sit, quisquam iusti nomen sibi vsurpare possit, lege nimirum Aristotelica. Quod quàm ineptum sit & pugnans cum fide Euangelica, clarissimis scripturæ verbis haud difficile demonstrare fuerit. Nam alioqui quorsum diuina dilectio Christum vnigenitum suum mundo dedisse in Euangelio atque in Prophetis prædicatur, nisi opes illius omnes, virtutes, merita, quæcunque denique illius bona, nobis pariter cum illo communicare voluisset? vnde Paulus. Qui filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam non cum illo omnia nobis donabit? Quòd si igitur Christus à patre nobis datus, effusus, atque expositus, totus denique cum bonis, cum dotibus vniuersis noster sit factus. An quicquam iam in illo fuerit, siue sapientia, siue iustitia, siue sanctificatio, siue vita aut victoria, siue mors, siue quiduis præterea aliud, quod non nostrũ sit, quódque non legitimo iure nobis vẽdicare liceat? Si nostrum sit, qua igitur ratione à nobis alienum esse prædicant gymnosophistæ isti? Qua de re ita argumentari liceat?

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suũ vnigenitũ daret vt omnes qui credunt in eum. &c. Rom. 8.

1. Cor. 1.

Ma. Quicquid pro nobis fecit Christus, nostrum ducitur, haud aliter acsi à nobis ipsis factum esset. Regula iuris, Quod quis per alium facit, per seipsum fecisse videtur.

Mi. Christus omnẽ impleuit iustitiam *PRO NOBIS.*

Concl. Ergo. Christi omnis iustitia per fidem nostra est, perinde ac si à nobis adimpleta fuisset.

CHRISTI IVSTITIAM NOSTRAM esse iustitiam exemplo Adami confirmatur.

EXEMPLO fortassis res euadet dilucidior. Adamum spectemus atque in eo publicam naturæ nostræ calamitatem intueamur, simúlque ex eadem ruina ab illo accepta, restitutam à secundo Adamo salutem vicissim cõtemplemur. Quod si enim contrariorum eadem sit disciplina & potentia, iuxta philosophos, facilius eo pacto licebit ex vnius malo alterius commoda æstimare. Vtrunque igitur cum altero Adamum componamus, primum illum de terra terrenum, cum secundo hoc, de cœlo cœlesti. Qui licet inter se tota natura sint diuersissimi, singulari tamen Dei consilio ita comparatum est, vt mira quædam inter res diuersissimas respondeat similitudo, ratióque restitutæ nostræ salutis, cum accepti exitii ratione aptissimè conueniat. Primum in eo, quòd vterque generationis princeps extiterit & autor, ille quidẽ terrenæ, hic cœlestis. Accessit deinde aliud, in quo typum ille ac imaginem Christi multò post venturi mirificè præferebat. Id qua ratione factum, rectissimè à Paulo ipso percipiemus. Sicut per vnius, inquit, hominis inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam, iusti constituentur multi.

Comparatio Adami & Christi.

Adamus prior, typus secundi. Rom. 5.

Idémque iterum atque iterum pluribus ingeminans verbis: Quemadmodum, inquit, per vnum hominem peccatum in mundum irrepsit, & per peccatum mors, in omnes homines peruasit, in quo omnes peccauerũt. &c. Et mox: Quod si igitur per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, itidem & per vnius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem vitę. Quid his Apostoli verbis explicatius? quorum omnis vis & summa huc redit denique, vt doceat veram iustitiæ nostræ rationem non nostris deberi virtutibus, sed alieno merito acceptam referri oportere: huiusmodi nimirum sententiam exprimens argumento.

Argumentum.

Sicut per vnius delictũ propagatũ est malũ, ita per vnius iustificationẽ propagatur bonum.

Ma. Qua ratione iustitia propagatur in mundum, eadem ratione prouenit & iustitia.

Mi. Iniustitia propagata est per vnius tantùm hominis delictum.

Con. Ergo: Et iustitia ex vnius tãtùm merito, deriuatur in omnes fidei cognatione ad Christum pertinentes.

Per inobedientiã vnius peccatores constituti sunt multi. Rom. 5.

Siue vt crassiore adhuc minerua eadem hæc repetamus, in hanc si placet formã ratio connectatur.

Aliter.

Ma. Quomodo res habet inter Adamum & nos: eodem modo res habet inter nos & Christum.

Sicut vnius peccato multi mortui, ita vnius gratia multi iustificati. Rom 5.

Mi. Peccatum vnius Adami imputatum est in omnes posteros, etiam qui non prætergressi sunt cum ipso.

Con. Ergo: Iustitia vnius Christi imputatur in omnes eius posteros, in eum videlicet credentes, quanuis cum ipso non obedierũt.

DE ME-

VARIÆ DOCTORVM Theologorum Theses, aduersus nonnulla Iesuitarum dogmata.

DE MEDIATORIS INVOcatione, Theses Theologicæ,

Oppositæ Iesuitarum, de Mariæ virginis, Angelorum, & Hominum mortuorum intercessione, erroribus: de quibus Præside D. IOANNE IACOBO GRYNAEO, Gregorius Brandmyllerus, Liberalium artium magister respondit in Academia Basilienſi Anno 1583. pridie Idus Martij.

I.

QVVM de Mediatoris inuocatione, Iesuitæ litem nostris Ecclesiis moueant, vt persuadeant, non solùm Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam Mediatorem vnum inter Deum & Homines, esse inuocandum: sed etiam Mariam virginem θεοτόκον in primis: deinde, & sanctos Angelos ac Spiritus piorum, qui cum Christo Iesu in cœlis degunt, tanquam succenturiatos Intercessores, præcibus nobis esse compellẽdos: Propositum nobis est ostẽdere, primùm de quibus Capitibus nobis & illis cõueniat: deinde, quódnã sit controuersiæ caput: & quid de eo statuendũ sit piis mentibus.

1. *Mediatore nobis esse opus.*

Quum Deus summè iustus, serió irascatur nobis peccatoribus, nec inter immensam Dei maiestatem, quæ spiritualis & infinita est: & inter naturam humanam, quæ finita est, & Animo intelligente ac organico corpore constat: citra idonei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequestri interuentum, vlla possit institui consociatio: fatentur vtrique Deum Patrem ritè inuocantibus, opus esse Mediatore.

3. *Mediatorem esse adorandum.*

Sed & illud ἀναμφισβήτητον & certum est, Sequestrem illum nobis esse, vt apud Patrem pro nobis intercedat, inuocandum.

4. *Mediator quis esse possit.*

Est & hoc certum, Neminem Mediatoris munere, pro nobis, apud Deum Patrem fungi posse, nisi eum, qui sit Medius inter Deum irascentem peccato, & nos reos peccati: Deo carissimus & conscius arcani decreti de Redemptione nostra: qui Meritorum suorum virtute ἀληξικάκος: qui rerum precúmque nostrarum sit cõscius, &c.

5. *Status.*

Controuersiæ inter Ecclesias nostras Christianas, & Iesuitas Romanæ Triarios Ecclesiæ, Status hic est, Anne præter Iesum Christum, Maria virgo, sancti Angeli, aut electorum Hominum Spiritus, pro intercessoribus apud Deum nobis sint habendi, & eã ob causam adorandi, an verò non? Nos, σωὶ θεῷ, negantem tuemur: Iesuitæ autem aientem. Vtri rectiùs veriúsque sentiant, ex δικαίῳ disputationis pii & prudentes facilè poterunt colligere.

6. *Definitio Mediatoris.*

Mediator inter Deum & Homines, est Persona θεάνθρωπος, ac proinde Media, & vtrisque ὁμοούσιος: quæ Patri ἐξοχὰ τῶν ἄλλων, vsque adeò cara est, vt eius caussa Electi in ipso ab æterno, & Reconciliati homines eidem sint cari: quæ inde vsque ab initio, Ecclesiæ, meritorum efficacia, precum exaudi-

exauditione, Spiritus sancti effusione, vt Regem, Sacerdotem & Prophetam oportebat, benignissimè adfuit, adest & aderit vsque ad Mundi consummationem: denique ea est, in qua Patri visum est ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα. Cui hæc definitio competit, is demum Mediator est.

7. *Iesum Christum solum Mediatorem esse.*

Solus autem D. Iesus Christus, Immanuel est, Patri carissimus est: Electionis & Redemptionis nostræ auctor vnicus est: Ecclesiæ tanquam Rex, Sacerdos & Propheta adest: meritis pro nobis intercedit: Spiritum sanctum in nos effundit: denique in eo vno recolliguntur omnia.

8. *Angelos Mediatores non esse.*

Nullus Angelus vel Deo, vel nobis Hominibus ἱλαστήριος non est: nullus suis meritis Hominũ peccata expiare potest: nullus etiam vbique est, sic vt omnium vota audire queat: & vt definita eorum virtus est, sic & natura eorum circumscripta est, vt non nisi alicubi sint definitiuè.

9. *Homines sanctos eiusmodi Mediatores non esse.*

Nullus etiam φιλὸς Homo, seu superstes, seu hac vita defunctus, Medius est (sic vt sit θεάνθρωπος) & Mediator: vt ex alterius Naturæ, humanæ videlicet, communione: ex communi omnium Hominum reatu: ex eo quòd etiam sanctissimis Hominibus Mediatore opus est: ex eo, quòd Sanctis tanquam membris, non competit honos, qui in solidum Capitis Christi Iesu proprius est: ex eo, quòd sancti Spiritus qui in cœlis versantur, ignari sunt rerum particularium, quæ hîc in terris peraguntur: Isa. 63. 16. ex eo, quòd cultus adorationis nulli creaturæ competit: & ex multis aliis so-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lidissimis rationibus liquet.

10. *Mariam virginem non esse Mediatricem.*

Etsi autem sancta ἁγία τοκος Virgo, benedicta est inter mulieres: eadem tamen ab Angelo κεχαριτωμένη, id est, gratis dilecta, vocatur: Luc. 1. 28. & est humanæ solùm naturæ consors: imò meritis & sanguine Filii sui redempta est.

11. *Complexio.*

Cum Paulo itaque Apostolo demonstratiuè concludimus, Vnum esse Mediatorem Dei & Hominum, Hominem Iesum Christum: eiúsque solius nomine preces concipiendas. 1. Timoth. 2. 5. Ioan. 16. 23. nec sanctos seu Angelos, seu Homines esse Mediatores inter Deum & Homines: nec etiam sanctam Mariam virginem Matrem, mediatricem esse: id quod demonstrauimus.

12. *Parænesis.*

Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium, per sanguinem Iesu, ea via quam dedicauit nobis recentem & viuam, per velum, hoc est, per carnem suam: quúmque habeamus Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: Accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei, puris cordibus à conscientia mala. Hebr. 10. 19. 20. 21.

Eiusdem D. Grynæi

DISPVTATIO THEOLOgica De Iustificationis nostræ causis, Iesuitarum erroribus opposita: de qua rationem reddidit è S. Literis Amos Amandus Polanus Oppauiensis in eadem Academia Basilienſi, 20. die Februarij, Anno 1584.

I. DISPV-

I.

DISPVTATIONI Orthodoxæ de Iustificatione & eius causis, substernimus hanc auream & immotam basim: *Ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia, Rom. 4. 5.* Item: *Omnes peccauerunt, ac deficiuntur gloria Dei: iustificantur autem gratis (id est) eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo: quem proposuit Deus (vt esset) placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam iustitiam suam, per remissionem præcedentium peccatorum. Rom. 3. 23. 24. 25.*

II. *De efficiente principe causa.*

Solus Deus iustificat. Rom. 8. 33. Deus est is qui iustificat. 34. Quis est qui condemnet?

Demonstratio.

Eius solius est iustificare quos visum est, cuius est & præscire eos, prædestinare vt sint conformes Christo (creare, Gen. 1. 26. Psal. 100. 3.) vocare & glorificare.

Deus solus præsciuit prædestinauítque suos adoptiuos filios, eósque à se conditos, suo tempore vocat & glorificat. Rom. 8. 29. 30.

Quare solus Deus iustificat.

III. *Causa προηγουμένη.*

Iustificat autem secundum propositum voluntatis suæ, seu secundum εὐδοκίαν & gratiam. Eph. 1. 5. & 11.

Demonstratio.

Secundum id iustificat Deus, secundum quod omnia agit.

Atqui secundum propositum voluntatis suæ efficit omnia. Ephes. 1. 11.

Quare secundum idem & iustificat.

IIII. *Causa προκαταρκτική.*

Ne inimici Dei maneam°, destructis Satanæ ope-

ribus, sibi reconciliatos iustificat. Roman. 5. 10. 1. Ioan. 3. 8.

Demonstratio.

Si ad hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli, quæ sunt peccatum, inimicitiæ cum Deo, & mors secunda: tum certum est id quod de causa τῆς παρκτικῆς diximus.

Vera sunt quæ antecedunt omnia: vt ex allegatis liquet.

Verũ igitur est & quod ex iis ἀκόλουθος sequitur.

V. *Efficiens, famulans, annuncians.*

Euangelio annunciatur, Sacramentis obsignatur, iustificatio. Rom. 1. v. 16. & 4. 11.

Demonstratio.

Si Euangelium Christi (eo quòd Iesum Christum per fidem apprehensum, vnicam salutis adipiscendæ rationem esse ostendit) est Dei potentia, ad salutem cuiuis credenti, quia Dei iustitia per illud retegitur ex fide, qua iustus viuit: si etiã Sacramentis obsignatur iusticia fidei: tum certissimum est, iustificationem per Euangelium annunciari, & Sacramentis obsignari.

Vera sunt quæ præcedunt; vt ex allegatis & probatis patet.

Vera igitur sunt & quæ sequuntur.

VI. *Efficiens organica apprehendens & applicans.*

Colligimus fide iustificari hominem, absque operibus legis. Rom. 3. 28.

Demonstratio.

Si solius fidei (quæ inquam viua est, Iac. 2. 26. & per charitatem agit, Galat. 5. 6. obiectum est Euangelium, hoc est, gratiæ promissio, quam illa apprehendit, & in qua suauiter acquiescit: tum sequitur, rectè cum Ambrosio Ecclesias nostras docere, sola nos fide iustificari. Per fidem enim intelli-

intelligimus, Iesum esse Christum Filium Dei, & credentes habere vitam æternam per nomen eius. Ioan. 20. 31.

Verum est antecedens. Rom. 10. 8. Hoc est, verbum fidei, &c.

Est igitur & consequens verum. Ac piè dixit Remigius, super Psal. 10. Tota fides mea in Christo est, per illum solùm credo me iustificari & saluari.

VII. *Obsignans causa.*

Spiritus autem sanctus benedictionem Christi, ac proinde iustificationem, sic in nobis obsignat, vt impium sit de ea dubitare.

Demonstratio.

Quum idem Dominus omnium (fidelium) sit, diues in quosuis à quibus inuocatur, vt inter fideles qui olim vixerunt, ita inter huius ætatis homines fideles non est διαφορὰ, seu distinctio. Rom. 10. 12.

Atqui fideles olim, audito sermone veritatis, id est, Euangelio salutis suæ: in quo etiam, postquam credidissent, obsignati sunt Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis, &c. Ephes. 1. 13. 14.

Ergo nunc quoque fideles obsignantur Spiritu sancto, vt nec de benedictionis spiritualis speciebus, nec etiam de eius fine proximo, videlicet de hæreditate cœlesti, dubium illis esse possit.

VIII. *Finis vltimus iustificationis.*

Iustitiæ & misericordiæ Dei declaratio, finis vltimus iustificationis est. Rom. 3. 26. & 4. 8. 15.

Demonstratio.

Si ea lege nos iustificat Deus, vt iustitiæ suæ, à Filio mediatore nostra causa satisfieri voluerit: & tamẽ gratis (si nos respicias) nobis peccata condonet: tum sequitur, declarationem mirãdi illius

temperamenti iustitiæ & misericordiæ, finem vltimum esse nostræ iustificationis.

Prius verum est: vt disertè in illis Pauli dictis affirmatur.

Igitur etiam posterius verum est.

IX. *Finis proximus.*

Proximus iustificationis nostræ finis est pax conscientiæ, quæ rectè & firmiter statuit, se iam in gratia esse apud Deum. Rom. 5.1.

Demonstratio.

Id rectè proximus finis iustificationis esse dicitur, cuius gratia eius benedictionem nobis præstat Dominus.

Atqui ideò nos iustificat, vt habeamus pacẽ, & seruemur ab ira, per vitã Iesu Christi. Rom. 5.1.9.10.

Hæc igitur pax, finis proximus iustificationis nostræ, à nobis rectè statuitur.

X. *Causa propter quam iustificamur.*

Propter Dominum nostrum Iesum Christum iustificamur. Rom. 4.25.

Demonstratio.

Eius solius merito iustificamur, qui solus pro nobis mortuus & resuscitatus, pretium redemptionis nostræ persoluit.

Atqui solus Dominus noster Iesus Christus, traditus est in mortem propter offensas nostras, & excitatus est propter iustificationem nostri. Solus ille torcular calcauit. Isa. 63.3. redemit nos sanguine suo pretioso. 1. Petr. 1.19.

Ergo illius solius causa iustificamur.

XI. *Subiectum.*

Soli Electi iustificantur. Rom. 8.33.

Demonstratio.

Ii demum, & quidem soli iustificantur, quibus nemo crimina intentare, & quos nemo condemnare potest.

De

De Electis hæc disertissimè pronunciat Apostolus, dicto allegato.

Soli igitur Electi iustificantur.

Demonstratio alia.

Si iidem sunt præsciti, prædestinati (seu electi ad æternam vitam,) vocati, iustificati & glorificati: tum ἀναπορρήτως sequitur, nullos nisi Electos iustificari.

Certissimum est quod antecedit. Rom. 8.29.30.

Ergo & quod consequitur, certissimum est.

XII. *Formalis causa.*

Deus nos iustificat, quando & nostra peccata nobis condonat, & Filii sui iustitiam nobis imputat, vt eius causa iusti habeamur.

Demonstratio.

Si quando nos iustificat Deus, non solùm nobis remittit debita nostra, sed etiam iustitiæ Christi dono, iniustitiam originalem in nobis hærentem absorbet: tum sequitur, iustificationis nostræ formam constare remissione peccatorum & imputatione iustitiæ Christi.

Vera sunt quæ antecedunt. Rom. 3.25. & 4.7. & 5.m. & seq.

Ergo & quæ sequuntur vera sunt.

Nobis itaque iustificatio est Dei benedictio, quæ per Euangelium annunciatur, pérque Spiritum sanctum obsignatur, ac fide percipitur, quæ statuit firmiter, nobis propter solum Iesum Christum mediatorem, non tantùm debita condonari, sed etiam iustitiam illius imputari, ad laudem iustitiæ & misericordiæ Dei, quam ordine præcedit vocatio, subsequitur sanctificatio.

XIII.

Commentitiam itaque Iesuitarum ἑτεροδιδασκαλίαν, sanæ doctrinæ de iustificatione è diametro repugnantem, fugiamus. Nam illa fingit

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. In iustificationis actu, hominem Dei σύνεργον esse: quia iustificatio sit motus ad iusticiam, seu id quo acquiritur iusticia, per fugam mali stu diúmque boni: quod tamen sanctificationis proprium est.

2. Gratiam fingit esse, quum quis operum suorum mercedem accipiens, δικαιοῦσθαι, iustificari, ex suis meritis, dicitur.

3. Meritum congrui esse προκαταρκτικὸν iustificationis.

4. Euangelium esse legem, cuius propria doctrina sit, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Item, Sacramenta iustificare, ac prodesse ex opere operato.

5. Sola fide nos non iustificari, quia illa sit communis multis impiis. Iustificare tamen fidem, quatenus ea sit formata charitate, & respectu initii.

6. Iustificationem esse duplicem: priorem, quæ hoc præstat, vt merito mortis Christi, credentes imbuantur charitate & aliis virtutibus: posteriorem, quæ facit, vt homo illis qualitatibus instructus, inhærente illa iustitia promereatur maiorem, pleniorem & auctiorem iustitiam, recõciliationem, adoptionem, & vitam æternam. Non igitur soli Deo iustitiæ & misericordiæ plenam laudem tribuunt.

7. Dubitandum esse, an homo iustificatus sit in gratia. Hæc dubitatio tollit pacem.

8. Hominem iustificari fide, sed propter opera, quæ illa parit: non autem propter solum Iesum Christum, qui factus est nobis iustitia à Deo. 1. Cor. 1. 30. Ac opera quædam præparatiua esse ad iustificationem, quædam concurrere, quædam subsequi actum iustificationis, eúmque quodammodò absoluere, vt Maluenda opinatus est.

9. Non

9. Non solos electos iustificari.

10. Iustificationem esse acquisitionem iustitiæ, quæ operibus constet, quibus ordine iusticiæ debeatur merces à Deo promissa: cuius gratia homo meritò dicatur iustus. Ac contra piam doctrinam de iustitia imputata, contumelioſè dicunt Iesuitæ: Si iustitia est imputata, ergo & salus erit non vera & inhærens, sed absens & imputata. Iidem scurriliter veritati cõtradicentes, aiunt: Si quis dicat hominem fide esse iustum, idem est, ac si quispiam diceret asinum asinina forma esse hominem. Fide enim fideles, iusti verò dicimur iustitia. Plura qui Iesuitarum paradoxa desiderat, Colonienſem censuram dudum editam inspiciat.

THESES DE MODO ADOptionis, seu de Fide Electorum Dei, à doctissimo quodam Theologo conscriptæ.

Iesuiticis præstigiis, in Canisii Catechismo, in Censura Colonienſi, & aliis Disputationibus, cap. de Fide & Iustitia Christiana, sparsis oppositæ.

1. D. Ioannes Euangelista, priori capite scribit, Christum dedisse potestatem iis qui credunt in nomen eius vt filii Dei fierent. Quibus verbis apertissimè docet, adoptionem nostri in filios Dei per fidem fieri: qua credimus in nomen æterni λόγου, qui est filius virginis. Rationem itaque fidei, qua fit hæc admiranda & expetenda adoptio explicemus. Scopus D. Ioannis.

2. Fides Christiana, qua in filios Dei adoptamur, est notitia & assensus promissæ & expetitæ misericordiæ, adeóque salutis propter Christum, & in eandem promissam misericordiæ firma fidu- Fidei definitio.

cia. Hæc definitio confirmatur & apertis oraculis Dei, & illustribus exemplis, vt Abrahæ & aliorum. Verùm, vt clarius demonstrari possit eam in partes suas, monstrato obiecto, & fundamentis quibus singulæ partes nitantur, retexere volo.

4. Definitionis partes.

3. Sunt autē quatuor huius definitionis partes, quę omnes idem habent obiectum. 1. Notitia. 2. Assensus. 3. Expetitio. 4. Fiducia. Nos primùm de obiecto, in quod hæ omnes fidei partes intuentur, nonnulla dicamus.

Fidei obiectū, misericordia Dei in Christo promissa.

4. Est autem commune harum partium obiectum, misericordia Dei in Christo promissa in quo Christo nos pater cælestis regenerat, adoptat, iustificat, sanctificat, & donat æterna vita. Obiectum illud ab Euangelista indicatur hisce verbis, *Qui credunt in nomen eius*: Nomen autem habet relationem ad prædicationem Euangelii de Christo. Vult ergo Ioannes vt in Christum credamus, eum videlicet quē proponit nobis Euangelium, & talem, qualis in Euangelio nominatur, hoc est prædicatur.

Christus quis.

5. Quis est ergo ille Christus quem proponit Euangelium? Est æternus λόγος & Filius Dei Patris: est semen mulieris primis nostris parentibus promissum: est Messias prædictus à Prophetis: est ille dominator gentium, quem signauerunt figuræ: est ille filius virginis natus in Bethlehem: est ille Doctor qui stupendis & diuinis miraculis suam obsignauit Doctrinam: qui postquam passus, mortuus & resuscitatus est, ascendit in cælum, dedit Spiritum sanctum visibili forma, sedet ad dexteram Patris, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Nominatur autem & prædicatur in Euangelio, 1. Verus & æternus Deus. Quare qui in Christum credit in verum & æternum

æternum Deum credit. 2. Prædicatur & declaratur verus homo. Quare qui in Christum credit, in hominem credit qui est Deus. 3. Nominatur vnus Christus, atque ideo quicunque in ipsum credit, in eam personam credit, quæ est Deus & homo, seu (vt Græci loquuntur) quæ est θεάνθρωπος. 4. Nominatur & prædicatur Seruator & Mediator credētium. Quisquis proinde in ipsum crediderit, saluabitur. Hoc salutionis officium indicatur & variis huius personæ appellationibus, & plurimis Scripturæ testimoniis: imò tota Scriptura hunc vnicum scopum habet, vt doceat Christum Dominum saluatorem credentium esse. Hic finis est, cur misericors Pater hunc suum filium in mundum miserit.

1. pars fidei. Notitia.

6. Iam partes fidei explicemus. Prima pars fidei est *Notitia*. Cùm enim fides verbum Dei intuetur, necessariò eius verbi requiritur intellectus. Adam audiens hoc verbum, Semen mulieris conteret caput Serpentis, notitiam huius verbi, & auribus & mente percepit. Abraham vocatus de Vr Chaldæorum, audiuit verbum, Ero Deus tuus & seminis tui post te. Item, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Verbum hoc & auribus & mente perceptum circumfert Abraham. Nicodemus cùm audiret à Domino, sic Deus dilexit mundum, quòd Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: intellexit magnificam hanc promissionem, & eius notitiam mente concepit, quam apud se meditatus est. Ad eundem modum hodie quicunque seruabitur idem verbum de agno Dei abolente peccata mundi, nouisse debet: sine quo fides salutaris inchoari nequit. Est enim hæc notitia, veluti elementum fidei ordine primum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

7. Huic notitiæ consequendæ seruit ministerium verbi, Diligens lectio, interpretatio, meditatio. Tametsi autem hoc verbum breue admodum & facile intellectu videtur, re vera tamen plurima ad eius salutarem notitiam requiruntur. Oportet enim omnes articulos fidei cum suis cautis & circumstantiis cognitos habere. Quare inepti sunt, qui existimãt satis esse ad plenam rationem huius notitiæ, ex qua extruitur fides, tenere vnum atque alterum de Christo dictum. Ignorãt enim doctrinam Ecclesiæ veluti catenam quandam esse in qua pars vna alteri ita cohæret, vt omnes partes à se mutuò dependeant.

2. pars fidei, Assensus.

8. Secunda pars fidei est *Assensus*, quo assentimur notitiæ, & eam vt certissimam statuimus. Hic assensus ideò græcè συγκατάθεσις dicitur, quia mens nostra cum intellecta sententia verbi consentit adeò, vt quod verbum sonat, ratum & firmum esse non dubitet. Hic assensus duplex esse deprehenditur. Nam cùm sponte aliquis assentitur iis quæ dicuntur, spontaneus est assensus: contrà, si rationibus firmis conuicta mens approbat verbum, assensus meritò violentus dicitur. Atque ideò huic assensui roborando seruiunt primùm miracula Diuina, vt Nicodemus audita Domini verba nouit, & secum circumfert admirabundus: sed cùm stupenda Christi facta vidit, assensus fit firmus & immotus. Huc etiam alia testimonia pertinent, vt Prophetiarum euentus, conseruatio Ecclesiæ, confessiones tot Martyrum omnium temporum, consensus Mosis, Prophetarum & Apostolorum in eadem doctrina. Adhæc Spiritus sanctus obsignat veritatem Dei in cordibus hominum, vt velint nolint fateantur doctrinam cælestem verissimam esse.

Duplex.

9. Hæc igitur omnia euidentissimam doctrinæ cæ-

lestis demonstrationem suppeditant, adeò vt homines, obstinata malitia & diabolico veneno non dementati hanc demonstrationem intuentes, acquiescant pleno assensu, ac deliramenta incredulorum execrentur, non amplius agitati variarum opinionum procellis. Verùm, qui hoc modo norunt doctrinam salutis, ac ita conuicti sunt, vt assensum præbeãt velint nolint, sed nihilominus veritati resistunt, obstinata, vt dixi, malitia, & Satanæ fascino dementati, apertè resistunt veritati & in Spiritum sanctum peccare conuincuntur: quod scelus suis Iudæis Stephanus obiecit, Act. 7. Quare qui tales sunt & si viuunt hanc externam vitam, tamen iudicio Dei mortui sunt, pœnis æternis addicti. Hinc apparet, quod etsi notitia verbi & eius firmus assensus sint partes fidei, & veluti prima eius quædam elementa: non tamen fidem iustificantem constituant. Nam communis adhuc est cùm piis tum impiis: quemadmodum historia Euangelica satis in iis ostendit, quibus Christus blasphemiam in Spiritum sanctum obiecit.

3. Fidei pars, Expetitio.

10. *Expetitio*, tertia fidei pars & veluti elementum sequitur. Huic plura destinãtur. 1. προπαρασκευαστικὰ omnia: qualia sunt hæc, Venite filii, timorem Domini docebo vos. Item, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. 2. Comminationes mortis æternæ, quam vox Dei minatur omnibus qui non conuertuntur. 3. Sensus iræ Dei horrendæ in peccatores, in quo est gustus quidam commeritæ damnationis: vnde oritur in corde pauor, & operante Spiritu Dei in corde expetitur inenarrabilibus gemitibus remissio peccatorum. In qua expetitione, homo per Spiritum sanctum regenerãtur ac iustificatur, concepta in Seruatorem &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mediatorem fiducia. Exempla expetitæ huius remissionis & fiduciæ conspiciũtur in Dauide, Publicano, Latrone, Magdalena, & multis aliis.

4. Fidei pars, Fiducia.

11. *Fiducia*, quam quartam partem constitui, est fidei iustificantis absolutio & consummatio. Huic stabiliendæ seruiunt Sacramẽta, Baptismus & Cœna Domini. Seruiunt preces & perpetua pietatis exercitia: quæ sunt veluti ros quidam cælestis, quo diuina illa plantula, fiducia in Christũ, rigatur, fouetur, alitur & crescit. Vnde fit vt hæc fiducia ita rigata & fota paulatim adolescat. Hinc hypostasis illa & πληροφορία oriuntur, veluti pulcherrimi fidei flores. Hypostasis quidẽ, qua fides inuicta opponit se omnibus periculis, sustinet omnia, tentationibus carnis, mundi & Satanæ nequaquam cedit. Πληροφορία verò, qua fertur pleno impetu rectà ad thronum Dei, facit ne fides vllis fluctibus se impediri sinat, donec in portũ salutis peruenerit. Huius hypostaseos & πληροφορίας plurima exẽpla in sanctis Dei Martyribus cõspiciuntur, & inprimis illustria sũt Latronis & Stephani. Huiusmodi exẽplis Ecclesiastica hist. referta est.

Errorum refutatio.

12. Etsi autẽ quæ hactenus dicta sunt, vtcũque nobis fidei rationẽ explicare videntur: tria tamen adhuc adiiciã. 1. Contra Põtificios & Iesuitas immotis rationibus ostendam, quòd fides iustificãs sit fiducia. 2. Deinde conuincam sola hac fiducia iustificari & regenerari hominem. 3. Postremò quædam de effectibus fidei addam, quo plenior fidei doctrina habeatur.

Iesuiticus error de Fide. Vide Canisii Catechismum, pag. 3.

13. Quod ad primũ attinet, firmissimas rationes colligam quibus & refelletur Iesuitarum error, qui fidem existimant rectè definiisse, quum illam Dei donũ & lumen esse, quo illustratus homo firmiter assentitur atque adhæret iis, quæ vt credantur, sunt diuinitus reuelata & ab Ecclesia nobis proposita: & quòd fides Iustificãs sit viua in promissionẽ gratuitæ salutis fiducia, demõstrabitur.

14. Rationes autẽ hæ sunt. 1. Ipsa grammatica & propria vocis significatio, nõ historiæ sed fiduciæ cõgruit, vt Erasmus & Budæus, Græcæ linguę callentissimi annotarũt. Eras. in annot. super 1. ad Rom. & 10. ad Heb. Budæus in cõmentariis linguę Græcæ, Πίστις, fides non modò credulitatẽ, sed & rei cõpertæ exploratæque fiduciam significat. Et paulò pòst, Nos autẽ fidem rerum diuinarum vocamus, vt principes Theologi vocauerunt πεποίθησιν. Verbũ πείθω & credo, & fidẽ habeo, & cõfido, fiduciã & spem colloco, apud probatos Scriptores græcos significat & sæpius occurrit. Verbũ hebræum מאמין *hemin* variis in locis V. Testamẽti significat non solùm simpliciter assentiri alicuius verbis, sed & fiduciam ex illo assensu generatã in promissa, quibus assẽsi sumus, habere. vt, Deut. 28. Iob. 24. & 39. Psal. 78. 2. Chron. 20. Mic. 7. & c. De voce πίστεως & πείθω quòd fidẽ & fiduciã significet, multa passim extant testimonia in libris N. Testamenti. 2. Synonyma idẽ cõuincunt: vt sunt, Confidere, Beati omnes qui confidũt in ipsum. Παῤῥησία, cofidentia. Πεποίθησις, fiducia. Hypostasis ὑπόστασις, certa promissionis fiducia, qualis in eo esse solet, qui intrepidè periculũ imminens se superaturum confidit, & statuit se scopum præfixũ assecuturũ. Ita accipitur vox ὑποστάσεως, 2. Cor. 9. & 3. & 11. Hebr. Ex quibus locis colligitur, quòd fides sit imperterrita animi subsistentia, qua quis rei promissæ certitudine fretus, euentum sine hæsitatione expectat, imò vt iam præsentẽ amplectitur. Πληροφορία tribuitur fidei, Rom. 4. Quare non dubiũ est quin cõplectatur fiduciã. Est enim πληροφορία certa persuasio, quo quis veluti pleno cursu ad metã contendit. 3. Exẽpla piorũ qui credidisse in Scripturis perhibẽtur & prædicantur: vt Abrahami, Iairi, Hæmorrhusæ, Mulieris peccatricis, Latronis in cruce, &c. 4. Fidei propriè adiuncta

1. Fidem iustificantẽ esse fiduciam probant
1. Propria vocis significatio
2. Synonyma.
3. Exempla.
4. Fidei adiuncta,

similiter concludunt fidem esse fiduciam. Christus habitat in cordibus fidelium per fidem: fide accedimus ad Deum: fide iustificamur: fide regeneramur: credenti omnia sunt possibilia. Quomodo potestis, ait Dominus, credere qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? 5. Fides, Rom. 4. opponitur dubitationi de euentu rei promissæ: igitur significat firmam fiduciam. Nam hac sola dubitatio euertitur. 6. Mutua relatio inter fidem & promissionem. Promissio non solùm prædicat gratiam, verumetiam eam offert: ergo fides non tantùm nouisse debet promissionem, sed etiam certò sibi polliceri, quòd Deus sit verè præstiturus quod promittit. Qui autem hanc non habet fiduciam, Deum mendacem facit, quo scelere nullum maius est. 7. Testimonium Ecclesiæ. Sancti enim Patres vnanimi consensu fidem esse fiduciam testantur. Augustinus confert fidem manui non aridæ, sed viuæ: sentit igitur fidem fiduciam esse. Bernardus ita loquitur. Primùm sincera radix sanctæ fidei in terra humani cordis plantatur, cui inseritur ramusculus ille sanctæ arboris timor Domini, qui dicitur initium sapientiæ. Cum hoc incipit, & cum illo ascendit vsque ad plenitudinem luminis. Hic poma sunt quibus anima reficitur. De patrũ testimoniis, plura in proximo membro dicẽtur. His septem rationibus, tanquam demonstrationibus quibusdam euidentissimis, conuincimus fidem non tantùm significare notitiam historiæ & assensum: verumetiam promissæ gratiæ expetitionem & fiduciam.

1. Opposita.

6. Relatio inter fidẽ & promissionem.

7. Testimonium Ecclesiæ.

Fide sola nos iustificari variis rationibus probatur.

15. Iam ostendendum est, quòd hac sola iustificemur ac regeneremur in nouam creaturam. Rationes autem hæ sunt. 1. Dominus archisynagogum Iairum confirmaturus dicit ei, Ne metuas,

tuas, tãtùm crede. Hìc exceptiua particula disertè additur, vt intelligatur quòd promissio salutis sola accipiatur fide, & non pendeat ex vlla operis nostri dignitate aut merito. 2. Periphrasis particulæ exclusiuæ, vt Gal. 2. vbi Paulus dixit homines non iustificari nisi fide, expressè addit, *absque Operibus*. 3. Collectiones fortissimæ, petitæ ex dictis de iustificatione, quales inter multas extãt Act. 10.43. & 13.38. & 15.8. Rom. 1.16. & 3.20.24.28. & 4.3. &c. & 5.19. & 10.3.4.9. 1. Corint. 1.30. 2. Cor. 5.21. Galat. 2.16. & 3.6.7.8. &c. Ephes. 2.8. Philip. 3.9. Tit. 3.5. &c. Ex his testimoniis immota consequentia sequitur, quòd & opera de causis iustificationis excludantur, & quòd sola fide iustificetur omnis qui credit. 4. Iudæorum exemplum solius fidei esse iustitiam apertè docet, ad Rom. 10. Apostolus enim pronuntiat propterea Iudæos non fuisse iustitiæ fidei subiectos, quia propriam iustitiã vnà cum fidei iustitia voluerunt stabilire. Paulus ad Philipp. 3. idem suo exemplo comprobat: asserit enim se vtvt erat irreprehensibilis in lege coram hominibus, omnia reputasse veluti σκύβαλα, vt eam iustitiam quæ est à Deo per fidem consequatur: significans fieri non posse, vt fides & opera simul iustitiæ Christianæ partes aut causæ statuantur. 5. Necessitas, eáque quadruplex. Prima, necessitas confutandi corruptelas quas inuexit Papatus ex cacozelia philosophica in doctrinam de iustificatione. Secunda, necessitas vindicandi honorem Christi, cui soli redemptio Ecclesiæ, gloria & victoria super portas inferi debetur. Tertia, necessitas consolandi afflictam conscientiam & luctantem cum desperatione. Nam qui statuit iustificationem ex operibus & fide simul pendere, tanquam ex eius causis, nunquam veram in corde consolationem sentiet: imò in ago-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne mortis, peccatorũ conſcientia territus deſperabit. Quarta, Neceſſitas diſcernendi legis iuſtitiam,& iuſtitiam Euãgelii. Illa enim operum eſt, quam nemo præter vnum Chriſtum eſt conſecutus: hæc fidei eſt, & omnibus credentibus gratis propter Chriſtum imputatur. Hoc diſcrimen diſertis verbis traditur in Epiſt. Pauli ad Rom. Galat. Epheſ. & ad Philippenſes. 6. Vtilitas diſcernendi inter cauſas & effecta iuſtificationis, inter arborem & fructum, inter efficientiã & declarationem, inter iuſtificationẽ vitæ, & hominis coram hominibus. Gratia Dei & λύτρον Chriſti ſunt cauſæ iuſtificationis propriæ: quæ quidem iuſtitia vt verbo & Spiritu offertur, ita ſola fide oblata accipitur, vſu Sacramentorũ cõfirmãda. Fructus iuſtificationis eſt noua vita quæ declarat iuſtificationẽ vitæ, & oſtendit hominẽ coram hominibus iuſtũ eſſe. 7. Vox & confeſſio Eccleſiæ. Præcipui enim inter Patres clarè pronunciãt, ſola fide hominẽ iuſtificari. Vnde inter cæteros Gennadium, Baſiliũ in oratione de humanitate, Originẽ lib. 3. in epiſt. ad Rom. Cyprian. li. 2. Epiſt. 3. Epiſt. Hier. in 10. ca. ad Rom. Ambroſ. in eandẽ epiſt. ca. 3. & 8. & in 1. ad Cor. ca. 1. Athan. ad Rom. & in 3. ad Gal. Hilar. in Mat. ca. 8. Auguſt. de Spiritu & litera cap. 12. in prolog. Pſal. 31. de prædeſt. Sanctorum, cap. 2. Greg. in Ezec. li. 1. Hom. 7. Leon. ſer. 14. de natiuit. Epiph. in Ancorato, Chryſoſt. in 3. ad Gal. Cyrill. in 9. ca. Ioan. li. 4. Theod. in epi. ad Rom. & Epheſ. Iſychus in 14. Leuit. Bernard. ſuper cant. Serm. 67. & epiſt. 77. Primaſium, in 8. ad Rom. & alios quorum teſtimonia primus tomus exhibet.

THESES DE LEGITIMA VERI cultus Dei ratione:

Sophiſticis Catechiſmi Ieſuitici à Caniſio conſcripti, pag. 165. Colonienſis editionis, fol. quæſtionibus & reſponſis oppoſitæ.

Spiritualis cultus Dei.

1. Homines ad prædicationẽ Euangelii (quæ eſt pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti) cõuerſi, & ſpiritualiter renati, Deo ſpiritualem quendam cultum debent, quem ſoli credentes & intelligunt & præſtare poſſunt.

Vanus Philoſophorum conatus.

2. Philoſophi quidẽ omnibus ætatibus ſe torſerunt in tradenda huius cultus ratione: & quidã ex illis vt Socrates, Plato, Xenophon, &c. multas præclaras gnomas reliquerunt: ſed nullus eorum ſcientiam colendi Deum veram monſtrauit. Nam etſi principia quædã huius cultus naturæ lumine viderũt Philoſophi: tamen priuſquã ad rẽ deuentũ eſt, in horribiles demerſi tenebras, & ſe & ſuæ doctrinæ ſectatores miſerè deceperũt: ac à vero Deo aberrantes, creaturã & dæmonia coluerunt.

Eccleſiæ Dei priuilegium.

3. Verùm de tenebris iſtis ſuam Eccleſiã Dominus educit, prætenſa verbi ſui lucerna, ſicuti ſanctus ille rex Dauid teſtatur, cùm inquit, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Huius lucernæ ſplendore, quæ ad ſubſtantiam Diuini huius cultus pertinent, inquirere operæpretium eſt: ne vel cum philoſophis vmbras inanes ſectemur, vel de vno errore in alium cum Monachis, ſpreta lucerna cæleſti, feramur.

Quibus fundamẽtis cultus Dei nitatur.

4. Sunt autẽ quatuor, quibus probè ex verbo Dei perceptis, ſolida cultus Dei ſciẽtia haberi poteſt. 1. Regula ad quã (tanquã ad Lydiũ lapidẽ) exigẽdus eſt cultus Dei. 2. Fũdamentũ. 3. Definitio ſeu Ratio. 4. Cultus Dei in ſuas quaſdã formas ſectio.

1. Generalis regula cultus Dei.

5. Generalis regula cultus Dei eſt hæc, Nullus cultus Deo acceptus eſt, niſi quẽ ipſe Deus proprio ſuo verbo ordinat ac homini commendat. Hanc regulam vox Dei apud Iſaiam & Dominus in Euangelio confirmat, cùm inquit, Fruſtra colunt me docentes doctrinas mandata hominum. Et Paulus apertè damnat omnes ἐθελοθρησκείας, hoc eſt cultus, quos homines bona,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt dicunt, intentione excogitant. Huc accedit quod Paulus disertè pronunciat, impossibile esse placere Deo sine fide. Et rursus, Quicquid non est ex fide, peccatum est. Hanc ergo regulam teneant pii, & quiduis potius patiantur, quàm vt sinant eam sibi vlla diabolorum aut hominum tyrannide, hypocrisi & sophistica eripi. Nam ea amissa, omnis superstitionis & idololatriæ ianua est aperta & regnum Christi inuaditur.

Vsus huius regulæ.

6. Vsus huius regulæ est multiplex. I. Primùm enim ea stabilitur autoritas legislatoris Dei. Nam vt in Republica, vbi liberum est cuilibet condere leges pro suo arbitrio, autoritatem supremi Domini vilescere necesse est: ita etiam in Ecclesia, Dei autoritas contemnitur, quando alij alios cultus Ecclesiæ Dei obtrudunt. Quare cùm hanc autoritatem sibi soli vendicat Dominus in primo præcepto, caueat puluis & cinis, ne sibi honorem diuinæ maiestatis vsurpet. II. Deinde, hæc regula liberat nos ab errore ethnico, Pharisaico, & Papistico, ne cum illis superstitiones & ἐθελοθρησκείας sine modo cumulemus. III. Præterea nos animat hæc regula ad audacter contemnendas & detestandas omnes Papatum ac Monachorum regulas ac leges, quas volunt Ecclesiæ obtrudere, cum infinitis penè cultus generibus, de quibus vox Dei nullum planè verbum habet. Quare vtut speciosæ sunt humanæ leges de cultibus quos ignorat verbum Dei, secure à piis omnibus contemnantur ac vitentur, non secus atque serpens, qui in paradiso decepit Heuam. Donec enim steterit vox Dei, & regula quã sequimur, fieri aliud non potest quàm vt omnes cultus quos non tradit verbum Dei, sint cultus dæmoniorum, quemadmodum & Paulus testatur.

II. Fundamẽtũ cultus Dei.

7. Sequitur secundo loco fundamentum cultus Dei,

tus Dei, quod in quouis homine volente Deum ritè colere, iactum esse oportet. Huius fundamẽti duę sunt partes: Cognitio Dei, & cognitio nostri.

Cognitio Dei.

8. Cognitionem Dei consequimur duabus rebus, nimirum verbo & testimonio. Hæ enim duæ res coniunctæ docent nos, quòd Deus sit fons omnis virtutis, iustitiæ, sapientiæ, veritatis, salutis: quòd Deus sit ad iuuandum promptus sua natura: quódque illi soli omnis gloria sit tribuenda. Quòd autem hæc Dei cognitio sit pars fundamenti cultus Dei, testatur ipse Deus, Isa. 19. Cognoscent Ægyptii Dominum in die illo, & facient sacrificia & oblationem, vouebúntque vota Domino, ac reddent.

Cognitio nostri.

9. Cognitio nostri, quam dixi alteram partem esse fundamenti cultus Dei, ex trium rerum contemplatione petenda est. 1. Ex fine creationis. 2. Ex virium præsentiũ æstimatione. 3. Ex facilitate lapsus in peccatum. Finis docet officium, quod est referre imaginem Dei in sincera pietate & iustitia vera. Voces præsentes docent, quòd præstare Deo debitam obedientiam minimè valeamus. Lapsus frequentes nos admonent fragilitatis & infirmitatis nostræ.

Vsus.

10. Harum rerum consideratio non hypocritica facit vt omnem gloriandi materiam abiiciamus, & nos soli diuinæ bonitati committamus, omni fiducia salutis coniecta in Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Nam ipse fons ille est, de quo Pater cælestis vult nos aquas salutis haurire.

III. Definitio cultus Dei.

11. Tertio loco, proposui cultus Dei definitionem certam tenẽdam esse, qualis est hæc. Cultus Dei est opus mãdatum à Deo, factum ex fide, in celebrationem gloriæ Dei principaliter. In hac definitione sunt tria, quæ necessariò cõiuncta

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt in vero Dei cultu: 1. opus præceptum. 2. fides. 3. celebratio Dei. Nam si vnum ex his demferis, actio quantumuis speciosa non habet rationem cultus Dei.

Partes. 1. Mandatum.

12. Opus præceptum, est materia cultus Dei, sine qua cultus Dei esse non potest. Verùm siquis peregrinam materiam substituat, cultus Dei non erit. Vt inuocatio sanctorum est opus, celebrare missam est opus, rosarium peragere est opus: sed quia à Deo nõ sunt præcepta, nõ possunt esse materia cultus Dei, sed impiæ potius superstitionis.

2. Fides.

13. Secundum, quod necessariò requiritur in ratione cultus Dei, est fides. Nam opus præceptũ non est cultus, nisi fides sit eius effectrix. Castus fuit Xenocrates, castus fuit & Ioseph: vtrique castitas erat præcepta. Sed quia ille fide vacuus erat, eius castitas non fuit cultus Dei: huius verò, quia fides prælucebat, cultus Deo gratissimus, qui in gloriam Dei in tota Ægypto cessit. Similiter Dauidis militia cultus Dei fuit, Scipionis minimè.

Cur fides requiratur in ratione cultus Dei.

Quòd autem fides necessariò requiratur, vt quæ formet opus, multæ sunt rationes. 1. Nullũ opus placet, nisi prius persona placeat. Placet autem fide. 2. Opus non placet, nisi sit iustum: nunc autẽ vt persona iustificatur fide, ita opera quæ facit iustificatus, iusta habentur propter fidem. 3. Fides facit vt voluntarium sit nostrum obsequium, & non veluti minis legalibus: quod in cultu Dei requiritur. 4. Fides facit vt opus externum sit spiritualis cultus. Oportet enim omnẽ Dei cultum spiritualem esse. 5. Differentiam facit fides inter verum Dei cultum & alias omnes superstitiones. 6. Fides tegit defectus operũ & infirmitates multas, quibus alioqui contaminaretur cultus Dei.

Opera infidelium quid.

14. Proinde omne opus, cui non prælucet fides, siue præceptum sit, siue liberum, impurum, superstitiosum, carnale est. Impurum, quia ex impuro

puro corde proficiscitur. Superstitiosum, quia nõ regitur fide. Carnale, quia Spiritu Christi destituitur. Exẽplum. Pharisæus in Euangelio liberalis fuit in pauperes, fuit castus, fuit sobrius, ex iustè partis vixit. Hæc, si præceptum tantummodo cõsideres, præclara fuerũt omnia: sed, quia vacuus erat fide, omnia ista sunt impuritate animi contaminata, atque ideò abominabilia coram Deo. Contrà autem Cornelii aulici eleemosyna, castitas, sobrietas, iustitia, placuerunt Deo, vt spiritualis cultus: nam fides prælucebat.

Quid cultus diuinus apud pontificios.

15. Hinc facilè est iudicare, quid sit sentiendum de operibus, quæ Papa vt cultũ Dei, tyrannide, sophistica, hypocrisi tuetur: qualia sunt monastica vita, vota impuri cœlibatus, aqua lustrali aspergi, inungi vnguento põtificio, inuocare sanctos, peregrinari ad loca lõginqua religionis ergò, adorare reliquias sanctorũ, missare pro viuis & defunctis, circumgestare panem, reponere panem intra cancellos vt adoretur, & eius generis penè infinita: quæ omnia sunt apertissimi characteres Antichristi. Huiusmodi itaque Papalia opera qui ponit in cultu Dei, quid sit Dei cultus nunquam didicit. Nihil enim in iis est, quod ad cultus Dei rationem pertinet. Annon apertè contra regulã suprà traditam pugnant? Annon omnibus partibus destituuntur, quæ requirũtur in vera cultus Dei ratione? Quare ista relinquamus Antichristo, & nos sequamur faciem verbi Dei quæ sola nobis veram viam cultus salutaris monstrat.

Gloriæ Dei celebratio.

16. Tertium definitionis cultus Dei membrum fecimus, vt opus præceptum ex fide factum tendat in celebrationem gloriæ Dei. Vt enim à fide proficisci debet omnis cultus Dei: sic tendat in gloriam Dei principaliter necesse est, ita vt gloria Dei sit vltimus finis operis. Hoc confirmatur Isaiæ dicto, Omnem qui inuocat

Universidad de Deusto Biblioteca

nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eũ, feci eum. Et Dominus apud Matthæum, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum cælestem. Huc & illud Augustini aduersus Iulianum: Noueris itaque non officiis, sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est, quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur: sed non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare conuincitur. Etsi autem vltimus & principalis finis cultus Dei, est gloria Dei: tamen nihil prohibet gradus esse mediorum finium, qui vltimo destinantur. Dauid militat, vt defendat ciues: defendit ciues, vt incolumis sit Respublica: vult incolumem Rempub. vt doctrina religionis conseruetur & propagetur, idque ideò vt Deus glorificetur.

IIII. Cultus Dei in suas quasdam formas sectio.

17. Postremum, quod spectandum in Dei cultu proposui, est eius in suas formas seu potius modos sectio. Hæc sectio ideò obseruanda est diligentius, quia non solùm ostendit quàm latè pateat cultus Dei: verùm etiam eorum errorẽ confutat, qui otiosos homines, propter quod non attingant Rempublicam, solos Deum in suo otio colere existimant: quasi non multò melius iudici, militi, marito, opifici, &c. pateat via ad colendum Deum, quàm otioso ventri, qui fumos auro commutat.

Cultus Dei duplex.

18. In vniuersum itaque cultus Dei duplex est: Internus & externus. Quorum posterior sine priori cultus rationem non habet. Prior est animi: posterior est corporis. Vterque Deo iustè debetur. Nam quod ad animam, creauit hominem ad imaginem suam, corpus finxit ex limo terræ, ac omnes vires contulit & conseruat. Huc illud Pauli,

Pauli, Glorificate Deum in corpore vestro & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei.

Internus & externus.

19. Vt internus cultus est motus cordis purificati fide, congruens cum lege Dei: ita externus est actio externa, quæ motu cordis regitur, congruens ad normam voluntatis Dei. Vterque differenti as recipit, iuxta gradus præceptorum Decalogi, & discrimina vocationum in statibus à Deo approbatis, hoc est, in œconomico, politico, & ecclesiastico. Hi enim tres status soli approbantur à Deo cum omnibus artibus & officiis quæ faciunt ad eorum incolumitatem conseruandam.

Omnis verus Dei cultus, tã internus quàm externus & spiritualis.

20. Hæc varietas cultus diuini non euertit quod supra tradidimus, videlicet quòd omnis cultus Dei sit spiritualis. Hæc enim differentia non sumitur à qualitate operis, sed à qualitate animi, qui Dei Spiritu agitur. Propter hoc Spiritus motum, omne opus factum ex fide in celebrationem Dei, dicitur & est spiritualis Dei cultus. Solos enim hos cultores requirit Pater cælestis, teste Filio, qui eum colunt in Spiritu & veritate: hoc est qui veris motibus sancti Spiritus aguntur, ad præstandam Deo obedientiam, tum communem cum omnibus piis, tum cuiusque in sua vocatione propriam.

CHARACTERVM IESVITICORVM, CENTVRIA SECVNDA.

I. CHARACTER.

NVNQVAM in sermone adulationis fuimus, sicut nouistis, inquit Apostolus, neque in prætextu auaritiæ, neq; quærentes gloriam ab hominibus, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possemus esse oneri vt Christi Apostoli: sed fuimus mansueti in medio vestri, sicut nutrix fouet filios suos. Eadē ratione eis qui sunt diuinorum verborum participes obseruandum est, num nimium curiosi animi vitio inducti, tanquam vrbium ædificia visuri, ad id accedant, num veniant vt sint rerū secularium participes (*quod Iesuitæ sedulò faciunt*) cùm audierint eos qui sunt Christo consecrati ea, quæ sunt ad victum necessaria, libenter communicare. At sunt ii quidem hypocritæ, ideo mittātur. *Clemens Alexandrinus, stromatum lib.* 1.

II.

Quidnam [*Iesuitæ*] seipsos erigētes, calumnias verbis inuenire contendunt, contentiosas cōparātes quæstiones, distinctiuncularum venatores, pusillarū quarundam artiū æmulatores, litigatores & iurgiorum consarcinatores. Ob hāc artem efferentes se Sophistæ infelices, canoris quibusdā suis nugis garrientes, cùm in nominū delectu & certa dictionū cōpositione & cōnexione tota vita laborāt, cicadis apparēt loquaciores. &c. *Eod. lib.*

III.

Hi sunt lupi rapaces, tecti pellibus ouiū plagiarii, & diserti animarū abigei, qui clam quidē furātur: sed fures esse conuincūtur, qui & dolo & vi nos co-

nos conantur superare qui nō delectamur superuacaneis, vtpote quòd minus eis in dicendo valeamus. Isti sunt qui funiculos trahūt, inquit Scriptura, & nihil texunt, inanem laborē plurimi facientes, quem imposturam & astutiā ipse vocauit Apostolus, aptam ad erroris insidias. *Eodem libro.*

IIII.

Ipsæ sophistarum dictiones non solùm multorum oculos perstringunt & eos seducunt: sed nonnunquam etiam vim adferentes, caducam reportant victoriam. *Eodem libro.*

V.

Mendaces sunt reuera, non ii qui se demittunt & se accommodant propter œconomiam salutis, neque qui labentur in aliquibus ex iis quæ sunt singularia: sed qui concidunt in iis quæ sunt vel maximè principalia, & Dominum quidem, quantum fieri ab eis potest, informant & abrogant. Auferunt autem veram Domini doctrinam, qui non pro dignitate Dei & Domini Scripturas tractant & tradunt. *Libro sexto.*

VI.

Ex iis qui declināt à veritate, alii quidē seipsos solos, alii verò propinquos quoque conantur fallere. Atque ii quidē qui appellātur δ·ξόσοφοι, hoc est, opinione sapientes, qui se veritatē inuenisse existimant, nullam habentes verā demonstrationē, ii seipsos decipiūt, se acquieuisse existimātes, quorū non parua est multitudo, & quæstiones declinantiū propter confutationes, & doctrinā vitantiū propter condemnationē. Qui autē eos qui accedūt decipiūt, sunt valde callidi & astuti, qui etiāsi satis assequantur se nihil scire probabilius, tamen argumētis obscurāt veritatē. *Libro septimo.*

VII.

Necesse est labi in maximis eos qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autem sunt

eiusmodi, vt qui à recta via exciderint, meritò etiã falluntur in plurimis singularibus, propterea quòd non habeãt verorum & falsorum iudicium planè exercitatum, in iis quæ oportet eligere: si enim haberent, parerent Scripturis diuinis. *Eodem libro.*

VIII.

Si Prophetícis Scripturis vti audent qui falsa dogmata sequuntur, primùm quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque vt dictat corpus & contextura prophetiæ, sed eligentes ea quæ dicta sunt ambiguè: traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, non id considerantes quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione vtentes. &c. *Eodem libro.*

IX.

Nolunt conuerti ad veritatem vt quos pudeat deponere commodum sui in seipsos amoris: neque sciunt qua ratione possint suas rationes stabilire, Scripturis vim afferentes. *Eodem libro.*

X.

Cùm ad falsa in vulgus proferendum dogmata processerint, cum omnibus ferè Scripturis euidenter pugnantes, & semper à nobis, qui contrà eos dicimus, confutati, quod reliquum est nunc adhuc sustinent aut quædam ex Scriptis Propheticis non admittere, aut nos, tanquam qui simus alterius naturæ, non posse quæ sunt illorum propria intelligere, calumniantur. *Ibidem.*

XI.

Nonnunquam, cùm conuincuntur, sua negant dogmata, apertè confiteri erubescentes quæ se seorsum ita docere gloriantur. Id enim in omnibus hæresibus videre licet, persequendo ipsorum dogmatum nequitias. Nam postquam à nostris euersi fuerint, ostendentibus ipsos apertè aduersari

aduersari Scripturis, duorum alterum videre licet fieri ab eis qui præsunt dogmati: aut enim suorum dogmatum cõsequentiam, aut ipsam prophetiam, vel potius suam ipsorum spem despiciunt. Semper enim sibi sumunt id, quod eis visum fuerit, esse euidentius quàm quod dictum est à Domino per Prophetas, & ab Euangelio, & etiam Apostolorum testimonio comprobatum & confirmatum. &c. *Ibidem.*

XII.

Inani sapientiæ opinione elati, perpetuò litigant, apertè ostendentes se magis curare vt videantur, quàm vt philosophentur. &c. *Ibidem.*

XIII.

Cùm liceat ex ipsis Scripturis demonstrationes diuinis Scripturis conuenientes colligere, id omnino non faciunt, sed quod eorum voluptatibus suffragatur, eligunt. Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ ex naturâ sua conueniunt, sermonibus diuinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias tractationes, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni vt hæresim constituant. &c. *Eodem libro.*

XIIII.

Circuit cauponas religio mendicans: exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri: non licet Deos [*ritus Iesuiticos*] nosse gratis, venales sunt. *Tertullianus, Apologetici cap.* 13.

XV.

De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes si in bene valentem fidem incurrant. *De præscriptionibus, cap.* 2.

XVI.

A Philosophia subornantur. Item. Inferunt Aristotelem qui illis Dialecticã instituit. &c. *cap.* 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVII.

Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. *Cap.* 15.

XVIII.

His nituntur quæ ex falso composuerũt, & quæ de ambiguitate cœperunt. *Cap.* 17.

XIX.

Solent dicere non omnia Apostolos scisse: eadem agitati dementia qua rursus conuertunt, omnia quidem Apostolos sciisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in vtroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. *Cap.* 22.

XX.

Credunt sine Scripturis, vt credant aduersus Scripturas. *Cap.* 23.

XXI.

Doctrina eorum cum Apostolica cõparata ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiauit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis ædidissent, nisi illi qui ab Apostolis defecerunt & aliter prædicauerunt. Ad hanc formam prouocabũtur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis viris auctorẽ suum proferãt, vt multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. *Cap.* 32.

XXII.

Vnde extranei & inimici Apostolis, nisi ex diuersitate doctrinæ, quã vnusquisq; de suo arbitrio aduersus Apostolos protulit aut recepit? *Cap.* 37.

XXIII.

Nihil interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis repugnationem conspirent. *Cap.* 41.

XXIIII.

Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc seculo obstructos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. *Ibidem.*

XXV.

Loquacitatem facundiam existimant: impudentiam constantiam deputant: & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ iudicant. *Aduerſ. Hermogenem, cap.* 1.

XXVI.

Hæreticorum [*Iesuitarum*] patriarchæ philosophi. *Cap.* 8. Iis ferè mos est simplicia quæque torquere. *Cap.* 19. Simplicitatem communium verborum torquent in quæstionem. *Cap.* 27.

XXVII.

Ne discipulis quidem propriis mysteria sua ante committunt, quàm suos fecerint. Habent artificium quo prius persuadeant quàm edoceant. *Aduerſ. Valentinianos, cap.* 1.

XXVIII.

Ex conscientia infirmitatis nunquam ordinarie tractant. *De resurrectione carnis, cap.* 2.

XXIX.

Auferillis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. *Cap.* 3.

XXX.

Nos rhetoricari quoque prouocant, sicut etiam philosophari. *Cap.* 5.

XXXI.

Scripturæ ignem alienum imponentes, hoc

est sensum & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam, introducentes, incensum Domino non suaue sed execrabile offerunt. *Origenes in lib. Numerorum, Homilia 9.*

XXXII.

Hæreticorum voces si adhibeamus ad altare Dei, vbi Diuinus ignis est, vbi vera fidei prædicatio, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim apponam dicta cuiuslibet hæretici, & hæc sermonibus veritatis ac Scripturarum diuinarum testimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nónne euidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? *Ibidem.*

XXXIII.

Nouissimis temporibus atque in vltimo seculo, Satan mille modis ac multipliciter dimicat, congreditur & tentat, insidiatur, seducit atque subuertit, per multitudinem hæresium, per innumeros errores, per abundantes seductores, per pseudoChristos (*pseudoIesuitas*) ac pseudoDoctores, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminauit, quos atrocissimus ille produxit, quos malignissimus fecit, qui venerunt & veniunt in verbo Domini, in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, nomẽ Christianorum habentes atque speciem pietatis, sed erroribus, impietatibus atque seductionibus referti *In Iobum, lib. 1.*

XXXIIII.

Isti sunt veræ ianuæ mortis & viæ inferni. Isti sunt qui à veritate plurimos præuaricantur, & à fide innumeros aberrare faciunt. Isti sunt ministri maligni Diaboli atque nuncii veritate carentes. Isti sunt cæci duces cæcorum. Isti sunt nubes sine aqua, nebula à tempestate fugata, quibus caligo interiorum tenebrarum dignè seruatur ac custoditur. *Ibidem.*

XXXV.

Differunt, quasi de Euangeliis, & quasi de Apostolis traditionum suarũ fabulas proprio corde exponentes, non in corde Spiritus sancti. Neque enim possunt dicere, Nos autẽ sensum Christi habemus, vt videamus ea quæ à Deo donata sunt nobis. *In Ezechielem, homil. 2.*

XXXVI.

Vide mihi aliquem cuiuslibet falsi dogmatis defensorem, & considera quomodo idola sua, id est figmẽta quæ ipse composuit, mansuetudine & castitate vestiat, vt in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat. Cùm hoc fecerit, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, & idolis subiecisse quæ ipse construxit. *In eundem, homil. 7.*

XXXVII.

Cùm priùs errorem falsæ doctrinæ pro veritate susceperint, & hanc esse veritatem apud semetipsos iudicauerunt, tunc demum & cæteris hæc persuadere conantur, quæ apud semetipsos vera esse censuerunt. *Lib. 3. De Principiis, cap. 3.*

XXXVIII.

Qui per suam indocilitatem & iniustitiã cum multa temeritate seipsos dederunt ad professionem docendi priusquam discerent & agnoscerẽt veritatem, & propterea vanas fabulas Iudaicas imitantes tradunt corporales historias Scripturarum & non sensum spiritualem aut voluntatem earum, & adhuc detrahunt eis qui Christo consurrexerunt & quæ sursum sunt in Scripturis requirunt, & non super terram, nec in terrenis Scripturarum positam existimant veritatem: eludunt quantum ad se ante homines regnum cælorum, eludentes illud iniustitia sua, & trahentes

ad se eos qui poterant, audientes diuiniorem & maiorem doctrinam & altitudinem veritatis, intrare per cælestes doctrinas & per conuenientes eis actus in regnum cælorum. *Tract.25.in Matth.*

XXXIX.

Frequenter considerandi sunt huiusmodi homines, qui in rebus leuissimis religionem suam ostentant. Rectè eos Christus hypocritas appellat. Volentes enim religiositatem acquirere coram hominibus, nolunt suscipere religiositatem illam quam Deus iustificauit. *Ibidem.*

XL.

Calices sunt à foris, quasi mundati propter speciem religionis quam simulant: ab intus autem pleni rapina & seductione quibus homines rapiunt ad errorem, & lupi rapaces sub pellibus ouium latitantes, & simplicium animas deuorantes, qui videre non possunt eos esse lupos rapaces propter ouilium pelliũ tegumentum. *Ibidem.*

XLI.

Sicut sepulchra sunt plena ossibus & omni immunditie, sic & illi pleni sunt hypocrisi & iniquitate, non in vna aliqua re simulantes, neque in conspectu vnius in omni vita sua, quamuis & hoc esset pessimum malum: sed omnibus diebus vitæ suæ in simulationibus viuunt, & aliud quidem sunt, aliud autem esse putantur. Sunt lasciui quidam intus, extra autem castos se esse ostendunt, simulatores castitatis & virginitatis fictores. Alii simulatores iustitia, cùm sint intus iniqui: alii aliarum virtutum simulatores existunt, cùm intus contrariis vitiis repleti sint. Sunt quidam & martyrii simulatores: quidam autem episcopatus, vel presbyteratus, vel diaconatus, vel ecclesiasticæ scientiæ vel doctrinę, tantùm personas & ostentationẽ virtutũ habentes, verè autem sunt inimici earundẽ virtutũ quas simulant. *Ibid.*

XLII.

Circumeunt domos, loquentes ad gratiam cum omni adulatione & deceptione, non vt in verbo Dei animas ædificent ad virtutem, sed vt adulatoriis dulcibúsque sermonibus permanere, vel etiam proficere eas hortentur in vitiis, laudantes & bona dicentes ea quæ correptione digna sunt: ponentes lucẽ tenebras, & tenebras lucem: dulce amarum & amarum dulce, & in his seducũt corda innocentium. *In epist. ad Rom. cap.16.lib.10.*

XLIII.

In perniciem fratrum lingua sua perstrepunt, & facundiæ venenatæ iacula contorquent, magis duri secularis philosophiæ prauitate quàm philosophiæ dominicæ lenitate pacifici, &c. *Cyprianus, Epist.1.lib.1.*

XLIIII.

Venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur. *Epist.3.*

XLV.

Sicut presbyteri Susannam pudicam corrumpere conati sunt, sic & hi adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere & veritatem Euangelicam violare conantur. *Epist.8.*

XLVI.

Vel furori suo vel libidini seruientes, & diuinæ legis ac sanctitatis immemores, iactitare interim gestiunt quæ probare non possunt: & cùm innocentiam destruere atque oppugnare non valeant, satis habent fama mendacii & falsorum ore maculas inspergere. *Lib.2.Epist.10.*

XLVII.

Ad nos sæpe studio magis contradicendi quàm voto discendi veniunt, & clamosis vocibus personantes malunt sua impudenter ingerere, quàm nostra patienter audire. *Contra Demetrianum.*

XLVIII.

Dum sibi appropinquasse iam lumini atque euasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras inimicus rursum infundit, vt cum Euangelio Christi & cum obseruatione eius & lege non stantes, Christianos [*Iesuitas*] se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lucem existiment, blandiente aduersario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eò fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput queritur, nec magistri cælestis doctrina seruatur. *De simplicitate prælatorum.*

XLIX.

Corruptores Euangelii atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partim memores, & partim subdolè corrúpentes. *Ibidem.*

L.

Ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant iam raris, si quando rem venire in inuidiam compererunt, indignãtur, declamántque: In templis iam raritas summa est. Iacent antiquæ derisui ceremoniæ, & sacrorum quondam veterini ritus religionum nouarum superstitionibus occiderunt: meritò humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis, &c. *Arnobius, lib. 1. aduersus Gentes.*

LI.

Cùm nobis intenditis auersionẽ ex lege priorum, causam conuenit vt inspiciatis, non factum: nequid

nequid reliquerimus opponere, sed secuti quid sumus potissimum contueri. Nam si mutare sententiam culpa est vlla, vel crimen, & à veteribus institutis in alias res nouas voluntatésque migrare: criminatio ista & vos spectat, qui toties vitam consuetudinémque mutastis: qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transiistis. *Libro 2.*

LII.

Multi superstitionibus variis pertinaciter inhærentes, obdurant se contra manifestam veritatem, non tam de suis religionibus, quas prauè asserũt, bene meriti, quàm de se malè: qui cùm habeant iter rectum, deuios sequuntur anfractus, planum deserunt vt per præcipitium labantur, lucem relinquunt, vt in tenebris cæci ac debiles iaceant. *Lactantius, Institutionum Diuinar. lib. 1. cap. 1.*

LIII.

Horum leuitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitauerit. *Cap. 15.*

LIIII.

Tanta [*hos*] homines imaginum cupiditas tenet, vt iam viliora ducantur illa quæ vera sunt: auro scilicet, gemmis & ebore delectantur. Horum pulchritudo ac nitor perstringit oculos: nec vllam religionem putant, vbicunque illa non fulserint. *Lib. 2. cap. 6.*

LV.

Veniunt ad Deos [*Diuos*] non tam religionis gratia, quæ nulla potest esse in rebus malè partis & corruptibilibus, quàm vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris aut eboris aspiciant, vt insignes lapillis & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili

contemplatione contrectent. Et quantò fuerint ornatiora templa,& pulchriora simulachra,tantò plus maiestatis habere credũtur. adeò religio eorum nihil aliud est, quàm quod cupiditas humana miratur. Hæ sunt religiones,quas sibi à maioribus suis traditas,pertinacissimè tueri,ac defendere perseuerant:nec considerant quales sint,sed ex hoc probatas atque veras esse confidunt,quòd eas veteres tradiderunt: tantáque est auctoritas vetustatis, vt inquirere in eã scelus esse ducatur. Itaque creditur ei passim,tanquam cognitæ veritati. *Ibidem.*

LVI.

Cùm sapere,id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum:sapientiam sibi adimunt,qui sine vllo iudicio inuenta maiorum probãt, & ab aliis pecudum more ducũtur. Sed hoc eos fallit quòd maiorum nomine posito, non putant fieri posse, vt aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia maiores nominantur. *Cap.7.*

LVII.

Non est apud me dubium quin hoc opus [*complectens doctrinæ Iesuiticæ capita quædam & refutationes*] siquis attigerit ex istis ineptè religiosis, vt sunt nimia superstitione impatientes,insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligat, proiiciat, execretur, séque inexpiabili scelere contaminari, atque astringi putet, si hæc aut legat patienter,aut audiat. *Lib.5.cap.1.*

LVIII.

Ab his, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, vt non prius damnent quàm vniuersa cognouerint.Sed noui hominum pertinaciam:nunquam impetrabimus. Timẽt enim ne à nobis reuicti,manus dare aliquando, clamante ipsa veritate,

tate,cogantur. Obstrepunt igitur,& intercedunt ne audiant,& oculos suos opprimunt, ne lumen videant quod offerimus.&c. *Ibidem.*

LIX.

Audent homines improbissimi iustitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidissimum Dei gregem vastant. *Cap.9.*

LX.

Nullus pudor apud eos superest,à quibus abest omnis humanitas, & retorquent in homines iustos conuitia sibi congruentia. Impios enim vocant, ipsi scilicet pii & ab humano sanguine abhorrentes,cùm si & actus suos considerent & illorum,quos tanquam impios damnant,iam intelligent quàm mendaces sint: & iis omnibus, quæ aduersus bonos aut dicunt aut faciunt,digniores. *Ibidem.*

LXI.

Quidam, probitate ficta, viam sibi ad potentiam muniunt, faciúntque multa quæ boni solẽt, eò quidẽ promptius quod fallendi gratia faciunt. Sed ii cùm esse cœperint propositi, ac voti sui compotes,& summum potentiæ gradum cœperint, tum verò simulatione deposita mores suos detegunt,rapiũt omnia,violãt & vexant, eósque ipsos bonos quorum causam susceperant, insequũtur, & gradus per quos ascenderũt amputãt, nequis illos cõtrà ipsos possit imitari. *Lib.6.cap.6.*

LXII.

Dum contradicendi studio insaniunt,dum sua etiam falsa defendunt, dum aliorum vera subuertunt,non tantùm elapsa illis veritas est,quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. *Lib.7.cap.7.*

LXIII.

Homines stolidi, repudiata Dei cognitione

& pietate, res quæ non sunt, rebus quæ sunt anteponunt, & pro vero Deo ea quæ nulla sunt Deos statuunt, creaturæ potius quàm Creatori seruientes, rémque & stultam & impiam designantes non aliter quàm si quis opera præ opifice admiretur, &c. *Athanasius, orat. contra Idola.*

LXIIII.

Si ex eorum numero sunt, qui cùm orthodoxorum speciem habeant, & amplecti videantur quæ à Patribus sunt edita, disputando tamen ea subuertere moliantur, nihil aliud faciunt quàm proximum suum potant subuersione lutulenta, verborum pugnis digladiantes, non ad alicuius vtilitatem, sed ad ruinam hominum simplicium. *Epist. ad Epictetum, contra hæreticos.*

LXV.

Eorum insania in id barathri recidit, vt sensus non amplius integros & incolumes retineant: sed prorsus mentem vndecunque vitiatam reportant. *Ad Adelphium, contra Arianos.*

LXVI.

Videntes se esse vndecunque notatos infamiáque conscribillatos, ipsorúmque falsum dogma apud omnes abominabile fieri, scelerum inuentores sese præbent, vt nusquam remissa cum veritate pugna, Christi perduelles hostésque permaneant. *Ibidem.*

LXVII.

Isti pro veritate & rerum fide inane simulachrum introduxerunt. *Ibidem.*

LXVIII.

Pro moribus sui imperatoris circumambulant, quærentes quem ex simplicioribus deuorent. *Ibidem.*

LXIX.

Iudæ mores imitantur, Dominúmque relinquunt

quunt, vt Caiaphæ adhæreant. *Ibidem.*

LXX.

Cùm vnaquæque hæresis sui commenti parentem habeat eum, qui ab initio peruersus, & homicida, & mendax fuit, ac pudore tam exosi nominis teneatur, pulcherrimum, & quod super omnia est nomen IESV profitetur, Scripturarúmque dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram inde tamen sententiam suffuratur, ac deinde intellectu, quem ipsa confinxit, dolis inumbrato erroneorum homicida efficitur. *Contra Arian. Oratione 1. ad Episcopos AEgypti.*

LXXI.

Nihil habent in figmentis suis constituendis quod cõmune sit cũ sacra Scriptura: neque id eos latet: sed tamen ad dolum simpliciorum transformationem vultus ad speciem Angeli conformãt, eámque verborum indolem præ se ferunt, vt rectum sensum habere videantur, eúmque vbi persuaserint, eò miseros deducunt, vt diuersa alienáque à Scripturis sentiant. *Ibidem.*

LXXII.

Illud prorsus est admirabile omnes in fingendo diuersa pugnantiáque inter se adferre, nec alibi nisi in falsitate sibi inuicem consentire & copulari. *Ibidem.*

LXXIII.

Quæ nunc scribunt, non cura veritatis scribunt, sed ludi causa technarúmque gratia id faciunt, ad impostúram hominum, vt mittendis epistolis, animos populorum circa istos occupatos teneant, feriásque interim habeant & intermissionem non dicendæ causæ, latentéque ipsorum impietate, tempus locúmque nanciscuntur prorogandæ suæ hæreseos, canceris in modum omnia depascentis. Cuncta igitur mouent &

turbant, neque vel ita suis ipsi decretis acquiescunt. *Ibidem.*

LXXIII.

Tunc cùm insidiis student maximoperè se simulant de fide scribere, vt quemadmodum Pilatus manus lauit: ita & ipsi pios religiosósque in Christum scribendo interficiant: ac dum de fide definienda negocioſos se fingunt, crimen infamiámque diuersæ alienæque à recta fide opinionis elabantur. *Ibidem.*

LXXV.

Pauci numero cùm sint, volunt tamen sua prę omnibus valere, & quæ ab ipsis in angulis cõflata sunt, ac proinde suspecta, rata esse, summam vim adhibentes vt dissoluant & irritam faciãt totius orbis sedulam & syceram Synodum. *Ibidem.*

LXXVI.

Etsi sublimes magnificósque se faciunt, etsi maiores Pharisæis fimbrias sibi alligant, dilatantque se verborum sonitu & vim vocisque tenorem probè meditatum habẽt, nullam ob id fidem meruerint. *Ibidem.*

LXXVII.

Occultant animũ, ac deinde in scribendo Scripturarum verbis pro esca vtuntur, vt latenter in suam malitiam pertrahant ignaros. *Ibidem.*

LXXVIII.

Ista omnium sectarum vltima, & nunc recèns egressa, dolosa & vafra, cùm videret sorores suas cæteras (inquam) sectas ætate grandiores publicè palámque probrosas haberi, speciem suam dissimulat, & literarum sacrarum verbis, quasi honesto cultu induitur, vt pater eius diabolus: ac satagit denuò intrare in paradisum Ecclesiæ, quo sub specie Christianismi *Iesuitismũ* nonnullos seducat, vt credibilitate falsarum rationum

tionum persuasi, contra Christum sentiant. Veris enim rationibus nihil est apud illos firmum & stabilitum: imò, quod peius est, iam nonnullos insipientes circumuenerunt, tantóque errore compleuêre, vt non solùm auribus delirent, sed ad Euæ imitationem oblata degustent, & à degustatione cæci, captique sensibus, amara dulcia esse arbitrentur, & abominabilem sectam pulchram existiment. *Oratione 2. contra Arianos.*

LXXIX.

Ex sacris eloquiis cauillationes suas conficiũt, & sacra eloquia vi ad suam sententiam falsis interpretationibus detorquent. *Ibidem.*

LXXX.

Veluti sues & canes in vomitus sui volutabra sese versantes, alia atque alia adinueniunt, commenta suæ impietatis. *Sermone 3. contra Arianos.*

LXXXI.

Confutati non quiescunt, neque perplexi inpésique quod respondeant pudefiunt, sed planè meretricio vultu depuduerunt aduersus omnes in impietatibus suis. *Contra Arianos, Serm. 4.*

LXXXII.

Hæreticus, vt res ipsa docet, prauum omnino, & vndequaque corruptum animum ad impietatem habet. Ecce enim vbique refutati, declaratique nullius scientiæ esse, erubescere tamen nequaquam possunt: sed quemad modum in fabulis Ethnicorum celebrata hydria, sublatis prioribus serpentibus, aliisque pullulantibus, pertinaciter contendebat nouo semper obiectu anguium contra eum qui ipsi suos serpentes tollebat: ita quoque isti homines animo Ethnico, deiecti ab illis quæ obiiciebant, alias reperiunt stultas controuersias, & quasi veritatem hostem

haberent, comminiſcuntur noua, vt ita ſe magis Chriſti perduelles & oppugnatores declarent: quippe qui poſt tot refutationes, quibus vel diabolus ipſe reiectus confuſúſque retrò abiiſſet, rurſum ex peruerſo corde noua alia comminiſcentur, & his quidem admurmurant, iſtis verò inſuſurrant, alios rurſum veluti culices bombo circumſtrepunt. *Ibidem.*

LXXXIII.

Quemadmodum ſæpiæ atramentum, ita ſimplicioribus tenebras offundunt, ipſi interim ſui dogmatis nequaquam obliti. *Ibidem.*

LXXXIIII.

Si bene fidant ſuæ ſectæ, verbíſque quæ loquuntur, nudam nobis ſuam hæreſin proferant, oſtēdántque, ſi quid pro ea defendēda, vel ex Sacris literis vel ex aliqua humana ſaltē ratione, quæ quidem pia ſit, deducere poſſint, aut ſi non poſſint taceāt. Nuſquam enim quicquam inuenturi ſunt, niſi quod faciat ad grauiorē ipſorum refutationē, ſaltē ex Scripturis ſacris. *Epiſtola contra Arian. de ſententia Dionyſii Epiſcopi Alexandrini.*

LXXXV.

Illi, quàm nihil ſit fiduciæ in ſua ſecta certi, ad mendacia de piis hominibus [veteris Chriſtianæ Eccleſiæ Paſtoribus & doctoribus] fingēda confugiunt. *Eadem epiſt.*

LXXXVI.

Illi in comminiſcendis vtilitigationibus nihil alienum à prauitate ſuæ indolis faciunt: neque id mirum, cùm tam vario ſint & verſipelli animo quàm Chamæleontes ſunt in mutandis coloribus, quippe quibus tantiſper pudor adſit dum refutantur, inopia hæſitationéque reſpondendi, ſed mox tamen reſumpta audacia ad confiſcationes fingendas recurrant: quos ſi denuò conuincas, fatiſcunt illi quidem, verùm non diutius, quàm vt denuo ea quæ nuſquam ſunt, mendaciis fingant, &c. *Epiſt. de decretis Synodi Nicenæ.*

LXXXVII.

Multi, qui videri volunt diſcipuli Ieſu, nō modò faciūnt quæ ab eo præcipiuntur, ſed & magiſtro inſidias ponunt vt proditor Iudas. *Sermone in illud, Profecti in pagum, &c.*

LXXXVIII.

Vt dictis ſuis fidem facerent, damnantes dicta & vitia hæreticorum, pias Eccleſiæ prædicationes velamento profeſſionis impiæ furati ſunt, vt correctis in melius verbis irreligioſorum, & ambigua ſignificatione moderatis, ſub impietatis damnatione doctrinam pietatis extinguerent. *Hilarius lib. 1. de Trinitate.*

LXXXIX.

Cæleſtium verborum ſimplicitatē pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſceperunt aliter interpretanda, quàm dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis, non de Scriptura eſt, & ſenſus non ſermo ſit crimen. *Lib. 2.*

XC.

Videntur ſibi de ſingulis quæ aſſerunt præſtare rationem, quia ſingulis aſſertionibus ſuis quædā ex diuinis voluminibus teſtimonia ſubdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ ſenſu ſolis tantùm ignorantibus blandiantur, ſpeciē veritatis ſecundum prauitatē interpretantium præſtitura. *Lib. 4.*

XCI.

Grauis & periculoſus eſt error in plurimis, & multorū lapſus: etiamſi ſe intelligat, tamen exurgēdi pudore autoritatē ſibi præſumit, ex numero habens hoc impudētiæ, vt quod errat, prudentiā velit exiſtimari: & quod cum multis errat, intel-

ligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis. *Lib.6.*

XCIII.

Incredibilibus se corrupti ingenii artibus hæretica subtilitas circumegit: primùm vt fingeret religionem, deinde vt omnium simpliciũ aurium securitatẽ verbis falleret, tum præterea vt se prudentiæ seculi coaptaret, postremò vt veritatis intelligentiam per speciẽ editæ rationis auerteret. *Item.* Nostris aduersum nos vsa doctrinis, & Ecclesiæ fide contra Ecclesiæ fidem pugnans, gratissimo aduersus nos vel responsionis vel silentii periculo comparato, per ea quæ non negantur ea prædicat quæ negantur. *Lib.7.*

XCIIII.

Multi sunt qui simulantes fidẽ non subditi sunt fidei, sibíque fidem ipsi potius constituunt quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volũt sapiunt, & nolũt sapere quæ vera sunt, cùm sapientię hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis. *Item.* Homines mente peruersi, & professione fallaces, & spe inanes, & sermone viperei, contradicendi nobis necessitatem imponunt, dum lethales doctrinas, & morbidas intelligentias, & corruptas voluntates, simplicitati audientium per speciem religionis insinuant. *Lib.8.*

XCV.

Vt bonis & prudentibus viris naturæ ac studii est, totos se ad beatæ spei alicuius obtinendã, vel rem, vel tempus præparare, ne in aliquo minor sit expectatione procinctus: ita istis maximæ solicitudinis est toto aduersus piæ fidei veritatem impietatis suæ ingenio laborare, vt aduersus eos qui religiosi sunt vincant esse irreligiosi, & vltra spem vitæ nostræ vitæ suæ desperatione potiores sunt, & plus impendunt cogitationis ad falsa, quãm nos doctrinæ aptamus ad vera. *Eodẽ libro.*

XCVI.

Proficit semper cõtradictio eorum ad stultitiæ demonstrationem, quia quæ ingenio insipientis aut peruersæ intelligentiæ aduersus veritatẽ coaptantur, dum est inconcussa & immobilis, necesse est, vt quæ è diuerso sunt, & falsa intelligantur & stulta. *Eodem libro.*

XCVII.

Sequitur fidei defectionem hypocrisis mendax, vt sit vel in verbis pietas quã amiserat conscientia. Et ipsam quidem simulatam pietatẽ omni verborum mendacio impiam reddunt, falsæ doctrinę institutis corrumpentes sanctitatẽ fidei, dum secundum desideria studiorũ potiùs quàm secundũ Euangelicam fidem doctrina coaceruata est. Auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem sub nouella desiderij sui prædicatione scalpuntur, ipsi penitus ab auditu veritatis alieni, totos se fabulis destinant, vt his quæ loquũtur veritatis speciem acquirant, dum quæ vera sunt & loqui & audire non possunt. *Lib.10.*

XCVIII.

Callidi & astuti artificio quodam vtuntur, inclusam pernicioſam corruptelã exquisitorũ verborũ velamine contegunt. Non prius virus infundunt quàm simplices & innocentes sub prætextu nominis Christiani raptos atque irretitos inuoluant, ne soli pereant, sed participes criminis sui reos faciant. *Lib.2. ad Constantium Augustum.*

XCIX.

Impietatis istius hinc vel præcipuè perpetua causa est, quòd fidem Apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem Euangelicam nolunt confiteri, dum in populis impietates suas multiloquiis defendunt, & magniloquentiæ vanitate

aures simplicium verbis fallentibus illudũt,dum euitant domino de Christo ea credere quæ de se docuit credẽda: & per speciosum pacis nomẽ in vnitatem perfidiæ subrepunt, & sub reiiciendis nouitatibus rursum ipsi nouis ad Deum vocibus rebellant,& sub Scripturarum vocabulo nõ scripta mentiuntur,&c. *Lib.3.ad eundem.*

XCIX.

Isti sibiipsis inter loquendũ substratis quæcunque voluerunt, & iis quæ inde consequuntur assumptis, seipsos postea in cogitationes absurdas detrudentes,hinc sese demonstrasse putãt sua placita necessariò recipienda. *Basilius Magnus,lib.1. aduers.Eunom.*

C.

Quoties isti perperam aliquid dicere aggrediuntur,assumere solẽt initio nonnulla ab omnibus concessa, vt ex eo quod bene in iis sentiunt, fides etiam ipsis in cæteris habeatur. *Eodem lib.1.*

CHARACTERVM IESVITICORVM, CENTVRIA TERTIA.

I.

Scripturas, quæ multifariam ac multis modis intelliguntur, simpliciter considerantes, [*id est ad vnicum & proprium sui ingenij sensum accommodantes*] excidunt,cùm bene duci non patiantur. Et quod mirum est, Scripturæ quæ iuuant eos qui per fidem valẽt, officiunt istis qui circa quæstiones ac inutiles contentiones ægrotant. *Item.* Quærunt,non vt fidem,sed vt infidelitatem inueniant. *Basilius Magnus,lib.5.contra Eunomium.*

II.

Curiosa istorum hominũ circa syllabas ac dictiones obseruatio, haudquaquam simplex alicui

videri possit,neque ad mediocre tendẽs malum: sed profundum atque obtectum habet aduersus pietatẽ consilium. *Idem,de Sp.S.ad Amphil.cap.2.*

III.

Quoniã sophisticen didicerunt,& vt præclara mirantur quæ didicerunt, obseruationes ex frustranea philosophia,éque inani deceptione sumptas ad simplicem artificii ignaram doctrinam transferunt. *Cap.3.*

IIII.

Nos architectos nouitatis,& nouos tractatores ac verborũ adinuentores,& quibus non probrosissimis nominibus appellant. Quorum conuicia tantum abest vt indignè feramus,vt ni nos ipsorũ calamitas dolore perpetuóq; cruciatu afficeret, propemodum dicerẽ nos illorũ maledictis gratiã habere, vt qui nobis cõciliãt beatitudinẽ *Cap.6.*

V.

Qui consueta fastidiunt,ac vetera [*Prophetica & Apostolica dicta*]tanquam obsoleta submouẽt, ii sunt qui nouas vocũ fictiones recipiunt:quemadmodum qui in cultu studiosi sunt ornatus,semper nouam formã præferũt communi. *Item.* Istorũ verba ex noua sapientia inusta sunt ab ipsismet, qui in artificio pugnisque verborum detriti sunt. *Cap.7.*

VI.

In nos machinas & insidias struunt,séque mutuo exhortantur ad ferẽdas suppetias,vt quisque peritia aut robore valet: cæterùm id quod oppugnatur fides est, isque scopus cõmunis est omnibus,vt soliditatem fidei in Christum labefactẽt, Apostolicam traditionẽ solo æquatam abolendo. *Cap.10.*

VII.

Illorũ verba talia sunt,qualia solent esse hominum ira commotorum, qui ob rationem affectu obscuratam,à nullo temperant quod ad vlciscendum eum à quo offensi sunt,faciat. *Cap.11.*

VIII.

Impossibile est vt literis nostris accusantium nos ora cohibeamus: imò credibilius est, nostris illos apologiis irritari quoque, vt maiora ac peiora contra nos machinentur. *Item.* Vigilant illi in hoc vt nobis noceant. *Item.* Nundinariam vitam exercentes, quæstuariam sibi reddunt, quam nobis intentant calumniam. *Epistola 73.*

IX.

Quemadmodum Æsopica fabula lupum culpas quasdam aduersus agnum producere, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore puret, si præter istam rationem interimat agnum, à quo nihil sit læsus: & tamen, licet omnem ex calumnia intentatam accusationem agnus placidè diluat, nihilò magis lupum ab impetu sibi temperare, sed etiam si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem euadere facit: ita & isti qui odio nostri non secus atque rei honestæ, student, turpe forsan putantes si absque ratione nos odio persequi videãtur, causas odij contra nos & crimina singũt, &c. *Epist.* 80.

X.

Hoc illis perpetuo studio agitur, nè ex diuinis scripturis simpliciorum animi ritè doceantur, sed vt per extraneã philosophiam veritas refellatur. *Epist.* 141.

XI.

Ob imperitiam eiúsque comitem temeritaté, aduersus omnem sermonem porcorum in modũ ruunt, ac pulchras veritatis margaritas conculcãt *Gregorius Nazianzenus*, *Apologetico de fuga*, *orat.* 1.

XII.

Veritatis doctrinam adulterant, ac vinũ aquæ miscent, hoc est doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari, humíque serpente & euanida, frustráque & temerè fluente (vt ipsi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid eluerentur) aliásque alio modo cum iis, qui ad ipsos accedunt, verba faciunt, omnibúsque assentantur, ventriloqui sanè quidem & vaniloqui, voluptatibus suis seruientes, verbis è terra prolatis, & in terram pessumeuntibus, vt maximam apud vulgus gloriam & nominis celebritatem consequãtur, maximis seipsos damnis afficientes, aut etiam omnino perdentes, atque innoxium simpliciorum animarum cruorem effundentes, de effundentiũ manibus aliquando requirẽdum. *Eadem oratione.*

XIII.

Res nostras, tam benè quàm male se habentes, studioſè, ac diligenter obseruant, non vt iudicẽt, sed vt improbent: nec vt nobis gratulentur, sed vt insultent, atque & bona calumnientur, & mala tragicis verbis exaggerẽt, atque ab alienis lapsibus excusationẽ vitiis suis quærãt *Orat. 2. de pace.*

XIIII.

Suorum quidem mansueti & placidi iudices sunt, alienorum autem seueri censores, vt hìc quoque fucum veritati faciãt. Vibices nobis probro, cùm ipsi vulnera habeant: offendicula nostra exagitant, cùm turpiter ipsi prolabantur: maculis nostris gaudent, cùm ipsi in cœno volutentur: festucas nobis obiiciunt, cum interim ipsi trabiũ mole oppressi caligent. *Eadem oratione.*

XV.

Paupertatem nobis exprobrant, opésque suas insolenter iactant: Ecclesiam multitudine definiunt, ac paruum gregem aspernantur: populum velut ad lancem appendunt: arenam in pretio habent, & mundi lumina contumeliis afficiunt: denique lapides aggerũt, & gemmas contemnunt. *Orat. 25. ad Arrianos, & de seipso.*

XVI.

Sunt quidam quibus non aures duntaxat, sed etiã lingua, atque adeò manus quoque ipsæ pru-

ciunt, quíque prophanis vocum nouitatibus & contentionibus falsò nominatæ scientiç, ac disputationum pugnis, quç nullam vtilitatem afferunt, oblectantur. Hi verò, vtinam quemadmodum linguam volubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus verbis insectandis acrem, & vehemẽtem, sic etiam in agendo nonnihil saltem, aut etiam æquè, operam collocarẽt. Id quod si facerent, minus vtique cauillatores essent, nec tam absurdè atque insolenter in verbis, perinde atque in aleæ ludo, versarentur. *Orat. 33. quæ est 1. de Theologia.*

XVII.

Summo studio res nostras explorant, nihilque auidius expetunt quàm vt malorum nostrorum scintillæ in flammam surgant, quas etiam furtim excusitant atque accendunt, auræque suæ afflatu in cœlum attollunt, & Babylonica flamma, in orbem omnia populãte, sublimiorem reddũt. Quoniam enim in suis dogmatibus nihil sibi præsidij roborisque constitutum vident, hoc in nostrarũ rerum imbecillitate venantur. Ac proinde quẽadmodum muscæ vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut (si mauis) erratis imminent. *Eadem oratione.*

XVIII.

Aranearum telis infirmiores illaqueant, ex eóque sibi scitum aliquid ac præclarum facere videntur. Dialecticorum agmen nobis ex tempore producunt, non aliter ac fabulæ olim gigantes. Leuissimos quosque viros ac virorum nomine indignos, velut colluuiem quandam, in vnam voraginem cogentes, ac verborum illecebris magis ac magis effœminantes, nouam ex ipsis impietatis officinam condiderunt, astutè interim eorũ amentia ad vtilitatem suam abutentes, ex eaque messem facientes. *Eadem oratione.*

XIX.

Quos non possunt sermone decipere, eos putãt

gladio esse feriendos. Cruenta s leges ore dictãt, manuscribunt, & putant quòd lex fidẽ possit hominibus imperare. *Ambrosius, Oratione in Auxentium, de non tradendis Basilicis. Tom. 3.*

XX.

Christus nobis pignus Spiritus dedit, id est Spiritus Sancti donatione nos ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatiuo contentus fortè non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod specialiter contingit hç reticis. Dum enim nescìò quid amplius quærunt, inuenientes erroris Spiritum, gratiã Spiritus Sancti perdiderunt. *Serm. 7. Tom. 3.*

XXI.

Narratores superflui, sicut hirundines, disputationis suauitatem loquacitatis continuatione corrumpunt. Superflua loquitur hæreticus. Qui non loquitur veritatem, non loquitur secundum legem. *Tom. 4. Serm. 11. in 118. Psalmum.*

XXII.

Multi fures sunt qui verbum Dei non ad vtilitatem suam furantur & rapiunt; sed ad fraudem cælestium Scripturarum in sua furta detorquent, adulterina sibi compendia colligentes, dolo magis quàm veritate quæsita. Sed hi sunt qui miscent aquam vino, tanquam caupones pessimi, adulterantes sermonem Dei, & in sincerum proferentes quicquid perfido & tanquam ebrio ore deprompserint: & ideo aliena loquũtur à lege. *Eod. Serm.*

XXIII.

Sampson viuas vulpes sibi nexuit, ad quarũ caudas alligauit faces, & dimisit eas per messes allophylorum: per hanc figuram significãs, quòd improbi & fraudulenti homines, & maximè hæretici liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos, aut religiosa principia, finem verò fraudis suæ incendio deputatu m. *Eod. Serm.*

XXIIII.

Multi sunt hæreticorum qui prætendere volunt corporis continentiam, vt assertionis suæ fidem testimonio sobriæ carnis acquirant, &c. *Tom. 4. cap. 14. lib. de Noe & Arca.*

XXV.

Lupus est, qui humanæ necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem suam desiderat explere. *Tom. 5. lib. 7. commentar. in ca. 10. Lucæ.*

XXVI.

Animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus affligunt. Graues sunt morsus eorum: qui ipsis grauiores & rapaciores bestijs nullum auaritiæ finem impietatisque nouerunt. Nec vos moueat quòd formam prætendere videntur humanam: etsi foris homo cernitur, intus bestia fremit. Et ideo eos lupos esse non dubium est, iuxta domini Iesu diuinam sententiam, qui ait, Attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. *Ibidem.*

XXVII.

Vidi ego quosdam, qui postquam renunciauêre seculo, vestimentis duntaxat & vocis professione non rebus, nihil de pristina conuersatione mutarunt. Res familiaris magis aucta, quàm imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuij. In vitio & patella fictiliaurum cõeditur, & inter turbas & examina ministrorum, nomen sibi vendicant solitarij. Qui verò pauperes sunt & tenui substãtiola, videturque sibi scioli, pomparum ferculis similes procedunt in publicum, vt caninam exerceant facundiam. Alii sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibúsque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, vt si præconem addideris putes incedere præfecturam. Sunt qui humore cellarum immoderatísque ieiunijs, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomẽtis quàm nostris monitis indigent. Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum, eadem exercẽt commercia: non victum & vestitum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quàm seculi homines emolumenta sectantes. Et prius quidem ab Ædilibus vendentium coercebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nũc autem sub religionis titulo, exercentur iniusta compendia, & honor nominis [*Iesuitici*] Christiani fraudem magis facit quàm patitur. Quódque pudet dicere (sed necesse est vt saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus) publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus: & cõtra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus. *Hieronymus, Tom. 1. epistola ad Rusticum monachum.*

XXVIII.

Nihil est grande, tristi & lurida facie, vel simulare, vel ostentare ieiunia: possessionum redditibus abundare, & vile iactare palliolum. *Item.* Si cupis esse, quod diceris monachus, id est solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorũ habitacula, sed multorum? *Item.* Quem senseris aut semper aut crebro de nummis loquentem, institorem potius habeto quàm monachum. *Epist. ad Paulinum.*

XXIX.

Postquam nobilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis per-

uenientes,triſtitiam ſimulant: & quaſi lõga ieiunia,furtiuis noctium cibis protrahunt. Sunt alij, qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentiùs videant. *Item.* Quidam in hoc omne ſtudium vitámque poſuerũt,vt matronarum nomina,domos,moréſque cognoſcant. Ex quibus vnum,qui huius artis eſt princeps, breuiter ſtrictimque deſcribam: quò facilius magiſtro cognito,diſcipulos recognoſcas. Cum ſole feſtinus exurgit,ſalutandi ei ordo diſponitur, viarum compendia requiruntur & penè vſque ad cubicula dormientium ſenex importunus ingreditur. Si puluillũ viderit,ſi mantile elegãs,ſi aliquid domeſticę ſuppellectilis, laudat, miratur, attrectat, & ſe his indigere conquerens,non tam impetrat, quàm extorquet: quia ſingulæ metuunt vrbis veredarium offendere. *Epiſt. ad Euſtochium.*

XXX.

Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatę,quibus caligo tenebrarum reſeruatur.Superba enim vanitatis loquentes pellicient in deſideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugerant,& ad errorem reuerſi ſunt. Nónne tibi videtur ſermo Apoſtolicus nouam imperitiæ factionem notare? aperiunt enim quaſi fontes ſcientiæ,qui aquam non habent doctrinarum, promittunt imbrem, velut nubes propheticæ ad quas perueniat veritas Dei,& turbinibus exagitantur dæmonum atque vitiorum. Loquuntur grãdia, & totus eorum ſermo ſuperbia eſt. *Tom. 2. lib. contra Iouinianum.*

XXXI.

Ne glorieris quòd multos diſcipulos habeas. Filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim tantùm illum Apoſtoli ſequebantur. Torcular, inquit, calcaui ſolus,de gentibus vir non eſt mecum. Ille in paſsione

paſsione ſolus remanſit, & Petri quoque erga eũ trepidauit conſtantia: Phariſæorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat,&c. *Eodem Tom. & libro.*

XXXII.

Semper dulcia pollicentur, & ad modicũ placent. Amara eſt veritas & quĩ eam prędicant, replentur amaritudine. *Eodem libro.*

XXXIII.

Nobis melius viſum eſt,locũ mutare,quàm fidei veritatem: ædificiorúmque & menſionis amænitatem amittere,quàm eorum communione maculari, quibus in præſentiarum aut cedendum aut certè quotidie non lingua ſed gladiis dimicandum. *Tom. 2. epiſt. 5. ad Riparium.*

XXXIIII.

Quidam eorũ,qui libenter contentiones reperiunt, adſcribunt nobis & noſtræ doctrinæ blaſphemiam: ſuper quo ipſi viderint,quomodo illud audiant,neque maledici regnum poſſidebunt. *Eodem Tom. lib. 2. adu. Ruffinum.*

XXXV.

Iſtæ machinæ eorũ ſunt,vt conuicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. *Adu. Ruffinum, lib. 3.*

XXXVI.

Fruſtra ſeruis Dei blanditias & dulcedines reſeruaſti,cùm hoc propriè ſit eorũ qui decipere cupiunt, audientes dicente Apoſtolo, huiuſmodi Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo vẽtri. Et perdulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. *Lib. 1. Dialogorum adu. Pelagium.*

XXXVII.

Ita infecit [*hæc Secta*] corda multorũ, vt cùm ſuperatos damnatósque eſſe ſe ſentiant, tamen vo-

nena mentium non omittant: & quod solùm possunt nos oderunt, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse. *Item.* Exceptis verbis tinnulis & emendicatis, nihil aliud loquitur. *Epist. 79. ad Alip. & August.*

XXXVIII.

De purissimo fonte Scripturarum assumentes testimonia, non ita interpretantur vt scripta sunt, sed simplicitatem sermonis Ecclesiastici id volunt significare quod ipsi sentiant. *Epist. 60. ad Ioannem Hierosolymitanum.*

XXXIX.

Dispensatio ac libratio ista prudens verborum indoctos decipere potest. Cautus auditor & lector citò deprehendet insidias, & cuniculos quibus veritas subuertitur, apertè in luce demonstrabit. *Item.* Venena erroris circumlinebant melle verborum. *Item.* Eadem nũc in veteri & noua hæresi consuetudo seruatur, vt aliud populi audiãt, aliud prædicent sacerdotes. *Epist. 61. ad Pammachium.*

XL.

Dum inter mulsum magistrorum & venena pariter bibunt, à magistro Apostolo recesserunt, qui docet etiam Angelum, & se, si in fide errauerint, non sequendos. *Lib. 3. adu. Ruffinum.*

XLI.

Si propter vnum verbũ aut duo, quæ contraria sunt fidei, multæ hæreses abiectę sunt ab Ecclesia, quanto magis hi inter hæreticos habebuntur, qui tantas peruersitates, & tam multa dogmata, cõtra fidem adinuenerunt, & Ecclesiæ Dei hostes extiterunt. *Eodem libro 3. adu. Ruffinum.*

XLII.

Si fortè ad Scripturas sanctas, post seculares literas venerint, & sermone cõposito aurem populi mulserint, quicquid dixerint, hoc legẽ Dei putant: nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint. Sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genùs, deprauare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. *Tom. 3. Epist. ad Paulinum.*

XLIII.

Euangelicam veritatem corrumpunt praua intelligentia, & sunt caupones pessimi, facientes de vino aquam. *Tom. 4. in 1. cap. Esaiæ.*

XLIIII.

Tandiu quærunt noua veteribus iũgere, & eadem recẽtioribus immutare, donec & sensus humanus & sermo deficiant. *In 5. cap. Esaiæ.*

XLV.

Sensu, quem à Deo in bonam partem acceperunt, abutuntur in contrarium atque peruersum, vt loquãtur contra eum à quo conditi sunt, & linguæ ministerium, quo laudãdus est Dominus, vertant in blasphemiam. *In 10. caput.*

XLVI.

In montibus se esse credentes eriguntur contra scientiam Dei, iniquitatem in Excelsum loquuntur, & ponunt in cælum os suum: qui & ipsi habẽt populos, habẽt reges, qui deceptum populum deuorant. *In 13. caput.*

XLVII.

Isti sunt falsi Apostoli, operarij mendaces, qui transfigurantur in Apostolos Christi, qui bono semini lolium super seminant dormiẽtibus Ecclesiarum magistris, & nolentibus aut nequeuntibus eorum malitiæ resistere. *In idem 13. caput.*

XLVIII.

Quis eorum non superbus est? qui Ecclesiasticã despiciens simplicitatem, ita habet. Ecclesiæ ho-

mines quasi bruta animalia,& in tantum superbię iniurięque tumore erigitur,vt cõtra ipsum Creatorem armet os suum, detrahens prophetis eius, &c. *In 16. caput.*

XLIX.

Nõ ob dilectionem Domini,sed ob mercedem cuncta faciunt,qui comedunt domos viduarũ, & proprios abducunt greges,vt lanis eorum vestiãtur & lac mulgeant. *Ibidem.*

L.

Omnes sibi cælestia repromittunt & pollicentur ingentia. *Item.* Quis angulus est,quę extrema solitudo terrarum, ad quam non turbidus eorum sermo perueniat? Omnes qui habitant & morantur in orbe terrarum,ad eorum signum, quod quasi in montibus eleuatum est,erigunt oculos suos,& clangorem tubæ,id est doctrinæ, eorum audiunt. *Item.* Mittunt in mari huius seculi libros,obsides peruersitatis suę, & epistolas ad decipiendos eos qui lecturi sunt. Pergunt nuntij leues ad gentem excelsam & peregrinum populum & pessimum. Nulli enim Ecclesiasticorum tantum habẽt studij in bono quantum isti in malo: & in eo se lucrum putant consequi si alios decipiant,& ipsi perditi cæteros perdant. *In 18. cap.*

LI.

Omnia mercedis causa faciunt, & de gloria Domini conciderunt, nec sequuntur renuitatem mannæ & humilitatem Ecclesiasticã, sed in monte pinguissimo versantur ebrij absque vino. *In 28. cap.*

LII.

Mendacium loquuntur contra Dominum: peruertunt animas esurientes atque sitientes, & vacuas abire faciũt: vt etiam si quid naturaliter boni habeant,magistrorum amittant vitio, quorum omne

omne consilium est, vt perdant humiles iniquis sermonibus, & dissipent verba humilium in iudicio. *In 32. caput.*

LIII.

Dimisso cultu Dei errorum suorum simulachra venerantur, & illis offerunt victimas & libamina offundunt: facientes absconditè quod turpe est etiam dicere,& captiuas ducentes mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes,& nunquam ad scientiam veritatis peruenientes *In 57. caput.*

LIIII.

De his verè dicitur, deuorant populum meum velut escam panis, & quos Christus notat deuorantes domos viduarum *In 3. caput Ieremiæ.*

LV.

Eorum cogitatio est vt calumnias struant, & sanctos viros accusatione præueniant, nec cogitant quòd illi veritatem loquantur, & quòd isti struant mendacia: iactant enim in sacerdotibus, & in sapientibus,& in pseudoprophetis suis, legem & consilium Dei, & eloquium permanere. *In 18. caput.*

LVI.

Epistolas plenas mendaciorum, & fraudulentiæ,atque periurij,in orbem dirigunt, vt & aures polluant audientium, & existimationem simplicium lædant. Non enim eis sufficit iniquitatem propriam deuorare,& proximos lædere: sed quos semel oderunt, per vniuersum orbem infamare conantur, & vbique seminare blasphemias. *In 23. caput.*

LVII.

Quia solent semper prospera polliceri,& cælorum regna peccatoribus pandere, vt dicant: Parata sunt tibi regna cælorum: potes imitari male-

ſtatem Dei vt abſque peccato ſis. Accepiſti enim liberi arbitrij poteſtatem,& legis ſcientiam, per quam conſequaris quod volueris: decipiúntque blanditiis miſeros, & maximè mulierculas oneratas peccatis,quæ circunferuntur omni vento doctrinæ,&c. *Ibidem.*

LVIII.

Nobis agentibus patienter, & expectantibus miſerorum ſalutem,præueniunt hæretici, & nos ſuo appellant nomine,cæci ducentes cæcos in foueam. *In 29.caput.*

LIX.

Sicut quondam Pſeudoprophetæ falſis vaticiniis & mendacibus promiſsis gentem Iudæorum ſeducebãt: ita & nunc hæretici atque ſchiſmatici fictis opinionibus & doloſis argumẽtationibus corda ſimplicium à veritate rectæ fidei & ſtatu bonorum operum ſubuertere certant. *Lib. 1.Commentar.in 2.caput Lamentationum.*

LX.

Deſpiciunt Sion,& confidunt ſibi in monte Samariæ,in ſuperbia videlicet et dogmatum peruerſorum,quæ putant eſſe ſublimia,& per has prædicationes fraudulẽtas vindemiant atque populantur principia gentium,vt miraculo doctrinarum potentes quoſque gentilium ad errorem hæreticum pertrahant. *In 16. caput Ezechielis.*

LXI.

Quaſi tempeſtas venerunt contra Eccleſiam, & nube verborum ſuorum ſimplices quoque credentium opprimere & operire feſtinant. *In 38.ca-*

LXII.

Congregant diuitias dogmatum in malũ ſuum, & nec repertores vtilitatem aliquã poſſunt conſequi,nec ſectatoribus ſuis fructum relinquere perpe-

perpetuum:ſed & ipſi & diſcipuli reuertuntur in terram, & perdunt diuitias ab eo qui dixit, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Tom.5.in 5.caput Eccleſiaſtis.*

LXIII.

Sagena eorum eſt ſermo affabilis,blandum eloquium, ſimulata aut coacta ieiunia, veſtis humilis,virtutum imitatio. Quod ſi cœperint de ſuperioribus diſputare,& in ſublime leuare os ſuum, & Dei altitudines quærere, laqueum ponunt in excelſis. *In cap.9.Eccleſiaſtis.*

LXIIII.

Vino inebriantur, quando Scripturas ſanctas malè intelligunt atque peruertunt: ſicera,quando ſeculari abutũtur ſapientia, & Dialecticorum tendiculis,quæ non tam vincula ſunt appellanda quàm vmbræ quædam,& imagines,quæ citò pereunt atque ſoluuntur. Iſtiuſmodi conſiliarios maledictio poſsidebit,qui quæſtum putant eſſe pietatem,& cuncta faciunt propter auaritiam. *Tom. 4.lib.9.Comm.in 28.cap.Eſaiæ.*

LXV.

Dictum illud, Omnes menſæ eorum repletæ ſunt vomitu,ſordibúſque,ita vt nõ ſit vltrà locus, ad hæreticos,& ad ſcribas,ac Phariſæos ſic referri poteſt,vt vniuerſam doctrinam eorum, & cuncta myſteria dicamus vomitu plena & ſordium, dum Scripturarum ſanctarum non digerunt cibos, nec vniuerſo corpori faciunt eſſe vitales, ſed immaturos & fætentes egerunt,ita vt nullum in eis Deus reperiat locum. *Ibidem.*

LXVI.

Aſſumunt teſtimonia Scripturarum de veteri & nouo Teſtamento, & furantur verba Saluatoris vnuſquiſque à proximo ſuo,Prophetis,Apoſtolis & Euangeliſtis, & aſſumunt linguas ſuas, vt

cordis venena ore pronuncient,&c. *Item.* Magna, incredibilia & ingentia repromittunt, vt seducant miseros. & illud implent Apostolicum, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia: qui solent malis prospera,& bonis contraria nunciare. *In 23. cap. Hieremiæ.*

LXVII.

Sensus & eloquia Scripturarum, quæ electa sunt mundi, & quæ nobis in ornamentum data sunt, posuerunt in fomentum & materiam superbiæ: & imagines diuersorum dogmatum, & abominationem offendiculorum suorum fecerunt ex eis: vt per quæ poterant colere & adorare Deum, ex his Deum offenderent. *In 7. cap. Ezechielis.*

LXVIII.

Nostra Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, ab istis scinditur, quando vnum & alterum testimonium scripturarum de propriis carpentes locis, conantur assuere his, quibus non queunt coaptare. *Item.* De auro & argento sanctarum Scripturarum idola faciunt, quando gratiam sensus & eloquētiæ sua prauitate corrumpunt. *Item.* In omnibus viarum principijs fabricatur lupanar suum, qui ad peruersitatem doctrinæ testimoniis Scripturarum abutitur. *In 16. caput Ezechielis.*

LXIX.

Ecclesiastici viri qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistrámque habent præsumptionem suam, simili errore retinentur, i. vt hæretici, falluntur & fallunt. Qui cùm populo persuaserunt vera esse quæ fingunt, & in theatralem modum plausus concitauerunt & clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libratísque sermonibus atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem. *In 34. cap. Ezechielis.*

LXX.

LXX.

Solent regi suo vel Pharaoni dicere, filij sumus Sapientium, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt. Filij sumus regum antiquorum qui appellantur reges Philosophorum, & habemus scientiam Scripturarum iunctam Sapiētiæ seculari. *In 19. caput Esaiæ.*

LXXI.

Ipsi ingentia pollicentur, & simulachrum vani cultus de suo corde confingunt. Iactant grandia, & ad decipiendos simplices quosque, quasi aureis sensibus & eloquijs argenti fulgore splendētibus imperitorum obstringunt aciem, & à suis adiutoribus sublimantur. *In 10. caput Ieremiæ.*

LXXII.

Simulachra dogmatum suorū atque mendacii, artifici corde componunt, & venerantur ea quæ à se sciant esse simulata. Nec sufficit eis error proprius, nisi simplices quosque eorum adoratione deceperint. Qui quæstum putant esse pietatem, & deuorant domos viduarum, abutentésque vulgi imperitia, ita arte Dialectica, quasi ascia & terebro, luna & runcina formant Deum suum, & cudunt malleo, atque inaurant sermonis rhetorici venustate: quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum. *In 44. cap. Esaiæ.*

LXXIII.

Non dubium est, quin istiusmodi perditionis filij habeant plurimos filios quoscunque deceperunt, & occidant in profundis vallibus, & in barathro impietatis subter imminentes petras, quæ semper minantur ruinas: quæ pro diuersitate mendacij & varietate dogmatum peruersorum plures appellantur petræ. Nos autem vnam habemus petram quæ semper sequitur populum Dei, de qua bibebat quondam populus

Israel, quando familiaritate Domini fruebatur. *In 57. cap. Esaiæ.*

LXXIIII.

Prudentium virorum dicta non cupiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, & initium & finem loquendi vanitate cum multo errore commutant, & cùm nihil sciant loquuntur plura quàm norunt. *Tom. 5. in 10. cap. Ecclesiastis.*

LXXV.

Non solùm cogitant & faciũt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiũt, &, in morem Damascenorum, qui interpretantur Sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinem bibunt. *Tom. 5. lib. 1. Comm. in 1. cap. Amos.*

LXXVI.

Per multiplices libros ab aliis malè inuenta corroborant. *In 4. cap.* Munera accipiũt, vt austeritatẽ Scripturarum, quæ peccatoribus tormenta denuntiant, vertant in beatitudinem: & cùm diuitibus prospera quæq; promittant, tantùm apud pauperes truculenti sunt ac seueri. *In 5. caput.*

LXXVII.

Nunc loquentibus & pronunciantibus plenus est orbis: loquuntur qui nescium: docẽt qui non didicerunt: magistri sunt, cùm discipuli antè non fuerint. *In 5. cap. Micheæ.*

LXXVIII.

Non populorum salutem, sed sua quærunt lucra, & deceptum gregem pedibus suis conterũt. *In 7. cap. Micheæ.*

LXXIX.

Instructi sunt de Scripturis sanctis, & aduersus Dominum, Leges, Prophetarũ & Euangelii verba vertunt, & sunt quasi arcus dolosus. *Item.* Non Scripturarum authoritatẽ, sed humanæ rationis sensum sequuntur. *In 7. cap. Oseæ.*

LXXX.

LXXX.

Dum peruersè intelligunt quod legunt abominationẽ ponunt in domo Dei. *In 5. cap. Amos.*

LXXXI.

Hi turpis lucri gratia semper personã accipiunt in iudicio, & in eadem causa diuites ac pauperes non iuxta negotium, sed iuxta facultatum diuersitatem aliter atque aliter iudicant, & inhabitatores terræ suæ (quã prauis dogmatibus peruersaque doctrina à se ornari putãt) loquuntur mendacium, & ponũt in excelsum os suum & simplicẽ Ecclesiastici populi despiciũt. *In 5. cap. Mich.*

LXXXII.

Videntur habere altitudinem & scientiã Scripturarum: sed omnis altitudo eorũ veritati comparata phantasia est, & frustra extollit vocem. *In 3. cap. Habacuc.*

LXXXIII.

Non habent curam rusticæ simplicitatis, quæ meretricia ornamenta non quærit, sed artificis elegantísque mendacii, vt amatoribus suis placeant. *In 2. cap. Oseæ.*

LXXXIIII.

Postquam aliquos deceperint, solent dicere, diuites facti sumus, habemus plurimam multitudinem, discipulorum turba nos sequitur, inuenimus idolum vel refrigeriũ nobis. Idcirco enim vel maximè hæreses componuntur vt deuorent domos viduarũ, &c. *Itẽ.* Solẽt dicere, Quicquid fecero, quicquid egero, mihi nõ poterit imputari: habeo enim diuitias meas, argumẽta philosophorum, & populi multitudinẽ, quam qui aspexerit me peccare nõ arbitrabitur. *In 12. cap. Oseæ.*

LXXXV.

Fures & latrones qui ingrediũtur nocte hæreticos [istos] puto, cõtraria veritati dogmata prædi-

cantes, qui furantur sufficientia sibi, & quotidie de Ecclesiæ gregibus rapere festinant. Isti ingredientes vineam Domini nostri, quam de Ægypto huius seculi transtulit, ita cupiunt vniuersa populari, vt vix racemum relinquant in ea: &c. *In Abdiam.*

LXXVI.

Dulcia sunt eorum carmina, & suaui voce populos decipientia. Nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturauerit aurem suam, & quasi surdus euaserit. *In 1. caput Micheæ.*

LXXVII.

Quicquid loquuntur non habet vocem, sententias explicantem, sed tumultum clamorémque & sonitum: non enim testimonijs Scripturarum, sed arte Dialectica & argumentis Philosophorũ munita sunt atque constructa. *In 10. cap. Oseæ.*

LXXVIII.

Vtinam tã noui non essent, minus forsitan plurimos decepissent. *Tom. 6. in 3. caput epist. ad Titũ.*

LXXIX.

Fermentum hanc vim habet, vt si farinæ mixtũ fuerit, quod parùm videbatur crescat in maius, & ad saporem suum vniuersam cõuersionem trahat: ita & doctrina istorum, si vel modicam scintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flãma crescit, & totam hominis possessionem ad se trahit. *In 16. cap. Matthæi. Can. 12.*

XC.

Cùm peruersa docent, se hominũ solent asserere lucratores: cùm non lucrum sit sed perditio animas interficere deceptorum. *Item.* Omnis Doctor Ecclesiæ, qui ad fidem Christi recta ratione persuadet, honestus lucrator est. Et omnis hæreticus, qui quibusdam præstigijs homines fallit & fallitur, loquitur quæ non oportet turpis lucri gratia. *In 1.*

In 1. cap. epist. ad Titum.

XCI.

Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam etiam diuinis testimonijs roborare. *Item.* Tales homines Doctor Ecclesiæ, cui animæ populorum creditę sunt, scripturarum debet ratione superare, & silentium illis testimoniorum pondere imponere: qui non vnam aut paucas domos, sed vniuersas cum omnibus familijs subuertunt, docentes de ciborum differentijs, &c. Atque vtinam hoc ipsum zelo fidei facerent ex parte aliqua posset ignosci, dicẽte Apostolo, zelum Dei habẽt, sed non secundum scientiam. Verùm quia venter est Deus ipsorum, turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, vt quasi magistri à sectatoribus suis alantur. *In 1. cap. epist. ad Titum.*

XCII.

Sub nomine [*Iesu*] Christi ea docent quæ contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cùm Dominus dixerit, Et multos seducent. *Item.* Sub opinione falsæ scientiæ çontra Christum dimicant. *In 24. cap. Matthæi can. 52. & 83.*

XCIII.

Viam tuam rectam fac propter inimicos meos qui insidiantur mihi. Quæ autem est ista via? Lectio Scripturarum: hoc est, ne in Scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, corruam. Omnis enim qui malè intelligit Scripturas, in via Dei corruit. &c. *Tom. 7. in Psalm. 5.*

XCIIII.

Si vir Ecclesiasticus, de Scripturis eruditus, cõtenderit contra eos, & de Scripturis Sanctis coarguerit eos, statim requirunt quomodo aliud nouũ dogma reperiant. Non quærunt quomodo salue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, sed quo modo superent. *Ibidem.*

XCV.

Si in Apostolis veritas Dei est, quomodo isti dicunt, Quod non est reuelatum Apostolis nobis reuelatum est. *In Psal.* 107.

XCVI.

Plantatio eorum non est vetus, sed nouella est. Non est enim de veteri lege, non est de Prophetis, non est de Apostolis: sed de nouis magistris est. Licet multæ sint hæreses veteres, tamẽ quotidie mutantur, & nouæ quotidie inueniuntur. Nouæ sunt ipsæ hæreses, licet veteres sint. tamẽ cũm quotidie doctrinas suas innouant, nouę sunt, non enim sunt veterum magistrorum [*i. Prophetarum & Apostolorum*] doctrina contenti, sed quotidie ipsi noua reperiunt. *In* 143. *Psalmum.*

XCVII.

Videtis magistros eorum nihil aliud facere nisi studere diuitijs. Diuitiis student & pauperem Christum contemnunt. boues eorum crassi, quorum dens venter est, & gloria in confusione eorum. *Ibidem.*

XCVIII.

Difficilè hæreticos inuenies imperitos. Omnes enim magistri sunt & instructi scientia seculari. Non habent rete Apostolorum, sed catenulas dialecticas, &c. *Item.* Multi nescientes, beatos tales putant. Cæterùm nobis simplicitas Christiana est. Nolumus eloquentiam Platonicam, sed volumus simplicitatem Apostolicam. Piscator iste rete tenet, lutatos habet pedes, & manus ex opere callosas habet. Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius. Beatus est populus, qui pro omnibus diuitiis Christum habent. Illi habent filios & filias & cellaria, & oues fœtosas, boues crassos, & nitidos atque formosos. Cæterùm nos non

non habemus multitudinem: sed scimus illud dictum in Euãgelio, Vbicunque fuerint duo aut tres congregati, in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Ne timeas grex paruule: quia complacuit Deo habitare in te. *Ibidem.*

XCIX.

Scrutantur Scripturas sanctas, & non spiritualiter tractantes vanas exinde proferunt quæstiones, quibus nos per iniquitatem & dolum cupiũt illaqueare: sed nihil prævalentes, ipsi potius à Deo scrutati atque examinati, relicti sunt vacui. *In Psal.* 63.

C.

Vis populum liberare? magistros liga. Non vocauit magistros, sed reges. Regnant enim in peccatis & miseriis eorum. Nobiles eorum videas dicere, Iste vir doctus est: ille signa facit: iste dæmones eiicit. Sancti Domini, quia habent gladios ancipites, hoc est duorũ capitum, & de veteri & de nouo Testamento, ligant illos magistros, & præpediunt pedes ipsorũ ne possint currere, &c. *In Psalm.* 149.

FINIS.

LECTORI S.

Quoniam vacabant aliquot pagellæ, testimonia quæ sequuntur inani gloriationi Iesuitarum de Pastorum personali Successione opponere visum est.

Tertullianus, *libro de Præscriptionibus aduersus hæreticos, cap.21.*

SI Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prędicandum, dicimus alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit: quia nec alius patrem nouit, nisi Filius & cui Filius reuelauit, nec aliis videtur reuelasse Filius quàm Apostolis quos misit ad prædicandum vtique quod illis reuelauit. Quid autem prędicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hîc prędscribam, nõ aliter probari debere, nisi per eas-

Extant in nouo Testamento Epistolæ apostolorum ad varias ecclesias.

dem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas postea. Si hęc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quę cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam quæ sapiet contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. *& cap.36.* Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc [*temporibus Tertulliani*] cathedræ Apostolorũ suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes

nantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthũ. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde [*quandiu Apostolicam doctrinam retinuit & Paulinæ doctrinæ in Epistola ad veteres Romanos sequacem se præbuit*] nobis quoque auctoritas præsto est. Statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, &c. videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Aphricanis quoque Ecclesiijs conteserarit. Vnum Deum nouit creatorem vniuersitatis, & Christum Iesum ex virgine Maria Filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem: legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem: eam aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur, & ita aduersus hãc institutionem neminem recipito. Hæc est institutio, non dico iam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt aduersus illam. *Et paulò post.* Nõ Christiani nullum ius capiunt Christianarum litterarum, ad quos meritò dicendum est, Qui estis, quãdo & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorũ fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caeuerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit? *Vide etiam quæ de eodem li-*

bro suprà retulimus in 2. centuria Characterum.

Cyprianus, *libro seu tractatu de Simplicitate prælatorum.*

Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico (inquit) quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum nó vincent eam. Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cælis. Et eidem post resurrectionẽ suam dicit, Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater, & egó mitto vos, accipite Spiritum Sanctum: Si cui remiseritis peccata, remittentur illi: Si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua autoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari cõsortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur. *Et paulò post.* Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè episcopi qui in Ecclesia præsidemus, vt episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatẽ perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. *Et circa finem.* Christianus ille videri non potest qui non permanet in Euangelij eius [*Christi*] & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique & admirabilis res est. Non tamen regnum cęleste consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur.

Gregorius Nazianzenus, *Oratione 21. de laudibus Basilij.*

Qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiusdẽ quoque throni socius est: qui autem contrariam sententiam tuetur, aduersarius quoque in throno censeri debet. Atque hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam & veritatem habet successionis. Neque enim qui per vim erupit successor habendus est, sed qui vim perpessus est: nec qui leges violauit, sed qui modo legibus consentaneo electus est: nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & mentis alienationem prudentiæ succedere dicimus.

SOLI DEO GLORIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca